174

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/monvmentorvmital00schr

MONVMENTORVM ITALIAE,

Quæ hoc noſtro ſæculo & à Chriſtianis poſita ſunt,

LIBRI QVATVOR.

Editi â
LAVRENTIO SCHRADERO
HALBERSTADIEN:
Saxone.



Cum Gratia & Priuilegio Cæſareo.

HELMAESTADII
Typis Iacobi Lucij Tranſyluani.

M. D. XCII.

ILLVSTRISSIMO AC REVEREN-DISSIMO IN CHRISTO PRINCIPI AC DOMINO, Domino Iohanni Adolpho, poſtulato Archiepiſcopo Bremenſi, Electo Lubecenſi, heredi Noruegiæ, Duci Sleſuicenſi, Holſatiæ, Stormariæ ac Dithmaſchorum, Comiti in Oldenborg & Delmenhorſt, Domino ſuo clementiſſimo.

TRIGESIMVS SEXTVS IAM EST ANnus, Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Princeps, Domine mi clementiſſime, quùm Italiam ſtudiorum cauſſa acceſſi, iuuenis admodùm; vix enim decimũ octauum ætatis annum attigeram, & cum per triennium integrum in ea ſumptu meo commoratus eſſem, flagrantiq; ſtudio viſendi eius vrbes, prouinciam fermè totam peragraſſem, multas præclaras inſcriptiones promiſcuè hinc indè collegi, & quæ conſpicienda venirent, vbiuis ſingulariter obſeruaui; vt peregrinationis iſtius meæ memoria aliqua ſaltem apud me extaret. Verùm cùm ea apud me eſſe intelligerent clariſſimi & doctiſſimi viri DD. Philippus Melanchton, Ioachimus Camerarius, Iohannes Sturmius, & Georgius Fabricius, noſtræ huius ætatis Germaniæ præclara lumina, authores mihi fuere, vt eo quo peregrinatus fuiſſem ordine, eas collocarem, atq; in publicum ederem, nulloq; modo paterer apud me priuatim deliteſcere aut interire. Sic authoritate & monitione ipſorum primùm inductus, in quatuor itinera diuiſi: Romanum, Neapolitanum, Venetum, & Inſubricum: atque anno M. D. LXVII. Italiam repetens, omnia illa quæ in decennio acceſſerant, ſtudiosè prioribus collectionibus, ijs in locis quæ tranſij, addidi, libroſq; ita auxi, vt ſtatim poſt reditum edi potuiſſent. Sed quia pro voluntate vt volebam non poteram omnia perficere & attingere; (vetabant enim hoc negotia publica, quorum cauſſa ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Epiſcopo Monaſterien. Adminiſtratore Oſnaburgen. & Padebornen. Iohanne Comite de Hoija, principe laudatiſſimo, mihiq; beneuolentiſſimo eram ablegatus) libri manſere

)(2 mutili

mutili atq; latitarunt denuò: & antequàm pro voluntate complerem anni lapſi ſunt plures. Tandem proprium alui ſtudioſum, qui omnia & ſingula, tempore illo intermedio poſita & erecta, ijsq; in locis quæ prætertieram colligeret, deſcriberet, atq, ad me referret, libriq; vſq; in annum XCI perfecti eſſent. Illis itaq; receptis & in ordinem redactis, Illuſtriſsimæ & Reuerendiſſimæ Celſs. tuæ legendos præbui, & cùm valdè gratos animaduerterem, typographo dedi, vt muniti Cæſareo priuilegio in quinquennium, prodirent in publicum. Primus itaq; liber cùm ſemper à me Bremen. Archiepiſcopo deſtinatus eſſet, tuq; in locum Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Principis & Domini, Domini Henrici de Saxonia, Principis lectiſſimi, & nunquam ſatis laudati, ſucceſſiſſes, teq; declaraſſes eius nuncupationem non fore ingratam; pro obſeruantia mea, qua Celſs. tuam, parentemq; tuum Illuſtriſſimum & Sereniſſimum Ducem Adolphum, Principem excellentiſſimum, cuiq; per viginti & plures annos operam meam fidelem nauaui, totamq; domum Holſaticam colui & colo; atq; etiam pro more, quem omnes, qui aliquid edere ſtatuunt, obſeruant; primam hanc & potiorem partem Ceſs. tuæ dedo dicoq;. Quem ſi grato & beneuolo animo ſuſceperit, meq; ſua gratia & beneuolentia, parentis & fratrum Illuſtriſſimorum veſtigijs inherendo, complexa fuerit; eſt quod mihi gratuler & gaudeam; meq; Celſs. tuæ ſimili fide obſtrictum & deuotum ſentiam. Deus opt. max. Celſs. tuam florentem conſeruet, & omnia proſpera & felicia largiatur. Oſnabrugæ Calen. Septemb. Anno M. D. XCII.

Celſitud. tuæ

Obſer.[mus] & deuotiſs:

Laurentius Schradæus.

PRAE-

PRAESTANTI DIGNITATE ET ERVDITIONE DOCTRINAE, DN. LAVRENTIO SCHRADAEO,

IOACHIMVS CAMERARIVS.

LAurenti, lepidum tuum libellum,
Dignum Pïeridum choro ſororum,
Et dignum Clarij fauore Diui,
Relliquiſti heri quem mihi legendum,
Euoluens hodie ſtatim peregi.
Nunc quos ingenuos tuos labores
Communes placuit tibi eſſe mecum
Priuatim, hos quoq; proferas, rogamus,
Tantis diuitijs tot vt bonorum
Dehinc plebs Muſica publicè fruatur.
Exoptans animis ſubinde gratis,
Plura vt mox ſtudio tua afferantur
Adiumenta ſuo eruditione,
Nec vano ſtudio, nec improbando,
Et iuncta vtilitate cum ſua; tùm
Vt laus nominis ac decus Scradæi
Multorum ſimul ore prædicetur.

IOANNES STVRMIVS LAVRENTIO SCHRADAEO SALVTEM.

ITALIAE TVAE, SCHRADAEE, διασκευὴν, heri veſperi percurri: Valdè me delectauit. Vtile opus futurum eſt & gratum ijs, qui Italiam nunquam viderunt: Sed & ijs, qui aliquando in illis locis fuerunt, iucundum erit recognoſcere: Etiam qui illuc proficiſci cogitant, non ingratum erit præcognoſcere: vt quod in libro tuo legendo intellexerunt, idem in ipſis locis intuendo cognoſcant, & ſciant, quid quibus in vrbibus ſit viſendum. Ac ſanè autor tibi eſſem, vt primo quoq; tempore prodire in publicum ſineres, niſi tibi eodem proficiſcendum eſſet, vnde hæc deportaſti. Habent enim ipſæ profectiones magnum momentum ad cogitandum & commentandum acutius atq; perfectius. Neſcio enim quo pacto ambulationes magis mentis aciem excitent, quàm ſeſſiones domeſticæ. Quod ſi denuò Italiam viſere conſtitueris, opto vt bonæ alites & dextræ oſcines te in Italiam deducant: valetudo firma corporis, animi mentiſque ſanitas: & vitæ proſperitas, ijſdem quibus proficiſceris, ad nos reuertaris, Vale.

IN SEPVLCRA A LAVRENTIO SCHRADAEO COLLECTA, ALEXANDRI GRAPHAEI CARMEN.

VIderat heîc illic neglecta iacere per orbem
Virûm ſepulcra plurima Immortalitas
Commendata ſibi. Non iſthæc paſſa, quod ipſis
Cum rebus ipſa & interirent nomina.
SCHRADAEO diua hanc mittit pulcerrima mentem,
Ea vt ab ſitu atq́; iniuria omni vindicet.
Sedulus hæc præſtat monitis accenſus honeſtis,
Externa dum per regna, longè diſsita
Sedibus à patrÿs, perluſtrans ſingula quærit,
Moreſq́; diſcit vrbium, atq́; gentium.
Collapſas igitur properans ſarcire ruinas,
Fragmenta diſperſa vndequaq́; colligit.
Mox collecta ſuo diſponit is ordine quæq́;,
Plurimaq́; culta illa ſua reparat manu.
Et, veluti ſollers aliquis cum ſuſcitat ignes
Altè ſepultos, & leui cinere obrutos;
Sic, ne cernantur alta tellure ſepulta
Multoq́; rudere obruta atq́; puluere.
In medium profert dias ſub luminis oras,
Totiq́; mundo perlibens communicat.
Et facit aſsiduo vt viuant, claraq́; ferantur
In luce clara nunc videnda ab omnibus.
SCHRADAEO ingentes tanto pro munere Manes
Referunt pÿ, magnas aguntq́; gratias:
Ipſa aſt pro meritis Diua haud ingrata, perenne
Viuo ſepulcrum ponit Immortalitas.

AD LAVRENTIVM SCHRADÆVM I. C. IOAN. POSTHIVS. M. D.

QVid cunctaris adhuc veterum monumenta ſepulcrûm
Edere victuris ſculpta voluminibus?
Quæ tibi ſunt nullo quondam congeſta labore,
Dum facis huc illuc irrequietus iter.
Ne, rogo, ne tenebris ſine longius illa premantur
LAVRENTI, hoc ipſis manibus officium
Gratum erit: atque olim ſimili decorabit honore
Poſteritas cineres officioſa tuos.

IN ITALIAM LAVRENTII SCHRADAEI *JOANNES CASELIVS.*

QVi iuuenes ſolet, hic me ætatis feruor agebat,
Vt cupidè patrio luſtrarem diſſita cœlo
Regna procul, nec erat mihi tanti aurumuè, laboruè.
Difficiles facilè eſt Alpes tranſcendere, ſi quis,
Sicut ego, Auſoniæ tanto teneatur amore.
Quin etiam niſi Turca ferox omnem Hellada duro
Imperio premat, & longè nos arceat omnes:
Cecropias arces & Spartæ culmen adiſſem.

Vidi ite-

Vidi iterum Italiam ſtudio maiore, nec ædem
Præterij, quam cauſſa aliqua ſpectare iuuaret.
Et iam nunc animo, quæ vidi, ſingula inhærent,
Quin, mihi ſi libeat, facili ſermone tenerem
Suſpenſum, qui non illæc audire recuſet:
Nec tamen omnia quæ SCHRADAEVS pluribus annis,
Nec tenui ſumptu, duroq; inuenta labore,
Subijcit hîc oculis, luſtraui lumine aperto,
Ipſo animo quæ nunc contemplor littore noſtro,
Cimbrica Parrhaſiam quâ Balthe ſuſpicit Arcton.
Non opus eſt efferre pedem, non carpere feſſo
Longum iter, & celſas trepidè tranſire per Alpes.
Iam nunc Italiam cunctam, veteremq; nouamq;
Funditus euerſam, reſtauratamq; viciſſim,
Vna opera exigua & benè tuta, temporeq; vno,
Largifico docti ſcriptoris munere cernes.
Quod tibi dat tanto ſtudio, quæſo accipe, contrà
Vnum animum præter memorem nil poſtulat à te.

Roſtochij Menſe Martio Anno M. D. LXXXVIII.

IACOBVS CELLARIVS AVGVSTANVS.

CEu vagus ad varias oras penetrauit Vlyſſes,
Vt mores hominum noſceret innumeros;
Sic quoq; SCHRADAEVS regionum illectus amore
Cognoſcendarum per loca plura ruit.
Naturamq; loci perquirit ſedulus omnem,
Quidquid & eximium mœnia quæq; tenent.
Peruigili ac ſtudio ſignat monumenta virorum
Clarorum, quos nunc Auſonia ora tegit.
Vt quos mors rapuit, vitæ reddantur ijdem,
Et paſſim volitent docta per ora virûm.
Ergo quiſquis aues peregrinas viſere terras,
Hoc duce carpe viam, qui benè monſtrat iter.
Cui non Italiam contingit adire celebrem,
Ex iſto fiet doctior ille libro.
Multa igitur debent tibi, quos mors ſuſtulit atra,
Plura etiam quos nunc mobilis aura fouet.
Semper honos SCHRADAEE tuus, nomenq; manebit,
Sydera dum cœlum, dum tenet Iſter aquas.

ADOLPHVS OCCO MED: DOCT: PHYSIC. AVGVST.

HÆC lege, præcipuas viſu quæ digna per vrbes
Quosq; habeat celebres quælibet ora viros:
Quæq; viatori fugienda ſequendaq; cautè,
Nôris vt longum carpere tutus iter.

IN HODOEPORICON DN. LAVRENTII SCHRADAEI,
Tobias Fiſterus, Sileſ. Mathem. & Medicus.

SCilicet eximium eſt peregrinas viſere terras,
Perpetuoq; pudor conſenuiſſe domi.
Fama etenim atq; decus, rerum experientia, nomen,
Gloriaq; externo maior ab orbe venit.

Claſſe niſi Æolides adijſſet Colchida Iaſon,
Vellus inauratæ non retuliſſet ouis.
Nota nec Alcidæ vigeat ſuper æthera virtus,
Perpetuò in patria ſi latuiſſet iners:
Quiq; hominum mores multorum vidit & vrbes,
Orbe peregrino per duo luſtra vagans:
Sed tibi quæ potior regio ſpectanda probetur,
Clarior ingenijs, Marte, mari, ære, manu.
Quam quæ tergeminum frenauit legibus orbem,
Terrarum genitrix dicta, Deûmq; locus.
Hanc igitur quicunq; cupis vel cernere præſens,
Aut animo, librum hunc perlege, certus eris.
Ille tibi Auſonias vrbes deſcribit & arces:
Rura, domos, montes, flumina, ſtagna, lacus.
Et veterum monumenta patrum, ſacrataq; Muſis
Atria, Diuorum templaq; ſtructa choro.
Et varijs quæcunq; locis viſenda, vel ære
Vel tabulis fixa aut marmore ſculpta refert.
Quem tibi dat Latio SCHRADÆVS ab orbe reuerſus,
SCHRADÆVS generis fama decusq; ſui.
Hunc dat mente pia, grato nunc ſuſcipe vultu,
Autori ſat erit complacuiſſe tibi.

EIVSDEM.

ARdua Pyramidum ſileat faſtigia Memphis,
Nec Parias vltra Nilus honoret opes.
Nec grandem aſſidui iactent Babylona labores,
Extollat turrim nec Paphos alta ſuam.
Mauſolei etiam pompoſa theatra ſepulcri:
Et Triuiæ ceſſent templa ſuperba Deæ.
Terra triumphales Italûm, quos extulit, arcus,
Fixaque Migdonio marmore ſigna, canat.
Et circos memoret, varijſque exſtructa columnis
Atria Pontificum, templa Deûmq; domos.
Hinc fora cum campis, cum porticibuſq; coloſſos,
Cumque mari montes, ſtagna, lacusque ferat.
Et Capitolini penetralia celſa Tonantis,
Et digna æthereis amphitheatra locis.
Aſt horum omne decus rebus malefida vetuſtas
Fregit, & arbitrio ſors violenta ſuo.
Rudera ſola manent, miſerandaque reſtat imago,
Et reliquum eſt, nomen præter inane, nihil.
Si tamen eſt animus tantas luſtrare ruinas,
Splendorem hinc priſcum colligere atque decus.
Rara liber rerum hic pandit ſpectacla, ſitumque
Quem quondã, aut habeant nunc loca cuncta docet.
Illecebratas fama vrbes, mœnia, & arces,
Et cum porticibus celſa theatra refert.

Ille ſo-

Ille fora, ille domos, campos, circoſque recenſet,
Fanaq; & officijs templa dicata ſacris.
Ille triumphales arcus, & ab hoſte fugato
Victrici memorat fixa trophæa manu.
Quæq; haud tempus edax, nec vi violare vetuſtas
Aut dubia valuit ſors abolere vice.
Priſcorum monumenta Ducum, Regumq; ſepulcra
Marmore vel tabulis cæſa vel ære refert.
Poſtuma quas ſtatuas defunctis lumine proles,
Quæ dederit luctus ſigna videnda ſui.
Et quibus illorum verbis memorauerit acta,
Virtutes, meritum, res, ſtudia, officium.
Quæ ſpectanda velut coram, tua ſedulus autor
Singula dat proprijs picta ſub ora notis.
Nec caruit varijs hæc res, mihi crede, periclis,
Conſtitit hic ſumptu nec leuiore liber.
At vicit pietas & amor ſtudioſus honeſti,
Menſque ſuis multos prompta iuuare bonis.
Tutius eſt animo hæc ſpectare, vbi nec magis æſtus,
Nec pluuiæ, aut rabidi vis metuenda Noti.
Non ardor Solis, Boreo nix ſparſa nec axe,
Dextera latronum nec violenta nocet.
Digna ergo autori meritum mercede laborem
Compenſent, veterum qui monumenta colunt.
Ipſe ſed interea placidos precor exigat annos,
Et ſtudijs pergat ritè fauere bonis.

PHALÆCIVM EIVSDEM.

NIL toto validum ſtat orbe rerum,
Edax omne rapit decus vetuſtas,
Et ſors cuncta ſibi putans licere
Princeps eloquij id quoq; ora ſenſit,
Bellatrice manu, togaq; præſtans,
Et victrix triplicis, caputq; mundi.
Maieſtas perijt, leues ruinæ,
Ac nomen reliquum eſt inane, & vmbra.
Quæ ſic ne tenues volent in auras;
Priſcum at dent, aliquo decus legentis
Obſeruari animis modo ac honorem
Raptum ſydereas SCHRADAEVM in arces
Iuſſit reliquias tueri auitas,
Ac ſuccurrere Iupiter: ſecutus
Autor iuſſu Dei pius, libellum hunc
Cura multiplici, graui periclo,
Nec ſumptu exiguo aut labore partum
Offert: grata igitur, benigne lector,

Illum ſuſcipe mente, ſeduliq;
Autoris ſtudium & pios fauore
Conatus rogo promouere perge.

IN LIBROS MONVMENTORVM LAVRENTII SCHRADÆI, BERNARDVS MOLLERVS.

QVid ſapimus gentile, Deum quicunque fatemur?
Diuidua docti religione ſumus.
Myriades ſcripti paſſim prodire videntur,
Labilis in calamum fabula ſponte fluit.
Multa replent chartam ſterili conflata labore:
In medium paruo multa ſapore volant.
Scribimus & facimus, Patrum quod ineptijt ætas:
AEtas ſtare loco neſcia, lege carens.
Qualia veſanæ debebant promere gentes,
Chriſticolæ gaudent inſeruiſſe libris.
Ex poſtliminio reuocant, quæ perdidit ætas
Sanior, & veterum ſomnia more notant.
Damnatis inſcripta notant commenta ſepulcris,
Styx animas quorum torquet amica malis.
Cedite vanarum ſcriptores, cedite, rerum:
Cum Stygia nobis eſto palude nihil.
Quid mihi cum Deni tumulo? quid & Hectoris vmbram,
Mortis & Hectoreæ vana quid oſſa moror?
Noſtra ſapit cœleſte fides, gentile relinquat.
Fallere quis poterit, qui regit aſtra, Deum?
Ergo tuis extare fidem SCHRADAEE libellis
Efficis: haud veterum ſomnia more refers.
Chriſtigenis inſcripta refers monumenta ſepulcris,
Qui Latijs paſſim ſcripta fuere rogis.
Funereos horum fidei virtute parentes,
Quorum lux animas cingit in arce poli.
Vade liber: ſancto pietas te mancipat orbi,
Liber & auſpitijs Cæſaris ito liber.

IN IV. LIBROS MONVMENTOR: ITALICORVM, MAG^{ci}: CLAR^{mi}: ET CONSVLTISS: VIRI, DN. LAVRENTII SCHRADAEI, *OTTO GRVMMERVS.*

MVſta ſacer Canonum, triplici cui flumine labra
Sermonis culti Peitho operoſa rigat.
Inde Ducum & Regum multorum honor amplus habetur,
Inde fauet ſummi curia Pontificis.
Felix! nam ceſſit feliciter improbus omnis
A teneris labor & conſilium vnguiculis.
En monumentorum libri extant Auſonicorum,
Mirificè populis re tituloq; placent.

Quæ paſ-

Quæ paſſim aſpectu & memoratu digna feruntur,
Succincta ante oculos hi breuitate locant.
Quàm benè Parrhaſius pinxit res pollice docto,
Lyſippus finxit ſigna animoſa manu.
Tam benè SCHRADAEVS ſtudio obſeruanda fideli,
Obuiaq; hoſpitibus perſequitur calamo.
Vt regionis ſi luſtrandæ agit ardor amœnæ,
Quem non inſtruxit liuida ſors opibus.
Primitus his animum ſitientem paſcat abundè,
Noſcet & è tabulis ceu ſibi viſa forent.
Sic ego, ſic alij durum quibus vſq; morari eſt,
Fortiter & blanda ſpe ſuperata mora.
Sueuimus autoris traducere tempora ſcriptis,
Splendida pro meritis præmia Mnemoſynes.
Ergo LAVRENTI cinget noua laurea frontem,
Nominis & famam gloria ad aſtra vehet.

DE MONVMENTIS ITALIAE SCHRADAEI, *IOAN: GRVTERVS.*

PRodijt vt pugnax abiegnis Græcia coſtis,
Et dabat in cinerem Laomedontis opes,
Et medio Æneas pius eripit igne penates,
Fertq; humeris Veſtam cum armipotente Dea:
Tu quoq; tu cultor rerum Scradæe piarum
Cernis vbi ſenſim peſſum Italum ire decus,
Barbariemq; iterum comitatam Inſcitia agreſſi
Tentare Auſonijs imperitare focis;
Felici transfers raptu Germaniæ in vrbes
Conſpcuum quidquid Romuleo orbe fuit,
Hocq; adeò nato Veneris felicius, eius
Numina cum longa quod periere die.
At Scradæe tuæ, creſcenti ætate, rapinæ
Æſtimij & formæ, nobilioris erunt.

IN LAVRENTII SCRADAEI V. CL. *MONVMENTORVM ITALICORVM LIB. IIII.* M. ANDREAE DITMARI BRVNSVICENSIS Phalæcium.

MVltos multam operam, SCRADAEE, certum eſt
Omnemq; ingenij ſui vigorem
Scrutando Latij vrbium ruinas
Conſumſiſſe, vetuſtiora nobis
In lucem vt monumenta collocarent,

Olim

Olim Romulidæ ſuorum honorum.
Et parti imperij ſolo ſaloq́;
Quæ fixere trophæa glorioſa.
Artis pleraq́; plena ſumptuumq́;,
Sed longè tamen à Dei remota
Vera luce, ſalutis & beatæ.
Quò fit, quanquam oculos ſuauiore
Aſpectu recreent, tamen ſalubri
Doctrina, vt nequeant iuuare quenquã
Ad vitæ melioris inſtitutum.
Rectè ergo facis, ô SCHRADAEE, Phœnix
Noſtri climatis inter eruditos,
Quòd gentilia mittis vniuerſa,
Iſtorumq́; loco exhibes legendum
Quicquid ſuaue, venuſtum, & expolitũ
In templis, domibuſq́; curijsq́;
Totius Latij recentiore
Sæclo Chriſtiades pij locarunt.
Index vt fidei id, ſuiq́; amoris
In CHRISTVM eſſet, & elegans ſacratæ
Virtutis typus, æmulandus omni,
Qui famam memorem in polo ſoloq́;
Diuino ac hominum fauore quærit.
Hoc SCRADAEE tuum volumen ergo
Voluet poſteritas (futura ſi qua eſt.)
Et viuo tibi, mortuoq́; grates
Exſoluet grauium memor ſubinde,
Queìs illud tibi conſtitit, laborum.

IOANNES SLVTERVS BREMENSIS IN LIBROS MONVMENTORVM D. LAVRENTII SCHRADAEI.

QVàm benè de ſtudijs Schradæe mereris honeſtis,
Dum tua difficili ſcripta labore micant.
Viderat hæc Erato, nuper mirata laborem,
Iſte liber multæ eſt vtilitatis ait.
Conuocat hinc iunctas ſibi ſanguine & arte ſorores,
Atq; vnam ex illis ſoluere labra iubet.

Melpo-

Melpomenæ partes iſtæ creduntur, at illa,
 Vox mea non par eſt digna referre, refert.
Deniq; per breuibus lingua titubante profatur,
 Inquirens rebus commoda verba ſuis
Ecce nouum tibi rurſus opus donante Schradæo,
 Quo benè pars Muſis grata fruare, venit.
Qui petis Italiam dilectus amore videndi
 Hoc opus officio ſeruiet omne tuo.
At te ſi forſan, viſis quæ digna, labaſcens
 Vox aut priuati, aut pagina manca tulit;
Aut ſi ſcire cupis certò, quæ fama ſuſurrat
 Ambigua, hoc certum perlege lector opus.
Quiq; per Auſonidum vagabundus ſæpius agros
 Carpſiſti plenus ſpeq; metuq; vias:
Quæ loca, quid dignum deduxeris inde relatu
 Si memori rurſus mente videre placet.
Si renouare iuuat quondam quæ viſa legendo
 Hoc opus officio ſeruiet omne tuo.
Si placet Italicas inuiſere tutius oras,
 Quo te nec Boreas, nec ferus imber agat.
Hunc lege quem gelidus Boreas contraxit, haberet
 Conſuleret ſtudio quo tibi ritè ſuo.
Si puer in caſtris tibi pendet ab ore docenti
 Scriptaq; doctorum vertere cura virûm
Præſens, quo minùs inuiſus reddatur vterq;
 Autor & auditor, conſule lector opus.
Quando ſua doctos extinxerit arte celebres,
 Et tumulo dederit parca ſeuera viros.
Vt mores fuerint ſignandi, vt vita, obitusq;
 Exemplar varium, crede Schradæus habet.
Non fuit intentus numerum complere ſoluto,
 In deſcribendo carmine, falſa locans,
Sed quod conſuluiſſe fideliter omnibus æquum eſt,
 Vt legeret rectè maxima cura fuit.
Quam benè de ſtudijs Schradæe mereris honeſtis
 Munere dum tanto Bibliotheca nitet.
Attingit ſi quem laudabilis ardor Vliſsis
 Vt cupiat facto nomina clara ſuo.

Ante ſi-

Ante ſibi ignotas quàm ſe committat ad oras,
Aut malè longinquas tentet adire plagas.
Hoc opus admota pernobile voluere dextra
Fas erit, & ſtudio grata referre pio.
Dixerat, in medio ſermone ſilentia iuſſa eſt
Siſtere, & autorem quærere; iuſſa ſilet.
Quem primum vt cernit diſſoluens ora, Schradæ
Tenè indonatum Phœbus abire ſinat?
Sunt mæcenates, qui compenſare labores
Longè alijs donis, quàm pia Muſa, ſolent.
Hæc tibi cum proprio conſtent ſudore, laboris
Accipe, ait, ſtudio præmia digna tuo.
Perpetuum nomen, nunquam moritura perennis
Gloria ſit ſcriptis magna parata tuis.

LAV-

LAVRENTII SCHRADAEI HALBERSTADIENSIS

MONVMENTORVM ITALIAE,

QVAE HOC NOSTRO SAECVLO ET A CHRISTIANIS POSITA SVNT,

LIBER PRIMVS.

CONTINENS ITER ROMANVM EX TRIDENTO.

NOM: ANTIQ:	RECENTIA.	MILL.	REGIO.	DITIO.
Tridentum	Trient			Imperatoris.
	Leuigo	II.		
	Borgo	II.	Rhetia.	
	Grigna	III.		
	Primolan	III.		Venetorum.
Baſſanum	Baſſan	IV.		
	Citadella	II.		
Patauium.	Padoa	IIII.		
	S.MariadelVlmo	XIII.		
Atheſis traiectus	Anguillara	V.		
	Mardimago	II.		
Rodigium	Rouigo	V.	Tranſpadana.	
	Paſſodel ponteſco	III.		
	Poliſella	VII.		
	Garofola	II.		Ducis Eſtenſis.
Ferraria.	Ferrara	VIII.		
	S. Piero	XVI.		
	S. Zorgi	IV.		
	Cortiſella	VII.		
Bononia	Bologna	III.		
Bianorum	Pianora	VIII.		
	Loiano	VIII.	AEmilia	Pontificis.
	Scharkalaſino	IV.		
	Piera mala	VI.		
Fidentia	Fiorenzola	IV:		
	Pogio	IV.		
	Scarparia	X.		
	Piraſella	II.		
	Fontaglia	VI.		MagniDucisFlorentini.
Florentia	Fiorenza	VI.		
	Pogio	VI.		
	Signiola	V.		

Piſtori-

NOM. ANTIQ.	RECENT.	MILL.	REGIO.	DITIO.
Piſtorium	Piſtoia	V.		
	Serauallc	III.	Hetruria	
	Burgo	V.		
	Peſcia	III.		
Luna	Lunada	V.		
Lucca	Luca	IIII.		Libera.
Piſæ	Piſa	X.		
Labro portus	Liuorno	XVI.		
Piſæ	Piſa	XVI.		
	Caſchina	VI.		
Era flum.	Pontera	IIII.		
	S. Maria del Montoculi	VII.	Hetruria	
	Scala	III.		
	Ponte del Arno	II.		
Elſa flu:	Caſtel Fiorentio	VI.		
Certaldum	Certaldo	III.		MagniDucisFloren: olim Senenſ: Reip.
Peſa flu:	Peſiponte	VI.		
Opp: & fl:	Stagio	III.		
Senæ	Siena	IX.		
	S. Angelo	V.		
	Monterone	I.		
	Luſignano	II.		
	Ponte de rena	II.		
Beneconuentum	Bonconuent	IIII.		
	Turniero	III.		
	S. Quirico	V.		
	Scala	V.		
	Socorzo	III.		
Vrcius fl:	Lorza	III.	Hetruria	
	Paglia	II.		
	Ponte Centino	IIX.		
Aqua pendens	Aqua pendente	IV.		
	S. Lorenzo	V.		
Vulſinia	Bolſena	III.		Pontificis.
	Arlena fiume	III.		
Mons Faliſcorũ	Monte fiaſcon	III.		
Longula	Viterbum	IIX.		
Lacus Vadimonis	Lago di Viterbo	V.		
Lacus Ciminus	Lago di Vico	IV.		
Roncilionum	Roncilion	I		
	Monteroſe	VII.		
Sylua Arſia	Bacchano	IIX.		
	Iſola	VI.		
ROMA.	ROMA.	VI:		

TRI-

TRIDENTVM.

VRBS RHETIÆ PRIMÆ, A GALlis condita, intra montes in profundiſſima valle ſita, ad ripam Atheſis; ſpacio non magna, ſed pulcra, Italis Germaniſq; mixtim habitata: domos habet humiles, & ab Illmo. & Reuerendiſſ. Cardinale Madrucio, eius loci Epiſcopo ampliſſimo regitur, ſub Imperio Romano, ad Germaniam & Comitatum Tyrolenſem adhuc ſpectans. Arx in ea pulcerrima, à Bernhardo Cleſio Cardinale ad ornatum magis & ſplendorem, quàm ad tuendam vrbem ædificata, in qua varia conclauia, ex quibus in ſuperiori parte.

I. Cum tabula Stadij, in qua expreſſa genealogia Cæſaris Maximiliani & inſignia antiquorum, ex ſolido niueoq; marmore ſupra caminum.

II. Rotundum, cum tabulatis & inſigni fornace.

III. Cum pauimento marmoreo, cui adiunctum Muſeum, in quo depictæ ſacræ hiſtoriæ.

IIII. Cum tabulatis, in eo imagines Ferdinandi regis & vxoris, & regiorum liberorum, Epiſcopi Tridentini, & Pauli Morionis.

V. Habet pauimentum fictile.

VI. Tabulatum, in quo fornax & ſpeculum inſignia.

VII. Cæteris amplius cum picturis, In eodem Mirandula arx, ex ligno facta magno artificio.

VIII. In quo picturæ venantium & ſaltantium.

In inferiori:

IX. Sacellum in quo ſacra fiunt.

X. Cœnaculum.

XI. Cum menſa cupreſſina, opere vermiculato, in quo aliquot Imperatorum veterum, & hæ doctorum imagines:

Apollodori.	Grammatica.
Gorgiæ.	Rhetorica.
Chryſippi.	Dialectica.
Beroſi Atlantis.	Aſtrologia.
Amphionis.	Muſica.

XII. In quo Imp. Caroli, Ferdinandi regis, imagines.

XIII. Fornax ex fictili materia cum viro & muliere; puero & puella, ex quo emitti calida aqua poteſt.

XIIII. In quo aulæa & alia ornamenta, quibus ad inſtruenda cætera vtuntur.

XV. Hortus cum fonte, in quo vrbium, virorum, animalium, locorum rationes expreſſæ, quæ ab aqua cum admiratione intuentium moueri poſſunt. Labrum in quo Apollo æneus Daphnen perſequens, & Actæon in ceruum mutatus: ab vtraq; parte leones, qui ita facti quaſi ex labro biberent. De hoc & alijs huius ciuitatis ornamentis ac delitijs Albericus Longus Salentinus ad Vincentium Fontanam ita cecinit.

NE perconteris Vincenti (qui tuus eſt mos)
Quàm angulus hic terræ nobis arrideat, aut quod
Sit genus hoc hominum, quod cœlum, qui ſitus vrbis,
Scribentur tibi cuncta rudi craſſaq; Minerua.
Continua eſt vallis, mediam quam diſſecat amnis,
Neſcius aduerſo nautarum cedere remo,
Splendidior vitro, ripaq; decorus opaca.
Alluit hic læuum latus vrbis ſanè opulentæ,
Sed caueæ ſimilis, quæ multas continet, atq;
Diuerſas volucres, varia quæ voce Latinis
Auribus inſolitum reddunt ſtrepitumq; modumq;.
At quamuis variæ, coëunt tamen, vtq; gemelli
Concordes viuunt, generoſi principis ergò.
Hinc atq; hinc montes, numeroſa cacumina quorum
Ferratos properant poſtes attingere cæli:
Adiacet hic collis, cuius de vertice purus
Atq; perennis aquæ fons ſeſe effundit, & agros
Cùm tetigit, geminum in roſtrum ſe findit. eorum
Alterum in vrbanos vſus deſcendit, & vnam
Quamq; domum lambens ſpaciatur, perq; cloacas
Contiguas muris, & amœnos irrigat hortos.
Alterum inæquali decurrens ſorte propinqua
Influit arboribus varijs loca conſita primùm,
Mox iter ad villam Madruti principis amplam
Arripit, & frutices inter vinetaq; ſerpens,
Cum validæ celſas turres circumdedit arcis
Oppoſitas glebas & arenas leniter vrgens
Seſe præcipitem committit fluminis alueo.
Temperies iucunda quidem, ni Ianus & alter
Qui Ianum ſequitur glacient cum ſanguine venas,
Niuè liquefaciant medium qui diuidit annum
Menſis, & à primo qui ducit Cæſare nomen.
Fortia ſunt iuuenum proceraq; corpora, quorum
Lacteum inauratur flaua lanugine mentum.
Forma puellarum mediocris: nam neq; turpis
Nec nimis egregia eſt: ſed quæ nec perdat amantes
Nec modicè aſpectu ſenſum delectet inanem,
Anſeris aut tentam videantur habere crumenam.
Quare deprendes infeſtas fluminis vndas
Eſſe gulæ ſalebroſas prouidus incola rupes,
Et quidquid vacui eſt, fœcundis vitibus implet,
Factus & inde opulentus amici munere Bacchi
Cautius euitat ſerpentum ſanguine lymphas.
O vtinam tellus me talis prima tuliſſet,
Non alius ſciret meliores pangere verſus,
Si tamen efficiunt facundos vina Poëtas.
Nunc ad rem redeo: fuerint vtcunq; puellæ
Formoſæ, aut penitus deformes, certè apud illas
Summa pudicitiæ laus extat: ſiue quod vnam
Virtutem præ ſe tantum admirantur amantq;:
Seu quod fallendi ſpes omnis prorſus adempta eſt.
Quippe vrbs permodica eſt, vbi flagitium haud valet ingens

Delituiſſe diu: ſæuos his adde maritos,
Atq; propinquorum turbam, quos barbara quædam
Impellit feritas, non tantùm à pene procorum,
Verùm oculis etiam cunnum defendere ferro.
Reſtat, vt huc quicunq; ſalax aduenerit hoſpes,
Aut pereat miſer, aut certè immiſerabilis vsq;
Rumpatur dura tentigine: quorum ego magna
Pars ſum. Cur etiam celem fortaſsè maligna?
Quæ nobis natura nota non vſus iuſſit.
Nam quod ſit vitium naturæ, ſi neget ille
Qui me cunq; notat, concedam. hac lege tamen, ſi
Diram idem ventris rabiem patiatur, & vndas
Cum iecur admordet rabioſa canicula vitet.
Vitabit, dices, quisquis ratione gubernat
Senſus: vitabit: Sed me ſapientiæ ad iſtum
Perueniſſe gradum nondum conceſſit Apollo.
Syrenum cantus patiens effugit Vlyſſes
Nempè, ſed indomitum violenter vincula corpus
Continuere: fugax animus volitauerat illùc.
Quod ſi perſapiens multumq; exercitus heros
Rebus in aduerſis olim terræq; mariſq;
Per ſe non potuit ſenſus compeſcere vires,
Quid facerem non ſanus ego, & malè nauta peritus?
Quamuis inuitus rumpam vel ferrea clauſtra,
Imperioſa Venus quoties vehementius vrget.
Verum agè peccatum atq; nefandum quamlibet eſto, &
Noſtrum, haud naturæ: iccirconè tegam id, velutiq;
Archilochi vulpis virtutis veſtiar vmbra,
Introrſum turpis? certè hoc vitioſius eſſet.
Nam ſi Socratica perpendas lance, quid ipſum
Sit rectum, quod honeſtum, quid turpe, inuenias quid
Diſſimulare ſalus non eſt ſapientis, at illud
Euitaſſe quidem, quæ ſunt admiſſa cauendum eſt
Ne repetantur, erunt animo vel ſi inſita ſic vt
Auelli haud penitus poſſint, limitanda, vel arte
Qualibet obſtandum eſt, ne congeminentur, & omne
Occupet immunda ſcabies porrigine corpus.
Debilibus tardam membris habitare podagram
Nempè malum eſt: at ſi renes tententur acuto
Præterea morbo, vexet præcordia febris
Et fauces tuſſis, nares pituita, nec vlla
Pharmaca quærantur quæ adimantuè leuentuè dolorem.
Nil eſt quod vitæ moribundum vendicet. eſſe
Non me Chryſippum fateor, nec Crantora: at idem
Pernego me obſcœni lutulentum porcum Epicuri.
Nam licet hac culpa nolens vitioq; laborem,
Nemo tamen Diuûm templis me ſacra legentem
Dixerit, aut inopis ſegetes, agroſq; propinqui
Adieciſſe meis: non ambitione nec ira
Nec triſti inuidia rumpor, nec amicus amicum
Garrulus abſentem verbis inſector iniquis:
Non alicuius opes frango, famamuè laceſſo.

Et quamuis Venerem violento percitus aſtro
Non tamen inmundam ſector, nec ſemper inertem
Spero me hauſturum fallacis pocula Cyrces:
Et me Mercurij ſeruabunt gramina quondam,
Cum me vel reprimet ratio, aut maturior ætas
Damnoſam minuet rabiem cum ſanguine, Iam me
Qui aſſectatorem Veneris compellat, eadem
Si ſe perpendat trutina ceſſabit amicum
Lædere, cum excutiet quanta eſt quæ mantica tergus
Vlcerat ignotum, & quanto ſua tubera noſtris
Verrucis maiora premunt humeroſq; latuſq;.
Simia cum ranam vidiſſet forte paluſtrem
Incepit naſo miſeram ſuſpendere adunco, &
Iam illam riſuræ caudæ quod honore careret
Oblitæq; ſui. ſteterant vix verba palato,
Cum nudas clunes malè roſtro muſca momordit:
Quam cum ſenſiſſet, multo perfuſa rubore
Conticuit, gladio iamiam peritura ſuopte.
Quare animo memori, Fontana, hæc accipe verba,
Qui benè ſe nouit, certè hic vel iudice Phœbo
Et bonus & ſapiens eſt, & rex deniq; regum
Hæc tibi dictabam ſub amœna valle ludenti,
Excepto quod amore laboro, cætera ſanus.

IN TEMPLO CATHEDRALI S. VIGILII.

Vilabrij de Fronsberg. Epiſcopi Tridentini monumentum marmoreum.

ROBERTI DVCIS SEVERINATIS.

Italiæ victor, Seuerina ſtirpe Robertus
Sigsmundi Auſtralem ſenſit in arma Ducem.
Ter proceres Veneti bello petiere Tridentum
Ter victi, hic vincens ecce Robertus adeſt.

SIGISMVNDI ducis Auſtriæ filius M.CCCC.LXXXIIII.

BERNHARDO NAGAROLAE COMITI.

Ferdinando regi à Conſilijs, ſupremo principum cubiculario, Tergeſti præfecto, ac legationibus multis honorificè perfuncto, coniugi opt. mer. Vrſula Derſi vxor & filij mœſtiſs. pos.

OBIIT PATAVII anno à Chriſto nato M.D.XLIIX.
VIXIT annos XLII. dies IIX menſ. III.

HIERONIMVS A ROCCABRVNA.

Archidiaconus & ſummus Scholaſticus Eccleſiæ Trident. atq; eiuſdem & Brixinen. Canonicus, mortis memor ſibi monumentum hoc parauit, nec non auitum longo ſenio laxatum reſtituit.

CARDINALIS CLESII.

Bernardino Cleſio S.R.E. tit. Sancti Stephani in Cœlio monte presby. Cardinali, Epiſ. Tridentino, & adminiſtratori Brixinen. ob multa magnaq; in hãc Eccleſiam merita æterna memoria digno poſitum. Obijt xxiix. Iul. M. D. xxxix. ſedit xxv. an. M. i. D. xxiv. Vixit annos LIV. M. IV.

IN-

INSCRIPTA EIVSDEM TEMPLI.

VLDARICVS A FREVNDSPERG.

Hic eſt ille Vdalricus à Freundſperg non magis nobilitate generis quam rebus geſtis & magnitudine animi inſignis, qui cum magnis difficultatibus identidem premeretur, nihilominus dignitatem ſuam & iura Epiſcopatus conſtantiſſimè retinuit, ſingulariq; pietate ſibi commiſſam Eccleſiam non modò defendit, verùm etiam auxit & ornauit. Obijt anno domini 1493. 10. Auguſti.

Veterem lapidem (quippe pauimentum extuberans non paruo erat rebus diuinis incommodo) pia prouidentia Ludoici Madrucij Cardinalis & Eccleſiæ Trident. vigilantiſs. Præſulis hoc cõmodiore mutauit, anno 1574. prima Iulij

APVD S. MARCVM.

DOROTHEAE TONNAE.

Pudicitia, prudentia, venuſtate atque moribus inſigni vxori cariſs. & benemeritæ Andreas Burgus Cremonen. eques & Cæſareus conſiliarius maritus mœſtiſs. poſuit. Vixit an: XXX. Menſ. II. dies III. Obijt die X. Octob. M. D. XX.

Quid gemis heu tanto felicia funera luctu,
Turbantur lacrumis gaudia noſtra tuis.
Parce precor triſtes queſtus effundere, vixi.
Non erat in fatis longior hora meis.
Immatura perl, ſed tu diuturnior annos
Viue meos coniux optime viue tuos.

NICOLAI ZOLYOMI VNGARI.

Ornatiſſimo adoleſcenti Nicolaò Zolyomi Hungaro, Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Georgij Epiſcopi Quinq; Eccleſ. ſac. Cæſ. Regiæq; Maieſt. pro inclyto Hungariæ regno ad Sac. concil. Trident. Oratoris, fido ac perito Secretario, magna pietate vita functo. P. Vixit ann. xxiii. Obijt ann. M. D. Lxiii. vi. Ian.

HYERON. SERIPANDI.

Hieronimo Seripando Cardin. Conc. Trident. Legat. Chriſtophorus Patauinus Sodalitij eremit: magiſter. P.

V. A. LXX. M. V. D. XI.

Si quis honos tumuli quantum Sol lampade luſtrat
Terrarum cœliq; tuum eſt Seripande ſepulcrum.

APVD S. BERNHARDINVM.

COMITIS DE QVIGNONES.

Claudio Fernando de Quignones comiti de Luna, nobilitate generis & rerum prudentia clariſſimo, Philippi Hiſpaniarum regis Catholici apud Concilium Trident. oratori ſplendidiſſimo, Executores teſtamenti mœſtiſſimi poſuêre.
Obijt die xxiix. Decemb. M. D. Lxiii.

APVD S. MARIAM MAGDALENAM.

CHRISTO RESVSCITATORI.

DOMINI A POPEL.

Bartholomæo Deſiderio Popel Baroni à Lobkovvitz, domino in Billenkoſt & Beskovvitz, Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi domini Ludouici Madrucij S. R. E. Card. & Epiſcopi Trident. Pincernæ iuueni ob vitæ innocentiam morumq; integritatem omnib⁹ caro. P. Obijt die xxix. Decemb. M. D. Lxxx. Vixit annos xvii. menſes x. dies.

IN SIMONE MARTYRE.

LEONARDO LANG.

A VVellendorff Auguſtano Muſarum & Philoſophiæ alumno, eq. aurato, forma præſtanti, omnibus iucundo, D. Cæſaris Maximiliani dapifero, cum quo luſit pugnam equeſtrem, qui Bauarico, Boëmico, Vngarico, Geldrenſi, & Italico bellis interfuit, Sed dum Patauium oppugnat, bellico tormento ictus, heu immeritam mortem obijt, frater pientiſs. Matthæus hoc mœſtus pos.

IBIDEM.

Forma, iuuenta, animus, vegetoq́ in corpore virtus,
Spem dederant longas viuere poſſe dies.
At nimis infauſti rapior dum ſydere fati,
Heu periere ſimul forma, iuuenta, animus.
Sic ſolet exiguam ſpes vana eludere vitam,
Eſt aliquid viuos ſic meminiſſe mori.

GEORGII FRONSPERGII.

Ad eum modum armatus prælium conciuit, ante Papiam Gallos cecidit, caſtra cepit, obſeſſos extrema patientes ſeruauit.

Memoriæ defunctorum Sac.

Georgio à Fronsberg Impp. decretis Germanici exercitus duci, qui per Tyrolim defectionem colonorum compreſſit, per Liguriam & regionem Tranſpadanam Italiæ vrbes populos rebelles perdomuit, ad paludes Venetas & turrim vſque Megaram victor acceſſit, ferro, igni vrbem terruit, ſocias ciuitates oppugnatas exercitumq; ad loca iniqua delapſum, ex hoſte confertiſſimo obſidione quartùm & quintùm liberauit, vicies plus minus ſignis collatis pugnauit, fortitudine, celeritate, animo, conſilioque rebus inclinatis præſentiſſimum ſe & inuictum præſtitit, poſt ingentia facta vita perfuncto patri optimo Gaſparus filius pientiſſimus gemens illacrymansq; monumentum more maiorum religioſè poſuit Anno Chriſtiano M. D. XXVIII. menſ. Auguſto die XX. obijt diem ætatis LIV.

OCTO SIBYLLAE PODIO MARMOREO ORGAni Muſici cum oraculis artificioſè inſculptæ, & Dauid in medio pulſans Cytharam.

PERSICA.

Amare oportet genitorem Deum ſempiternum.

LYBICA.

Vnicus Deus ſum nec eſt alter.

DELPHICA.

Florebit puriſſimus flos.

ERITHRAEA.

Piorum duntaxat tellus ſancta erit.

SAMIA.

In eo conſummabitur vniuerſa Lex.

CVMANA.

Mortuorum erit palingeneſia.

HELLESPONTICA.

Fuge cultus impios, Deum viuentem cole.

TYBVR.

TYBVRTINA.

Tunc ſub ſole regem miſſurus eſt Deus.

SVB IPSO ORGANO IN MARMORE.

Dei opt. max. laudibus perſonandis Ioann. Antonius Zurlet Organum cum opere marmoreo faciundum C. pecunia ſua Bernardo Cles. Cardinale Tridentini imperante M.D.XXXIV. Vincent. Vincentini faciebat.

AD LACVM BENACVM IN PAGO RIPAE.

POLYDORO CASAMICO.

Romano, ſummi Pontificis oſtiario vix. ann. XXIV.
Hadrian. Car. S.Chryſogoni familiari cariſs. poſ.

Exultat Adrianus, tu iam Polidore quieſcis
Æternumq; vales, nobis dura omnia reſtant.

Iſte Cardinalis poſ. hoc Epit. ſuo familiari, cùm tempore Clem. VII. ibi exularet. &c.

PATAVIVM.

Vlgò Padua, Venetiæ ciuitas, ab Anthenore Troiano condita. Nomen neq; à voce auium videtur habere, neq; à Pado fluuio, quoniam ab eo (meo iudicio) plurimùm diſtat. Olim populoſa adeò, vt CXX. millia armatorum emiſiſſe feratur. Floruit maximè nobilitate, & cenſos in ea quingentos equeſtris ordinis viros Leander refert ciuiumq; XLV. Mill: Sita loco fertili & plano, triplici circumdata muro, cœli clementia, bonitate ſoli, Euganeorum montium amœnitate, Alpium, mariſq; vicinitate, fluminum in omnes partes nauigabilium oportunitate, foſſæ amplitudine, murorum & propugnaculorum firmitate & copia, loci quoq; ipſius ſpacio omnium finitimorum facilè princeps. Poſt lapſum Rom: Imperij primùm ab Attila Gothorum Duce incenſa, à Narſete deindè inſtaurata, cremata iterum à Longobardis, & ab Ecelino Tyranno, viris & facultatibus exhauſta, & miſerè afflicta fuit. Tandem in Carrariorum poteſtatem deuenit, qui ea plus minus centum annis potiti ſunt. Nunc ab anno M.CCCC.VI. Venetis paret. circuitus eius eſt VII. milliarium. Extra mœnia nulla arbor, nullꝰ collis, qui hoſti commodꝰ & vrbi aduerſus eſſet. Anno enim M.D.XIX. tria millia domorũ X. monaſteria. VI. tẽpla & VII. Xenodochia quæ in ſuburbijs cõnumerabãtur à Venetis diruta ſunt nè ex ijs ciuitati, bello Maximiliani I. cõtra Rẽpub: geſto, damnũ inferri poſſet. Maior ciuium pars lanificio dedita eſt propter lanæ Euganeæo cpiam & præſtantiã Vbertini Carrarienſis collegiũ quoq; lanificiũ ampliſs: donauit priuilegijs. Bibliotheca Græcis & Latinis libris inſtructa, apud Sanctum Ioannem in Viridario, altera apud Sanctam Iuſtinam, tertia apud Sanctum Antonium, cuius etiam templum ornatiſsimum, præſertim chorus & ſacellum, propter ſculpturas ex marmore. Sanctæ Iuſtinæ olim Marti dicitur ſacrum fuiſſe, Id de nouo nunc ædificatur in inſignem pulcritudinem & magnitudinem, adeò vt ambitus eius mille contineat paſſus, in cuius etiam fundamentis ſepulcrum Titi Liuij, cum antiquis in-

 ſcriptio-

ſcriptionibus inuentum. Sancti Auguſtini principum Carrarienſium ſepulturis inſigne eſt. Monaſteria Monachorum viginti tria, vtpote, cœnobium Diuæ Iuſtinæ: Prateolæ: Ioannis in Viridario: Sanctæ Mariæ: Angelorum: Diui Hieronimi: Cruciferorum: Heremitarum: Antonij Viennenſis: D. Benedicti: D. Auguſtini: S. Mariæ in Vantio: S. Mariæ gratiarum: Capucinorum: D. Antonij: D. Franciſci: Eremitarum: S. Mariæ Magdalenæ: Carmelitarum: D. Pauli: Mariæ ſeruorum: Ieſuatorum: S. Franciſci paruuli: S. Saluatoris: & fratrum Alemanorum, nunc ſacerdotum nominis Ieſu. Cœnobia virginum XVIII. Parochiales dein XXVI. Xenodochia IIII. Ædes prærerea Illuminatarum, Pupillorum, Orphanorum, & Expoſititiorum: itidem Camera pauperum in Epiſcopali palatio. Mons pietatis & Collegia laicorum XXVIII. Extra mœnia in territorio templa & cœnobia aliquot, magnis opibus & præclaris ædificijs ornata, inprimis Cœnobium B. Mariæ montis Ortoni: Danielis in monte: Ioannis Baptiſtæ: Montis Vendæ: Riperiæ: Rhuæ: Mariæ carcerum: Michaelis Candianæ: Carthuſienſium. Lazareta duo. Portæ vrbis ſeptem, Coalonga, Portello, Liuiana, Sanctæ Crucis, Sarraſineſca, Sancti Ioannis & Sauanarola. Palatium vrbis, quod ab Henrico Imperatore cum Eccleſia Cathedrali ſtructum eſt, in quo ius dicitur, tota Italia nominatiſſimum, nullis columnis fultum, nulla contignatione ſuſtentatum, ornatum picturis, tectoq; plumbeo. Huic adiunctæ ædes Prætoriæ, populari tumultu atq; incendio dirutæ & conſumtæ, atq; inſtaurari cœptæ. Domus Præfecti olim Carrarienſium principum ſedes, cùm cæteris rebus magnifica, tùm conclaui quodam picto, cum Romanorum hiſtorijs, virisq; doctis, quos Patauium habuit, præcipuè vero horologio, in quo Lunæ ſignorumq; cœleſtium, ſecundum anni curſum mirifica deſcriptio. Fora maxima quinq; primum congreſſibus & deambulationi nobilitatis ac ciuium dicatum, alterum olitorium, tertium frumentarium, quartum lignarium, poſtremum palearium. Porticus ampliſſimæ, areæ ſpacioſiſſimæ, ædes nobilium ita ſplendidæ, vt plurimùm honeſtatis & antiquæ frugalitatis præ ſe ferant. Inter omnia autem vrbis decora eſt illuſtre Gymnaſium Friderici Barbaroſſæ Germani Imperatoris auſpicijs feliciſſimè excitatum, quo nullum ſtudijs propter quietem aptius, nullum in Italia magis frequentatum, nullum deniq; quod magis floruerit ingenijs, & in omni literarum artiumq; varietate doctiſsimis viris. Alioquin collegia ad ſuſtentandam inopiam ſtudentium multa ſunt: ForoIulienſium, Feltrenſium, Spinellium, Riddium, Campionis, Neopolitanum, Brixianorum, Græcum & Rauennate philologi: Hortus Sphæricus Franciſci Bonæfidei, & alia ædificia inſignia. Per vrbem fluit Medoacus vulgò la Brenta, qui etiam interiora & antiqua mœnia abluit, & non longè à Patauinis muris nouis, Bacilione è Vincentinis montibus orto augetur, eius affluxu & commoditate vna die vel nocte commodiſsimè nauigio Venetias itur & reditur, paludes tamen incipiunt ad Cataractas vbi ſalſa & marina aqua à fluuiali diſpeſcitur. Arcem habet vetuſtam magis quàm ornatam. De laudibus, ſitu, antiquitate, & ſtatu totius vrbis, nec non viris & familijs præclaris ex ea ortis, in eaq; ſepultis cœterisq; omnibus ſcripſit iuſtum volumen Bernardinus, Scardæonius, Canonicus, Patauinus, nos ex more & inſtituto in toto opere ſeruando, Epitaphia & inſcriptiones Chriſtianorum tantùm: in reliquis lectorem ad Scardæonium & alios remittentes.

IN AEDE

IN AEDE CATHEDRALI.

DE REPARATIONE TEMPLI IN LAPIDE EPISTILII.

Anno M. C.XXIIII. Ind. II.

Arte magiſtrali Clerus me ſtruxit ab imo,
Cùm terræ primò motus ſubuertit ab imo.

IN COLVMNA AREAE.

M. CCCC. I. Illuſtris D. Franciſcus Iunior de Carraria Dominus Paduæ, natus quondam Bon: memoriæ magnifici & potentiſſimi Domini Franciſci ſenioris de Carraria, olìm Domini Paduæ, anno XI. ſui dominij Cœmiterium hoc donauit Cathedrali Eccleſiæ Paduanæ, tempore venerandi Viri Domini Stephani de Carraria filij ſui, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Eccleſiæ Paduanæ Adminiſtratoris, In hoc iacet corpus Sancti Danielis Martyris & aliæ Sanctæ reliquiæ.

GAIETANI TIENEI.

Gaietano clara ex familia Tiene Canonico Patauino, Viro integerrimo, proboq; Theologorum principi, Philoſopho eximio, cuius doctrina cuncta orbis gymnaſia illuſtrantur, locus hic datus eſt.

BOVETINI MANTVANI.

Mantua me genuit Patauis Bouetinus & orbi,
A boue nomen habens, patiens, ſine fraude doliſuè,
Quàm ſibi plus aliis vigilans, pietatis alumnus,
Largus erat ſtudio largus clero, ſibi parcus.
Canonicum illuſtris docuit Ius, ter tribus annis
Deme duos, obit Auguſto, iam mille trecentis
Elapſis, iacet hic: coluit te ſancta, tuumq;
Virgo patrocinium: precibus iam aſſiſte vocantis.
Vrnam hanc ac cineres, ſanctiſſima virgo, tuis vt
Supplice conſerues precibus te voce precatur

NICOLAO ZANOTTO.

Tho: H. T. cuſt. ſedes optato fortunatas, cui poſt LXXXIIII. ann. candida nulliq; inuida vita KL. April: M. D. XI. defuncto Anton: Zanottus principalis & M. H. M. memor: erexit. Manticam à tergo auoca.

PETRO BAROTIO.

Patricio Veneto, Pontificij Patauino, ſacrarumq; literarum cultori eximio, fide, religione, ac pietate incomparabili, vt pares paucos, ſuperiorem haberet neminem, qui non ſine magna pauperum iactura, ac totius Patauinæ vrbis dolore migrauit ad Dominum Anno Domini M.D. VII. die X. Ianuarij, cum annum ageret ætatis ſuæ LXXVI.

Ioan: Bap: Rota Pata: Petri fil: IIII. Q: eius auſpicijs Patauia Germaniæ cum Patauio Italiæ commutans hic ſedem collocauerit, tantarum celeberrimi viri virtut: ac plurium in ſe parentesq; ſuos meritorum non immemor debitam effigiem & lapidis inſcriptionem patrono benemer: gratus appoſuit Anno à part: virg: M. D. LX.

PETRO BAROTIO.

Bellunenſi, primùm Antiſtiti, Pontificj dein Patauino, Sanctimoniæ, pietatis, eruditionis, beneficentiæ incomporabilis. Senat. Venet. M. H. F. curauit.

Is Barotius

Is Barotius cum pertinaciter vrgeretur ad condendum teſtamentum tale condidit:

Ego Petrus Barotius Epiſc. Patauinus relinquo animam meam Deo: corpus terræ: facultates vero quaſcunq; poſſidebam, ſi quæ reſtant, relinquo, quibus de iure debentur.

FRANCISCI ZABARELLAE.

Cardinalis & Epiſcopi Florentini Conſtantiæ Anno M. CCCC: XVII. die VI. Nouemb. mortui ante Beatæ virginis aram marmorea ſepultura.

PILEI PRATAE CARDINALIS.

Stirpe Comes Pratæ, præclarus origine, multis
Dotibus inſignis, ſæclo celeberrimus, orbe
Defunctus, ſtatuit ſua ſic ſuprema voluntas,
Hac Cardinalis Pileus tumulatur in vrna.

VENCESLAO BRVGNARAE.

Et Purliliarum Comiti, non minus Græcè quam Latinè docto & ingenio Philoſophiæq; ſtudijs excellenti, qui vixit annos XLIIII. ob: M. D. XL. Lucretia Martinenga vxor optima & viri amantiſſima poſuit.

BARTHOL. BENEVENTANI.

Nate Beneuento tibi ius ciuile cathedram
Dum coleres Paduam Bartholomæe dedit.
Tu vigil ad cauſſas, tu tradere iura diſertus,
Tu placidus cunctis dapſilitate tua,
Vixiſti prudens, prudens moriendo dicaſti
Huic tumulo corpus, oſsibus ampla pijs.
Tu proprij fratris tumulo dare corpus eidem
Mandaſti, factum eſt, parcat vtriq; Deus.

TRICIDII EPISCOPI PATAVINI.

Hic requieſcit in pace Tricidius Epiſcop. huius Sanctæ Patauinæ Eccleſiæ, ſedis, qui ſedit annis XXVI. Menſ. VIII. & fuerunt omnes dies vitæ eius quibus vixit, ann: LXVI. Menſ. IIII. Omnes rogate pro quieſcente.

IOAN. CACII EPISCOPI.

Qui cum prole ſua cinctura fulſit equeſtri,
Et qui ſacrorum Doctor erat Canonum:
Hic iacet Antiſtes Cacij de ſtirpe Ioannes,
Cuius nomen humi, mens ſuper aſtra viget.

Obijt M. C. XLIX.

IOAN. TRANSALGARDI VEL FORZATEI.

Nomine Baptiſtæ Paduanus Epiſcopus iſte
Stemmata ForZatum, iuris quoq; nobile pratum
Gregorij mores, famæ Salomonis honores
Proſdoſimi vitam patriam poſſedit auitam
Ter nonis annis obijt, ſed luce Ioannis.
Luſtra ferens toto numero cum ter tribus octo
Talia ſceptra tenet, poſt hæc ſua corpora petra
Cui gemini demptis annis de mille trecentis
Et ter quinq; dedit cœlum cui mundus obedit,
Quaq; die natus ſupera fuit arce locatus.

DE CONSECRAT: ARAE D. STEPH.

Hæc ſancto Stephano ſtructa eſt venerabilis ara
Nec non fornices, templi reparatio facti,
Carrigero ſedem Stephano paſtore tenente,
Quem genuit Pataui Franciſcus Iunior heros.

NICOLAI TRIVISANI EPISCOP.

Nicolaus Triuiſanus I. V. D. præſul Cenetenſis, viuens poſ. An. ſal. M. ccc. xcii.
Vita quies, ſed nulla quies mortalibus vnquam
Mors, & vita magis quàm mihi parta quies.
Vix. ann. Lxii. Menſ. ii. Obijt M. cccc. xcviii. Idib. Ianuar.

GEORGIO BVZACARINO.

Canonico Paduano. I. V. Conſulto, patruo benedicentiſs. Ioannes Patarus & Ioannes Franciſ. ex Bonifacio fratre nepotes, P. Obijt M. D. II. viii. Cal. Auguſti.

IOANN. RVBETVS.

I. V. D. Canonic: Patauin. genere clarus, virtute clarior, probitate rarus, veri Dei pius cultor, ac de pauperibus benè meritus, felici vitæ integritate potitus, hac in lintre impedimentis relictis, in paratum Abrahæ ſinum ſe recepit.

ZILII CASALIS.

Eximius Doctor legum, virtutis amator,
Qui ſpecie morum, inſigni ac cultus honore,
Conſpicuus Pataui ciuis, patriæq; ſaluti
Promptus amicus erat, conſtanti mente bonorum,
Hic de Caſali Zilius cum pace quieſcit,
Membra ſolo, capiturq; polo, quod ſuderat illis.

IOAN. LVDOVICI LAMBERTACII.

Ecce Ludouici lapis hic tegit oſſa Ioannis,
Protulit inſignis quem Lambertacia proles,
Quinq; vtriuſq; tulit Doctor diademata Iuris,
Orator mirus, facundo Tullius ore,
Occubuit prima, Geminos qua luce ſubintrat
Sol, decies octo poſt annos luſtra ducenta.
Moritur anno M. CCCC. hic ſtatuta Iuriſtarum Patauinor. ampliauit.

NICOLAI SANCTAE SOPHIAE.

Qui pietate nitens, virtuteq; præditus omni,
Et medica magnus Doctor in arte fuit.
Hæc tenet à ſancta Nicolai petra Sophia
Corpus, mens obijt, carne ſoluta, polum,
Tertia fine dies Maij cum volueret annum
Poſt decies ſeptem luſtra ducenta Dei.

IACOBI DONDI.

Ortus eram Pataui Iacobus, terræq; rependo
Quod dedit, & calidos cineres breuis occulit vrna,
Vtilis officio patriæ: ſat cognitus orbi.
Ars medicina mihi, cœlumq; & ſydera noſſe
Quò nunc corporeo reſolutus carcere pergo.
Vtraq; nempe meis manet ars ornata libellis.
Quin procul excelſæ monitus de vertice turris
Tempus & inſtabiles numero quod colligis horas,
Inuentum cognoſce meum, gratiſſime lector,
Et pacem mihi vel veniam tacitusq; precare.

IOAN.

IOAN. DONDI.

Tumbica ſic celſum concluſit petra Ioannem,
Quum Dondis fatum genuiſti Clugia Lymphis,
Aſt animum medio ſepararunt numina Iano
Hîc recubans Pataui, ſupremaq́ ſydera terris
Cœlicis hic ſeptem confecit myſtica ſtellis,
Præteriti Doctor renouans hic ſanguinis vmbram
Philoſophus, Rhetor, Medicus mortalis in orbe
Terrenis opera liquit ſuper æthera ſcandens.

M.CCC. Lxxx. Die xxvii. Septembris.

GABRIELIS DONDI.

Quem tegit iſte lapis ſpecioſo ſanguine cæſus
Ex Clugia natus, Veneta defunctus in vrbe,
Nunc requieſcit humo de Dondis Gabriel iſta.
Par patribus fuit, & Medicorum gloria viuus.
Moribus hic nulli ceſſiſſet, lector, honeſtis,
Italiæ populis venerandus dogmate multo,
Nomina magna tulit, meruitq́ ſepultus amari,
Corpus ſaxa tenent, cœlum mens incolit alma.

M. CCC. Lxxxviii. Octobr. xix.

BERNARDINO SPERONO.

Aluarotto, Medico nobiliſs. Bartholdus & Speronus & Iulius filij: pietatis & eruditionis ergò.

BERTA ET HENRICUS REX.

Hi reditus Eccleſiæ Patauinæ plurimùm auxêre.

Præſulis ac Cleri præſenti prædia phano,
Donauit Regina iacens hoc marmore Berta,
Henrici Regis Pataui celeberrima quarti
Coniunx, tàm grandi dono memoranda per æuum.

VINCENTII LIGURIS.

Aurea ſpes Ligurum iacet hac Vincentius vrna,
Dic vbi nunc poſſis ſpem poſuiſſe Ligur?
Spes perit humana velut intermortua ſorte
Vixit, vt hic, ſpem vis figere? fige Deo.

ANONYMI.

Vermibus hic donor, & ſic deſcendere conor,
Qualiter hic ponor, ponitur omnis honor.
Quiſquis ades, tu morte cades, ſta, reſpice, plora:
Sum quod eris, quod es ipſe fui, pro me precor ora.

MARCATELLORUM FRATRUM.

Siſte gradum viator, atque hæc pauca, ſi libet, lege:

And: Barthol: Nicolaus fratres Marcatelli hîc ſiti ſumus, poſuêre ſuperſtires Hieron: Berardinus nepotes. De nobis fortaſſis alij alia: nos nihil aliud.

FRANCISCI ALVAROTTI.

Patriarchæ Aquilegienſis Vicarij & IurisConſulti oſſa.

IN BASILICA D. ANTONII.

hæc Baſilica à Patauinis ſub Rom. Imp. ſemiliberis eſt ædificata.

DE AEDIFICATIONE TEMPLI IN VESTIBULO PORTAE OCCIDENTALIS.

Mille ducentenis vno currente trigenis,
Antonius frater venit ad alta pater.

Cuius

Cuius ad exemplum ſacratum viſita templum
Expia nunc voto, fœmina virq; noto:
Nunc regnat plenus, qui vixit pauper egenus
Hiſpanus genitus, Paduæ tulit eſſe colonus.

DE SANCTO ANTONIO.

Vera D. Anton: confeſſoris effigies qui annos vixit XXVI. obijt M. CC. XXXI. Indict. V. Idibus Iunij feria VI. Canonizatus ſub Gregorio IX. inſtantibus Patauinis legatis M. CC. XXXII. die Pentecoſtes. translatus primo M. CC. LXIII. octaua reſurrectionis Domini in hoc templum D. Mariæ maiori prius dicatum, demum repoſitus in monumentum vbi nunc iacet M. D. XXX. decimo quinto Cal. Mart.

Si tua te facies, tua te commendet imago,
Hicq; tuum paries oblitus numen habet:
Sancte quid Antoni confeſſor regula vitæ
Efficeret quondam relligioſa tuæ?
Clara quid efficerent tua tot miracula? totus
Quid faceres etenim ſpiritualis homo?
Donaue quid facerent animi redolentia Paulum?
Quid facerent oris verba diſerta tui?
O decus Antoni Luſitanæ gentis adeſto:
Pelle patrocinio crimina noſtra tuo.

Antonius Martinus Doctor Portugalen.

SIMONI ARDEO.

Minoritanæ religionis ſplendori, qui dum ex Patauinis Athenis omnes terras illuſtraſſet, Philoſophorum & Chriſtianorum Theologiam ſumma cum laude omniumq; inuidia ſuperata profeſſus, viam tandem vniuerſæ carnis ingreſſus dormiuit in Domino F. Bernardinus, alumnus rerum, & cognominis heres non ingratus poſuit. Obijt Anno M. D. XXXVI. ætatis ſuæ LXV. III. Calend. Mai.

AD PETRI BEMBI IMAGINEM.

Petri Bembi Cardinalis imaginem, Hieronimus Quirinus Iſmerij filius, in publicum ponend. curauit, vt cuius ingenij monumenta æterna ſint, eius corporis quoq; memoria ne à poſteris deſideretur. Vix: ann: LXXVII. Menſ. VII. Dies XXIX. obijt anno Domini M. D. XLVII. Ianuar. XVII. Romæ, quod hi verſus numerales in ipſius honorem ſcripti teſtantur.

BeMbVs obIt Venetæ LaVs VrbIs gLorIa fVLgor
ELoqVIo CLarVs CLarVs & hIſtorijs.

ALEXANDRI CONTARENI.

Hanc Alexandri Contareni Venetæ claſſis cum ſumma poteſtate fortiſſimi legati, Diui Marci procuratoris, quem nec Veneti in periculoſiſſimis Reipub. temporibus retardarunt vnquam, & Hariadenus Barbaroſſa Otthomanicæ claſſis Imperator potentiſs. ſæpè timuit tam mirabili artificio ductam effigiem, magni indicem animi, præclarumq; totius maritimæ diſciplinæ ſimulacrum, vt poſteritas haberet, quod inſtar immortalitatis ac gloriæ vnicè coleret, ne quidquam Patauino ſplendori deeſſet, Petrus & Pandulphus fratres opt: pos: Vix: ann: LXVII. dies IX. Obijt XVII. Calẽd. Apr. M. D. LV.

HIERONIMO MICHAELI.

Patricio Veneto, fortitudine animi inter cæteros præſtanti, immatura morte totius

tius cum ciuitatis luctu præcepto, Melchior pater idemq; diui Marci procurator filio cariſs. hoc monumentum ponendum curauit. Vix: ann. xxxv. Menſ: v. Dies xxvi. Obijt Anno [illegible] Lvii. idib. Septemb.

APOLONIO MASSAE.

Philoſo[illegible] & Medico Anton. f. vt eſſet iudicium virtutis ad ſæcula nominisque memoriam[illegible] iternam P. ob. M. D. Lxxii. Kal. Augſt.

CORTONEI ANGLICI.

Anglia quem genuit, fueratq; habitura patronum
Cortoneum celſa hæc continet arca Ducem.
Credita cauſſa necis regni affectata cupido,
Reginæ optatum tunc quoq; connubium.
Cui regni proceres non conſenſere, Philippo
Reginam Regi iungere poſſe rati:
Europam vnde fuit iuueni peragrare neceſſe,
Ex quo mors miſero contigit ante diem.
Anglia ſi plorat defuncto principe tanto,
Nil mirum, Domino deficit illa pio.
Sed iam Cortoneus cœlo fruiturq; beatis,
Cum doleant Angli, cum ſine fine gemant.
Cortonei probitas igitur, præſtantia, nomen,
Dum ſtabit hoc templum viuida ſemper erunt.
Angliaq; hinc etiam ſtabit, ſtabuntq; Britanni:
Coniugij optati fama perennis erit.
Improba naturæ leges Libitina reſcindens,
Ex æquo iuuenes præcipitatq; ſenes.

GATTA MELATAE.

Dux bello inſignis, dux & victricibus armis
Inclytus atq; animis Gatta Melata fui.
Narnia me genuit, Media de gente, meoq;
Imperio Venetum ſceptra ſuperba tuli.
Munere me digno & ſtatua decorauit equeſtri
Ordo Senatorum, noſtraq; pura fides.

PATRIS GATTA MELATAE.

Te quoq; Ioannes Antoni immitia fata,
Morte, licet doleant, eripuere tamen:
Clara tibi facies, nec non victricia ſigna,
In acie virtus fulminis inſtar erat:
Vnica ſpes hominum: nam tu iuuenilibus annis
Conſilio fueras & grauitate ſenex.
Gatta Melata patrem decorant pietasq; fidesq;
Ingenium, mores, nomen & eloquium.

QVATVOR DVCVM IN VNO TVMVLO, GVILIELMINI RVBEI, ROLANDI, MARSILII ET PETRI CARRIGERIS AFFINITATE IVNCTORVM.

Quatuor hoc marmor procerum tegit oſſa ſepulcri:
Hectore quis potior? quis Neſtore doctior? iſtis
Guilielminus erat Rubeis ſatus, inclyta Parma
Edidit hunc animoſa ducem, cum quo genitos tres
Arca tenet, felix tanti genitura parentis.
Rolandus virtute animi generoſus in omni
Dote nitens dextræ, tremor hoſtibus, axis amicis,
Ardens Parmigenis Lampas, pietatis aſylum,

Supra

Supra hominem cinctus titulis Marſilius, armis
Strenuus, irriguus librati conſilij fons,
Spes patriæ, dominijq́ iubar, Parmæ decus altum,
Quid Petre Muſa canet de te, niſi quod polus vnquam
Non flexit pietate parem, non dux vafer alter
Scipio magnanimus fueras, ſuper ardua Martis
Edoctus duxiſſe acies per bella furentes
Teſtis adeſt Venetus ſuper his, & lilia rubra,
Quos procul à patria buſto hoc fortuna coëgit
Carrigerum affines commixto fœdere tædæ,
Corpore formoſos, animi virtute coruſcos.
Imprime Romuleis horum ſua geſta triumphis
Poſteritas, linguis reſonis recolenda per æuum,
Vt locet à dextris Deus hoc ſupplexq́ precare.

Obijt præ. D. Petrus parum ante alios tres prædictos, Anno M. CCC. XXXVII. Auguſti VII. die.

BONIFACII LVPI MARCHIONIS SORANI.

Proh dolor, hic miles, iam bello clarus & armis
Iam terra pelagoq́ micans Bonifacius atra
Morte iacet, quem Parma tulit, qui Marchio vixit
Soraneæ, gentis decus hic & ſumma Luporum
Gloria, pro Latijs qui quondam plurima geſsit
Prælia, ductor ouans & ſæpè corona triumphis.
Hic hic cuius erat conſulta reſumere lætus
Imperialis apex, regiq́ domeſticus idem
Adſtitit Vngarico, Domino vir gratus vtriq́.
Quin in conſilio fuit hic probitate fideq́
Iuſtitia nitens, ſuperûm deuotus, & almæ
Relligionis amans, quo non præſtantior alter
Recta ſequi, maiorq́ ſui dilector honoris.
At quid fata virum tantum proſtraſſe iuuabit?
Sydera mens ſcandit, gelidum licet oſſa ſepulcrum
Stringat, & æternum viuet ſua fama per æuum.

Anno M. CCC. LXXX. Decemb: XXIII.

EIVSDEM VXORIS.

Hac de Franciſcis tegitur Catharina ſub vrna,
Cui natale ſolum natio Tuſca dedit:
Strenuus inſigni coniux Bonifacius illi
Marchio Soraneæ, ſtirpe ſatusq́ Lupa.

M. CCCC. V. die XX. Iunij.

FRIDERICI LAVELONGI.

Rector in officijs magnus, Romæq́ ſenator
Electus, probitate animi Fridericus, in armis
Strenuus iſte fuit, miles pius atq́ ſeuerus,
De Lauelongo nouit quem Brixia natum.
Oſſea pars ſaxo clauſa eſt, mens gaudet in aſtris,
Famoſum meritis nomenq́ celebre relictum.

M. CCC. Lxxiii. Indict: x. die i. Septemb.

FRATRIS PAVLINI.

Qui legis hæc fratris Paulini cerne ſepulcrum,
Pars iacet hîc, cuius pars tamen aſtra tenet.

PATAVIVM.

Aſtra tenet, quoniam pacem dilexit, & illam
Seruari monitis ſanxit in vrbe ſuis.
Cuius multa licet fuerint præconia, ſaltem
Hæc tibi, quæ referas, accipe poſteritas:
Vir fuit in laqueo vitæ longæuus honeſtæ,
Aſſiduus normæ dogma tenere ſuæ:
Dulcibus eloquijs cui perſuadere quietem
Ciuibus & patriæ ſedula cura fuit:
Pacifer hic Patauæ ſedauit ſcandala terræ,
Exulibus patrios reſtituitq́ lares,
Fœdera dum Regi ferret laudanda Bohemo,
Vrbe Tridentina turbine febris obit.
Tranſtulit hùc carum Paduæ Reſpublica corpus,
Quod coluit, templo quò cubet ipſe ſuo.
Dena bis in Tauro præbebat lumina Titan
Cum tribus exorto mille trecenta Deo.

IOAN. PAVLI MANFRONI.

Bellipotens Mauors Venetûm tutamen in armis
Ioannes Paulus lumen honorq́ Ducum
Hic iacet: aſt animus ſpolijs redimitus opimis
Manfronus viuens integer aſtra tenet.
Marcellos referens animo, virtute Camillos:
Occidit impulſa ſulphure & igne pila.

CORRADI SALAE.

Sala fuit genti cognomen, Sal neq́ menti
Defuit, heu fato minuuntur cuncta parato.
Corda duo geſſi Corradus, inertia preſſi.
Me fidei meritum luſtrauit gloria legum.
Nec ſolus perſto hîc, Daniel mihi filius eſto
Concluſus, totidem fultus virtutibus idem.

BONICORDI VALDEZVCCHI.

Sepulcrum Iuris C. Patauini, ſibi & ſuis, M. CC. LXXI. Idib: Aprilis inſtauratum, exceſſu Sabini Pauli filij annum agentis xix. à Chriſti natali M. D. XLVII. Calend. April. xi. qui Græcis & Latinis ſtudijs, tàm humanitatis quàm Philoſophiæ ſpecimen rarum de ſe dederat.

ZILIVETI ET BONIACOBI DE SANVITIS.

Hic diadema tulit legum vir ſtrenuus, ortum
Cui ſanctus Vitus, ſtirps generoſa, dedit.
BonIacobus dignè meruit re & nomine dici,
Nam bonitas totus propulit omne malum
Iuſtitiam rectumq́ pius dilexit honeſtum,
Inq́ foro cunctis arbiter æquus erat.
Sed quia fatali ſunt omnia dedita legi,
Priuaris tanto plebs Patauina viro.
Immortale polo ceſſit, mortale ſepulcro,
Vnde emanarunt cuncta relata manent.

FABII MAXIMI. aliàs. DE SANCTO VRBANO.

Fama, fides, grauitas, celebres in honore labores,
Archetypos poſt hunc ſollicitate viros:

Blandus

Blandus is Orator, vates, Doctor quoq; legum,
In cunctis Fabius Maximus Doctor erat.
Virgo parens capias animam, Deus optime pare.

ROLANDVS DE PLACIOLA.

Patauino vico, pater, Guidoni filio, cariſs. iuueni, mauſoleum & ſibi & ſuis. d.

Hunc ſtatuit poni tumulum mors atra Guidoni,
Cui ſtans ſede throni ſuperi det gaudia doni.

Rolando & Aycardæ indolis optimæ, Rolandinus Placiola, filijs ſarcophagum.

Præter amare Deum cum cætera deleat ætas,
Hîc ſere, quod plena poſtmodò falce metas.

FRANCISCI ALVAROTTI.

Hic vices Aquileia tui qui patris obibat,
Qui cleri, ac gemini gloria Iuris erat
Hac Aluarottus tegitur Franciſcus in arca:
Heu quantum Pataui fata tulere decus?

ALVAROTTORVM FRATRVM.

Hoc Aycardinus atq; Aluarottus in antro:
Ingentes meritis tàm breuis vrna tenet.

Hos fratres ex vtroq; parente nobiles, genere de Aluarottis, ambos Doctores, & qui ius ciuile in hoc ſtudio ingenti gloria docuerunt, vt vnus quondam animus, ita nunc vnus tumulus habet.

Obijt Aycardinus M. CCC. LXXXII. die XXVII. Auguſti.	Aluarottus M. CCC. XCII. Die prima Octobris.

IACOBVS ALVAROTTVS.

Aluarotti fil. ciuilis Pontificijq; IurisConſultus priuatim ac publicè in rationibus feudorum eminentiſſimus in hoc delubro quieſcit. Amice qui iſtic tranſis, etſi properas, lapis hic te rogat, vt pauliſper inhæreas, & hæc ſcripta legas:

Hac in Baſilica B. Ioan: Baptiſtæ ſunt Iacobi Aluarotti Patauini ſita oſſa, qui dum vixit ſuo ſtudio & doctrina, poſt ſuſceptas Doctorales inſulas, commentarios vtiles, cum Repertorio in ius feudorum formauit, eosq; venerandæ vniuerſitati Iuriſtarum donauit: volui vt iſta non ignores, Obijt die XVIII. Auguſti M. CCCC. LIII.

LVDOVICI A FLVMINE MINORITAE.

Relligio quem flet fratrum veneranda minorum,
Fluminis à clara Ludouicum ſtirpe creatum,
Regalis Pataui clauſit mors vltima rerum.
Hunc iam maiorem Prouincia tota miniſtrum
Pariſii ciuitas, Sophiæ quem ſacra Magiſtrum
Fecerat, hoc buſto corpus, mens ſiſtit in aſtris.

ANTONIO TVBETAE.

Paduano Athenien: Antiſtiti qui publicè Metaphyſica annos II. & XL. profeſſus eſt, Diui Antonij Prouinciæ annos ſuper XX. præfuit, pluraq; edidit, anno ætatis altero & LXXX. naturæ ceſſit hoſpitium hoc ad diem nunquam reuerſurum M. D. XVIII.

HIERONIMI SALGERII.

Hic de Salgerijs Iacobus Franciſcus honore
Pulueris exigui vano monumenta decore
Conſtituit, clauſitq; ſuos hoc marmore multos,
Quos aluit viuos, tegat vt domus vna ſepultos,
Cum fluerent ſeptem decies & luſtra ducenta.
Chriſte Deus tecum requieſcant morte perempta.

RAPHAELIS FULGOSI. I.C.

Fulgoſus Raphaël virtutum iaſpis, vtroq;
Iure ſtupor tantus, & fama, quantus & orbis,
Scriptis morte vacat, tàm paruo clauditur antro.

Paulò inferius.

Emeritæ prædigna gerens cognomina laudis
Fulgoſus Raphaël conditur hoc tumulo.
Conſuluit nemo meliùs, fulſitq; docendo
Cæſareas leges Iuraq; Pontificum.
Claruit eloquio, quem blanda Placentia forma
Et genere inſignem mente tulitq; pium.

MARINI ZABARELLAE.

De Zabarellis vrna hæc tenet ampla Marinum,
Suſcipe virgo preces, animam in tua regna repone,
De legum & Canonum feſſam tuta arce morari.

Marino Zabarellæ Seniori I.C. maximè memorando, ob idque indigno cuius ſepulcrum tamdiu neglectum ignoraretur, grata agnatorum poſteritas H.M.B.M.P. & reſtituit M.CD.XXVII.

FRANCISCI CESSI.

Quem legum titulabat apex, prudentia multa,
Et morum grauitas, hac tumulatur humo:
De Ceſſo genitus, Patauina ciuis in vrbe,
Franciſcus merita ſcandit in arte polum.
Sæuit in hunc mors cruda virum florente iuuenta,
Tàm ſubiti caſus, qui legis, eſto memor.

BONZANELLI VIGONTIAE.

Nobilitas animi generisq; Vigontia mundo
Nomina, qui iaceo, clara dedere mihi.
Fidus Carrigeris, virtute probatus in armis
Bonzanellus eram, quando neceſſe fuit.
Quæ domus hæc? vbi te inueni celeberrime frater
O Nicolae? domus nos tenet arcta duos.
Quid ſumus aſpicias gradiens hoc calle viator,
Parua mora eſt, in te cerne, futurus idem.
Sedibus Eliſiis vt dextra parte locemur,
Mente velis tacita ſollicitare Deum.

NICOLAI TRIVISANI.

Hic tumulatur venerandum corpus Reuerendi Domini Nicolai Triuiſani, olim Epiſcopi Nonſis, artium & ſacræ Theologiæ Doctoris eximij, qui obijt Anno Domini M.CCCC.LI. die VII. Septemb.

CAMILLO PALAVICINO.

Cuius excellens ingenium ſuauiſſimi ac ſanctiſſimi mores, in literarum ſtudijs progreſſus, quam pro ætate tanta Franciſcum Patrem ipſi caritate deuinxerat, vt omni alia cura poſthabita, eum quocunque ipſe excolendi ingenij gratia ſe conferret, perpetuò comitaretur, acerba atque immatura morte prærepto, dolore exanimatus pater qua pietate viuentem, eadem mortuum hucuſque comitatus, monumentum hoc pro tempore poſuit. Heu incertam hominum ſortem, hoc mihi à te officium præſtari debuit fili. Vix: ann: XV. Menſ. V. Dies XXIII. Obijt M.D.LVI. III. Calend. Auguſti.

ANTO-

ANTONIVS DE ROYCHELLIS.

Monarcha ſapientiæ M.CCCC. Lxvi. Decemb. xvi.

IOANNIS PAENZ.

Nos, Hieronimus Pius, AEneas & Robertus fratres de Obicis, huius ſacelli domini, liberalitate noſtra permiſimus, vt hic claudatur Egregius Ioannes Paenz Luſitanus, olim ob eximiam vtriuſque Iuris ſcientiam, & morum probitatem à Sereniſſimo Portugaliæ Rege Ioan. 3. in ſenatorum ordinem cooptatus, tandem ab eodem Legati nomine inſignitus ad concilium Tridentinum, vnde rediens obijt Patauij Die xxii. Iunij Anno M.D. LII. AEtatis ſuæ L v i.

MARCI GRYBBIAE.

Si vel nobilitas, vel opes, probitaſuè, fideſuè,
Prima vel immunis morte iuuenta foret,
Qui iacet hic longos ſupereſſet Neſtoris annos,
Conditus anguſta Grybbia Marcus humo.
Sed quod cuncta rapit nulli euitabile fatum,
Si tuus es hodie, cras meus, inquit, eris.

ERASMO A KRETHKOVV.

Polon: Palatin: D. Briethſtein Caſtellano Gneſnen: capitaneo Piſdren: & Caet. qui anno ætatis ſuæ L. Patauij obijt die xvi. Maij. M.D. Lviii. amici poſuerunt.

Hic te Krethkoui mors & tua fata manebant,
Cum terras omnes & tu cum maria circum
Luſtrares, nullo deſeſſus membra labore.
Te rapidus Ganges, gelidæq́ Boriſtenis vndæ,
Te Tagus & Rhenus, te ripa binominis Iſtri,
Et ſeptem gemini nouerunt oſtia Nyli.
Nunc conceſsiſti magnum viſurus Olympum,
AEtheriasq́ domos, vbi Dijs immiſtus inanes
Et curas & ſpes hominum lamentaq́ rides.

IACOBO ROSEO.

Theologo Minoritæ, patria Dandaco, natione Siculo, animi candore, Chriſtianæ religionis ſtudio, morum integritate, doctrina, prudentia, & caritate inſigni, qui varijs laboribus, ærumnis, & morbis in concilio Tridentino confectus, hic tandem, quod ſemper optauerat, dormiuit in Domino. Cornelius Muſſus Placentinus, Epiſcopus Bitontinus, illi vni proximè & ſecundùm Deum, virtutes, honores, fortunas, omniaque denique accepta referens, tanquam patri de ſe optimè merito perpetuum Sanctiſſimæ educationis monumentum poſuit.

Mortali optaſſet tecum Cornelius vnà
Carcere ad ætherias Roſa redire domos:
Non licuit quando ergo, tibi ſumma omnia debet,
Formaſti enixu quem pater ipſe pio.
Cum nunquam poſſet meritas tibi reddere grates,
Virtutis tantæ, tempus in omne memor.
Hunc tumulum extruxit, morientem fleuit, acerbum
Vulnus adhuc animo nocte dieq́ gerit.

Vix. ann: Lxxv. Menſ. X. Obijt Anno Domini M.D.XLVII. Calend. Iunij.

MANNI DONATI.

Miles eram magnus factis, in nomine Mannus,
Donatos quos fama vocat, celebratq́ vetuſti
Sanguinis autores habui, manus inclyta bello,
Dexteritasq́ immenſa fuit, nec gratia claræ

Deſuerat formæ, dubijq; peritia Martis,
Dum pia iuſtitiæ feruens amor induit arma,
Nil metuens multis latè victricia campis
Signa tuli, multos potui meruiſſe triumphos:
Florentina mihi generoſæ ſtirpis origo.
Cara domus Patauum ſedesq; nouiſsima buſti,
Contegit exiguo feſtum ſub marmore corpus.
Reddita mens cœlo, nomen ſeruate ſequentes.

Anno M.CCC. LXX. vlt. Auguſti.

FVLVIO VERDELIO.

Gremenſi adoleſcenti nobiliſs. eloquentiæ & legum, vt ætas patiebatur, peritiſs. morum probitate, ingenij celeritate nulli conferendo, graui morbo ſub initio ſtudiorum ſuorum, paulo poſt immatura morte correpto, ſummo parentum & amicorum dolore, Fauſtina mater infelix, & Martius frater mœſtiſs. poſuêre. Vixit ann. xix. Menſ. xi. dies xxvi. Anno M. D. LII. prid. Non. Aprilis.

IOAN: MAVLEONO.

Gallo, generis nobilitate, ingenio & eloquentia claro, quem mors iniqua & fortuna ſtudijs bonis omnibus occupatum, à ſuis ſeiũctum, inter laſciuientes & ſtultas deſignando Rectori turbas acerbo ſuo duorumq; domeſticorum fato rapuerunt, ſummo pientiſs: mœrore affecti parentes poni iuſſerunt Anno ætatis XXI. M. D. XLVII.

Mauleo veſter honos, Galli, Muſæq;, Dijq;,
Occidit, ô tenui grandia clauſa loco.

RAINERII BARTHOLI

Præceptoris.

Liuia quem genuit Rainerius alma quieſcit
Hoc ſaxo, legalis apex, venerabile lumen,
In mundo legum ſummus Iuriſq; monarcha,
Fidum conſilium dubijs rationis amicus.
Hoc pereunte perit legum veneranda poteſtas,
Virtus ſtrata iacet, Zelo viduata paterno:
Hùc hùc verte oculos lacrymans hic ſpontè queraris
Plebs ſtudioſa patrem, quæ vix hanc paſſa ruinam
Heu tantum ſæclo damnum reparare futuro
Compos eris: natumq; fleas Arſenda propago.

FABRI STAPVLENSIS.

Corpus humo, mentem ſuperis, bona cætera linquo
Pauperibus, faber, dum moriebar, eram.

CAMILLO BONAVENTVRAE.

Iulij filio, nobili Romano adoleſcenti & moribus & ingenio præſtantiſs. qui dum Patauij omni ſtudio virtutibus inuigilabat, è vita diſceſſit, Anno Domini M. D. LIII. vixit ann: xx. Menſ. v. dies xxix. Hieronymus Iuſtinianus amico cariſſimo P. C.

FLAMINIO MALEGVCCIO.

Annibalis filio, nobili familia Regienſi orto, Græcis Latiniſq; ſupra ætatem erudito, & iuris ciuilis ſtudioſo, mœrens Horatius frater, heu adoleſcenti fecit optimo. Vix. ann. xv. Menſ. ii. Dies vi. Obijt à Natal. Chriſt. M. D. Lvi. v. Idus April.

Sic ſpretis illecebris terreo irrumpens vaſe
Flaminius, cœlum petijt. *ὅτως ὑπὲρ δώματα ἐς οὐρανον ἀνέρχεται ἀρετῆς ἀκτίν.*

CASPARI PENTHELINGO.

Nobili Sicambro, ſumme eruditionis probitatisque viro, in primo ſtatim ingreſſu Italiæ cum maximo amicorum luctu extincto, conterranei parentum iuſſu poſ: v. Calend. Febr. Anno M. D. LII: Vix. ann: plus minus xx. & VIII. dies.

Quæ modo ſplendenti fulgebat lampade flamma
Aſpice vt exiguo tempore fumus abit.
Id timeant flammæ, ſit vis ſine fine futura,
Creſcentem extinguunt inuida fata focum.

EIVSDEM: *Quod amici Græcè adſcripſerunt.*

Caſparo Penthelingio patria Germano Sicambro, temperantia, pietate, induſtriaque valdè probato, qui tertio menſe ex quo Patauium ſtudiorum legalium gratia venerat, febre peſtifera in ipſo ætatis flore deceſſit, domeſtici ac amici mœrentes monument: poſuerunt.

IOAN. LVDOVIC. GREMPIO.

A Freudenſtein Germano, eximiæ virtutis & nobilitatis, nec non ſingularis eruditionis iuueni, qui cum Alſatia patria ſua dulciſſima relicta præcipuas fere totius Galliæ Italiæque vrbes perluſtraſſet, ardentiſſima tandem febre in itinere correptus, hic Patauij in fata conceſſit. Vix. ann: XXIIII. Obijt M. D. LXXVIII. Ludouic. Gremp. pater I. V. D. filio vnico, & longè cariſs. M. P. C.

HENRICO A CRAM.

Germano Saxoni ex nobili familia, ſummæ pietatis raræque modeſtiæ adoleſcenti, continentiſs: ingenio, humano erga omnes, & præcipuè pauperes liberali, optimarum artium cognitione, ac iuris ciuilis ſcientia ita inſtructo, vt ſuis magno decori, Reipub. ornamento eſſet futurus, poſtquàm abſoluto penè ſtudiorum curſu in ipſo reditu ad ſuos acerbiſſima febre correptus, & oppreſſus, animam Deo, corpus terræ, amicis ſummo ſui deſiderio relicto reddidiſſet, Aſcanius frater pientiſs: cum ſorore mœſtiſs: poſuit. Obijt M. D. XLV. die XXIX. Octob. Vixit ann. xx. procuratorib. Bartholdo à Mandeslo, Conradi filio & Næuijs.

O ſpes fallaces, curæ, vaniq́ue labores,
Omnia mors aboles, anxia vita nihil:
Diſce mori, nec te ludat ſpes vana iuuentæ,
Nam neſcis ſtatuent quem tibi fata diem.

IOAN. DRENCVVART.

Quis hic viator conditus iaceat, rogas?
Eſt Ianus è Drenckvvardiorum familia
Natus Bataui æ nobili, in quem cum parens
Natura rerum cunctas animi & corporis
Dotes benignè conſtituiſſet, inuida
Mors verita ne immortalitate eum quoq́ue
Viuum bearet, gloria hæc, ait, mihi
Propria dicabitur, neq́ue mora, manum inijcit,
Primoq́ue in æui flore præreptum, vbi piæ
Animæ Deo fruuntur, in ſuperûm plagas
Sedesq́ue tranſtulit beatas ætheris.

Vix: ann: XXV. Obijt M. D. LI. Idib. Auguſti.

IACOBO SORAGAE.

Nobili Brixinen: ob egregiũ eius in Germanos ſtudium, Germanica natio ad ſempiternam grati animi memoriam vnanimis poſ: Conſiliario nationis Sigfrido Pfifzingo, Procuratoribus Chiliano Schenpiglero & Iacobo Zagaro. Anno à partu virgin: M. D. LIII.

ERAS-

ERASMO DILPHO.

Belgæ Antuerpienſi ſummæ virtutis & nobilitatis viro, qui procul à patria magno cum dolore omnium ex deplorara valetudinis infirmitate extinctus eſt, amici mœſti benemerenti poſ:

τῷδε τάφῳ πατρίας μέγα φῶς ἀνακεῖται Ἐρασμὸς
Δίλφιος, ὃς μνηστῇ ἔξοχος ἦν ἀρετῇ
ὃν διὰ τὴν παντοίαν εὐσέβιαν φίλοι ἄνδρες
θαύμασαν, ἀλλ' αὐτοῖς ἄλγεα θῆκε θανὼν
τῷδ' ἐπὶ κὴρ γῆρας στυγερὸν ῥα φθόνησε μελαίνη:
αὐτὰρ ἐς οὐρανίους νῦν ἀνέβησε θεοὺς
ὅστις εἶ, ὃς σεμνοῦ ξένε τοῦτ' ἐπὶ σῆμα παρ
ἡσυχίην ψυχῇ εὔχεο πολλὰ φίλη.

Quod eſt.

In hoc ſepulcro magnum lumen patriæ iacet Eraſmus
Dilphius, qui virtute perquàm memorabili clarus fuit,
Hunc ob facilem in omnibus pietatem amici homines
Admirati ſunt, ſed eos moriens dolore affecit.
Huic Parca in triſti ſenectute inuidit funeſta,
Attamen ad cæleſtes aſcendit Deos.
Quicunq; es hoſpes, qui propè huius preclari viri ſepulcrum tranſis,
Tranquillitatem animæ precare multùm gratæ.

Vix: ann. XXXVI. Menſ: XI. Dies VII. Obijt VI. Calend. Aprilis. M. D. XL.

IOAN. BAPTISTA CICHIOLA.

Brixianus, Ioannis Antonij IureConſulti ex Catharina Maia filius, literis, moribus, fortuna, gratia, ætate florens, ſæua febri interceptus hic conditus, Vincentio Maio auunculo, Philoſophiæ Patauij Magiſtro Brixiæ orbæ matri, cognatis, amicis, publicè mœrorem reliquit, & deſiderium perpetuum. III. Non. Iulij. M. D. XL.

PHALOPPII MEDICI.

Pholoppi, hac tumuli ſolus non conderis vrna,
Eſt pariter tecum noſtra ſepulta domus.

NICOLAI DE MONTE SILICIS.

Monte ſatus Silicis Medicinæ doctor, & artis
Chirurgæ lector, Nicolaus origine clarus
Vitæ fila ſuæ cum ruperit Atropos, vrnam
Hanc ſibi, qua recubat defunctus corpore, legit.

IOAN. BAPTISTAE AMICO.

Coſentino, qui cum omnes omnium liberalium artium diſciplinas miro ingenio, ſolerti induſtria, incredibili ſtudio, Latinè Græcè atq; etiam Hebraicè percurriſſet feliciter, ipſa adoleſcentia, ſuorumq; laborum & vigiliarum curſu penè confecto, à ſicario ignoto, literarum, vt putatur, virtutisq; inuidia, interfectus eſt. M. D. XXXVIII.

Præmia quæ referunt alijs vitamq; perennem
Virtutes, vni huic cauſſa fuere necis.

VINCENTII CRVCII.

Quis tumulo hoc tegitur? iuuenis, qui corpore pollens,
Inclytus ingenio, moribus ingenuus:
Crux cognomen, erat nomen Vincentius illi
Taruiſium patria, & Pallas erat ſtudium.

ANTO-

ANTONIAE FABRICIAE.

Siſte gradum, iacet hic Antonia ſanguine creta
Fabricio, terræ mortua, viua polo.
Hanc gemit ablatam mundo probitasq; , decorq;,
Atq; fides paſſis immaculata comis.

FRANC. ELEPHANTVCIO.

Camilli filio, Vix: ann: XVIII. Menſ: VIII. horas VII. Obijt ſole occidente XVII. Calend. Iunij M. D. XXIX.

CASSANDRAE MVSATAE.

Petri Gabrielis coniugi dulciſſimæ.

LVDOVICVS ROGERIVS.

I. C. ſibi ſuisque viuens poſ: Anno ſalut: M. CCCC: LXCVIII.

ANTONIVS VRSATVS.

Diuini humaniq; iuris fidus interpres & Orator inſignis hic iacet. Sep. Nobilibus de Vrſatis reſtitutum.

FRANC. CAESARI PVTEO.

Veneto, qui dum Philoſophiæ ſtudijs acriter incumberet, heu morte præuentus obijt, parentes pijſſimi non ſine lacrymis filio vnico poſ:

Te iuuenem immatura nimis mors abſtulit, idq;
Vnicus vt fieres, vnice nate, dolor.
Te fruſtrà nos eſſe Deam, clariſſima virtus,
Credimus, humanis ſubdita facta malis.

Vix: ann: XXI. Menſ: IX. & dies XXVIII. deceſſit anno à natali Chriſtiano M. D. LII. Nouemb. XXVI.

PIERIO VALERIANO.

Bellunenſi, Poëtæ Rhetorique ampliſſimo cuius pia vmbra non pœnitendum hic tumulum ſortita eſt. Nam vt optabilis in patria, ita ſpecioſius Patauij ſupremi officij decus fato amiſſum, virtute recuperauit. Petrus Carrarius, ac Ioannes Baptiſta Rota, Patauini vnanimes grato hoſpiti poſ:

Pieridas dum Pierius ſectatur, & Orci
Nil timet inſidias, hunc fera mors rapuit.
Illa necem, æternæ oſtentant hæ munera vitæ,
Hinc medius vitæ Pieriusq; neci.
Abſtulit hæc annos triſtes: at præmia laudum
Atq; animam hæ ſeruant, inuida mors moritur.

IACOBI BELDEBONI.

Hic iacet Dom: Iocob. de Ferraria, quondam Domini Gerardini de Beldebono Doctor Decretorum.

IVLIO AREOSTO.

Patria Ferrarienſi lepidiſs: atque incorruptiſs: moribus adoleſcentulo, nomine aui ſatis claro Virginius p. ad tempus F. IIII. Non. Octobr. M. D. LIII. Vix: ann: XIII. Menſ: I. Dies XVI.

BYTHINAE BONONIENSIS.

Sepultura Dominæ Bythinæ filiæ quondam D. Ioannis de Bononia ArchiDoctoris Decretorum, & vxoris Domini Ioannis de S. Georgio de Bononia Decretorum Doctoris, quæ obijt anno Domini M.CCC.LV. Die Lunæ v. Octobr.

Ad inſignia gentis:	Ad inſignia mariti.
Hinc genita.	Huic nupta.

ANGELO BORGINO.

Dominici filio, Florentino, genere, moribus, literiſq; claro, fratres fratri optimo lugentes p. c. Anno M. D. LVII. Vix: ann. XLIX. Menſes VI. dies XXII.

VALERANI LAMBARDI.

Hic Doctor legum Valeranus pace quieſcit,
Virtutum hoſpitium nobile germen erat.
Nobilitate vigens vera, quem miles honorus
Lambardæ ſtirpis ſtemmate progenuit.
Claruit officijs, rectus totuſq; fidelis
Carrigeris: mens eſt glorificata polo.

PAVLI FRESCI.

Cui genus è Freſcis, cui clara Maroſtica tellus,
Paulus in exiguo contegor hoc tumulo.
Doctor eram Iuris cenſura clarus vtraq;,
Et viuus tota notus in Auſonia.
Nocte domum repetens, nocturno truncor ab hoſte
Me dedit huic virtus inuidioſa neci. M. D. XCVIII.

CAESARI RIARIO.

Patriarchæ Alexandrino Epiſcopo Malcuitano.

SIMONIS LVPI.

Egregius miles quem ſtirps generoſa Luporum
Progenuit Symon rupe ſub hac tegitur.
Patruus hic, ſecum fratres duo, pace quieſcunt,
Heu colit exiguam turba quaterna domum.
Ortu Chryſopolis decorauit Marchionatum
Soraniæ ſenſu, moribus, atq; fide.
Iuſq; dedit Patauis bis præſes, iure ſecundo
Defecit, caſtris dux fuit armigeris
Menſq; recepta Deo eſt, meruit ſuper aſtra leuari:
Dotibus innumeris lucida fama patet.

Qui Dn. Symon obijt M. CCC. Lxxxv. Indict. VIII. die x. Ianuarij.

Supra portam Luporum.

Oratorium hoc ſub auſpicijs Beati Georgij vbi condentis eſt ſepulcrum pro eius parentumque ac fratrum & nepotum indelenda memoria miles egregius Raymundus de Lupis Parmenſis Soraneæ Marchio ædific: fecit. Anno domini M. CCC. Lxxvii. de Menſ. Nouemb.

RAYMVNDI DE LVPIS.

Marchio Soraneæ miles, pietatis aſylum,
Hoc Raymondinus marmore pace cubat:
In bellis pugil indomitus, recitanda Luporum
Fama virens armis conſiliumq; fuit:
Chryſopolis gaude tanto celeberrima nato,
Cuius cum ſuperis mens ſedet ante Deum.

Qui Dn. Raymundus odijt M. CCC. Lxxvii.

Sub ſingulis Symulacris ſtantibus è marmore circa ſepulcrum.

D. Rolandinus egregius miles Soraneæ Marchio pater.
D. Mathilda eius coniunx Marchioniſſa mater.
D. Raymundus Marchio Soraneæ miles filius.

D. Antonius Marchio Soraneæ filius.
D. Bonifacius Marchio Soraneæ filius.
D. Guido Marchio Soraneæ miles filius.
D. Antonius Marchio Soraneæ miles nepos.
D. Symon Marchio Soraneæ miles nepos.
D. Fulchus Marchio Soraneæ miles nepos.

ANGELO BVZZACHARINO.

Vtriusq; Iuris acutiſs. interpreti excellentiſſimoq; Salio frater IurisConſultus poſ:

IACOBO PAVINO.

Optimo genitori Ioan: Franciſc: filius Theologiæ Doctor, diuiniq; ac humani Iuris Conſultiſs: Canonicus Patauinus, Sacri Apoſtolici Palatij cauſſarum Auditor, ad P. M.F. M.CCCC. LXVI. XXII. Septemb. ſenio expirauit, malis cedens, ſuperatis aduerſis. F. D. I. Vix: ann: LXXX.

M. ANTONIO BLANCO.

I. V. D. Patauino, Vix: ann: L. Obijt die VIII. Octobr. M. D. XLVIII.

IACOBI A SANCTO.

Eximius Doctor medicinæ & Philoſophiæ
Rupe ſub Iacobus de Sancto dictus, humatur.
Vir fuit hic iuſti cultor, ſine compare prudens,
Sobrius atq; pius, vita perfectus honeſta,
Occaſuq; ſuo, ſua quæq; reliquit egenis.
Hanc & dotauit magnis prouentibus aram,
Pro huius exequiis celebrandis quolibet anno,
Atq; ſuo debet torques lucere ſepulcro,
Cumq; & mille quater centum labentibus annis
Dena & ſeptena Iunij, vir clarus obiuit.

BENEDICTI GALMARELLI.

Philoſophus Doctor, medica celeberrimus arte
Subiacet huic buſto virtutum dote coruſcus,
De Galmarellis Benedictus nomine, req;
Totus iuſtitia, totusq; modeſtia vixit.
Aduerſis conſtans, peragendis ſedulus atq;
Prudens: Vtq; ſuas celebrent hic quolibet anno
Inferias, iſti legauit prouidus aræ,
Hic corpus, mens aſtra colit, ſua candida fama
Viuet, & à nullo tenebris mandabitur æuo.

IOAN. BASILII.

Iuſticiæ, pacis, dilector & vrbis honorum
Galuani proles Aleardus Baſiliorum,
Hunc ſibi conſtituit tumulum ſtirpiq; ſuorum:
Chriſte ſit his tecum requies in ſede piorum.

DORELI DE MONTAGNONE.

Sepulcrum Doreli filij quondam nobilis viri Dn. Hieremiæ de Montagnone.

HANNIBALIS CAPILISTII.

Hannibal vt niueum primùm lanugine mentum
Veſtiret, latum in campum generoſus in armis
Prodierat, ſpumantis equi veſtigia ſiſtens.
Qualis erat circum in medium cum pulcer Iulus

Qui inuectus equo Troianum duceret agmen.
Vsq; puer longo demum certamine victor
Auratumq; enſem, diſtinctamq; arte coronam,
Grata puellarum dextræ quæ dona pararant.

ALBERTI COMITIS BAONIS.

Vnici Dei maximè contemplandi
Gloria, fidei ſacratiſſimæ diuino
Celebrandæ myſterio, ſalutis
Animæ cœleſti præſidio, Naimerius
Comes & Manfredinus Germani
Fratres ingenua oriundi proſapia,
Viri de comitibus Paduæ, ſub vmbra
Ac fauore magnifici Domini, huius
Vrbis generoſiſſimi principis
Franciſci de Carraria ſeptimi Ducis
Patauini, ad cuius officia atq;
Præcepta, dudum familiares obnixè
Fuêre, ſibi poſteritatiq; ſuæ, ex
Eorum progenie deſcendenti hanc
Dotatam ſtruxere Capellam, ſanctiſ-
ſimisq; Apoſtolis Iacobo & Philippo
Aram dedicauere ſacram. M. ccc. Lxxxii. die xxii. Septemb.

GVIDONIS MALTRAVERSI
LVCII COMITIS.

Hic ſitus eſt Guido Lucenſi notus ab arce,
Cuius erat patriæ dedita vita ſua:
Illum nuda fides, & recti conſcia virtus
Et genus & morum nobilitabat apex
Omnia mors ſoluit, ſpirantis terminus auræ
Obſtitit Octobris bis duodena die.
Complebat retinens à fœta virginæ fœdus
Poſt decies quintum luſtra ducenta nouem.

VXORIS EIVSDEM.

Eſtenſis proles Conſtantia nupta Guidonis
De Lucio, mole defeci mortis agonis,
Annis millenis, centum bis octuagenis
Iunctis ſeptenis, hic ſacris trador arenis.
Vos qui tranſitis ancillam poſcite Chriſti
Sic Dominus mitis pulſo purgamine triſti,

IOANN. BOLPARII.

Hæc ſunt Gerardi Alberti ſimulacra Ioannis,
Fratrum Bulpario genitorum ſanguine claro.
Intra Altinatem portam ſunt atria primi,
Burgi prima Nucum domus eſt ſpectanda ſecundi,
Aſt propè Nigrogrum Voltam ſtat manſio terni,
Octo bis luſtris, ſex denis atq; ducentis
Cum geminis annis poſt partum virginis hæc ſtant.
M. CCC. XC. XVIII. Decemb.

LAVRENTII CANOTII PICTORIS.

Canotius iacet hac Laurentius mole ſepultus,
Qui decus Euganeis vnicus hoſpes erat.

Vmbris Parrhaſium, pictura æquauit Apellem,
Formis Lyſippum, marmore Praxitelem.
Nam chorus æterni narrat monumenta laboris,
Qui miris templo fulget imaginibus.

M. CCCC. LXXVII. XIII. Calend: April.

IN BASILICA DIVI AVGVSTINI.

DE DEDICATIONE HVIVS TEMPLI primò hæc.

Iordanus Dei gratia Epiſcopus Paduanus ad inſtantiam & poſtulationem fratris Guidonis prioris fratrum prædicatorum Venetijs commorantium, dedit eis primarium lapidem benedictum pro conſtruenda & ædificanda Eccleſia Paduæ ad honorem Dei & Beati Auguſtini, Anno Domini M. cc. xxvii. Indict: xiiii. die v. Octobr. Notario Turpino quondam Guati filio.

IN FRONTE ECCLESIAE A PARTE SEPTENTRIONALI.

Anno Domini M. CC. Lxxv. Indictione iii. menſis Auguſti, hoc opus fieri cœpit per commune Paduæ ad laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Sanctæ Mariæ matris eiuſdem, & beatorum confeſſorum, Auguſtini, Dominici, Ioannis Euangeliſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli & Stephani & Petri Martyris & aliorum quorum altaria hic ſunt.

IN SACELLO EIVSDEM TEMPLI.

Beatus Papa Benedictus ordinis prædicatorum Taruiſinus hic ex magiſtro aſſumptus in Cardinalem Oſtienſem, hanc Eccleſiam Beati Auguſtini cum multis Epiſcopis conſecrauit, M.ccc. iii. Menſis Maij Dominica ante aſcenſionem Domini.

Dein Carrarienſium Principum ſepulcra egregij marmoris & inſignis ſculpturæ, quorum nomina partim ex antiquis picturis in domo præfecti, partim ex inſcriptione ſepulcrorum huiuſmodi collegimus. Rerum autem in ea vrbe potiri cœpit circa annum Chriſti M. CCC. XXIX.

I. IACOBVS primus Dominus Paduæ.
II. NICOLAVS Dominus Paduani diſtriſtus, non Paduæ.
III. MARSILIVS primus pater patriæ dum vixit appellatus: cuius tale Epitaphium.

Vir bonus & prudens quem dat Carraria miles
Marſilius iacet hic Paduæ dominusq; redemptor.
Qui poſt expulſos ſontes ſæuosq; Tyrannos
Scalligeros, animum ſublimem reddidit aſtris.
Annis millenis tercentum, terq; decenis
Bis quater Chriſti benedicti luce peracta.

IIII. VBERTINVS.

Solue genis lacrymas, tumulum qui conſpicis iſtum
Flensq; ſuus dicas ſpiritus aſtra colat.

Nam fuit hic patriæ dux, pax, ius, ſpesq́; ſalusq́;
Hoſtibus hoſtis atrox, fidus amicus erat.
Quem generoſa domus plauſtro ſignata rubente
Edidit inſignem ſtrenuitate virum.
Vbertine, tuis Patauis ſpes quanta ſalusq́;
Decidit, heu cum te merſit acerba dies!

V. MARSILIETVS, cognomento PapaFaba paucos dies præfuit à Iacobino ſublatus.

VI. IACOBVS, cuius filij fuerunt, qui non præfuerunt:

MARSILIVS.

SARVLLVS.

NICOLAVS, qui tale habet Epitaphium:

Strenuus hic miles mores indutus heriles,
Armis militiam decorans, virtute Sophiam,
Cui dat cognomen Carraria nobile nomen,
Compulſus Parca, Nicolaus hac iacet ara
Mille trecentenis quatuor quater quoq́; denis
Ad hunc mors venit Octobris vndeuigenis.

VII. IACOBVS, Patauinos nobiles L. ſuſpendit, Interfectus tandem à Guilielmo pellicis ſuæ filio:

Hæc magno domus arcta viro, ſub marmore paruo
Heu pater hic patriæ ſpesq́; ſalusq́; iacent.
Quisquis ad hoc ſaxum conuertis lumina lector,
Publica damna legens iunge, preces lacrymis.
Illum flere nefas, ſua quem ſuper æthera virtus
Suſtulit, humano ſi qua fides merito.
Flere grauem patriæ caſum, fractumq́; bonorum
Spem licet, & ſubitis ingemuiſſe malis.
Quem populo patribusq́; Ducem Carraria nuper
Alma dedit Patauo mors inimica tulit.
Nullus amicitias coluit dulcedine tanta,
Cum foret horrendus hoſtibus ille ſuis.
Optimus, inq́; bonis ſemper ſtudioſus amandis
Neſcius inuidiæ, conſpicuusq́; fide
Ergo memor Iacobi ſpecioſum credula nomen
Nominibus raris inſere poſteritas. M.CCC.L.xix.Decemb.

VIII. GVILIELMVS parricida, & ipſe poſtea interfectus.

IX. FRANCISCVS Iacobini legitimus filius vndecim annis præfuit, Modeciæ in carcere perijt, habuit Vgolinum filium cuius tale Epitaphium:

Hic iacet nobilis Vgolinus de Carraria filius Magnifici & potentis D. Franciſci Senioris de Carraria.

X: FRANCISCVS Senioris Franciſci filius quinque & decem annis vrbem rexit, quatuor filios habuit:

IACOBINVM.

FRANCISCVM.

VBERTINVM.

MARSILIVM.

Priores duo cum patre Venetijs in carcere ſtrangulati ſunt. Vbertinus & Marſilius ſponte in exilium profecti. De hac familia nihil amplius extat.

BARTO-

BARTOLOMEAE CARRARIAE.

Hic iacet D. Bartholomæa Carraria, vxor nobilis militis D.Marſilij de Carraria, quæ obijt Indict: x i. M.CCC. x x x. I I I. die Nouembr.

IVSTINAE MACONIAE MATRIS
Comitis Carrarienſis in æde Eremitarum.

Hoc tres Germanas capiet commune ſepulcrum
Quas generoſa domus genuit Maconia probas.
Nomina ſunt quarum, Iuſtina
Carrigeri mater, ſit Margarita ſecunda,
Tertia Franciſca, quæ viuit & vltima reſtat.
Mille quater centum Domini currentibus annis
Quatuor & denis fuit ipſis tale paratum.

MATTHAEI RONCALITRII.

Mirus Ariſtotelis interpres, & Galieni
Interpres, Logicæ gloria victa iacet.
In cunctis cathedris Patauis decus iſte Mathæus
De Roncalitro Phœbus in arce nitens.
Cum tribus aſſumptis volitabant mille trecenti
In Maij nonis concidit orbis honos.

LVDOVICO CARRESIO.

Cognomento Toſeto, viro acuto & perfaceto, & in Philoſophiæ medicinæque ſtudijs ita excellenti, vt in earum profeſſione Ferrariæ Patauijq; primas diu obtinuerit, ſui poſ: Vix: an: Lxxvi. Obijt Anno Domini xxxix. Octobr. xi.

IOAN. MARCHANONAE.

Vt videas antiqua virûm monumenta priorum
Quid maris & terræ multa pericla ſubis?
Ecce quod vt videas totus peragrabitur orbis,
Pagina nunc oculis ſubijcit vna tuis.
Quæ ſi fortè tua ferat oblectamina menti,
Autori grates dicere ne pigeat.

IOAN. TADI.

Virginis à partu complerant feſta Luciæ
Luſtra ducenta nouem, ter tria dena quater.
Cum genitum Tado rapuit mors atra Ioannem,
A legum cathedris, militiæq; gradu.
Hic tenet oſſa ſilex, animum ſublimia cœli,
Candida letheæ fama repugnat aquæ.

LVDOVICI CARENTII.

Virtus ſerena, rota inſtabilis.

AEſculapio medicinæ artis Inuentori non abſimilis erat Ludouicus Carentius cognomento Toſetus Patauus, qui in medendi arte & in patria & Ferraria primas obtinuit ſedes, cuius reliquum hic quieſcit. Vix: ann: Lxxvi. Obijt pridie Idus Augusti. M. D. xxxix.

PAVLI RAMVSII. IC.

Scriba Ducis Venetûm patri hunc Baptiſta Ioannes
Paulo è Rhamnuſia prole dedit tumulum.
Iuris conſultus fuit is, Phœbiq; ſacerdos,
Merſit & Aonia ſæpiùs ora lacu.

Verùm dum Venetûm iuſtiſſima regna pererrat,
Ius dicens magna non ſine laude, perit.
Ipſe quod es, lector, fuit is, ſed tu quoq; fies
Eſt quod hic, hoc melior ſors ſua, ſorte tua.

REGIS CYPRI.

Zachi Cypri Regis Cerlota F. H. Sep. T. Anno ſuæ ætatis XII. Menſ: III. M.CCCC. LXXX. Iulij XXIIII.

REGINAE.

Marieta mater quondam Iacobi Cypri Regis viuens ſibi fecit M.CCCC.LXXXIII. Menſ: Septemb.

D. LAMBONIVS DE GAZO.

Cremonenſis Doctor Pariſienſis ſcientiæ medicinæ eſt hic ſuperius, & ſui ſunt hic inferius.

VINCENTII MVSCETAE

Clarus Apollinea Vincentius arte ſepultus
Ad Stygias miſerum traxit aquas.
Inuidit ſuperis furuæ Deus arbiter aulæ
Humani generis proh mala conditio.

NICOLAI DOTTI.

Flore iuuentutis poterat dum dextra moueri
Nobilitate probus meruit Nicolaus haberi.
De Dottis genitus, cuius pars vilior hæc eſt,
Pars melior cœlis æterna pace locata eſt.

BERNARDINO BVZZACHARINO.

Adoleſcenti humanioribus in litteris liberaliumq; artium ſtudijs, ingenio admirabili, prudentia, temperantia, cæteriſque animi dotibus admodum prædito, ac nulli ſuæ ætatis ſecundo, amica manu miſerabiliter interempto. Ludouicus de Gagliardis hoc amoris & veræ amicitiæ teſtimonium poſuit. Obijt M. D. XLII. Die VII. Martij, natus annos XXVIII. Menſ: X. Dies XXIIII.

Hunc Decanus Eccle: Patauinæ inſcius interfecit, & Georgius Fabricius tumulo adſcripſit:

Dulce quod eſt alijs & carum nomen amici,
Hoc mihi triſtitiæ cauſſa neciſq; fuit.
Nam qui crudeli miſerum latus enſe peregit,
Incertos caſus aſpice, amicus erat.
Me dare nunc luctus ſocio, ſociumq; fuiſſe
Autorem mortis, magnus vterq; dolor.

VINCISLAO BVZZACHARINO.

Patauino Guidonis filio nobilitate generis & armorum præſtantia illuſtri, grauibus & aſſiduis militiæ laboribus extincto, Octauius Farneſius Parmæ princeps, ob eximiam eius in armis virtutem, fideique conſtantiam hoc monumentum poſ: Idem Pataro eius fratri benemerenti domi, militiæ, vitæ, mortiſque ſocio infra triduum facturus, niſi ille in patriam reuerſus Agneti Capiliſtiæ infeliciſſimæ matri hoc officium attuliſſet. Vix: ann: XXXIX. Obijt ann: M. D. LIIII.

IACOBI GROMPI.

Hic ſitus eſt Grompus raptus iuuenilibus annis
Quo fuit Euganea nullus in vrbe prior.
Moribus, ingenio, forma præſtantior alter
Non erat, hoſtiles nunc rapuere manus.

PAVLI

PAVLI TITVLI.

De Titulo iudex iacet hic ſub marmore Paulus
Iuris apex, vrbis conſiliumq́; ſuæ.
Quem virtute virum noſtro Deus extulit orbe,
Præbuit at cælo nunc meliore frui.

NICOLAI PLEBII.

Vt tibi viuenti Dominus tua crimina parcat,
Pro de Plebe roga Nicolao Iudice quondam.

GEORGIVS FRIGIMELICA.

Iacobi parenti optim. Franc: Medico clariſs: Anto: & Petro Mariæ fratribus ſibi ſuisq; omnibus poſ: An: M.D.LIX. Menſ. April.

AEGIDII DINI IVDICIS.

Hic corpore ſepultus iacet. 9. Domini AEgidij de Dino filius, nomine Dominus Dinus, officio Iudex, cuius anima M.CC LXXXIII. Indict. XII. XV. intrante Ianuario ſui corporis nexu ſoluta luteo, de præſentis vitæ miſeria cœli locatur horreo, pro ſuorum operum mercede condigno.

NICOLAI MALVMBRAE.

Edite nobilibus celſa Nicolae Malumbris
Vrbe Cremonenſis, ſolers vtriusq́; profeſſor
Iuris, cauſidicûm doctiſsime, ſtrenue fautor
Iuſtitiæ, viuas oro per ſæcula felix.

NICOLAVS CATARVS.

Vir optimus, & in amicos officioſiſs: rei bellicæ ita peritus, vt exemplum deſit, & in Venetam Rempub. adeo fidelis, vt parem fortaſſis aliquem ſuperiorem vero habuerit neminem. Is Veneto Senatui, ſub cuius Imperio per XL. annos militauit, adeo carus, vt nec pace nec bello ab expeditione vnquam vacuus fuerit, & vbi maius periculum inſtaret, ibi fuit præſidio, cum ſummis militaribus honoribus defunctus eſt, obijt à Chriſti natali M.D.XL. ætatis LXXVII. Brixiæ oppido huius cineres ab Antonio filio IureConſ: relatæ.

IOAN. BAPTIST. AVRILLIACO.

Adoleſcenti lætiſſimo, nato in Gallia tranſalpina, patre viro clariſſimo & Gratianopoli Senatus principe, qui Patauij, quo ſtudiorum cauſſa venerat, morte acerbiſs: præreptus, magnum mœrorem ſuis attulit, Clementia Caile mater filio cariſſimo ponend: cur: Anno M.D.XXXVI. Die XIX. Aprilis. Obijt Anno M.D.XXXI. Calend: Septemb.

ASCANIO SOCINO.

Senenſi, ſummæ ſpei ingenijq amabilis puero longè plus quàm illa ætas poſtulabat, inprimis iam bonarum artium ſtudijs erudito, qui vix: ann. XII. Menſ: VI. Dies X. Marianus Iunior Patauij ciuilis iuris priore loco interpres & Camilla parentes mœſtiſs. filio dulciſs: P. C. M.D.XXXIX. Septimo Idus Aprilis.

LANZELLOTTI DE ANCHOSCIOLIS.

Hic iacet nobilis ſtrenuus miles D. Lanzellottus de Ancheſciolis de Placentia, qui obijt Anno à natali Domini noſtri Iheſu Chriſti M. CCC. LVIII.

SANDRO OROSIANO.

Muſarum alumno benem: Q. VI. D. Mart. M.D.I. Roxa vxor p. ſibiq; & poſteris V. P.

ZILIOLI DE ROSOLINIS.

Indolis egregiæ Ziliolus de Roſelinis
AEuo qui longo viuere poſſet, erat.

Si probitas animi, morum, vel gloria fandi
Protegeret corpus, ſpes leuis interijt.
Dumq́ue ſacras leges ciuilia iuraq́ue ſudat
Iam proprium palmæ mors rapuit iuuenem.
Corpus in hoc ſaxo concluditur, aſtra beatam
Accipiunt animam, fama volat populo.
Quis legis hæc iuuenis, ne fidas flore iuuentæ
Ante diem ſubitò ſperatum morte furente.

M.CCC. LXXIII. die XXIX. Maij. laudabiliter requieuit.

PETRO PICARDO.

Pædemontano, viro magnæ in Deum pietatis & religionis ac in homines præſertim amicos fidei & integritatis, qui dum Lxx. ſuæ ætatis annum ageret, animamq; Deo & corpus terræ reddidiſſet, Ioan: Picardus nepos heres ex teſtamento patruo iam VI. Menſ: apud ſe defuncto pientiſs. poſ: Anno Domini M.D.XLVIIII. Idib. Iulij IV.

BALTHAZAR CARDVCIVS.

Florentinus, in Patauina Academia Pontif: mox Cæſarei iuris anteſignanus, Ludouicæ vxori benemeritæ poſ: M.D.XIX.

Externo heu tumulata ſolo, cariſſima coniunx,
Hæc, ſi fata volent, vrna duobus erit.

IN TEMPLO DIVAE IVSTINAE.

IN TABVLA ALTARIS.

Hic requieſcit corpus B. Iuſtinæ virginis & martyris Chriſti, quæ fuit filia Vitiliani Regis Paduæ, & à Maximiano Imperatore gladio interfecta, & à Sancto Proſdocimo ſepulta, poſtea vero à titulo Concordiæ Baſilica Iuſtinæ fuit dicata Anno Domini CC. LXXX.

IN VESTIBVLO TEMPLI D. IVSTINAE.

TIT: LIVIVS CAII FIL: ET SVIS TIT: LIVIO CAII FILIO PRISCO F. TITO LIVIO T. F. LONGO F. CASSIA SEXTIAE FOIAE PRIMAE VXORI.

IN ARCA IN QVA SANCTI LVCAE RELIQVIAE.

Hic bouis effigie, fidei certiſsimus index
Scriba Dei quartus requieſcit corpore Lucas,
Qui fuit Antiochi de nomine ab vrbe vocatus,
Pictoris mediciq́ue noua ſpectabilis arte,
Tempore poſt multo cum Chriſti lege fidelis
Gratia ſanctorum ſeruaret corpora multa,
Relliquiasq́ue furens Cæſar combureret almas
Impius, & ſacros cineres iactaret in auras:
Huius honorandum capiens tunc corpus ab vrbe
Nominis indiderat cui Conſtantinus honorem.
Vrius, hanc profugus Patauiperuenit ad vrbem,
Et ſanctæ poſuit Iuſtinæ pignus in æde.
Deniq́ue poſt Chriſti de ſancta virgine natum
Mille bis octenis, tercentum meſsibus actis
Hoc poſuit tumulo corpus venerabile ſacro,

Religione nitens vir Galbertinus, amati,
Augendi cultus ſtudio memorabilis Abbas.
Gratia cui fratrem tribuit diuina poëtam,
Atq; pios mores, & ſacras noſcere leges,
Muſatosq; dedit claros cognomine ciues
Vrbis honorato Patauinæ ſanguine iunctos.

IN OPILIONIS PICARII SEPVLCRO.

Opilio V. C. pe: in L. PP. atque patricius hanc Baſilicam vel Oratorium in honorem Sanctæ Iuſtinæ Martyris à fundamento cœptam Deo iuuante perfecit.

IBIDEM, *De ſacrarij ædificatione.*

Sacrario iacet hoc clara de ſtirpe Leonum
Condi quod iuſſit dote Maria ſua.

RAPHAELIS RAYMVNDI I.C.

Raphaël hic ſitus eſt, antiqua ab origine patrum,
Qui quondam gemini gloria Iuris erat
Hunc Raymunda domus, hunc Comus patria lugent,
Hunc ſibi pereptum flet ſtudioſa cohors.
Flete ſuper, quoniam talem vix priſca tulerunt
Sæcula, nec ſimilem fortè futura dabunt.

BRIGIDAE VRSINAE.

Nicolai Nolæ Pitilianiq; principis ac Venetorum exercitus Imperatoris filiæ, matronæ pudicitia ac religioni inſigni Richardus Alidoxius Vxori cariſs: poſ: vix: ann: XLV. Obijt die XXII. Maij. M. D. XXXIX. Nunc idem Richardus Franciſcum filium Græcè Latineq; eruditum ſummo cum dolore ponendum curauit. Vix: annos XXXV. Dies XXIX. Auguſti M. D. VLIII.

BARTHOLVS BONVICINVS.

Brixinenſ. L. Doctor, qui præmaturè Chriſtianiſs: tamen Deo opt: Max: largiente v. excedens peregrina, hos dereliquit fratres v. ſuperſtit: f. mater F. Vxor F. chariſs. c. pientiſs. P. M. D. I. VII: Calend. Octobris.

IACOBVS DE ZOCCHIS.

Excellentiſs: Legum Doctor hic ſitus eſt.

DVORVM ABBATVM.

Inclyta gens Liminæ regalia ſtemmata quondam
Edidit Abbates, quos tegit vrna, duos.
Chriſte precor Iacobum cœlo tua luſtret aperto
Lux, & Odoricus ſit ſuper aſtra ſimul.

LVDOVICI BARBI.

Mille quadringentis domini currentibus annis,
Quadraginta tribus Septembris menſe fluenti,
Progenie Veneta, Barbo Ludouicus in aſtris
Mente nitens tumulo clauſo ſepelitur in iſto.
Splendidus ille fuit lucens ſuper omnia caſtus,
Almæ Iuſtinæ Patauæ tunc extitit Abbas,
Quum ſancti normam Benedicti conſolidauit,
Illinc Italiæ celebres luſtrando per vrbes
Ornauit Monachis Chriſto famulantibus alto
Conſilij ſancti præſes præfectus & autor,

Eccleſia

PATAVIUM.

Eccleſiæ pacem tractando ſchisma remouit
Eugenij quarti præcepto præſulis orbis
Antiſtes nolens, eſt Taruiſinus iniunctus.

IOANNI AQVILAE.

Patri pientiſs. dolentes filij poſ:

Hic cineres adijt, melior pars aſtra Ioannis,
Mirum qui potuit? ſed Iouis ales erat.

LAVRENTIO GAZIO.

Cremonenſi, Monacho Caſinenſi, viro ſumma religione conſpicuo ac in Muſicæ & Arithmeticæ ſtudijs Theoricæque ſcientiæ peritiſſimo, & cunctorum eruditorum, huius tempeſtatis iudicio excellentiſſimo, & ſcribendi arte ita præclaro, vt parem fortaſſis aliquem, ſuperiorem habuerit neminem. Qui ſenio tandem confectus Patauij nonagenarius obijt, non ſine amicorum mœrore, Anno Domini M. D. LII. Calend: Septemb. XIIII.

IN IMAGINES QVASDAM MVLIERVM canentium.

Gaudia qui nunquam quæris fugitura, loquaces
Has fuge, quæ dulci triſtia voce parant.

SCIPIONIS.

Viribus, ingenio, forma vel ſanguine ſi te
Extulero, in turba Scipio clarus eris.
At ſi, quod iuuenem formoſum, aurumq; marito
Miſeris intactum, dixero, ſolus eris.

SCIPIONIS ET BENEDICTI.

Scipio quid meruit? Laurum: Benedictus? Olympum:
Munus habet diſpar magnus vterq; labor.

ARCAE NOAH.

Pellibus inſtruitur Domini venerabile templum:
Quid mirum? ſtrata eſt pellibus arca Dei.

ALBERTINI MVSATAE.

Condita Troiugenis poſt diruta Pergama tellus
In mare fert Patauas vnde Timauus aquas
Hunc genuit vatem, tragica qui voce Tyranni
Edidit Archilochis impia geſta modis.
Præbuit ætati vitæ monumenta futuræ
Vt ſit ab externis cautior illa malis.

IN AEDE SERVORVM MARIAE.

PAVLVS DE CASTRO.

IurisConſ: diſertiſs. maximæ autoritatis apud omnes habitus, quod Florentia teſtatur, cuius ius Municipale innouauit, & in ea coniugatus Petræ vxori, Vicariatus officium in ſpiritualibus Rom: Pontif: decreto exercuit, vbi etiam in Bononienſi & Patauino Gymnaſijs publicè profitendo floruit, æternamq; ſibi gloriam comparauit, relinquens conſiliorum & in iure volumina plurima edita, quæ intra manus verſantur. Et ipſius filius Angelus, clarus ingenio, amborum iurium tenens faſtigia, XL. annos Patauij iura docuit, eoq; Nicolaus Canonicus Paduanus, qui ab his proceſſit, vtramq; & ipſe parentum virtutem adeptus, hoc immortalitatis opus illis conſecrauit Anno M. CCCC. XCII.

PAVLO.

PAVLO DE CASTRO.

Auo & Angelo Patri Comiti Palatino I. V. Doctoribus, & in orbe Monarchis, Nicolaus de Caſtro I. V. Doct. Canonicus Paduanus Apoſtolic: Cubicularius & comes Palatinus fieri fecit M. CCCC. Lxxxix.

BALTHASARIS CARDVCII.

Florentini I. C. & Ludouicæ vxoris M. D. XIX.

BARTHOL. COMPOLONGI.

Nobili viro Bartholomæo Compolongo & heredibus. Quando corpus dormit in morte, anima vigilat in cognitione. Ergo conſidera atque crede, quia ego qui hic iaceo, ſum iterum reſurrecturus, & lingua quæ nunc ſilet, iterum loquetur, & rationem reddet.

EPIPHANIO COLVMBO.

Realdi Col: filio, optimæ indolis & ſummæ ſpei puero, qui cum præclara omnia à ſe exſpectanda ſignificaſſet, immatura nimis atque inuida morte præreptus, maximum ſui deſiderium omnibus reliquit. Parentes mœſtiſs: poſ. Vix: ann: ix. Menſ. viii. Dies xix. Obijt viii. Calend. Octobr. M. D. XLIIII.

Hac pulcras pueri violas, fuſcosq; hyacinthos,
Pulcraq; purpurei ſpargite fila croci.
Nec lacrymas cohibete, puer formoſus & idem
Hic veſtri fuerat gloria magna chori.
Quin & multa auſus plus quàm puer, ille animantum
Ille hominum tenera membra ſecare manu.
At vos ô nimium crudelia fata, nimisq;
Impia mors, & quæ nil niſi ſæuitia es.
Vix cælo oſtenſus fuerat, cum protinus illum
Lanificæ nobis ſurripuêre Deæ.
Dic, hoſpes, bona verba, bonumq; precatus abito,
Vt lubet, atq; tibi Dij meliora ferant.

APOLLINARIS FVCHS.

Fuchs ego dictus eram toto iam cognitus orbe
Hic iaceo, & mecum virtus, ſic omnia matris
Et patriæ ſpes vna perit, ſtudijq; labores:
Quos ego dum ſacri Iuris ſuccenſus amore
Ferre libens ſtatui, peſtis furor impius vrgens
Vitæ extrema dedit: Pataui ſic oſſa quieſcunt.

AD SIMVLACRVM MARIAE
Chriſtum in gremio fouentis.

Si fortè addubitas pullatos eſſe Mariæ
Ritè conſeruos, ſiſte parum relegens.
Horrendum viſu, quod, proh dolor, vnica mater
Natum defunctum continet in gremio.
Mæſticiæ hinc veſtem meritò geſtare nigrantem
Hoc dicas Dominæ qui doluere ſuæ.

RAMBALDI CAPIVACII.

Hic ſitus eſt ingens Doctor Rambaldus vtroq;
Iure nitens, veri conſtans Zelator honoris
Militiæ ſpeculum vacæ caput inclyta proles
Sub cuius regimen voluit Florentia plebem.

IN BA-

IN BASILICA D. IOANNIS PRAECVRSORIS IN VIRIDARIO.

LAZARI BONAMICI.

Quantum ager Arpinas Ciceroni, atq; inclyta quantum
Palladis vrbs debet Socratis ingenio:
Baſſani & Pataui debent tibi mœnia tantum
Lazare, quando illis vnus vtrumq; refers.

Lazari Bonamici Catharinæque vxoris cariſs: in ſecundum Redemptoris aduentum quietis ſedes. D. H. M. D. M. A. Obijt M. D. LII. ætat: LXX.

PETRVS MONTAGNANA.

Eximius Grammaticæ Doctor Latinè Græcè & Hebraicè peritiſs. Petrus Montagnana Sacerdos optima fide, pietatis ſtudio, proque animæ ſalute adſcripſit, donauitq; Canonicis Regularibus, qui Pataui morantur, hunc librum, quicunq; leget proficiat, deinde ſit gratus Anno M. CCCC. LXXVIII.

ANDREAE CRISEO BRIOSCO.

Pat: Statuario inſigni, cuius opera ad antiquorum laudem proximè accedunt. Inprimis æneum candelabrum quod in æde Diui Antonij cernitur, hered. poſ: Vix: ann: LXII. Menſ. III. Dies VII. Obijt VIII. Idib. Iulij M. D. XXXII.

Marmore Praxiteles, pictura clarus Apelles,
Ignipotens ferro, Riccius æuo valet.

ARCVANI BVZZACHARINI.

Hi lapides ſeptem Anoalis à ponte egregij, ſub militis Domini Arcuani de Buzzacharinis armigerorum mihi in obſeſſu magni Herois Pataui Franciſci Carrarienſis Capitanei auſpitijs vi educti, huicq; muro ſic ligati teſtantur ad poſteros M. CCC. LXXXVII. Die XVII. Auguſti.

HIERONIMI PAGNOLAE.

cum filio.

Sit mihi ſitq; tibi gratus, quo Iulius ille,
Ille puer tellus quem Patauina colit.
Quem Phœbus, quem Pallas amat, quem Iuppiter ipſe,
Cui fauet arguta Calliopeia lyra.
Non eadem cauſſa eſt, tua nam tua viſcera ſemen
Diligis, & cordis pignora cara tui.
O decus, ô laudes, ô munera cara Deorum
Hunc ego virtutes approbo, miror, amo.
Componat noſtros vir ſi quis iuſtus amores,
Verus amor meus eſt, verus amor tuus eſt.
Verior eſt noſter, premimur nam ſanguine nullo,
Tu quod amas natum diligis ipſe tuum.

LVDOVICI PASINI.

Viuit anima mea, cineres in hac vrna iacent, donec oſſa, cutis, nerui, & oculi reuiuiſcant incorrupti. Deus omnipotens per Ezech: Prophetam VII. Ludouic: Paſinus Philoſophiæ & Medic: acutiſs: ſibi viuens conſtituit. Vxor verò cum filijs mœſtiſs: extulere. Obijt Octuageſimo altero ætatis Anno M. D. LVII. XI. Calend: Septemb.

Philoſophus iacet hic Ludouicus maximus ille
Paſino celebri ſanguine progenitus.
Egregiè doctus medicaq; peritus in arte,
Creditus à cunctis æmulus Hippocratis

Filius

Filius hunc tumulum pariterq; pijſsima coniux
Erexêre, viro hæc natus at ille patri.
Huc qui te confers lymphas inſperge ſacratas,
Ac pro defuncto quæſo precare Deum.

GEORGIVS FRIGIMELICA.

Iacob: parenti optim: Franc: medico clariſs: Ant: & Petro Mariæ fratrib: ſibi ſuisque omnibus poſ: Anno M.D.LIX. Menſe April:

HIERONYMO TYRABOSCO.

Aliàs Corradino Philoſopho excellentiſs: ac medicæ facultatis profeſſori, qui & hoc in Gymnaſio ſumma cum laude docens, & hac in vrbe morbos ſumma cum caritate depellens, eam multos annos exercuit, Petrus frater ac Iulius Petri filius ijſdem inſignibus ornatus, id ſui in eum amoris monumentum excitandum curarunt.

Quidquid Ariſtoteles naturæ ſemina ponens
Cælitus abſtructis concipit eſſe ſuis:
Quidquid Apollineis heros Epidaurius herbis,
Et quidquid medica Cynthius arte tulit.
Vnus apud Patauos Tyraboſco ſanguine dixit,
Qui iacet hic multo nomine Hieronymus.

HECTORIS PYRGOTELI.

Virtuti æquales annos quia Parca putauit,
Te rapuit iuuenem, dum putat eſſe ſenem.
Pectore ſeruabas memori crinitus Apollo
Ad medicam quidquid contulit vnus opem.
Sed quia temporibus, ſuperis neq; ſubdita virtus,
Hector eris, donec lumina ſolis erunt.

Vix: ann: 29. Menſ: 6. Obijt die vlt. Auguſti. M. D. XXVIII.

ALEXANDRI DOTTORII.

Per varias rerum cauſſas medicosq; labores
Sollicitans Phœbum carmine, voce, lyra.
Doctor Alexander naturæ cedere fatis
Cogitur: huic vitam fata dediſſe puta.

DOMINICO SENNO.

In ea medendi arte quæ manu exercetur, atque in cognoſcendis herbis nulli antiquorum poſtponẽdo, qui Nicolaum Genuenſem incomparabili beneuolentia complexus, cum eo, quam cum ſuis ſepeliri maluit Vix: ann. Lxx. H. P.

Sennus Apollinea nullo minor arte, quieſcit
Dominicus, Patauí maxima pompa ſoli.
Quidquid apud priſcos heros Epidaurius herbis
Aut Chiron potuit, Sennus ad aſtra tulit.

NICOLAVS PASSARA.

De Genua Philoſophus atque medicus viuus & ſibi & Bartholomeæ vxori optimæ ſuiſq; ex ea liberis ſuisque poſteris deinceps omnibus legitimè deſcendentibus. V. P. M. D. XXII.

MODESTI POLENTONI.

Alda, matrona pudiciſſima Franciſci Bradioli Iuris C. clariſſimi filia, Modeſto Polentono marito ſuo defuncto, equiti inſigni, & I. C. excellentiſs: Xicconis Polentoni Oratoris eximij filio, monumentum ponend: curauit viuens, & ſibi tantum cum communi ara ad diuinum cultum M.CCCC.XC. XXIIII. Septemb.

IOAN: ANTONIO RVBEO.

Patricio Alexandrino, ſupremi ſenatus Subaudiæ ſenatori, equiti Comitique Cæſareo, optimo viro, & IureConſulto, & in profitendo Iure Ticini primum, deinde Valentiæ, tum Taurini, Poſtremo Patauij primum locum ſumma cum gloria conſecuto, Margarita vxor, & mœſtiſs: filij poſ: Vix:ann: LV. Menſ: III. Dies XVI. Obijt Anno M. D. XLIIII. XVI. Calend: April:

Ioannes Rubeus Iuris Conſultus & æqui
Si quis erat tota clarus in Auſonia
Hic habet oſſa, ſuos mœſtos omnesq́; relinquit
Qui norant, nimis huic Parca ſeuera fuit.
Nam natos octo, vxoremq́; domumq́; peremit,
Cum talem terris abſtulit illa virum.

ANDREAE APPELLATO BRIXIEN.

Philoſopho ac medico præſtantiſſimo mœſtiſſima Coniunx. Vix: ann: XLIX. M. D. LVIIII.

IOANN: BAPTISTAE ALBANO.

Bergomati IurisConſulto optimo Franciſci equeſtris ordinis fil: Patauium profecto, graui valetudine vita functo, annis XXVII. nato, Ioan: Hieronymus I. C. & eques inſignis in dulciſs: fratrem pius P. M. D. XLII. April. III.

IOAN: CALPHVRNII BRIXINEN.

τοῦ πάνυ ἐυσυνέτου Καλφούρνου ἔνθαδε σῶμα
φέρτερον αὖ κάνου πρόσλαβεν ἄστρα μέρος.
Calphurni cineres ſunt hic, poſſeſſor Olympi
Eſt animus, volitat fama per ora virûm.

Profeſſores literarum in Patauina Academia poſ:
Marinus Becichemus Scodienſis.
Ioannes Calphurnius Brixinen:
Raphael Regius.
Romulus Amaſæus.
Bernardinus Donatus, Venetus.
Lazarus Bonamicus, Baſſanus.

IN AEDE DIVI FRANCISCI.

ANTE ARAM SACRATISS: CORPORIS CHRISTI.

BARTHOLOMAEI SANVITI.

Legatum ad verbum humani generis ſaluatori Cui quotidiana ſacrificia, ac poſtridie ſolemni corporis Chriſti quotannis celebria perſoluantur, vtque ſibi quotannis iuſta anniuerſaria à die obitus ſui auſpicanda ſolemni ſacrificio celebrentur, vtq; Calend: Non: poſtridieque nec non iuſta anniuerſariorum die, funalia bina, ſingula ſep: pond: pro ara ſepulcro apponantur, quorum præſtandorum ergò, ædes in Serlollij vico plus minus cc. M. æſtim: ſodalitio tertij ordinis in hanc curam legauit, ex quar: penſione propterea in corporis Chriſti celebritate in vſum luminum, aurei, & ſemis in iuſta anniuerſaria. Pro aris illuminandis tantundem pendito, pro Monachorum epulo & corporis Chriſti celebritate & Iuſtorum anniuerſariorum die ſingula. In eorundem veſtiar: & ſacra ſtragula ad aram inſternēdam aure. annuos. Idib: Octob. Bartholomæus Sanuitus artium Doctor, Barbarini Archipresb: ætatis anno LXVI.

FRANCISCI FACII.

Hic ego Relligio canos religata capillos
Mœſta fleo, noſtra hic contegit oſſa lapis.

Illic &

Illic & vt carum rapuit mors triſtis alumnum
Iniecitq́; auidas in mea ſacra manus.
Iuſtitia interijt, latuerunt iura, nec vſquam
Victima grata Deo ſanguine tinxit humum.
Franciſcum Facium luget pietasq́; fidesq́;
Lætantur quamuis ſydera, terra dolet.

FRANCISCI BONAFIDEI.

AEris ad æthereas ſonitum dum ſurgit ad auras
Hac Bona Franciſcus dormit in æde fides.
Materiam medicam docuit qui Antenoris vrbem
Quæ lecta in tota non fuit Auſonia.
Cuius ob auſpicium Venetûm Reſpublica iuſſit
Vt fieret medicis hortus, vt Alcinoi.
Delicias nectens oculis, viridemq́; Mineruam
Quiq́; foret Pataui gloria, ſplendor, honos.

Obijt Anno Domini M. D. LVIIII. die XV. Februarij. Vix: ann: LXXXIIII.

CASSAND: MVSATAE.

Vxori dulciſs: & incomparabili, cum qua vix: ann: M. I. D. VII. vnanimis, Petrus Gabrielius infelix maritus, & ſibi, quò vt viuentes, ita poſt obitum vnà eſſent dolens mœrensq; poſ: M. D. VI.

Occidit impulſa ſulphure & igne pila.

ANTONIO BERARDO.

Ioannis filio Florentino, genere claro, cuius acta vitæ prudentiæ, fortitudinis, probitatis teſtimonium dedit, Laurent: frater mœrens fratri opt: P. C. Vix: ann: LVI. Obijt ſext. Idus Martij M. D. LVIII. ab Incarn:

DOROTHEO BRIGOTTO.

Ab Atria vrbe Samnitum vetuſtiſſima, Iuris Doctori conſultiſſimo, vita & moribus integerrimo, qui cum multos annos ſola animi tranquillitate ac ſtudiorum dulcedine contentus, Pataui egiſſet cum ſumma omnium beneuolentia, poſtremò, vt finis erat, acerbiſſimo ſuorum dolore deceſſit, quorum nonnulli præſentes mœſtiſs: poſ: pietatis ac meriti teſtamentum Obijt IX. Calend: Iun: M. D. LV. Vix: ann: XLII.

HIERONYMI MICHAELIS.

Hic iacet Hieronymus Michæl, ex nobili Barchinonia miles, olim Sipontinæ arcis ſeruator, Apuliæque gubernator, ſereniſs: Alphonſo & Ferdinando Regibus in humanis agentibus Ann: M. D. IIII. die verò XXIX. Martij. ſibi & poſteris.

VICTOR EX DVLCI.

Familia Feltrenſi natus, iuris Pontificij accuratiſs: interpres, hoc marmore clauditur, qui vt ſapientia noſtra claruit ætate, ita exutus vita fama nunc per beata luſtrat. Obijt M. CCC. LIII.

HIERONYMO CAGNOLO.

Vercellenſi, viro optimo, & iuris ciuilis ſcientia noſtræ ætatis eminentiſſimo, & propterea Taurin. Pædemont. dein Patauin: maiori ſtipendio quàm quiſquam alius ius ciuile magna cum laude atque omnium admiratione profeſſo, nobili genere Illuſtriſs: Ducis Sabaudiæ munere Senatorio & equeſtri dignitate perfuncto, filij ſumma erga talem patrem pietate, hoc monumentum poſuer: Vix: ann: LIX. Obijt M. D. LI. Calend. Febr.

IOAN. VERLANI DORDRACI.

Te vita egregium iuuenem, ingenioq́; bonisq́;
Artibus, ante diem mors peracerba tulit.

Ioannes cœlo quàm terra dignior, ad quod
Credibile eſt ipſos te rapuiſſe Deos.
Gerardus mœrens, mœrens Hieronymus illi
Fidi olim, hunc tumulum compoſuere tui.

τοῦ αὐτοῦ

Εἴ ποτε σωφροσύνῃ τις ἐράσμιος, εἴποτε πᾶσιν
ἤθεσι τοῖς ἀγαθοῖς ἦν νέος εὐδόκιμος.
Εἰ θεοῦ εὐσεβίῃ τις ἐτέρπετο, εἴ τις ἀμύμων:
οὗτος ὁ τυμβευθεὶς ἔνθαδ' Ἰάννος ἔην.

Quod eſt:

Si quiſpiam aliquando fuit amabilis temperantia, vel omnibus
Optimis moribus probatus adoleſcens
Si quis Deorum pietate delectabatur, ſi quis alter fuit innocens
Is fuit Ioannes hoc tumulo conditus.

CHRISTOPHORO LONGOLIO.

Belgæ Rom: ciuitatem propter eximiam in ſtudijs literarum præſtantiam adepto, ſummo ingenio, incredibili induſtria, omnibus bonis artibus prædito, ſupra iuuentæ annos, in qua extinctus eſt magno cum Italiæ dolore, cui ingentem ſpem nominis ſui excitauerat, Petrus Bembus amico ac hoſpiti poſuit. Obijt anno Chriſti M.D. XXII. Septemb. XI. die ætatis ſuæ XXXIIII.

Te iuuenem rapuere Deæ fatalia nentes
Stamina, cum ſcirent moriturum tempore nullo
Longoli tibi ſi canos ſeniumq; dediſſent.

LEONICO THOMEO.

Veneto, mitioribus in literis, pangendisque carminibus ingenio amabili, Philoſophiæ vero in ſtudijs & Academica Peripatheticaque diſciplina longè præſtanti, nam & Ariſtotelicos libros, Græcoque ſermone primus Patauij omnium mortalium publicè docuit ſcholamque illam à malis Latinis interpretibus inculcatam, perpoliuit, & Platonis maieſtatem noſtris hominibus iam propè abolitam reſtituit. Multa prætereà ſcripſit, multa interpretatus eſt, multos claros erudijt viros, præter virtutem bonasque artes tota in vita nullius rei appetens. Vix: autem ann: LXXV. M.I.D. XXVII. Petrus Bembus amico incomparabili P.C. adſcripto carmine quod ſibi viuus fecerat.

Νῦν ὄντως ἀδεὴς καὶ ἄελπις, ὑπὸ πλακὶ τῇδε
ὕπνον ἐκοιμήθην πᾶσιν ὀφειλόμενον.

Quod eſt.

Nunc verè ſecurus, & omnis ſpei immunis, ſub hac marmorea tabula
Somnum dormiui omnibus dormiendum.

PETRO ROCABONELLAE.

Veneto, Ludouici Medici fili Academiæ Patauinæ aſſertori ſummo, omnium liberalium artium medicinæ inprimis profeſſori eminentiſſimo non tam ſtudio & doctrina, quam natura & moribus in omnium rerum vſu ſapientiſs: Andreas frater & Ludouic: filius viuentes poſuere M. CCCC. XCIII. Vix: ann: LXXIIII. Philoſophiamque docuit cum Medicina ann: XL.

GEORG: HERVART.

Patricius Auguſtan: Vindelic: ex voto poſuit. Ann: Domini M. CCCC. Non: Maij.

BRTHOL: SAMNITVS.

Art: Doctor, Barbarani Archipresbyter, Ann: Salut: M.D.XXVII. anno ipſius LXVI. S.V.P.

PETRI ROCABONELLAE.

Celeberrimi D. Petri filij D. Aloyſij de Rocabonella excellentiſſimi artium & medicinæ Doctoris defuncti, ſed viuit vterque fama perenni, hic oſſa & prædeceſſorum molliter quieſcunt, reditura iterùm ſed potiora ſimul. M. CCCC. XCI.

STANISLAVS DZIERGONISCI SCOLARIS PATAVIEN: Polonus ad lectorem.

Hic poſui corpus, ſed ſpiritus aſtra petiuit
Creditus in Domini ſcilicet ille manus:
Quis fuerim, quæris? procul iſta natus ab vrbe,
Natus eques proauis quippe Polonus eram.
Vix ſtudium moresq; tuos Saturnia vidi,
Finiuit vitam febris acerba meam.
Tu memor ipſe tui, qui me mirare cubantem:
Sit mihi propicius, quæſo precare, Deus.
Si tabulam neſcis mihi quis curauerit iſtam:
Curauit, dicam, vir, mihi crede, pius.
Hic eadem monumenta gerit Laſcienſcius illis
Dicitur, in quorum eſt editus ille ſolo.

Pñs. tab: poſita eſt VII. Menſ: Auguſti M. D. XLV.

PETRO LVILLERIO.

Guilielmi Luillerij fil: equeſt: ord: viri ſummos honores in vtraque Gallia publicè adepti. Nam primùm Mediolans Senator, dein Prætor Ticini lectus, poſtea in ſuprem. ſeu collegium inde libell: in Regia Magiſt. ac Cancellarium tandem Britanniæ minoris creatus, max: cum laude magiſtratum geſſit, magnæ expectationis iuueni in ampliſs: Gall: vrbe Lutecia Pariſiorum nato, & liberaliter educato, iudicio acri, tenaci memoria, vitæ adhæc integritate & rara quadam innocentia prædito, quem cum Græcè Latineq; doctiſs: ſeueriarum diſciplinarum ergo Patauium ſe recepiſſet, his virtutibus, ſpectatisque ingenij dotibus ad paternæ gloriæ faſtigium grauiter cõtendentem, proh dolor, fata inuida vnicum matri infelici ſuperſtiti ſolatium, & patriæ ornamentum ingens properè eripuerunt. Gouberuillegus Norm: amico incomparabili, amicus integerrimus & familiaris cum lacrymis B. M. P. Vix: ann: XXII. M. V. D. V. Obijt XIIII. Calend: Decemb. M. D. LII.

HIERONYMO NIGRO.

Veneto, IurisConſulto & Canonico Patauino, Philoſoph: & eloquentia clariſs: Romæ à viris principibus propter ſummam ſapientiam & integritatem maximis ornamentis aucto: Franc: fr. & Fœlicita ſoror mœſtiſs: P. C. Vixit ann: LXV. Obijt VII. Calend. Decemb. M. D. LVII.

MICHAELIS PEGGII.

Michaeli patria Mediolano Pegiorum familia honeſtiſſimisque vitæ moribus illuſtri, immatura morte dum ætatis annum vndeuiceſimum ageret, & Cæſarei iuris ſtudio incumberet, præuento, parentes pientiſſimique fratres poſ:

Non extrema pati me fata dedere, nec aurum
Nec virtus, nec ſtemma decens, nec forma iuuentæ,
Solatur ſpes vna Deo par imagine vitæ.

Obijt die XVI. Maij M. D. XXIIII.

FABRITIO SACCO.

Quem laus tulit Pompeia
Rapuit flebiliter annus
Inſignem ſacrum dicarunt
accipere debuerant
Et iuris candidatum
Vndeuiceſimus Canoni
Mœſtiſſ: ſenes quod
M. D. XXIIII. Idib. Auguſti.

PATAVIVM.

FRANCISCO CVRTIO.

Ticinenſi, ſolius temporis honeſta auaritia extincto, vix: ann: Lxx. Ius profeſſus Patauij & Ticini.
Dein Vincentij vice Comitis Mediolaneñ. M. D. VIII.

IN S. STEPHANO.

ANTONIO LIIO.

Iuriſprudentum vertici, Patauinorum viror: optimo. Obijt ann: M. CC. VIII.

IN BASILICA EREMITARVM.

DE ERECTIONE ET DICAT: TEMPLI

In choro:

Capella hæc fundata fuit anno M. CC. Lxiii. promo die Maij.

BENEDICTI PLVMBINI.

Corpus humo, cœlis animam, famamq́ dediſti
Laudibus, & legum Benedicte Monarcha fuiſti,
Nominis effectu radians virtutis imago,
Piſanus ciuis, Plumbini clara propago,
Omnibus Italiæ ſtudijs tua lectio fulſit
Publica, dum legis hic tibi, de Libitina reuulſit.
Martia tunc orbi lux bis ſeptena nitebat,
Mille quater centum bis quinq́ annosq́ mouebat.

OTONELLI ET ALOYSII DE DISCALCIIS.

Aurea iura tui requies poſtrema laboris,
Legis amor, veri lux, Othonelle, ſequacis
Cuius erit? pariter lapis amborum oſſa vorabit,
Conſortis quoq́ cui nomen Diſcalcius errat.

Sepulcrum egregij Legum Doctoris Domini Otonelli de Diſcalcijs de Padua Iudicis, eiusque conſortis & heredum ſuorum, Conſtructum anno M. CCCC. III. die xi. Septemb.

M. IACOBI ZANETTINI.

Sacrum eximij & famoſi artium & Medicinæ Doctoris M. Iacobi de Zanetinis de Padna Phyſicam ordinariè legentis filij olim bonæ memoriæ M. Zanti honorabilis Grammatici & Rhetoricæ Profeſſoris M. CCC. Lxxxviiii. Septemb. vi.

MICHAELI CAMPESIO.

Nobili Patauino, vtriusque Iuris Conſulto Auguſtinus filius P. Anno Domini M. D. xxxii. d:e ix. Septemb.

BARTHOLOMAEI MONTAGNANAE.

Heu miſerum mortale genus, nunc clarus Apollo
Occidit & medicæ maximus auctor opis.
O quoties vitæ crudeli à funere roptos
Reſtituit, doctas applicuitq́ manus.
Hippocrates ceſsit medicus; diuusq́ Machaon
Hinc & Coronides Phillyridesq́ ſenex
Bartholomæus eo eſt defunctus munere, quò non
Gloria, ſed tantùm membra ſepulta iacent.

MVSSORVM.

Galbertinus ego quondam de ſtirpe Muſorum
Hunc mihi conſtitui tumulum proliq́ meorum

Intra ia-

Intra iacet corpusq́ meum, Iacobiq́ nepotis,
At mentes noſtræ nunc cœlitus aſtra reuiſunt.

IBIDEM.

CHRISTVS *AVGVSTINVS* *MARIA*
Hic paſcor à ſanguine. Hic lactor ab vbere.
Poſitus in medio, quo me vertam neſcio.

CORTVSIORVM.

Syuano Cortuſo, ſplendidiſſimo equeſtris ordinis viro, & patri ipſius Albergeto atque Matthæo auo, cæterisque proauis Cortuſijs equitibus H. M. S.

Oſsibus elegit domus hanc Cortuſia ſedem,
Elyſium petijt ſpiritus inde ſolum.
Filius hic proauis, & auo caroq́ parenti
Atq́ nepotibus hæc buſta dedit propria.

HILARII SANGVINACII.

Militis Hilarij, quem Sanguinacia origo
Protulit, hoc tumulo marmoris oſſa cubant.
Hunc domus, hunc mores, hunc virtus nobilitauit
Plurima, qui Patauæ vixit honos patriæ.
Claruit officijs multis, Banonia dignum
Hunc vocat, & Floris præſes in vrbe fuit.
Omnibus his mundo magna cum laude relictis,
Verum eſſe aſpiciens, mens ſuper aſtra volet.
M. CCC. LXVII.

MARINI PERAGAE.

Laudibus inſignis Iacobinus viuere dignus
Occubuit ſtrage febris de ſtirpe Peragæ.
Hanc tibi iacturam gnate Baduaria duram
Progenies ſentis, Venetæ clariſsima gentis.
Cum quater denos poſt Chriſtum mille trecenos
Duceret in tauro Sol annos purior auro.

RAYMVNDI SOLYMANNI.

Antra quid hæc, cinerumq́ locum ſtudioſe viator
Inſpicis? vt videas dira trophæa necis?
Raymundus Solymannus, erat cui nomen auorum
Inſigne, hæc humili buſta reliquit humo.
Verus Arimundi Solymannus amicus, amicis
Hic promptum auxilium conſiliumq́ fuit.
Pauperiem miſerans ſpecialiter aſtra petiuit
Mente, ſed hac tegitur carne ſepultus humo.
M. CCC. LXVII. III. Octocr.

ALTERIVS SOLYMANNI.

Solymanni ex Patauinorum patre familias, Iuris ciuilis & Pontificij conſultiſs: VII. vir pontif: ærar: ingenio & fide probatiſs: vix: ann: LXVI. M. VII. D. IX. horas III.

FRANCISCI GVIRINI.

Viri illuſtris, architecti clariſs: ingen: morib. doctrinaque præditi ciuis Patauini Caſſandra coniunx amantiſs: pientiſs: in memoriam M. P.

FRANCISCO VENERIO.

Patauino, Nicol: fil: ſuisque ſucceſſoribus Maria mater Adrionaque vxor cariſs: pientiſs: poſ: Ann: M. D. XIII. Die XIII. April.

FRANCISCO MALCHIOSTRO.

IureConſulto Parmenſi clariſs. in Patauino gymnaſio publicè profitenti, ſicarij manu crudeliter extincto Borchardus Malchioſtrus frater mœſtiſs. poſ. anno M. D. VII. Octobr. VII.

IACOBI FORLIVII.

Forliuius iacet hic Iacob quo clarior alter
Non fuit in Latio, non Græcia doctior illo.
Alter Ariſtoteles, Italis Hipocras fuit alter
Olim qui terras fama, nunc ſydera luſtrat,

Obijt anno M. CCC. XIII. die XXII. Febr.

ANGELI MARINI.

Viator hic ſita ſunt oſſa Angeli Marini, egregiæ innocentiæ & doctrinæ, qui ciuile ac criminale ius ſepties cum gloria reddidit Antenodoribus. Palingeneſiam exſpectat mundi principibus ignotam, Vale.

PAVLI ZABARELLAE EPISCOPI ARGOLICEN.

Doctus adit cœlum facundo carmine Flaccus
Et ſtella Euganei lumen vterq; ſoli
Nomen ad æthereum Pataui lux mittit Olympum
Romanæ princeps Liuius hiſtoriæ.
Paulus in eloquio Corneli numine cœlum
Poſſidet, Aonias hinc ſacer ambit aquas.
Quantum alijs igitur numeris, autore ſoluto
Anthenor debet, tam Zabarella tibi.

Obijt M. D. XXV. die XXV. Iulij.

DVORVM FRATRVM LEONVM.

Qui patris & patriæ decus & ſpes vnica grande
Aonidum ſpecimen, ſi ſupereſſet erat.
Nomina habens iacet hic Antonius alta Leonum
Heu nimis heu nerunt ſtamina manca Deæ.

M. D. XXXIIII. prima Auguſti.

Omnia mors æquat.

Carus me genitor moribus optimis
Ornabat: nec eram peior ab indole,
At mors improba me ſurripuit patri
Græcas & Latinas vt didici notas.
Venturi decoris forſitan inuida
Et fratri comitem me peperit meo.

M. D. XVII. Septemb. III.

DVORVM IVVENVM GALLI ET POLONI.

Siſte, legas iuuenum crudelia fata duorum,
Alter aqua perijt, turpiter alter equo.

M. D. XXXIX.

LVDOVICO A LEONROT.

Et Diethofen equiti Franco, adoleſcenti, & ſummo inter ſuos loco nato, & natura modeſto, qui cum in hac vrbe ſtudiorum gratia non tantum Germanis popularibus ſuis, ſed hominibus Italis etiam carus viueret, febri oppreſſus feruentiſſima interijt VIII. Id: April: Anno M. D. LVII. Ioan: Georg: à Leonrot patruus, & Philippus frater mœſtiſs: p. c.

IOAN-

IOANNIS PASSARAE.

Artibus egregijs veris medicatibus ingens,
Famoſus doctor, notus in vrbe fui.
Ianua me genuit, ſtirps Paſſara clara, Ioannes
Nomen erat, fragilem quem breuis vrna tenet.

STEPHANO LAMBERTO.

Ioannis Baptiſtæ patricij Lucenſis filio, qui ob incredibilem morum, & ſingularis ingenij præſtantiam, aſſiduosque in ciuili ſtudio labores nulli vnquam dum viueret creditus eſt vitalis Patauij defuncto parentes Michælq; fr: mœſtiſs. poſ: M. D. LVIII. Calend: Maij ætatis ſuæ climacter: XXI.

BEATRICIS PALAVICINAE.

Hic iacet recolendæ memoriæ Dña Beatrix de Palauicina de Parma, Marchiona Verrani & Pelegrini quæ obijt Anno Domini M. CCCC. XXXVII. die XXII. Ianuarij.

EDVARDI CORTENAVV.

Egregius & ſtrenuus bonæ memoriæ miles Dn. Eduardus Cortenavv, Anglicus natus, illuſtris comes, inclyti Regis Angliæ Sororius.

FRANCISCI DE MAIARDINIS.

Iam requies ſperata diu cariſsima venit,
Oſſaq; iam feſſa in terris ſint marmore preſſa.

IRONDI ZARMELINI.

Hoc ſitus eſt tumulo ſubita nece raptus Iroldus,
Qui Zarmellinæ gloria gentis erat.
Ante ſuos annos præcox prudentia venit,
Et nullius egens laudis inopsq; fuit.
Si tamen ille ſuis qui dulcem linquit amorem
Non moritur, non eſt mortuus ille ſuis.

M. D. XL.

ANDREAE CHMALCZOVOSKII.

Epitaphium Reuerendi ac generoſi Domini Andreæ Chmalczouoskij, Cantoris Vitileñ. Eccleſiæ, ſcholaris Parauini.

Ceruicem mihi fregit equus dum ludo, ſodales
Hunc cineri tumulum compoſuere meo.
At vobis vel ob hoc meritum dent fata reuerti
Omnibus in patriam, quod vetuere mihi.
Curauit tabulam nobis Laſcienſcius iſtam
Quem meritis faciant creſcere fata ſuis.

Anno Domini M. D. XLV. Menſ: Auguſt. VII.

BERNARD. FORTIBRACHIVS.

Inſignis tribunus Venetorum illuſtris Bracij eorundem Venetorum Ducis filius, Obijt Anno ſalutis M. D.

BEATRICI TVRRIANAE VERONEN.

Vxori incomparabili VII. natorum matri, medio æuo partus difficultate præreptæ, Hieronymus Turrianus Veronen. Medicus viduati thori mœrore dolens maritus ſuperſtes P. H. M. H. S.

IACOBO BARONI.

Libero ex antiqua Stubenbergia familia orto, qui cum ſexennium fermè honeſtiorum ſtudiorum cauſſa Patauij verſatus, ac tandem febri XXVII. Febr. extinct: fuiſſet frat. mœſtiſs: poſ: M. D. LIX. ætatis ſuæ XVIII.

PAVLI

PAVLI VENETI.

Hic iacet ſacræ Theologiæ Doctor clariſs: & Philoſophiæ Monarcha Magiſter Paulus de Venetijs ordinis Eremitarum S. Auguſtini Qui obijt Anno Domini M. CCCC. xix. xv. Menſ: Iunij. cuius anima in pace requieſcat.

Vir Patauiperit hic, Vtinum tulit, iuit ad vrbem
Adriacam puer, hinc nomina Paulus habet.
Doctus Ariſtoteles dubios exponere ſenſus
Audet, & AEgidium carpit vbiq; potens.

ALBICI MALASPINAE.

Hæc eſt ſepultura Albici quondam Malaſpinæ, de Malaſpinis de Florentia & ſuorum ſucceſſorum.

MEDII COMITIS IC.

Heu decus, heu pietas, vtriusq; heu gloria iuris
Hac Medius Comes Doctor ſepelitur in vrna,
Qui, ſua clauſiſſent ſi tardius ora ſorores,
Maximus Italicas fama volitaret in vrbes.

M. MANTVAE IC. præclarum & inſigne monumentum.

M. Mantua Benauid: Patauinus I. C. Ioan: Petri filius ex præſentibus futura proſpiciens præter cætera monumentum hoc S. V. P. C. Menſe Maio M. D. XLVI.

IN COMMVNI GERMANORVM SEPVLCRO.

Ne plores hic amiſſos Germania natos,
Tempore quemq; ſuo fata locoq; manent.
Felices ne conſpicerent incendia mundi,
Ante mori ſummum qui potuere diem.
Cum nutante breui cœlum dabit axe ruinam
Et tandem falſum non ſinet eſſe Deum.

Anno Domini M. D. LII.

Conſiliario Nicolao Ribeiſen: Procuratorib: Melchiore Haintz & Carolo Bombergo. Carminis autore Ioanne Ricchio Annoberano Poëta & Oratore.

AD IMAGINEM CHRISTI.

Virgo parens hac luce hominemq; Deumq; creauit
Mater dans homines noſcere virgo Deum.
Fit fabricator opus, ſerui Rex induit artus,
Mortalemq; domum viuificator habet.
Ipſe ſator ſemenq; ſui matriſq; creator,
Filius eſt hominis, qui pater eſt hominum
Bis genitus, ſine matre opifex, cum matre Redemptor,
Amplus vtriſq; modis, amplior vnde minor.
Sic voluit naſci domuit qui crimina mundi
Et mortem iuſsit mortuus ipſe mori.

THEOBALDI CORTELERII.

Hunc morum grauitas, ſenſus, legumq; corona
Perdidit hæc titulis quem tegit arca virum.
Carrigeræq; domus Legato tunc morienti
Et pœnæ & culpæ Papa remiſit onus
Quem procul à patria immitis mors abſtulit vrbe
Sors melior Patauo reddidit oſſa ſolo.

Te Theo-

Te Theobalde fleat ſtirps Cortelleria natum:
Oretq; vt ſupero gaudeat alma polo.
Obijt Anno M. CCC. Lxxx. die xx. Auguſti.

ANTONII LVDRI.

Muſicus, artiſta, Doctorq; Pariſius iſte
Sub cæſo Antonius marmore carne iacet.
De Lydo genitus mens cuius gaudet in aſtris
Famoſo laudes nomine mundus habet. M. CCC. Lxxxv.

Dein Franciſci Saluij I.C. tumul:

THEODORICI MOLLERI.

Patricij Hamburgen. ingenij & ſummæ expectationis I. C. anno M. D. Lxiii. defuncti ætat: xxix. anno nondum completo.

IN AEDE CARMELITARVM:

PETRO TRAPOLINO.

De vico aggeris nobili genere nato Philoſopho & Medico celeberrimo qui vixit annos Lxiii. Dies xx. Et Mariæ eius vxori, Alex: filius & Mar: Anton: & Petr: pijſſimi parenti opt: ac maiorib: ſuis viris clariſſ: qui hic ſepulti iacent, & ſibi ſuisq; omnibus poſ: Anno ſalut: M. D. X L i i i.

IACOBI VENETI ARCHITECTI.

Iacobo Veneto horologij miræ pulcritudinis cum totius cœli curſu magiſtro, æſtuarijs exhauriendis fluminibus multum à principe & patribus adhibito, quem ciuitas vniuerſa fecit plurimi, viro ingenij magni rectique Ioan: Paulus f. patri benem: poſ: Anno M. D. xxxiiii.

Quicquid habes hodie, cras te fortaſſe relinquet,
Aut modo dum loqueris deſinit eſſe tuum.

NALDI.

Naldus ego hic iaceo, monumentum & gloria belli
Non leuis Auſonios inter habenda duces.
Aſſuetus bis centum equites in omne periclum
Bis ternas peditum ducere centurias.
Flaminiam medio furibundi ardore Gradiui
Ingenio rexi, ſeruoq; ab hoſte manu.
Anglum dum premerem, ac intus premerentur Iberi
Tranſfixit pectus plumbea maſſa meum.
Vixi luſtra nouem, genuitq; Fauentia mater
Vrbs Patauii ſepelit, me genuit Italia.
Anno M. D. xxviii.

BABONO NALDO.

Viro & prudentia & probitate claro, qui multos annos nobiliſſ: Venetorum Imperio pedeſt: copias ducens, operam fidemque ſuam ſtrenuè præſtitit. Paulus ac Dyoniſius filij ſuæ in eum voluntatis teſtimonium id ponendum curauerunt. Vix: ann: Lxx. Obijt prid Idus Aprilis M. D. XLIIII.

HIERONYMO CONTELLO.

Barth: filio ciui Rom: priſcæ virtutis viro, qui omnibus ob multas animi ſuauitates iucundus, propinquis vero ac familiaribus ſuis ſummis officijs ac ſæpius communicatis fortunis perutilis fuit, honeſti ocij deſiderio hic ſextum iam commorans annum, infelici caſu, maximo ſuorum Patauinorumq; ciuium mœrore ereptus, Barthol. frat: iuſſu amicorum benem: poſ: Anno &c. LI obijt Calend: Maij M. D. LV.

ANTO-

PATAVIVM.

ANTONII BOLOGNAE.

Lux Antenorei laris decuſq́;,
Martis gloria, cui parem peracta
Nec præſentia nec dabunt futura
Sæcula, Euganeo dolente cœtu
Hic Antonius eſt ſitus Bologna.

MATTHAEO ROYNE.

Burgien: quem Senatus Venetus propter fidem ſingularem, & rei militaris cognitionem ſemper carum habuit, Alba vxor mœſtiſſima poſuit M.D.XXXIII.

IN FANO ARENAE.

Hic locus antiquo de nomine dictus Arena
Nobilis ara Deo, ſit multo nomine plena.
Sic æterna vices variat diuina poteſtas:
Ecce domus gentis fuerat quæ maxima diræ
Diruta conſtruitur, per multos vendita mirè,
Qui luxum vitæ per tempora læta ſecuti
Dimiſſis opibus, remanent ſine nomine muti.
Sed de Scrouegnis Henricus miles honeſtum
Conſeruans animum facit hic venerabile feſtum.
Namq́; Dei matri templum ſolemne dicari
Fecit, vt æterna poſſit mercede beari.
Succeſſit vitijs virtus diuina prophanis
Cœlica terrenis, quæ præſtant gaudia vanis.
Cum locus iſte Deo ſolemni more dicatur
Annorum Domini tempus nunc tale notatur
Virginis infeſto coniunxerat ordine palmæ.

DE PETRO HENRICO II. ET IACOBO SEROVINIIS.

Inclyta progenies iacet hic Serouinia Petrus
Armis atq́; animis, integritate, fide.
Dignaq́; iuncta viro eſt Antonia coniuge tanto
Clara quidem facie, clarior ingenio.
Duxit amor parilis longo concorditer æuo
Coniunctos, & nunc hæc habet vrna duos.
Hoc pateris, quiſq́; huc ſi lumina flexeris, ora
Numen, vt amborum molliter oſſa cubent.

LOMBARDI SERICI IVXTA ARAM D. VIRGINIS.

O Regina lucis almæ ſyderum,
Intacta parens, puerpera virgo,
Salutiſq́; noſtræ digna propago,
Parce iam parce mitiſſima, quæſo,
Hanc animam Chriſto redde benigna
Et miſerere canentis Oſanna.

Hoc Epigramma, lector, implorat, huic ſaxo vt commodes animum, Deumq; vltrò ignoſcere Chriſtum roges. Vates Petrarchæ auditori Lombardo Patauino, qui diem ſuum clauſit extremum. M.CCCC.XC.

MONTANARII POETAE.

Sententiæ Montanarij admodum lepidæ, ſingulæ ſingulo verſu comprehenſæ.

Qualis

Qualis conuictus, talis formatio morum.
Nemo quidem nunquam, quantumlibet Argus, aberrat.
Auget non minuit mala conſuetudo reatum.
Gens ſine Iuſtitia, ſine remige nauis in vnda.
Multa fidem paucis adimunt mendacia veris.
Quidquid nocte tegunt tenebræ, Sol mane reuelat.
Accendit culpam facilis dimiſsio pœnæ.
Vix poſſunt malè cœpta bonum contingere finem.
Cautius eſt quando grauiora timentur agenda.
Diligitur tector ſcelerum, deprênſor oditur.
Furari famulos Dominus compellit auarus.
Res eſt difficilis caſtam benè ducere vitam.
Nulla ferè maior quàm caſtè viuere pugna.
Sola namq; ſuum finitur morte duellum.

IN AEDE SANCTAE SOPHIAE.

LVDOVICI CORTVSII.

Aſtra Ludouicus ſcandens hoc marmore clauſum
Me liquit buſtum, carcer vt eius eram.
Cognomen Pataui conceſsit Cortuſiorum
Stirps, legum & Canonum dilucidauit opus.
Vtraq; iura viris miranda volumine paruo
Stant Alphabeto nomine nota ſuo.
Ergo Galaſiæ radiat in Zona Mariæ
Funde preces iuſtas qui legis iſta, Vale.

ISABETHAE BONFIAE.

Inſigni probitate iaces fidiſsima coniux
Iſabetha, meæ maxima pars animæ.
Mors tulit vna duos, te prima parte iuuentæ,
Et nondum natum ventre necat puerum.
Quid moror, infelix? cur non & veſtra ſecutus
Fata, cado? eheu bis virq; paterq; miſer.
Bonfius extremum vobis hæc munera triſtis
Et pater & coniux reddit Aloyſius.

ANDREAE TAVRELLO.

Fanenſi patre Lælio I. C. matre Lia Marcolina Fanenſib: qui dum Patauij honeſto ſtudio legum operam nauat, ab amico clam hoſte nulla cauſſa interemptus eſt, annum agens XXI. Menſ. III. Dies XXVI. Franc: frat: mœſtiſs: p. c.

BENEDICTI LIGNAGI.

Grammaticæ Doctor, interpres Rhetoricorum,
Sermonum prorſus non ignorans Logicorum,
Marmore Bendictus tegor hoc ego ſalariatus
Grammaticæ ſtudio Paduæ quondam Cathedratus
Bononiæ portu Lignagi natus & ortus.
Ora pius pro me, ceſsi, ceſſere priores,
Quanticunq; forent cuncti cedentq; futuri.
Felices mundo qui cedent crimine puri.
Sum, quod eras, quod es, ante fui, rota non retinenda
Voluitur, inuigila prudens nec differ agenda.
Annua diuina fient mihi fercula bina.
Fratribus apponat prior vt legatio donat.

BAPTISTAE CVRTIO.

Græcè & Latinè docto, vix: ann: xix. obijt xxviii. Nouemb. M. D. xxix. Beneuenta Getiæ matri, & Bernard: & Georg. fil: eius parmen.

ALBERTI APRONII.

Iure Conſulti qui obijt M. CCCC. ix. vii. Octob. Quod benè clauſum eſt, benè promitur.

IN DIVO BERNARDINO.

CHRISTOPHORO RICINENSI.

Medico celeberrimo, & Philoſophorum inclyto, quem vniuerſa Italiæ Gymnaſia peripatheticæ ſcholæ principem luxerunt. Vix: ann: Lvi. Menſ: vii. dies xxvi. Deceſſit Anno M. CCCC. Lxxx. iii. Cal: Febr:

THOMAE BVCLONDI ANGLI.

IN DIVO HIERONYMO.

DE AEDIFICATIONE TEMPLI.

Hæc in honore piæ domus eſt conſtructa Mariæ,
In qua deuotæ dominæ ſtant vrbe remotæ,
Mille quatercentum Domini labentibus annis.
Hæc autore manent Paduano de Ricoletis.

FRANCISCI ROSEI.

Brixia quem genuit Franciſcus clauditur vrna.
Cognomen Roſeum qui tulit à patribus.
Dum petit Euganeos ludos viſurus equeſtres,
Mox immatura hunc fata dedere neci.

IN DIVO LAVRENTIO.

VALENTINO GRAEVIO.

Aliàs Bacfort è Tranſyluania Saxonum Germaniæ Colonia oriundo, quem fidibus nouo planè & inuſitato artificio canentem audiens ætas noſtra vt alterum Orphea admirata obſtupuit.

Amphion Orpheus & Arion pſallere docti
Credentur meritò te genuiſſe Greui.
Aut illos potius docili teſtudine quondam
Effinxit genij diua Minerua tui.
Quid rear? in te vno plus quam Genialis Arion,
Orpheus, Amphion, nempe videndus erat.

Obijt Ann: M. D. LXXVI. Idib: Auguſti. Vix: ann: LXIX.
Natio Germanica vnanimis: & teſt: execut: p.

T. LOVATI.

Paduani, militis, iudicis & poëtæ, obijt à nato Chriſto M. CCC. IX. ſeptimo die intrante Martio.

Id quod es, ante fui, quid ſim poſt funera, quæris?
Quod ſum (quidquid id eſt) tu quoq; lector eris.
Ignea pars cœlo, cæſæ pars oſſea rupi,
Lectori ceſſit nomen inane Lupi.

IBIDEM circa Baſim.

Mors mortis morti mortem ſi morte tuliſſet,
Hic foret in terris, aut integer aſtra petiſſet.

Sed quia diſſolui fuerat ſic iuncta neceſſe,
Oſſa tenet ſaxum, melior pars gaudet in Eſſe.

IN TVMBA ANTHENORIS.

Inclytus Anthenor poſt diruta mœnia Troiæ
Tranſtulit huc Henetum Dardanidumq; fugas.
Expulit Euganeos, Patauinam condidit vrbem,
Quem tegit hic humili marmore cæſa domus.

Reperto Anthenoris ſepulcro dum fundamenta Xenodochij domus Dei expoſiticis infantibus dicatæ in deaurato ipſius enſe hi verſus inciſi fuerunt: Anno 1273.

Cum ſuper A ſumes primum tibi Dardane gramma
Auxilium à ſuperis ſubito tibi nomine Clama
Heu Patauum qui te profugus conſtruxit ab igne
Multoties tali peſte ſubiecta malignè
Mors cita, vita breuis, Patauos in pace volentes
Viuere non paſſa eſt, genus hoc fatale ferentes
Admonet, & punit nullo diſcrimine ciues.

Hoc vaticinium Patauini veriſſimum experti ſunt tempore Attilæ, Agiulphi, Acciolini &c. Andeſij, Alberti Scaligeri, Andreæ Nerei prætoris Carrarien: & omnium eorum qui ab A initium nominis habuerunt, & Patauio potiti ſunt. Albertus Scaliger hunc enſem ad ſe recepit.

IN DIVO BENEDICTO.

MAR: NIGRO THEOLOGO.

Pontificij Cæſareiq; Iuris Conſulto excellentiſs. Anſerienſi Cherſique Epiſcopo religioſiſs: ac pientiſs: ſacrum Anno ſalutis M.CCCC.Lxxxv. Calend. Augusti xiiii.

IORDANI FORZATEI ABBATIS.

Tu Iordanus eras generoſa ex ſtirpe creatus
Forzatea, meritis quem noſtra tulere beatum
Sæcula, feciſti hæc quod templa duo Benedicti
Rexiſtiq; Abbas, tua ſic nunc oſſa coluntur.

Obijt Anno M.CC. xxviii. vii. Idus Auguſti.

BEATI COMPAGNI.

Hic in hac capſa iacent oſſa vel corpus Domini Compagni primi prioris Sanctæ Mariæ de Porcilia qui obijt Anno M.CC. Lxiii.

AD FORNACES BIBLIOTHECAE.

Has domus conſtrui fecit clariſs: artium Doctor, Dominus Franc: Patauus Eugenij IIII. Cubicularius, egregijque ciuis Leonardi de Lignamine filius Anno M.cccc. XL. quo ab ipſo Eugenio Prior Sancti Benedicti conſtitutus eſt.

SIGISMVNDI BRVNELLI.

Mæſta Sigiſmundum Brunellum hic condidit vxor,
Qui quondam ſacri gloria iuris erat.
Quem Pataui Canones vigeſima bruma docentem
Et ſtantem prima viderat in Cathedra.

BARTHOLOMAEVS DE ZACCHIS.

Nobilis miles D. Franciſ: eius filius M. CCC. I.

HIERON: ZACCHI.

Hieronymum ſaxo hoc Pataui lugete ſepultum
Qui fuit ex Zaccho ſanguine clarus eques.

Moribus ornatus, ſcelerum contemptor & vltor
Euganei vixit gloria clara ſoli.

ANNAE BVZZACHARINAE.

Hoc tumulata iacet buſto Venerabilis Anna,
Egregio Patharo ſata milite Buzzacharino
Quæ fuit iſtius prudens, iuſtiſsima, ſolers
Abbatiſſa loci, peragendis docta virago,
Norma pudicitiæ, fulgens exemplar honeſti,
Adiutrix inopum, virtuti ſemper amica,
Ipſa quaterdenis ac vno præfuit annis
Huic fano, cunctis moderatrix, grata ſacerdos,
Nam rexit Monachas tam iuſtè tamq; benignè
Quod ſua perpetuo bonitas recitabitur æuo.
Iura Monaſterij, prouentus auxit, & aram
Hanc ſtruxit, nec non reparauit prædia multa:
In quo tot fuerant probitates corpus obiuit
At ſua mens ſupera fruitur beatiſsima luce.

Hic iacet generoſa & ſpectabilis Domina Anna olim recolendæ memoriæ nata ſpectabilis atque generoſi militis Domini Pathari de Buzzacharinis Dei gratia Abbatiſſa Sancti Benedicti de Padua Obijt Anno Domini M. ccc. xcvii. die Mercurij vii. Febr: cuius anima requieſcat in pace:

IN DIVO BARTHOLOMAEO.

MOROSINAE PETRI BEMBI CONCVBINAE.

Moroſinæ Torquati Bembi matri viii. Id. Aug. M. D. xxxv.

MARCO VNGARIO.

Patauino hic Vicario, Bernardinus Scardeonius Barthol: Caligarius, Aurel: Scapinus hoc ſempiternum amicitiæ monumentum B. M. P. Obijt ann: natus LX. Chriſti M. D. XLII. Non. April.

BERNARDINO DANIELI.

Lucenſi poëtæ Rhetorique Clariſs: qui Hetruſcos vates inprimis coluit, quos & nunc in Eliſijs comitatur Petr. Carrarius ac Ioan: Baptiſta Rota Patauini vnanimes hoſpiti benem: P.

IOANNIS CRIBBI.

Heu iacet hic teneris ſenſu maturus in annis
Et grauis ingenua Cribborum ex ſtirpe Ioannes,
Moribus inſignis, titulis ornatus opimis:
Rectus in aduerſis, patiens humilisq; ſecundis.

MARTIAE VBERTAE.

Vir tua Ioannes Antonius oſſa reponi
Hoc iubet Vbertus Martia Sarrophago.
Ante diem raperis numeroſa prole relicta,
Flenda diu natis flenda quieſce viro.

HIERONYMI PANNICI.

Perſica ad hæc oblata tuis ne reſpice menſis
Cortiſis aſt iſtud fronte quod ipſa gerunt.

NICOLAI ZANNOTTI Montagen: I. C. 1403.
IVLII ARNOSTI Maſæi F. Ceneten: 1538.

IN D.

IN D. PETRO.

DE FVNDATIONE TEMPLI.

Præſulis eſt templi finitio tempore Petri
Milo fundauit vir præſul & Imperialis.

Anno M.C. Obijt anno M. C. xix.

VVOLFGANGO SCVRFIO.

Germano adoleſcenti optimo, quem non ſine magno dolore ſuorum quibus præclaram ſpem nominis ſui excitauerat, mors immatura ſuſtulit. Sebaſtianus Zot à Perneck ſtudiorum ſocio de ſe benemerenti poſ: Obijt II. Non. Sextil. ἀπὸ τῆς θεογονίας M. D. xxxvII. ætat. xIIII.

CAROLI GRAVII.

Germani hic oſſa ſita ſunt, qui dum ſtudiorum gratia Patauium veniſſet, febri correptus ſtudiorum ſuorum curſum perficere non potuit, ſuaque morte dolorem amicis reliquit Anno M. D. XLV.

DOMINI TISI.

De Campo Sancti Petri ſepultura.

ANTONII BASSIANI.

Antonius Magius Baſſianus I.C. ſibi & Catharinæ coniugi fidiſs. V. P. M. D. xx. ſi vltra ſcire cupis patriam, Pata: Veron: Crem: Rauen: Vtin: Taruis: Berg: Rod: Crem: percunctator.

IN S. MARIA DE AVANZO.

CASSANI MEDICI.

Hic dedit antiquæ quod erat mortale parenti
Caſſanus medicæ maximus artis honos.
Is Pedemontanæ tantum decus attulit oræ
Quantum olim Chois ciuibus Hippocrates.
Ecce ſeneſcenti inferior, ſed magnus Apollo
Dum timet, heu cœlo maluit eſſe parem.
Conditur hic corpus terreno carcere liber
Spiritus aſtra colit, fama per ora valet.

M. D. XLI. die Octob. XX.

DANIELIS SCOTI.

Hic iacet Reuerendus in Chriſto Pater D. Daniel de Scotis de Taruiſio Epiſcop: Concordiens: ac Domini noſtri Eugenij Papæ IIII. Theſaurarius, qui obijt XI. Iulij. M. CCCC. XLIIII.

IN AEDE D. ANDREAE.

D. BARTHOLOMAEI DE BVLLEO.

Egregij militis & legum Doctoris ſepultura. Obijt exiſtens Capitaneus Florentiæ M. CCCC. XXIII.

IN AEDE D. PAVLI.

ANTONIO BOROMAEO.

Legum artium & Theologiæ excellentiſs: equiti & comiti digniſſimo monum: hoc Lomborda de comitib. vxor heredesque poſuere Anno à nato Chriſto M. D. IX. IIII. Calend. Ian:

IN BASILICA D. CANTIANI.

M. D. LXXIIII. arſit Padua.

BARTHOLOMAEI DE CAMPO.

Eclipſatur apex medicinæ lux medicorum
Hic extincta iacet, celebri grauitate verendus
Bartholomæus erat genitus cognomine Campo.
Fato huius deſertus ager, viduatus Apollo
Et ſtudioſa tribus mixtim ſua damna queruntur.
Accedat querulis huc poſtera planctibus ætas
Hunc tantum lugere virum, qui mente quieſcit
Cum Ioue, ſtet titulis viuax ſua fama per æuum.

IN BASILICA S. MICHAELIS.

Dominus Conon de Calaone huius Monaſterij conſtructor
ANNO Dn: M. C. V.

HIERONYMO STEPHANELLO.

Dominici F. Patauino, qui diuino quondam iudicio tum rem medicam exercendo, tum Philoſophiam annos xx. in hoc Gymnaſio maxima omnium admiratione profitendo, adeo de omni genere hominum promeritus, vt diem functus, non ſuis modo ciuibus ſed vniuerſæ Italiæ exteriſque gentibus æternam ſui nominis memoriam reliquerit. Obijt ann: M. D. LIIII. ætatis ſuæ LIIII. Marianus frater Philoſophus & Medicus poſ.

IN AEDE D. DANIELIS.

Hic requieſcit Martyr Daniel Leuita.

ROLANDINI GRAMMATICI.

Grammaticæ Doctor ſimul artis Rhetoricarum
Rolandinus eram nunc Rege iubente Polorum
Vermibus hic eſca iaceo, quam tu tibi ſortem
Qui legis expecta, neq; fas tibi fallere mortem.
Et benè ſcis quod tu finem non effugis iſtum
Ergo roga tibi, poſtq; roga mihi parcere Chriſtum
Mille ducentenis Chriſti currentibus annis
Tunc ego natus eram, ſed ab his poſt ſeptuaginta
Sex, ſimul alma piè redimit dum feſta Maria
In Februi menſe, cœli peto fercula menſæ.
Rex pie, rex cœli nati miſerere fidelis,
O primum flamen tuus hic ſit ſpiritus, Amen.

ANGELO BEOLCO

Ruzanti Patauino, nulli in ſcribendis agendiſque Comœdijs ingenio facundia aut arte ſecundo, iocis & ſermonibus agreſt: applauſu omnium facetiſs: qui non ſine amicorum mœrore è vita deceſſit Anno Domini M. D. XLII. Die xvii. Martij ætat: XL. Ioan: Baptiſta Rota Patauin: tantæ præſtantiæ admirator pignus hoc ſempiternum in teſtimonium famæ & nominis P. C. Anno M. D. LX. à mundo redempto.

MARCI GVACII.

Mantua mî patrem, Venetumq; vrbs inclyta matrem
Natale Eugenij, Guacia ſacra lares.
Datq; Leo nomen Chriſti qui myſtica narrat,
Dat ſtudium Pallas militiamq; mihi.
Obijt Anno M. D. LVI.

IBIDEM ſub porticu ad Xenotrophium.

Prudens reſplendens vir nobilitate Ioannes,
Cuius virtutes creſcunt vt fontibus amnes,
Iuſtitiæ rector fatali lege coactus
Deceſſit, miſeros terrenos liquit, & actus
Abbatis; dictus fuit archipresbyter vrbis
Pataui, cuius famam bene concinit orbis:
Hoc Xenotrophium ſtruxit ſancti Danielis.
Expenſis largus, perſiſtens mente fidelis,
Hoſpitibus dignis domus hæc habitanda paratur,
Quæ deuota Deo ſancto Daniele dicatur.

IN D. IACOBO.

SPAZARINI.

Danieli Spazarino parenti Ioann: Dominicus ſcriba Reip: Patauinæ.

IN AEDE D. NICOLAI.

IORDANI SFORZATI MILITIS.

Militiæ titulis, & auorum ſtirpe vetuſta
Sforzate Iordanus Patauum clariſsimus vnus
Pectore, conſilijs, dextra, quoque ſtrenuus armis
Heu ſcelus, anguſto tantus vir clauditur antro
Vitæ menſus iter, ſex denos mille trecentos
Adderet & ſeptem, partus dum virginis annos
Martius & decimo luſtraret ſæcula Phœbo.

IN RVRE LEONIS.

DANIELIS LEONII.

Annis mille Dei tercentis ſeptuaginta
Octo poſt partum virginis hic obijt.
Tumque dies menſis viginti cum daret octo
Auguſti ſolitis legibus ordo fluens
Progeniti clara Danielis ſtirpe Leonis
Terrea pars tumulo conditur alma polo.

IN TEMPLO D. ANNAE.

ALOYSIO BENETELLO.

Patauino ſummę ſpei adoleſcenti morum probitate, ingenij celeritate nulli poſthabendo, pictorique ſupra ætatem egregio, cuius opera, niſi acerba atque immatura opera interceſſiſſet, cunctis alijs celebrioribus dubio procul æquiparanda forent, febre autumnali feruentiſs: oppreſſus interijt die Mercurij XXVII. Martij, M. D. LV. ætatis ſuæ XXI. Ioan: Baptiſta Rota Patauin: amico incomparabili Anno M. D. LX.

IN PHANO D. LVCIAE.

IOAN. MINELLVS.

De Pardis ſculptor egregius viuens ſibi poſteriſque ſuis poſ: M.D. XXVII.

DE FRANC: POCIVIANO

IOAN: SAMBVCVS.

Qui calami ductu mouerunt pingere Mauri
Ceſſerit illorum non ſtudioſa manus
Hunc ego mirabar quum primum fronte polite
Scribere vidiſſem cultaq́ multa daret
Dextera non vllis iam commoritura diebus
Viuet in abſtractos non moritura rogos.
Tali ego cenſerem ductoris iuſſa Moyſi
Ne digitis ſtaret ſcripta fuiſſe DEI.

IN S. GEORGIO.

ALBERTI SAVANAROLAE.

Hic ſunt Alberti cineres, mens errat in vmbris
Eliſii, ſuperis aſſociata choris.
Eloquio clarus, medica clariſſimus arte
Vixit, honos Pataui Sauanarola fuit.

IN S. LEONARDO.

ANTONII CAMPILONEI.

Hic iacet in templo venerabilis vir Dom: Anton: de Campolongo legibus in ſacris peritus qui anno Domini M. CCCC. V. diem clauſit extremum.

IN AEDE D. VRBANI.

ANTONII CASALIS ABBATIS PRATALEAE.

Inclytus Antonius generoſa ſtirpe creatus
Nomine Caſalis ſuperorum fonte refectus.
Abbas Prataleæ prolapſaq́ cuncta reformans
Delubrum Vrbano dotis decore repleuit
Fatidicusq́ ſui manet hoc ſub marmore clauſus
Mille quater centis domini currentibus annis,
Atq́ quater decies quatuor, Menſisq́ Nouembris
Lux ter quina fuit, cum ſpiritus aſtra reuiſit.

IN AEDE D. IOANNIS BAPTISTAE.

GEMMVLAE.

Hoc iacet in tumulo pia nomine virgo Beatrix
Quæ fuit ex animo diuinæ legis amatrix
Marchio quam genuit Eſtenſis, & Azo vocatur
Coniuge patre ſata, Subaudia cui comitatur.
Iſta quidem Gemma, quæ nunc ſuper aſtra relucet
Cœnobium fecit, per quod mons Gemmula lucet
Cum foret alta, potens, proba, nobilis, & generoſa
Clara, diſerta, placens, præ cunctis & ſpecioſa.
Caſta, modeſta, tamen ſapiens & mente pudica,
Se faciens humilem, cœli fit Regis amica.
Quæ quanto fuerit in mundo celſior iſto,
Tanto mente magis fuit hæc obnoxia Chriſto.
Gemmula mens gaude, quæ tanta fungere laude

Iſtius & mores ſtudeant æquare ſorores,
Vt poſt matronam mereantur habere coronam,
Hoc, qui fundamen poſuit, faciat Deus: Amen.

IN AEDE D. PETRI IVXTA APONI BALNEA.

CONSVLIS REGENTIS REMPVB: quando fuit ædificatum Rioaltum.

G. F. P. P. T. G. S. C. D. Petro ær: Patau: Imp: conſec: A: II. R. Interr: id eſt: Galianus Fontana pater patriæ Templum Gerionis Senatusconſulto Diuo Petro ærarij Patauini impenſa conſecrauit Anno ſecundo regiminis interregni.

DE ISABELLA RAVIGNANA Puella agreſti.

Euganeas inter præſtans virtute puellas
Hic iaceo, indigno condita virgo loco.
Nam cum me peteret laſciuam miles ad vſum
Munera poſſe mori magna fuêre mihi.
Diſce age ſit quanti Virgo ſeruare pudorem
Pro quo nil timui perdere corpus aquis.

CATHARINAE MONZONAE SALAROLAE.

Hic Catharina iacet Manzana ſtirpe creata,
Quæ fuit iſtius templi veneranda ſacerdos,
Strata cubat ſecum clauſtralis formula vitæ,
Norma pudicitiæ, fulgens exemplar honeſti.
Nunc Salarola fleas defuncta præſule tali,
Quæ tua ſolerti ſtudio bona multiplicauit.
Dote nitens multa venerabile corpus obiuit,
At ſua læta fruens Chriſto mens æthere viuit.
Iam decies octo ſimul vnum luſtra ducenta
A Chriſti fuerant ortu de virgine lapſa.

D. O. M.

DITMARI A KISLEBEN.

Manibus Ditmari à Kisleben nobilis Germani è Saxonibus oriundi, qui cum ab ineunte ætate præclarum virtutis atque ingenij ſpecimen dediſſet, ita vt magnam apud omnes admirationem excitaret, peſte, cuius vitandæ gratia, ſi fata euitari queant, Patauio huc conceſſerat, abſumptus eſt: Si ætatem ſpectes, nimis præpropere: pro eo virtutis & gloriæ fructu, quem iam percipiebat, immature, die XV. Auguſti Anno M. D. LXXV. ætat: XXIII.

Aſpera quem terris mors & fera peſtis ademit
Hac ſua Kislebius membra reliquit humo.
Huic iam nobilitas, iam cœperat inclyta virtus,
Et magnum ingenij fama parare decus.
Inuida ſed rerum quæ ſemper culmina carpunt
Illum etiam ante ſuos fata tulere dies.
Huc igitur quicunq; cito virtutis & alti
Ingenij tantas ſpes perijſſe doles
Huic mæſti lacrymas & odores ſpargite flores,
Flos modo qui doctæ nobilitatis erat.

Ex man-

Ex mandato Andreæ parentis mœſtiſſimi & iam nonagenarij Adrianus à VVriſberg cognatus, qui non ſolum viuo omnia officia præſtitit, verùm mortuum proprijs manibus humauit, & Iohannes Brandis populari & amico olim ſuo incomparabili. P. C. H. M. B. M. A.

IN MONTE ORTONIS MONASTERIO prope Aponum.

Triſtis eram longo tenuit me Gallia bello
Nulla erat in medio ſpes neq; multa Deo.
Corripuit cuſtos audacter me meus, heus tu,
Conſule te & mentem volue nefande tuam.
Virgo tuis poterit ſuccurrere maxima votis,
Cur dubitas teneras ſoluere dure preces?
Filia ſponſa patris, mater ſpes vnica noſtra
Oranti priſcam reſtituit faciem.
Tunc ego ſingultu & lacrymis pia vota reſolui
Suſcepit voces diua virago meas.
Lætus ago ingentes tanto pro munere grates
Virgo tibi vitæ ſola medela meæ.

IN HOSPITIO AD BALNEA.

Das requiem morbis, non das te ſæpe bibenti;
Es Aponus totus, non tamen es Apinus.

Reſpondet Aponus.

Omnibus etſi Aponus non ſum, tamen omnibus idem
Sum, cunctis neq; enim totus adeſſe queo.

A. I. G. L. H. HH. HH. F. I.

Franciſco Petrarchæ archidiacono Parmenſi: Canonico Patauino vita, moribus, doctrina & eloquio ita claro, quod exemplum deſit. Is primus omnium Latinam linguam à barbaricæ prauitatis mendis inculpatam reſtituit, ac vndiq; laceram exornauit: quantum autem in Italico noſtro Idiomate valuerit Rithmi ob Lauræ amorem compoſiti ſatis teſtantur, vt ob eos alter nemo vnquam, niſi ipſe ſolus (pace omnium dixerim) quod non modo primus verùm etiam vltimus merito ab eruditis omni ætate ſemper habendus ſit. Idcirco ob eximias ſuas tàm animi, quàm corporis dotes primæ aliarum totius orbis ciuitat: Romæ ſcilicet & Pariſij vna eademq; die inuicem certantes (quod mirum eſt) ad percipiendam lauream Poëticam nuncijs ac literis eum euocarunt. Quo facto Anno Domini M. CCC. XLI. Idib: Aprilis in reſurrectionis feſto amicorum conſilio ſolemniter Romano in Capitolio maxima tàm Romanorum quàm aduenarum procerum & aliorum adſtantium frequentia, ab Vrſo Anguillariæ Comite Romanoq; Senatore laurea corona inſignitus eſt. Quapropter Regum & principum fauoribus & nobilium amicitijs vſq; ad inuidi-

inuidiam fortunatus extitit, & ita cum quibuſdam fuit, vt ipſi quodammodo cum illo eſſent, Poſtremo vt finis erat, eius anima terrena exuta ſpolia (vti credendum eſt) cœlum petijt Anno Domini M. CCC. Lxxiii. die xviii. Iulij, cum iam grato in carcere Lxx. annorum ſpacio vna minus die abſq; tædio permanſiſſet. Corpus vero ingenti funere depoſitum tumulatur Arquadæ in collibus Euganeis ſub dio in ſepulcro rubri marmoris, cui inciſum:

Frigida Franciſci lapis hic tegit oſſa Petrarchæ,
Suſcipe virgo parens animam, ſate virgine parce,
Feſſaq́; iam terris cœli requieſcat in arce.
Anno M. CCC. Lxxiiii. xviiii. Iulij.

CIRCA BASIM SEPVLCARI.

Viro inſigni F. P. Laureato Franciſcolus de Broſſano Mediolanenſis, gener, indiuidua conuerſatione, amore, propinquitate, & ſucceſſione memoria Ioan: Baptiſta Rota Patauinus amore, beneuolentia, obſeruantiaq; deuinct: ac tantarum celeberrimi vatis virtutum admirator ad poſteros H. M. B. M. P. C.

IN COEMITERIO ſub dio ad viuam æneam Petrarchæ imaginem.

Fr. Petrarchæ Paul: Valdezuccus Pat: poëmatum eius admirator, ædium agriq; poſſeſſor hanc effigiem poſ: An: M. D. XLVII. Idib: Septemb: Manfredino Comite Vicario.

Viſuntur hic quoq́, ædes Petrarchæ & Lauræ: eſt & hic inſignis porticus, ſicut & in reliquis pagis, vbi ius populis dicitur. Et ſacrum delubrum, cum oratione Petrarchæ tali:

O ſalus mea Ieſu Chriſte humani generis redemptor vnice, ſi te ad miſericordiam inclinare poteſt humana miſeria, adeſto mihi miſero peccatori, & preces meas clemens exaudi, fac mundi huius peregrinationem tibi placitam, & greſſus meos dirige in viam ſalutis æternæ, dignare mihi in die exitus mei & in illa ſuprema hora mortis aſſiſtere, neque reminiſcaris iniquitatum mearum, ſed egredientem ex hoc corpuſculo ſpiritum placatus excipias, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo domine: Sed ô miſericordiarum fons miſericordia tua magna mecum agas, cauſſam meam foueas, deformitates contegas in die nouiſſimo, nec patiaris hanc animam opus manuum tuarum ad ſuperbum tui & mei hoſtis imperium peruenire, aut prædam fieri ſpiritibus immundis, & famelicis canibus eſſe ludibrio

Deus

Deus meus miſericordia mea, refugium meum, vnica ſalus, ſpes mea, ne auertas faciem tuam à me, ſed miſero mihi peccatori ſis propitius, Amen.

IBIDEM: in pariete Baſilicæ.

Danti Aldigerio, Franciſco Petrarchæ & Ioanni Boccatio, viris ingenio eloquentiaq; clariſſ: Italicæ linguæ parentibus, vt quorum corpora mors & fortuna ſeiunxerat, nomina ſaltem ſimul collecta permanerent, Ioan: Breuius Canonicus Cenetenſis huius Baſilicæ Rector in ſui erga eos amoris obſeruantiæq; teſtimonium poſ: M. D. XXII.

Cornua cui muſco, & torta circundatus herba
Innixusq; vrna guttisq; madentibus Arnus
Non ſolum aſſurgit, ſed quem, diuine Petracha,
Et Tybris rerum dominus miratur & Indus
Et Tagus atq; Iſter ſitienti & Bagrada ripa,
Cauſſa ego viſendi ſtudio qua conderis vrna
Huc veni, linquens vltrò patriamq; laresq;.
En ſupplex voco te ad cineres, omnesq; per aras
Thure litans tumulum amplector, manesq; liquente
Expio aqua, ſpargens violas, florumq; maniplos
Huc adſis, nec te pigeat veniſſe per agros
Seu iuuat Eliſios ſpaciari, & texere ſerta
Heroumq; manu mixtum vatumq; choreis:
Atria ſtellantis ſeu tu radiantia Olimpi
Metiris, diuûm ex aris penetralia captans.
Ah quantum vmbroſæ valles collesq; ſupini
Inuideo vobis, quibus eſt data cura ſepulchri.
O vos felices nimium, nimiumq; beata
AEquora, felices riui, felicia prata,
Felices Bacchi vites, oleæq; Mineruæ,
Sed magè felices rami Daphnëidos vmbræ,
Fortunate lacus, fortunatiſſima tempe.
Euge Poëta veni, vultus attolle ſerenos,
Illuſtres animas tecum longo ordine ducens.
Sis bonus ô felix, me tu numerosq; doceto
Aonios quibus extollis ſuper æthera Lauram,
Lauram quam reſonant montes, quam flumina Lauram
Et notam Eois populis & Gadibus: ô ſic
Lilia, vernantesq; roſæ, & violaria odores
Aſpirent, vere & foueant tua buſta perenni
O ſalue æternùm, ôq; Vale æternùm optime vates.

IBIDEM ſaxum antiquum.

Portitori Plutoni & Proſerpinæ hanc Iulia C. F. Maxima felix domini tormentum, ſalue animula dulcis, animula ſuauis, animula in deorum numerum recepta, vnde tale, quando tale, & cui tale V. A. LIX. Menſ: VI. Dies XII. hora noct: IX. T. Scibonius Barbula coniugi incomparabili benem: p. c.

APVD

APVD S. BARTHOLOMAEVM.

In ædibus Torquati Bembi.

V. Antonius Seuerus Aquila hic iacet
V. Sine anima miſerabili fato qui I.
Vixit annis biſſenis & x v I. menſeis 7.
I Cui votum erat, vt parentibus iſta 7.
C Pararet, ſed mors immatura fecit V
T Vt facerent parentes filio, ſtudia V
O Amaui, obſequens magiſtris fui: A
R Obſeruaui parentum præcepta: I.
Amicos colui patronos bonos
Officio præſtus fui: Sed T. ata:
M. ætate tulerunt Luc: quod di:

IBIDEM.

L. Valerius Zabdæ mercatoris Venatici Laries ſeu ſtupor eſt huic ſtudio, ſiue eſt inſania nomen, omnis ab hac cura cura leuata mea eſt, monumentum abſolui, & impenſa mea amica tellus Dei fit hoſpitium oſſibus, quod omnes rogant, ſed felices impetrant. Nam quid egregium quiduè cupiendum eſt magis, quam vbi lucem libertatis acceperis, laſſum ſenectæ ſpiritum ibi deponere, quod innocentis ſignum eſt maximum.

INSCRIPTIONES PVBLICARVM AEDIVM.

SVPRA FORES PRAETORII.

Dant Bernarde tibi duo munera Teutones, illud
Quod patet è ſaxo, quod latet ex animo eſt.
Mors ſaxis venit animi haud ergo fatiſcat
Hac nota, mens ſemper grata ſuperſtes erit.
Germanica Natio anno M.D.Lxxxiiii. poſ.

IN DOMO PRAETORIS.

Chriſt: Mauro Lau: F. exercitus prouiſori Maximil: Rom. Rege militum cl. m. adiectis copijs Iulij II. P. M. Regis Gall: & Hiſp: ab huius vrbis obſidione repulſo, Vincentiam recuperatam D. Venet. deuotam efficienti, inde Prætori delecto, qui ciuitatem hanc vberrimam fideliſsimam, munitiſs: reddidit, beneuoli benemerenti poſ: M.D.IX.

IN INGRESSV.

Anno Domini M·CCCC.XX. Vrbi noſtræ ciuile ius dicente pro sereniſsimo ducali dominio Venetiarum Jlluſtriſsimo prætore à Clariſs: viro M. Dandalo Benedicti F. Palatium hoc reædificari cœptum eſt, cum prius eodem anno ſubita vis ignis atquè incerta opus magnificum ſtructura conſumpſiſſet. Ad quod triſte infandumq́ ſpectaculum, cum tota ciuitas non aliter quam ad commune aliquod funus concurreret, omnesq́ ſimile poſſe refici deſperarent, ſtatim Illuſtriſs:

Ducalis Dominatio pecuniam omnem, qua pulcrius aliud auguſtiusq́; conſtrueretur, ex publico eius ærario depromendam S. C. decreuit, cuius tantæ largitionis immortale beneficium, ne vlla vnquam poſſet ex animis hominum delere obliuio, non ingrata ciuitas huic ornatiſsimæ inſculpi tabulæ voluit, aureisq́; literarum monumentis ſempiternæ memoriæ mandari.

IN PALATIO PATAVINO.

Iuſtitia & Pietas Patauis pax optima fulget
Sub Petro & Marco ſtemmata clara notant.

IN SIGILLO PATAVIN: Sub forma antiquæ vrbis.

Muſo Mons Atheſis, mare, certos dant mihi fines.

IN LOCO IVSTICIAE.

Lapis vituperij & ceſſionis bonorum.

IN TRIBVNALI.

Excute manus ab omni munere, partes patienter audi, benignè reſponde, iuſtè iudicia.

IBIDEM.

Parcere ſubiectis ſcit nobilis ira Leonis:
Tu quoq́; fac ſimile quiſquis regnabis in orbe.

Gladius, Iuſticia, Lanx.

Reddo cuiq́; ſuum, ſanctis & legibus omne
Concilio mortale genus, ne crimine viuat.

Circinus. Prudentia. Speculum.

Conſcia præteriti, præſens aduerto, futurum
Præuideo, humano dominans prudentia ſenſu.

Claua bellica. Fortitudo. Columna.

Conſtans aduerſis, caſu frenata ſecundo,
Magna paro excelſis animis & fortibus auſis.

Pocula bina. Temperantia.

Contineo motus animi, tempusq́; locumq́;
Emoderata modum, cunctos diſtinguo per actus.

Crux. Fides. Calix.

Sacra Fides ſedeo, ſuſpiro nutibus altis
Inclyta, propoſitis certo ventura figurans.

Roſæ. Caritas. Patera.

Cara Deum & cara homines dilectio pacis
Nuncia complector flagranti pectore viuens.

Commune.

Vir cruentatus ab hominib. adſtantib. ex vtroque latere.

Sic me dilacerant, ſic me genus omne cruentat,
Heu nulla hos pietas, nulla hos clementia tentat.

IN TVM

IN TVMBA LIVIANA.

Anno Chriſti M.CCCC.XIII. Titi Liuij oſſa in plumbea capſula ad D. Iuſtinæ ædem fuerunt reperta & inſigni pompa in forum Iudiciorum ad occidentalem parietem repoſita cum effigie eiuſdem ænea & inſcriptione T. Liuij T. F. quartæ I. Italijs concordialis patrui ſibi & ſuis omnibus T. Liuius quarto Imp. Cæſaris anno vitam excuſſit ætatis ſuæ LXXVI.

SVB VETERI STATVA IN ANTIQVO LAPIDE.

Oſſa tuumq; caput ciues tibi maxime Liui,
Prompto animo hic omnes compoſuere tui.
Tu famam æternam Romæ patriæq; dediſti,
Hinc oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat patria hæc & ſi maiora liceret,
Hoc ſtares totus aureus ipſe loco.

AD TVMVLVM *in quo ipſa oſſa.*

Oſſa Titi Liuij Patauini vnius omnium mortalium iudicio digni cuius prope inuicto calamo inuicti populi Rom: res geſtæ conſcriberentur Anno M. D. XLVIII.

Inclyto Alphonſo Arragonum Regi ſtudiorum fautori, Reip: Venetæ fœderato, Antonio Panormita Poeta legato ſuo orante, & Matthæo Victurio huius vrbis Prætore conſtantiſſimè intercedente ex Hiſtoriarum parentis Titi Liuij oſſibus, quæ hoc tumulo conduntur, brachium Patauini ciues in munus conceſſere. Anno Chriſti M. CCCC. LI. XIIII. Calend: Septemb:

IN PRAETORIO PATAVINO.

Sub noua Titi Liuij ſtatua.

Titus Liuius Patauinus, hiſtoricorum Latini nominis facilè princeps, cuius doctrinam & lacteam eloquentiam ætas illa, quæ virtute pariter ac eruditione florebat, adeo admirata eſt, vt multi Romam non vt vrbem rerum pulcerrimam, aut vrbis & orbis Dominum Octauianum, ſed vt hunc virum inuiſerent audirentq;, à Gadibus profecti ſint, hic res omnes, quas popul: Rom: pace belloq; geſſit, quatuordecim decadibus mira ſtyli facilitate complexus ſibi ac patriæ gloriam peperit ſempiternam.
Libro quem manu tenet inſcriptum eſt: Paruus ignis magnum ſæpe ſuſcitat incendium: Exceſſit è vita IIII. Tiberij Cæſaris anno ætatis verò ſuæ LXXVI.

IBIDEM.

Petrus Aponus Pat: Philoſophiæ Medicinæq; ſcientiſs: ob idq; conciliatoris nomen adeptus, Aſtrologiæ verò adeò peritus, vt in Magiæ ſuſpicionē inciderit, falſoq; de hæreſi poſtulatus abſolutus ſit.

PAVLVS PATAVINVS.

Iuris conſultorum clariſs: huius noſtræ vrbis decus æternum, Alexandri Mammeæ temporibus floruit, ad præturam, præfecturam, conſulatumq; euectus, cuiusq; ſapientiam tanti fecit Iuſtinianus Imp: vt nulla ciuilis iuris particula huius legibus decoretur, qui ſplendore famæ immortalis, oculis poſteritatis admirandus, inſigni imagine hac meritò decoratur.

C. VALERIVS FLACCVS.

Patauinus, carmine Heroico labores Argonautarum decantauit quod opus fato præuentus imperfectum inemendatumq; reliquit cum ſui magno deſiderio illorum temporum ſtudioſis. Imo vel teſtimonio Fabij Quintiliani conquerentis, nuper in Valerio Flacco multum amiſſum eſſe. Nec tacuit M. Valerius Martialis tellurem Apponam non minus gaudere ſtella Flacco, quam ſuo Liuio: ad quem etiam ſcribens alumnum & ſpem Laris Antenorei appellat. Floruit ſub Veſpaſiano & Tito, peruenit & ad Imperium Domitiani, eo genere carminis ætatis ſuæ nemini ſecundus.

Q. ASCONIVS PAEDIANVS.

Patauinus orator, in M. Tullij Ciceronis orationes ſcriptor egregius, quem Laurent. Valla vir doctiſſimus Aulo Gellio doctiorem dicere non erubuit, plæraq; alia ſcripſit ex teſtimonio virorũ doctorum, quæ à ſtudioſis linguæ Latinæ deſiderantur.

L. ASINIVS STELLA

Patauinus, columbam in delicijs amicæ Iantidis Elegiaco verſu defleuit, quo genere carminis adeo excelluit, vt M. Valerius Martialis ipſum Val: Catullo anteferre ſit auſus, ſuo Epigrammate affirmans Stellam tanto maiorem Catullo, quanto paſſere maior eſt columba. Papirius etiam Statius iure ſodalitij ſibi iunctus elegantiſſimo Epithalamio ſuas cum Violantilla nuptias celebrauit, quibus nouem Muſæ cum elegia non abfuerunt. Opus Elegiarum fatorum inuidia deſideratur. Floruit temporibus Domitiani nec de ipſo aliud compertum haberi poteſt.

IN CARCERE PRAETORIS.

Noxiorum locum incendio abſumptum, flammis repreſsis iam in maximum forum vrbis decus ſæuientibus, Franciſc: Venerius & Ludouic: Faletius Eq: præſ. opt: inſtauran: curarunt M. D. XXXVIII.

ANTE AEDES PRAEFECTI.

Quod Hiſpanorum belli tempore Barthol: Liuianus Imp: & Dominicus Contarenus Præt: & leg: exercitus vrbem Patauium nouis mœnibus & propugnaculis & foſſa cingere vtriſq; procurantib: cœpiſſent, idem Dominicus inſigne arborum vna poni curauit.

IBIDEM.

Petrus Balbus præfectus M.D.VII. Prætor gratiſs M.D.IX. Claſsis præfectus deſignatus Padua obſidione liberata.

IN AEDE EPISCOPALI.

PAVL. AEMILIVS IMP: AVG: MACEDONIAM TERRARVM IMPERIO POTITAM CEPIT, CVIVS VNO DIE LXXII. VRBEIS VENDIDIT, ET IAM INDIAE VICTOR PER VESTIGIA LIBERI PATRIS ATQVE HERCVLIS ROMANA SIGNA CIRCVMTVLIT.

IN SCHOLA PVBLICA.

Ferdinando Abduenſi Mediolanen: Patricio, equiti & Iure-Conſulto, qui biennium in hac florentiſsima ciuitate Noua gymnaſiarchus fuit, propter eius feliciſsimam adminiſtrationem poſitum eſt Anno Domini M.D. XXXVII.

IBIDEM.

Melchiori Scarauello Pædemontano Philoſopho & I.C. primario Pomeridiano lectori, vnanimes Vltramontani poſ: Anno M.D.XXXII.

IBIDEM.

Auguſtino Barbatico principe fel: æterno Marino Venerio Prætore ac Marino Leono præf: Bernardi Gilualentiani, gymnaſij præſidis meritiſsimi ſuaſu ære publico Iureconſultorum ordini conditum dicatumq́; Calend. Octobr. M.CCCC. LXXXIII.

IN COLLEGIO FOROIVLIEN:

A PILEO DE PRATA CARDIN: CONSTRVCTO.

Atria quanta vides ſinuoſos flexa per arcus
Dedita diuinis ſtudijs & canone ſacro
Magna comes Pratæ Pileus dedit inclytus heros
Cardine Pontificum celſos optatus honores
Mille quadringentos, bis denos auxerat annos
Partus Virgineus cum mœnia ſtructa quierunt.

PORTARVM INSCRIPTIONES.

AD PORTAM PORTELLI.

SEIOVI MIMVS REM RELIQVIT LIBEREI SIBEI QVAERANT. TV VIATOR VALE AD AQVAS.

IN PORTA D. BENEDICTI.

In muro affixum ſaxum cum Nauagerij & Fracaſtorij viuis imaginibus quorum beneficio ibi poſitum Eſt vero lex dedicationis aræ. LVCIO HAELIO Cæſare Imperat: Cœlio & Albino Vibullio Pio Coſs: VIII. Id: Octobr. Cn. Domitius Valens II. Vir I.D præeunte Caio Iulio Seuero Pontif: legem dixit in ea verba quæ infra ſcripta ſunt: Iupiter optime maxime, quandoq; tibi hodie hanc aram dabo dedi-

caboquè ollis legibus olliſq; regionibus quas hic hodie palàm dixero vti infimum ſolum huius aræ eſt. Si quis huc hoſtia ſacrum faxit quod Magmentum nec protollat, idcirco tamen probe factũ eſto. Cæterùm leges huic aræ eædem ſunto, quæ aræ Dianæ ſunt in Auentino monte dicatæ hiſce legibus, hiſce regionibus. Sicuti dixi, hanc aram tibi Iupiter opt: max: dico dedicoque, vt ſis volens propitius mihi collegisque meis decurionibus, colonis, incolis Coloniæ Martiæ, Iuliæ, Salonæ coniugibus liberisque noſtris.

IN PORTA D. IOANNIS.

Andrea Gritio principe optimo multis cum propugnaculis firmiorib⁹ præf: porta tutiori reſtituta Patauium munitius & ornatius eſt factum M. D. XXVII.

IN PORTA PORTELII.

Hanc antiquiſſimam vrbem literarum omnium aſylum, cuius agrum fertilitatis ſumen natura eſſe voluit. Antenor condidit anno ante Chriſtum natum 1118. Senatus autem Venetus his belli propugnaculis ornauit, Anno à Chriſti aduentu M. D. XVIII.

Ex alio latere iſtius portæ.

Leonardo Lauredano Duce Venetorum inuictiſſimo, cuius principatus varias vices fortunæ excipiens, fortiter quam glorioſè ſuperauit Anno Chriſti M. D. XVIII.

IN PORTA TVRRI SELLA ANTIQVA VRBIS.

Vrbe placentina Iacobus vir nobilis ortus
Antithei generis, merito Patauina poteſtas
Mille ducenta decem Chriſto poſt ſæcula nato
Muris & porta Paduam decorauit ab Auſtro.
Vos Antenoridæ ſi tuti vultis ab hoſte
Eſſe foris, miro pax vos liget intus amore,
Arboreis fruſtra petitur ſub frondibus vmbra
Interius morbus ſi viſcera tentet acutus
Ne pereant igitur labor atq; impendia muri
Conſilium vatis noſtri ſeruate Ioannis.

PONTIVM.

Zachariæ Barbaro Eq: Franciſci Oratoris fil. præt: ac præf: pons è ſublicio lapideus reſtitutus.

IN ALIO.

Marſilio Contareno Prætore: Iacobo Marcello præfecto conſtantiſs. pontis huius inſtauratoribus ciues non ingrata poſ:

IN S. BENEDICTO.

Debes viator munus hoc viciniæ
Quod ære pontem ſtruxit hunc lubens ſuo
Breuis pateret vt tibi in forum via M. D. LII.
Fauentib: M. Antonio Venerio D. Chriſtophori F. prætore: Franciſco Contareno Zachariæ filio præfecto.

AEDIVM PRIVATARVM.

AD INSIGNIA CARDINI CAPOVACCAE.

Cardinum hoc inſigni ob rem militarem Florentini donarant

rant M. C. XI. perpetua bo Cardinus Capeuaccenſis Frungerini F. has ædes vetuſtate ac bello dirutas ampliando inſtaurauit M. D. XXXI.

In ipſa domo.

Eſt domus depicta vniuerſa & additæ hæ literæ F.F.F. ſubuerterunt, F. F. F. forſan reſtaurabunt.

Aduocatus ſedet tondens ouem	Meretrix radens iuueni barbam	Medicus vrinam inſpiciens	Monachus proſpiciens
Tondent	Radunt		Necant
A. M.	M.M.		A. Libera nos Domine
id eſt, à meretricibus	medicis monachis		aduocatis &c.

IN AEDIBVS IERON. QVIRINI.

Variæ ſunt inſcriptiones & inſignia aliquot marmora.

IN AEDIBVS NOBILIS DE SCOLARIBVS.

Multa numiſmata antiqua Impp. & ciuium tàm Græcorum, quàm Romanorum.

Lapilli in quibus variæ veterum imagines inſculptæ prope innumeri.
Imagines marmoreæ multæ in quibus capita

Catonis Vticenſis	Titi Veſpaſiani
Caracallæ	Marcellini
Tulliolæ Ciceronis	Aureliæ
Sabinæ	Martiæ
Fauſtinæ	Matris Caracallæ
Securis ferrea cum faſcibus.	Fibula Conſularis.
Armillare	Claues antiquæ
Liber corticeus	Arundo Indica
Caput ſeu cranium Veri Satyri	Caput Delphini

Tela Indica contexta ex ſubtilibus herbis ad vſum veſtis.

IN AEDIBVS MARCI MANTVAE.

Cancri in lapidem duriſs: conuerſi
Robur mutatum in lapidem quaſi tophum.
Domus tota ſplendida & picturis quaſi ornata.

Si inſanæ ſubſtructiones ſunt, ſi labor inſanus, ſi inſana omnia tandem cur non etiam inſana laus appeti poteſt.

Multa adhuc fieri poterant, ſed ne pomum Athlantæ ſequamur finis eſto.

Conari debet quis vero vitæ tẽpore non eodẽ modo ſemper vt mugini boues.

Maximum malorum eſt, ſi vitam diligit is, qui vita dignum neſcit aliquid agere.

Id facere laudi eſt, quod decet non quod licet.

IN CONCLAVI VBI STATVAE.

Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo. Ride.

IN DOMO LIVIAE.

Caput Titi Liuij ſine barba, collapſis genis, facie rotunda, lineis rectis, auriculis longis, naſo acuminato.

Caput Apollinis & Bellonæ.

Paſta in lapidem mutata vi Alycus aquæ.

DE HORTO SIMPLICIVM: IN INGRESSV EIVS.

Triumphi literarij.

AD SERENISSIMAM PRINCIPEM AC DOMINAM NOSTRAM CLEMENTISSIMAM DN. MARIAM DIVI QVONDAM MAXIMILIANI II. ROM: IMP: CONiugem, Paduam aduenientem gratulatio Germanorum.

Quam tuus aduentus princeps Antenoris urbi,
Cum plauſu affulſit lætitiaq́ palàm
Teſtantur plenè monumenta tibi edita, quamuis
Edita ſint meritis inferiora tuis.
Namq́ triumphales arcus ſimulacra renata
Romulidum per quæ victor habebat iter
Aſpicis, & comptos equites grauibusq́ tot annis
Heroas, priſcæ gentis equeſtre decus
Vt benè cornipedes frenent, calcaribus vrant,
Vt te ſuſpiciant te reuerenter ament,
Vt clangore tubæ, mugitibus æthera rumpant
Tympana, de validi tergore facta bouis
Vt tonet ex altis bellatrix ærea muris,
Sulphureo rapidos quæ vomit igne globos.
Vt pueri imberbes demum innuptæq́ puellæ,
Vt partes obeat fœmina virq́ ſuas.
Scilicet hæc magni ſunt argumenta caloris
Quo tibi vult ſtudium quisq́ placere ſuum.
Nos etiam patrijs à finibus aduena turba
Teutones Aonio turba ſacrata Deo:
Ne mora virtutem celet decreuimus omnes
Hæ tibi cunctorum nomine metra dare.
Nam tàm gratuitò, quàm gratitudinis ergo,
Quæ ſumus aſtricti debita plura tibi.
Parua damus fateor, tamen hæc grato accipe vultu,
Si mentem attendas & voluiſſe ſat eſt.
Quando tuis omnis ſit gratia dotibus impar,
Et maieſtatem par tibi nemo gerat.
Quæ gentes medias cœli ſeptemq́ trionis
Reſpiciunt ortus Heſperiæq́ plagas.
Cæſaris es genitrix, & magni Cæſaris vxor,
Regis & inuicto Cæſare nata ſoror.
I modo quà via te rapit, & cauſſata voluntas,
Ipſe Deus nauem ducere promptus erit.
Ipſe coercebit molles ad carbaſa ventos,
Et nigra ſulcandis omnia demet aquis.
Quod ſupereſt omnes in fine obnixè rogamus
Qui ſumus Imperij pars quotacunq́ tui.
Cum te fraterna ſiſtet bonus ales in aula,
Et ſinet amplexu colloquioq́ frui.
Nos fratri generoq́ tuo regiq́ benigno
Commendes etiam de meliore nota.

AD VENEREM NEPTVNVM CASTOREM & Pollucem Oratio.

Sic te diua potens Cypri,
Stagnorumq́ ſenex arbiter omnium.

Sic te Caſtor & optime
Pollux, qui trepidant per mare remiges
Poſcant in dubio ſtatu
Terrarum Dominam mens ſtimulat patris
Deſerto imperij iugo
Et caris liberis & tumulo viri
Primæ gentis originem,
Tum fraterna procul regna reuiſere,
Fortunate ratem bonis
Curſuram auſpicijs vaſta per æquora,
Seu nubes Deus increpet
Atros horriſono cum ſtrepitu truces,
Seu turbent lacrymabilem
Iratis animis flatibus aëra.

INSCRIPTIONES ARCVVM TRIVMPHALIVM.

IN INGRESSV ARCVS.

Mariæ Auſtriæ Rom: Imperat: Piæ Aug: Diuu: Impp: Caroli V. filiæ, Ferdinandi. I. nurui, Maximil. II. Coniugi, Sen: Ven: maieſtatis ergò.

IN EXITV.

Mariæ Rom: Imp: piæ Aug: Rudolphi II. Imp: matri, Philippi II. Hiſpan: Omn: Siciliarum, Algar: Indiar: Max: Regis ſorori, Sen: Ven: honoris ac dilectionis ergo.

IN PRIMA FACIE SECVNDI ARCVS.

Sublimi Regum & Imperatorum natæ, ſorori, nurui, coniugi & parenti, præſidentes Diui Antonij exiguis viribus hæc humilia erexêre trophæa.

IN SECVNDA FACIE.

Exultat Diuus Antonius aduentu Sereniſſimi luminis in vrbem hanc, mox Hiſpaniam ſuam patriam illuſtraturi, & ſui gaudij hæc externa edit ſigna.

IN PRIMA FRONTE TERTII ARCVS.

Mariæ Auſtriæ, reginæ piæ, Catholicæ, Imperatrici ſemper Auguſtæ, Reſpub: Ven. probitatis ac amplitudinis cauſſa.

IN POSTERIORE PARTE.

Reginæ Chriſtianiſſimæ Imp: Regum Imperator: longo & perpetuo ordine filiæ, nepti, nurui, coniugi, matri, ſorori, Reſp: Ven. religionis ac dignitatis cauſſa.

IN RVRE CREOLAE, QVINQVE MILLIARIBVS AB VRBE.

IN DELVBRO NOVO.

BENEDICTO CRIBELLO.

Fortiſſimo peditum ductori ob eximia eius merita in Rempub: Venetam magnis muneribus donato, ſimulque à Senatu Veneto in Patricium ordinem accito Aloyſius Piſanus D. Marci procurator heres ex teſtamento beneficij memor. Obijt Anno M. D. XVI.

PATAVIVM.

AD MONTEM ANNIANVM.

GALEOTTI MARTII.

Hanc galeam hunc poſuit Galeottus Martius enſem
Mars tibi, & hanc Citharam docto cum pectine Muſis,
Militia functus decantataq; poëſi.

IN OPPIDO ATHESTE.

IN TEMPLO DIVI FRANCISCI
MAG^co TVMVLO
IOANNES GVARNA.

Præditus armipotens vera pietate Ioannes
Martis honos, inſigne decus, celebriſq; Salerni
Gloria, quam ſoboles pia contulit inclyta Guarnæ
Gentis, in hoc tumulo confectus morte quieſcit.

M. CCCC. LXXXIII.

hoc opus Iacobus de Porlitia ſculpſit.

THADAEI ET BARTOLDI
ESTENSIVM.

Hic Veneti decus imperij certiſſima quondam
Præſidia, inſignes armis belloq; Thadæus
Bartolduſq; iacent, pater ille, hic filius, ambos
Stirps tulit Eſtenſis: genitor deceſſit ad oras
Conomanum, ſeruata canit cui Brixia laudes
Hic Turcis Iſthmo expulſis prope celſa Corinthi
Mœnia procubuit, pietas tua maxima Borſi
Cognatos cineres ſub eodem marmore clauſit.

RHODIGIVM.

OPpidum Venetiæ, vulgo Ruigo loco fertiliſſimo ſitum, & ab Atheſi in Inſulæ modum circumdatum Ludouici Cœlij, qui lectiones antiquas ſcripſit, & Bartholomæi Rouorellæ Archiepiſcopi Rauennatis natalib: celebrius.

GAROPHOLVM.

PAdi traiectus, qui fluuius à Græcis Eridanus, à Liguribus Bondingus, quaſi vado carens, dictus eſt, triginta auctus amnibus ſeptem oſtijs in mare Adriaticum defertur, caſu Phaëthontis Græcis Latiniſq; poëtis celebratus, aurum & Electrum vehere dicitur circa fontem piceas, in reliqua ripa populos arbores nutrit. De quo multa Plinius lib. 3. cap. 16. Oſtia inter Clugias & Rauennum hæc ſunt:

Brundulum, vulgo Brondolo, quod fit concurſu Padi, Atheſis, & Togiſoni fluuiorum.

Philiſtinæ foſſæ, quod nunc Foſſana dicitur, quidam eſſe Atheſis traiectum volunt.

Fornaces fortaſſe Carbonariæ. Plinius.

Gorum.

Volane

Volane, olim Olane.

Capraſiæ, vulgo Mangia vacca.

Spineticum, vulgo Piemiera, à Spina vrbe quæ propè fuit, per hoc Claud. Cæſar naui maxima de Britannis triumphans mare Adriaticum eſt ingreſſus.

FERRARIA.

Vlgo Ferrara, vrbs Æmyliæ præclara & populoſa nec inamæna ad Padum paluſtri atq; idcirco in fragibus & vitibus minus fælici loco ſita, planitiem circa ſe habet maximam, ſed ſterilem, & craſſioris aëris, de cuius vrbis autore non certum habemus. Nam ex antiquis Italiæ vrbibus non eſt, & vt nonnulli opinantur, tempore Gothorum cum Venetijs initium ſumpſit, & à ferro, quod Rauennati Eccleſiæ tributarium dedit Ferraria dicta, quemadmodum Aureola & Argenta. Quanquam & hoc falſum Leander aſſerat, & à Ferrariolæ colonis, quæ trans Padum erat, ſic appellatam fuiſſe exiſtimet. Muris autem circumdata fuit à Smaragdo Exarcho Imperatoris Mauritij circa annum D. XCV. Ab Eſtenſium principum familia quæ nunc rerum potitur multis rebus amplificata & munita egregiè, plateis rectis, longis & amplis, quibus poſt Florentiam nullæ ſunt pares, lapide verò integrè ſtrata non eſt eoq; coctili: ædificia non ampla, ſed mediocria & ſplendida tamen. Arces in ea binæ, vna ad flumen, altera è regione Sancti Georgij, quæ à duce habitatur, vtraq; munitiſſima. Ante hanc ſtatuæ equeſtres æneæ duæ ducum Veterum. Hortus principis & domus ad delectationem facta, cum ſylua, monte, & piſcina, vulgo la Montagna. Bibliotheca apud Carmelitas, in qua magna antiquorum librorum copia, viginti pulpitum & ſex in pariete, multi etiam libri in ciſtis incluſi. Quamobrem iuxta hanc nunc alia ædificatur noua. Gymnaſium habet florens Iuriſperitorum apud Sanctum Franciſcum: Medicorum apud Sanctum Dominicum: Artiſtarum apud Sanctum Georgium, Inſtitutum hoc eſt à Frid: II: Imp: in contemptum Bononienſis Academiæ, & renouatum ab Eſtenſium familia præclarè, in quo multi viri excellentes claruerunt ſemper. Anno M. CCCC. XXXVIII. Eugenius IIII. pontifex hic concilium celebrauit, cui græcor: Imp: Ioannes Palæologus & Ioſephus Patriarcha Conſtātinopol: qui ſequente anno Florentiæ obijt, interfuere. Ea ſynodus anno M. CCCC. XXXVIIII. Florentiam tranſlata eſt, peſte Ferrariæ graſſante, vbi de ea eſt inſcriptio. Aſylum etiam in vrbe ab Hercule duce conſtitutum. Extra vrbem vltra Padum Inſula eſt Calopſis, vulgo il Beluidere, quinq; mill: ſpacia continens, anguſta & in longum protenſa, cuius ſeceſſu maximè delectatus fuit dux Alphonſus. In ea rota eſt, qua aqua extrahitur in vas æneum, & inde in omnes partes domus deriuatur. Balneum cum ponte, per quem incautius ambulantes in aquam decidunt. Fonticulus, ſylua arboribus in quincuncem diſpoſitis, hortus, vinea, ambulatio; alia ſylua feris dicata. Vidimus ibidem aſinos Sardos, corpore minimos, ſed noſtris valentiores: itidem Gallinas Indicas, & alia animalia rara, multa. Sed de hac vrbe quidquid dici poteſt, id multis in locis elegantiſſimis verſibus ſcripſerunt Titus & Hercules Strozæ: nec non Reuſnerus. Noſtro hoc tempore grauiter concuſſa eſt terræ motu, & miſerè in bidui ſpacio deuaſtata, Anno videlicet M. D. LXX. & intra XL. horas,

CLX. terræ motus perpeſſa, ædibus ſacris, ædificijs pulcris publicis & priuatis plane concidentibus, ex quo vaſta facta eſt, quæ alias erat frequentiſsima.

IN TEMPLO CATHEDRALI.

Ampliſsimo & vetuſtiſsimo roſtra nauium triremiumq́, Item vexilla Venetis Anno M. D. IX. ab Hypolito Cardinale Eſtenſe celebri pugna erepta, ſuſpenſa ſunt. Epitaphia dein hæc:

LILII GIRALDI.

Quid hoſpes aſtas? tymbion
Vides Giraldi Lilij?
Fortunæ vtramq́ paginam
Qui pertulit, ſed peſſuma
Eſt vſus, altera nihil
Opis ferente Apolline.
Nil ſcire refert amplius
Tua aut ſua, in tuam rem abi.

Lilius Giraldus Protonotarius Apoſtolicus, mortalitatis memor, annum agens LXXII. V. S. P. C. Anno M.D.L.

IOAN: LIGNAMINEI EPISCOPI.

Qui quondam Heſperium legatus viderat orbem
Hic Baptiſta iacet, Franciſci Antiſtitis illum
Huc illexit amor fratris, quem Borſia patrem
Ferraria obſeruat, Concordia præſule mœſta eſt
Amiſſo; ciuem vrbs Antenoris inclyta luget.

VRBANI PAPAE III.

Hic iacet ſacræ memoriæ Vrbanus Papa III. nomine, Mediolanenſis, ex genere Cribellorum ſepultus M. C. LXXXV. Menſis Auguſti IX. Indict: III. temporibus fratris Vindonis Ferrarienſis Epiſcopi Ioannis Archipresbyteri & bonæ gratiæ Præpoſiti.

AVGVSTINVS PROLVS.

Eccleſiæ Cathedralis Manſionarius, cruci & Matthæo aram erexit, qui iuris gentilitij perpetuus foret ſecundum hoc monumentum S. VV. poſ: Anno M. D. XXVIII.

HIERONYMVS RYNTIVS.

Hoc ſibi viuens monu: ſuos optans manes in perpetuo eſſe eius numinis fide, cuius in ſacello dum viueret piè ſemper operatus eſt, Anno M. D. XLI.

PAVLO ANTONIO GRANIO.

Philoſophiæ ac Medicinæ, cæterarumq; ſcientiarum adoleſcenti peritiſſimo, animi vero ſumma integritate atque ſanctiſſimis moribus prædito. Barthol: Granius frater ſibi viuens mœſtiſs: poſ: Obijt M. D. XLII.

MARGARITAE.

Ioan: Marij, quæ ita ſuos liberos longa viduitate eduxit atq; dilexit vt nulla matre educatione & caritate fuerit inferior, Iacoboq; viro optimo Thadæus Sandalus hoc pietatis ergo mœſtiſſimus poſ: X. Calend: Aprilis M. D. LXIII.

ALPHONSI MAIANTI.

Vt flos Iunonis, cui vix mucrone renidet
Lacte coma atq́ croco, fulminis igne cadit.
Sic quoq́ flos Maij, nunc concidis indole tanta
Virtutum & morum qui documenta dabas.

Alphon-

Alphonſo Maiantho adoleſcenti forma & moribus egregio, ingenij atque art: ſtudioſiſs: & inprimis Philoſoph: & Medicin: quibus & vtriusque ling: bonis literis dum aſſiduam operam nouat, in febriculam incidit, qua ſubſecuta dyſenteria, ſuo ſolari anno abſumptus eſt, bon: omnib: ſui deſider: relinquens, Mœſtiſſimi parentes filio cariſſimo, quod ab eo ſibi optabant iuſta buſtumque pereg: Vix: ann: xx: Men: II. Obijt Menſe Nouembri Anno M. D. LI. O.dura fatorum lex.

IN AEDE S. STEPHANI.

DE RESTAVRAT: ECCLESIAE.

Cum anno M. D. Lxx. die xvii. Nouembris tertia noctis hora, quàm maximus terræ motus hanc præclariſſimam vrbem ita conquaſſaſſet, vt eius fortiſſima mœnia, munitiſſimas arces, alta palatia, religioſa templa, ſacratas turres, omnesq; ferè ædes omnino euertiſſet & proſtraſſet vnà cum maximo ciuium damno, atq; acerba clade, adeò vt omnes maximo metu perterriti relictis caris & ornatis domibus cæterisq; ſuis bonis in lugubria cœmiteria, in lutoſos hortos, atq; demum relicta ipſa vrbe in ſylueſtres agros, in pauperibus tugurijs, in humilibus tentorijs tota hyeme prægelida & aſpera degentes paſſim, diffugerent: hoc ſacrum Diui Stephani templum ipſo terræ motu ſciſſum, fractum atq; fere collapſum pijſſimi Parrochiani & Reuerendus Vinuntius Segantus illius Rector Dei & ipſius Diui Stephani protectoris auſpicijs in priſtinum ſtatum ipſo etiam terræ motu nondum ceſſante reſtitui curarunt, Anno M. D. Lxxi. die xviii. Septembris.

SANCTI LEONIS PAPAE.

A partu virginis Anno M.D. xix. IIII. Kalend: Iulij pontif: Max: Iul: II. Alphonſo Eſtenſi Ferrarien: Duce III. Hippolito eius patre S. R. E. Cardinali, Ferrariæ Epiſcopo, hoc in ſepulcro vbi Fauſtinæ olim cinis reconditus fuit Ven: Iacob: Bentionus huius Eccleſiæ protomartyr, antiſtes, arcam plumbeam oſſibus inſtructam depræhendit, in qua hæc inciſa legebantur:

Hic requieſcit corpus Sancti Leonis Pontificis & ſacerdotis Chriſti translatum huc à Vicouentia ſub Gratiano Ferrarienſe Epiſcopo Anno Domini M. viii. xvi. Calend: Martij.

Cuius rei cauſſa indicta ſupplicatione per Ven: Sacerdotum collegium religioſiſs: eodem loco eadem oſſa repoſita ſunt eodem anno Id. Iulij.

CORNELII BRVNI.

Viator ſiſte gradum, quid ſpectas?
Fui & fueram, nunc ſine vita hic
Excubias ago, idem tu, & alij. Bene vale.

IN AEDE D. DOMINICI.

SVPRA OSTIVM BIBLIOTHECAE IN ſepulcro Cælij Calcagnini.

INGREDIENTIBVS.

Cælius Calcagninus Apoſt. Sedis Protonot: viuus ſibi poſ: Hoc ſcilicet deerat temeritati humanæ, vt eorum curam ſuſciperet quæ neque viuis neque mortuis eſſent profutura.

Exeuntibus.

Cum Cælius Calcagninus nihil magis optauerit, quam de omnibus pro fortunæ captu optimè mereri, decedens Bibliothecam, in qua multò maximam ætatis partem egit, in ſuorum ciuium gratiam publicauit, & in ea ſe condi mandauit. Tu quiſquis es rogo, vt hominis b. m. manibus Deum propicium preceris. Ex diuturno ſtudio inprimis hoc didicit, Mortalia contemnere, & ignorantiam ſuam non ignorare. H. M. H. N. S.

BEATRICIS IOCVLAE SALIMBENAE.

Tria cum maxima haberet Beatrix Iocula Clariſſimi Siguſmundi Salimbeni filia, generoſum ſpiritum, conſtantiſs. fidem, & caſtiſs. corpus, aliud in beatorum ſedes, aliud in cari coniugis Albertini ex nobili Iocul orum gente pectus migrauit, qui cum ſummo voluntatis & conſiliorum tenore vixerat, quod tertium erat, hic iacere vides, non ſine magno omnium dolore & deſiderio, vbi & amantiſs. maritus, cum ſuperis viſum fuerit, eximiæ beneuolentiæ gratia conquieſcet. Anno Salut. M. D. XL.

NICOLAO LEONICENO.

Vicentino, qui ſibi Ferrariam patriam maluit, vbi Annos XL. Italos & prouinciales magna celebritate Græcè & Latinè inſtituit continua ſerie apud principes Eſtenſes magno in honore habitus, vnus omnium magis pectore quàm lingua Philoſophiam profeſſus rerum naturæ abditiſſimarum experientiſs. qui primus herbariam penè deſitam & ſyluam rei medicæ iniuria temporum negligenter habitam, in diſquiſitionem magna ſpe mortalium reuocauit, in barbaros conditores pertinaciter ſtylum perſtrinxit & ſtudio veritatis cum omni antiquitate acerrimè depugnauit. Annos natus VI. & XC. cum iam æternis monumentis in arcem immortalitatis ſibi gradum feciſſet, homo eſſe deſijt. Alfonſus Eſtenſis Dux III. & S. P. Q. F. benemerenti poſ. VI. Id. Iunij M. D. XXIIII Bonauentura grato ipſius diſcipulo procurante.

HVGONIS BENCII.

Deo immortali maximo Hugoni Bencio Senenſi Philoſophorum omnium ac Medicorum ſuæ ætatis facilè principi, parenti optimo ob excellentem doctrinam de vniuerſo hominum genere optimè merito filij poſ. XI. Calend. Decemb. Anno M. CCCC. XLVIII.

IOANNIS HERCVLANI.

Herculeo Arnolphus genitus, ſacra ſaxa Ioannes
Hæc ſtatuit memori pro pietate patri.
Ille vir Hippocratem medicans, & Apollona vincit
Atq; fuit noſtro tempore verus Apis.
Doctrinæ præclara ſuæ monumenta reliquit
Multaq; per doctos ſcripta Ioannis eunt.
Codicibus febres, peſtes, cunctoſq; nocentes
Corporibus morbos ſcripſit in orbe tribus.

Pulcra

Pulcra ſalutifero Verona exultat alumno,
Totus enim medicam mundus adorat opem.
Sub duce quem Borſo clarum Ferraria vidit
Fataq́; corpus habent, cætera cuncta DEVS.

HERCVLI SYLVESTRIO.

IureConſulto excellenti ſcientia ſingulari, & propè incredibili ingenio, breui atque explicata ratione dicendi prædito, qui dum apud omnes ſummo in honore eſſet, & in foro vel Maximè floreret, ad ſuperos abijt, miro omnibus ſui deſiderio relicto. Vxor mœſtiſs. p. j. Vix: ann: XLVIII. Diem I. Obijt III. Non: Septemb. M. D. LXIII.

FRANCISCO CORNEO.

Domi foriſque officio Iur: dicendi varijs & ſummis perfuncto, conſiliario poſtremùm facto Alphonſi II. Ducis intimo, inprimiſque ob eius doctrinam & probitatem ſingularem tùm aliunde, tum hic præcipuè cognitam, quod in rebus controuerſis innumeris pugnantes æquo animo ſemper Iudicem voluerunt, neutrique vnquam repulerunt, & caro & optato fratri ſuauiſſimo & integerrimo, annos LII. Men: I. dies XXIV. nato M. D. LXIX. à partu Virginis anno, IIII. Idus Aprilis non ſine omnium bonorum lacrymis mortuo Iul: & Her: mœſtiſs: p. p.

BAPTISTINO STROTIO.

Ob ſingularem in pace probitatem præclaraque in bello geſta, ab Hercule II. Ferrariæ duce vniuerſæ ditionis ſuæ produci filiorumq; gubernatori conſtituto, Lucretia Strotia vxor mœſtiſs: poni curauit.

DOMINICO ACCIO.

Iuris vtriusque inſignia vix adepto, ſuauiſs: moribus optimiſque literis prædito, religione in Deum Opt: max: ardentiſſimo, caritate in patriam cariſſimam flagrantiſſimo, nihilominus tamen immatura morte præuento, tumulum hunc Catharina filio dulciſſimo & Io: Iac. fratri ſuauiſſimo non ſine lacrymis ponend: cura:

FRANCISCI SACRATI.

Hac eques inſignis tegeris Franciſce ſub vrna,
Sacratæ quondam firma columna domus.
Morte tua doluit princeps, populusq́; patresq́;,
Et pudor, & ſocia cum probitate fides.
Hoc memores nati clauſerunt membra ſepulcro
At pia ſydereas incolit vmbra domus.

HIER: SAVANAROLAE.

Dum fera flamma tuos Hieronyme paſcitur artus,
Relligio ſanctas dilaniata comas
Fleuit, & ô dixit crudeles parcite flammæ
Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.
Vix: ann: Domini M. CCC. XCVII.

ANNVS MARTIRII.

Sincera taxat cultus vbi voce Baalis
Interit igniuomis Sauanarola rogis.

PHILIPPVS CORIGIARIVS.

Decendens monument: ſibi & Bernhardo fratri Dominici qui ſcribæ ante defunct: facien: legauit, quod eius vxor & her. Laura à Piſis hoc in loco Gentil: ſuorum, dum mariti voluntat. obſequitur ponend: curauit, & huius templ: Sacerd: quo vtriusque animæ benè præcentur, Eleemonſyn: erogauit, Vixit ann. LXVI. Men. X. D. XII. Obijt M. D. XXXIIII.

ANDREAE TIBERTELLIO.

A Piſis oriundo, nobili adoleſcenti, honeſtiſs: moribus prædito ab immaturâ morte erepto, relictis Alphonſo & Barthol: dilectiſs: filijs, ex Diana Grandia vxore cariſs: ſuſceptis, quæ cum ex ipſo tandem peperiſſet poſthumum, illum voluit Andreæ nomine appellari, vt ipſis tribus filijs defunctis, ipſius parentes, ipſe quoq; defunctus rurſus in vitam redirent. Hoc monumentum quod vterque pater & filius fieri iuſſerat dilectionis erga virum memor mœſtiſs: p. c. Obijt M. D. LXIIII. Non: Martij. Vix: ann: XVIIII.

DOMINICI BONDII.

Qui à prima adoleſcentia Græcis Latinisque literis peritiſſimè imbutus, ingenij atque induſtriæ laude ſemper claruit, Philoſophiam vero Medicinamque Ferrariæ multos annos publicè profitendo, acutiſſimè, diligentiſſimè, atq; integerrimè cum omnium fauore docuit ac exercuit, de vniuerſa autorum antiquitate vt de ſua ipſiusmet ætate optimè meritus, niſi fortè nullo tantæ eruditionis ſuperſtite monumento ambitionis etiam aliquid in modeſtiſſimo viro deſiderare poſſit poſteritas.

Mi domus hæc requies curarum ſola mearum,
Omnibus vna meis certa medela malis.

IN CAPELLA CRVCIS.

Cum terræ incluſi erumpunt ſpiritus, & maximis terræ motibus quaſſaretur Ferrariæ ciuitas, tunc ſacri huius templi mœnia concutiuntur ac coagitantur, onuſto ſuccumbunt ponderi, dimidiumque tectum præceps in terram concidit: Eo tempore ſacrum Crucis hoc delubrum aperitur, mox de ipſius ruina ſarcienda pertractat cruce ſignatorum alma ſocietas, & anno vix reuoluto, quaſſum hoc ſacrum, vt cernis in integrum reſtituit.

APVD SERVOS.

THADEAE BONLEAE.

Hic ego quæ fueram Federico nupta Ladrono
Bonleæ iaceo fama Thadea domus.
Forma ego Cypris eram, manuum virtute Minerua,
Cæſaris arcanis conſcius ille fuit.

PETRVS MONFERRATVS.

Honorariæ poteſtatis accenſus, dum operam ciuibus peſtilentia laborantibus præbet, noctu equi calce ictus, in abdomine, magnum ſuæ ſedulitatis deſiderium populo & Decurionibus Ferrarienſibus reliquit, Ioan: Hieronymus parentem optimum lugens poſ: Anno ſalutis M. D. XXVIII.

Ioan: Hieron: Monferrat: qui ob ſummam fidem erga nobilem familiam in illius gentilitatem cooptari meruit, lapidem hunc quem pro tempore nec pro viuis nec pro mortuis attolli & reclinari iuſſit, viuens poſ: Anno ſalutis M. D. XL.

TALIANO FVRLANO.

Alterius Taliani qui ſub Philippo Maria & Franciſco Sfortia Inſub: ducibus ordines duxit turmarum, nepoti, equ: & com: ac caſtrorum præfecto, tum auſpicij Sanct: Roman: Eccleſ: Cæſar: Gall: q; bellis tum Illuſtriſs: Ateſtin: princip: Hercul: II. & Alfonſi II. quibus ſumma cum fide integritate laude operam nauauit, in cœlum euocato, Aloys fili: pat. b. m. p. c. Anno ſalutis LXXII. Obijt anno ſalutis M. D. LXXI. XIIII. Calend: Febr:

PICTORIS CVIVSDAM.

Occubat hic proles pictoria: væ tibi, mundum
Et ſua quiſquis amas, huc nihil inde feres.
Huc nihil inde feres, guttam hic à paupere diues
Poſcit aquæ; mundum væ tibi quiſquis amas.

LANFRANCI IVR: CONSVLTI.

Ne Scoti lacrymis hoſpes mirere parentum,
Si non exceſſum marmora nomen habent.
Nam demum cunctis animam qui à corpore ſoluit
Flentibus hæc alacri carmina voce tulit.
Quid fletis raptum primæuo flore parentes
Iuriſconſultum morte fuiſſe grauem?
Seruari cuius mortali labe ſalutis
Non cæco hoc animus carcere dignus erat.
Illum corporeæ caperent ne gaudia peſtis
Obſtant quæ ſuperas poſſe ſubire domos.
Siſtite tot lacrymas igitur mortalibus vnquam
Ingenijs ferra dira nocere nequit.
Lanfrancus viuet venturi ſæcla, per æui
Quamuis ſit meritis fama futura minor.

Vix: ann: XXI. Menſ: VIII. Dies XVIII. Obijt anno LXIIII.

APVD CARMELITAS.

LVDOVICO AREOSTO.

Poëtæ, patricio Ferrarienſi, Auguſtinus Muſtus, tanto viro ac de ſe benè merito, tumulum & effigiem marmoream ære proprio p. c. Anno ſalutis cIↃ. IↃ. LXXIII. Alfon: II. Duce Vix: ann: LIX. Obijt anno ſal: cIↃ. IↃ. XXXIII. VIII. Id: Iun:

Hic Areoſtus eſt ſitus, qui Comico
Aures theatri ſparſit vrbanas ſale,
Satyraq; mores ſtrinxit acer improbos,
Heroa culto qui furentem carmine
Ducumq; curas cecinit atq; prælia,
Vates corona dignus vnus triplici
Cui trina conſtant quæ fuère vatibus
Graijs Latinis vixq; Hetruſcis ſingula.
Ludouici Arioſti humantur oſſa
Sub hoc marmore, ſeu ſub hac humo, ſeu
Sub quidquid voluit benignus heres
Siue herede benignior comes: ſeu
Oportunus incidens viator.
Nam ſcire haud potuit futura: ſed nec
Tanti erat vacuum ſibi cadauer
Vt vrnam cuperet parare viuens,
Viuens iſta ſibi tamen parauit
Quæ ſcribi voluit ſuo ſepulcro
Olim, ſi quod haberet is ſepulcrum.
Ne cum ſpiritus hoc breui peracto
Præſcripto ſpacio miſellus artus
Quos ægrè ante reliquerat, repoſcet
Hac & hac, cinerem hunc & hunc refellens
Dum noſcat proprium diu vagetur.

IOAN: MANARDO.

Ferrarienſi, viro omnium vni integerrimo ac ſanctiſſimo, Philoſopho & Medico doctiſſimo, qui annos plus minus Lx. continenter, tùm dicendo & ſcribendo, tùm innocentiſs. medendo omnem medicinam ex arte literaria fœdè prolapſam, & in barbarorum poteſtatem ac ditionem redactam, proſtratis ac profligatis hoſtium copijs itendidem vt hydrarenaſcentibus in antiquum priſtinumque ſtatum ac nitorem reſtituit, lauream omnium bonorum conſenſu adeptus, IIII. & Lxx. agens annum, omnibus omnium ordinum ſui deſiderium relinquens, humili ſe hoc ſarcophago condi iuſſit, Iulia Manarda vxor, quod ab eo optabat, poſ:

Hæc breuis exuuias magni capit vrna Manardi,
Nam virtus latè docta per ora volat.
Mens pia cum ſuperis cœli colit aurea templa,
Hinc hoſpes vitæ ſint documenta tuæ.

M. D. XXXVI. Menſ: Mart:

IACOBO ALVAROTTO.

IureConſulto & equiti clariſſimo, qui cum per triennium ad præturam Magiſtratumque conſilij Iuſtitiæ euocatus Florentiæ reſediſſet, Ab Alphonſo Duce Ferrariæ III. Inuictiſſimo, in eius conſiliarium iuſtitiæ conductus, cum eiuſdem integritatem, atque in rebus peragendis dexteritatem expertus eſſet, poſt varias Legationes ad omnia eius ſecreta conſilia admittitur, recuperataque Mutinæ ciuitate, ad eius regimen ipſum proponit, quam cum per quinquennium cum omnium illius ciuitatis maxima ſatisfactione gubernaſſet, ab Hercule duce Ferrariæ Illuſtriſſimo in ſuum collaterale conſilium introducitur, qui opera eius ad ſupremum vſque vitæ tempus vtitur, ac demum cum nil aliud præclari, quod in terris agendum eſſet, haberet, ad cœleſtem prouinciam aduolauit. Conſtantia vxor ac filij pientiſs: poſ: Obijt Anno M. D. XLVI. Menſ: Iul: ætatis ſuæ LXXIII.

IOAN. BLONDVS.

Blondi filius, ſibi heredibusque ſuis viuens poſ: M. C. LX.

IN AEDE D. GEORGII.

MICHAELIS SAVONAROLAE.

Dum fera flamma tuos Hieronyme paſcitur artus
Relligio ſanctas dilaniata comas.
Fleuit & ô dixit, crudeles parcite flammæ
Parcite ſunt iſto viſcera noſtra rogo.
Hic ſunt Alberti cineres mens errat in vmbris
Elyſijs ſuperis aſſociata choris,
Eloquio clarus medica clariſsimus arte
Vixit, honos Patauì Sauanarola fuit.

IN SANCTA MARIA DALVADO.

PHILIPPAE CAMERINAE DVCISSAE.

Ego illa Philippa Camerina, muliebri corpore viri animum gerens, in lubrico conſtiti, tum deſpiciendo, tum aggrediendo omnium in me oculos contuli, illos admiratione ſtupentes, hos hæſitantes ſciens reliqui, duos acerrima pugna tyrannos deſtruxi, & quoniam nihil ſine hac mihi ita ſimilitudine iuncta, vt cum ea, vel ex ea nata videar, agendum conſtitui ex principijs futura perſpiciens, hoc præparaui.

Subtus

Subtus depicta:

Iuſtitia, Mors, Fortitudo.

Quæ ſunt pro his quæ non ſunt, quæ ſi eſſent pro his quæ cum ſint non ſunt, Quæ videntur eſſe pro his quæ clam ſunt, in cauſſa ſunt, vt quod eſtis ſitis.

IACOBO CAGNACINO.

IureConſulto, qui poſt perfunctos in patria ſumma æquitate Magiſtratus, publiceque docendi munus magna ſui nominis gloria doctrinæ ergo accerſitus Ticinum morte præuentus Obijt Anno M. D. L.

A. B. F. Curarunt.

Quis fuerim, quid egerim,
Qui monumentum poſuerint,
Si tua ſcire refert Viator,
Hanc ædem ingreſſus ſcito
Manibus bona precare. ſicq; viue
Vt & cum reſurrexeris viuas.
Ex bonis defuncti qui interiori pariete ſepultus eſt

BAPTISTAE STABILINI.

Hic Baptiſta iacet Stabilinus marmore, viuus
Nunquam quieuit at quieſcit mortuus. H. M. H. N. S.

HIERONYMI BELLACVMBAE.

Vale anima candidiſſima, vale tuorum parentum, quos dolore & luctu conficis, æternum deſiderium, vale & huius patriæ, quam tua hinc migratione miſerabiliter orbaſti, & Muſarum & huius ætatis immortale decus. Vale animula blandula, & in numerum Deorum tam breui vitæ ſpacio recepta, Vale rurſus, & ſi animæ vllus eſt ſenſus, donec recto ordine te, ſicut natura concedet, aſſequemur, noſtri memor.

ANONYMI.

Iis quæ es omnia do te tibi.

IN AEDE BEATAE VIRGINIS DELLA PORTA.

Catharina Aurichalca nec mulier nec vir ſed Androgena potius, quæ cum ter modo mater eſſet, hic, ô rem miſeram, iacet, cuius quidem nominis memoriam cupiens eius vir ampliſſimis monumentis conſecrare in ſui nomine ſuiſque heredibus hoc commune ſtatuit condi ſepulcrum XII. Calend: Aprilis M. D. L.

IN AEDE B. MARIAE ANGELORVM.

ALOYSII BANCRATII.

Quiſquis adis magnæ templum Venerabile matris,
Ad noua ne pigeat ſiſtere buſta pedem,
Quid cupiam, nomenq; meum, patriamq; domumq;,
Verſibus his paucis verba notata docent.
Ille ego Campanis Aloyſius ortus in oris,
Vrbs cui natalis Parthenopea fuit
Quem genuit claro Bancratia ſanguine proles,
Cui decus eximium Martia dextra dedit.
Qui totiens auſus forti certare duello
Exuuias domito victor ab hoſte tuli.

Gallia ſemper erit, ſemperq́ Britannia teſtis
Pugnarum, & multis parta trophæa locis.
Eſtenſi tandem ſenio confectus in aula
Hic tegor, hæc de me ſint tibi nota, Vale.

HIERONYM: SYLVAE.

Non minus ſingulari certamine ter de inimicis victori, verum etiam in Gallicis Cæſarianisq; prælijs, modo Mirandulæ propugnatori, modo Salutiarum oppugnatori, atque equitum ad Carmolotam & aduerſus Parmam exercitus vniuerſi caſtrorum præfecto, tùm demum in Herc: II. Ferrariæ ducem in equeſtri militia fide, diligentia, virtute bellica & præcipua dignitate clariſſimo fratres mœſtiſs: pon: cur: Vix: ann: Lx. Obijt III. Non: Febr: M.D.Lxxiii.

HANNIBALI BENTIVOLO. II.

Ioan: fil: qui Rempubl: Bononien: princeps moderatus eſt, pro Florentinis Sarzanam cœpit, poſt equitum dux, Lud. Sfortz. Mediolanen: qui Tarent: victoriam peperit in Hetruria cum B. Liuiano conflixit, ex eoq; victoriam & ſigna retulit, hic IIII. prope & xxx. exilium adeo æquabiliter & egregiè pertulit, vt non modo aduerſariorum impotentiam virtute & conſtantia vel fregerit vel mitigarit, ſed rem quoque familiarem & patriam contra maledicos & inuidos cuſtodierit, ſic vt domus eius bonorum omnium inprimis & exulum perfugium quoddam & hoſpitium fuiſſe videatur ſuper: benem: poſ: Vix: ann: Lxxiii.

IN MEDIO ECCLESIAE.

Tumulus eſt Leonelli ducis Ferrariæ Nicolai qui XLII. annis ſumma gloria præfuit, Ficaroli arcem munitiſſimam reddidit, & ſtatuam equeſtrem ex ære, pro porta Curiæ in foro habet, filius. Is Cœnobium hoc ſplendidiſſimum condidit, ciuitatem nouis mœnijs qua Pado alluitur cinxit, vias refecit, ampliauit, & cocto lapide ſtrauit.

HIPPOLITO TVRCO.

Comiti Ariani apud Pontifices Cæſaresque & Reges internuncio, Mutinæ gubernatori, atque Alfonſi ſecundi principis ſui conſiliario ſecreto, patriæq; ſuæ Tribuno, rebus tùm arcanis tùm publicis agendis atque adminiſtrandis prudentiæ, atq; integritatis eximiæ. Hippolita Eſtenſis Taſſona vxor mœſtiſs: poſ: An: M.D. Lxxii. Vix: ann: XLII. Cuius quidem Comitis oſſa & cineres hic humi quieſcunt.

IN AEDE CARTVSIANORVM.

Dux Borſus conditus eſt, quam ipſe cum cœnobio ampliſſimo inſtituit.

IN FACIE ALTARIS.

Anno primo à terræ motu maximo, ſuperato nauali exercitu Turcarum, Deo immortali ſummo ac Diuo Chriſtophoro templum reſtaurauimus M.D. Lxxi. Regnante Alphonſo Eſtenſe II. Duce Ferrariæ quinto.

AEDIS D. CATHARINAE.

Senenſis condita eſt à Nicolao duce Leonelli filio, quanquam ipſe in templo Diuæ Mariæ Angelorum ſepultus ſit.

IN AEDE D. ANDREAE.

ANTHON. CONSTABILIS.

Rainaldi filius, ea virtute prudentia ac comitate præditus fuit, vt omnibus principibus Chriſtianis meritò fuerit cariſſimus ducumque Eſtenſium procurator, atque apud diuerſos principes Legatus eam fidem ac diligentiam præſtitit, vt mirificam propterea eorum erga ſe beneuolentiam concitarit. Ludouico Mediolanen. duci Herculis primi legatus per decennium, vſque adeo acceptus fuit, vt ab eo iuriſdictionibus & muneribus alijs præſtantiſſimis plurimis honeſtatus fuerit. De familia ſua ita benè

ita benè meritus eſt, vt maiorum laudem per ſe ſatis amplam præclaris ædificijs ac poſſeſſionibus relinquendis ac virtutis propriæ ſplendore & gloria cumularit. Vir cùm in omnibus vitæ officijs egregius, cùm maximè hoſpitalitatis laude cum magnificentiſſimo quoque ex ipſa antiquitate ſine dubio comparandus, cuius memoriæ hoc loco poſteris prodi Iulia Strozia Conſtabilis curauit, vt vbi eius cineres iacerent, ibi eiuſdem meritum legeretur elogium.

THOMASINAE GRVAMONTANAE.

Fœminæ innocentiſſimæ Bernardus Bembus in prodominatu ex teſtamento procurator officij & pietatis gratia & nominis eius in perpetuum celebrandi ex annua donatione in manium culturam legata fac: curauit.

IOAN: MVZZARELLI.

Grandia forte videns mirabere marmora, quiſue
Struxerit hoc cupies ſcire viator opus.
Hac moriens natis mandauit mole Ioannes
Et ſua, & Hippolitæ coniugis oſſa tegi.
Muzzarella illum, gens Sanuitalis at illam
Progenuit, multis quæ fuit vna parens.
Vt qui concordes vixere fideliter annos,
Nunc quoq; & vna ſimul contegat vrna duos.

IN AEDE S. PAVLI.

IOAN: BAPTISTAE SACRATO.

Cauſſarum patrono primario, qui honeſtè ſanctèque ac iuxta Chriſti D. noſtri doctrinam ſemper vixit, mirificaque humanitate ac morum ſuauitate præditus fuit, quique cum in iure ciuili & Pontificio excelleret, vt permulta alia eius præclara mittam, de ciuibus ſuis ac prouincialibus, quo ad fieri potuit, ſemper benemer: Margarita pudicitiæ & facunditatis præclari exempli eius vxor, & octo ex eo liberorum mater mœſtiſſ: poni curauit, Vix: ann: LXIII. Obijt M. D. XLV.

IOAN: MARIA VERRATVS.

Ferrarienſis Carmelit. Theolog: poſt multos labores in ſacris ſcripturis interpretandis, populoque Chriſtiano publicè ac pijs concionibus erudiendo impiorumque dogmatibus cùm ſcribendo tùm dicendo expellendis, bibliothecam collectis vndequaque omnibus omnium generum ac ordinum optimorum auctor: ſcriptis ſuo ſumptu his in ædibus inſtruxit, hoc diuo Iacobo ſacellum erexit, honeſtoque reditu pro ſtudijs eorum, qui Carmelitæ familiæ addicti ſunt eruntq; iuuandis, auxit, & eandē mortalitatis ſuæ memor hanc vrnam, qua cum fato functus fuerit, oſſa ſua tegerentur, ſibi viuens pon: cur: Anno LXXIII. Obijt autem M. D. LIII.

SIGISMVNDVS LOCATELLVS.

Ferrarienſis, equis omni nationum artificio inſtituendis artifex totius Italiæ ſuo æuo primarius, Federicique Griſonij artis eius inuentoris primi diſcipulus, qui huiuſce peritiæ ſingularis ergo Franciſco Ateſtino antea, Alphonſo ſecundo deinde duci Sereniſſimo vniuerſæque principis familiæ, ac primariæ nobilitati acceptiſſimus, nobiles multo numero adoleſcentes, equos innumeros ea diſciplina doctos fecit, egregiaque munera è vicinis remotiſque regionibus reportauit, à multis externis principibus ac Suecorum Rege ingentibus præmijs inuitatus. Vir inſigni animi tranquillitate patriam omnibus prætulit, atque ætatis ſuæ LX. ann: diem nouiſſimum operiturus hoc ſe tumulo condidit M. D. LXXXII. Menſ: Maij.

IN AEDE

IN AEDE D. FRANCISCI.

LVDOVICVS SPETIA.

Herc: fil: hoc ſacello monumenta duo f. Hoc ſua tantum Beatricisque Hieron: Trotti, Galeati fil: vxor: innocentiſs: alternum totius gentis oſſa excepturum.

RVBERTI TROILI.

Ille ego qui nunquam Mauors tua ſigna reliqui
Pro patria promptus fata ſubire mea.
Poſt varios tandem caſus vitæq; labores
Rubertus tegor hoc Troilus in tumulo.
M. D. xxx. de Menſe Iunij.

GILINO EPISCOPO COMACL.

Vtriusque I. D. Com: Palat: & equeſtri ordine inſigni, ampliſs: German: Galliæ & Roman: Curiæ legationibus honorificè, & ad vota functo & Illuſtriſs: Ateſtinæ fam: Ducibus præcipuè cariſs: qui tanta liberalitate in pauperes ſuas opes effudit, vt in acquirendis moderatior ne fuerit, an in elargiendis intemperantior, difficile ſit cognitu, & quem ann: natum LXXXII. vitam ſanè, ſi ad labores, nimis diuturnam ſi vero ad eius virtutem & patriæ deſiderium ſpectes, perbreuem, mors improba nobis eripuit, ſuperſtites pietatis ergò poſ: Obijt XII. Cal: Ianuar: M. D. LIX.

HIERONYMO NOVARIO.

Ploto, nobili Ferrarienſi & Academico, corporis & animi dotibus viro longe præſtanti, Gentilis eius vxor P. C. Obijt IIII. Id: Febru: M. D: LXXI.

ANONYMI.

Tertium quod non eſt, quod nunquam erit, vt capiat.

FRANC. VILLEE.

Corporis & animi viribus, nobilitate, fortunæ commodis, rerum vſu, armorum peritia domi foriſq; clariſſimo, qui cum multas grauiſſimasque ad ſumm: principes, & præcipuè ad Clem: VII. & ad Paulum III. Pontif: Max: nec non ad Carol. V. Imperat: à quo equeſtri ordine alijsque honoribus inſignitus fuit, legationes obierit, Mutinæq; gubernator ciuitatem illam ſingulari prudentia rexerit, eximiam apud principes Ateſtin: & inprimis apud Herculem eius nominis II. Fetrar: Ducem gratiam, honores & commoda conſecutus eſt, mox ad arma conuerſus in Gallia diu multa cũ laude militauit, Gallorumq; auſpicia in Italiam ſecutus Romam poſt mortem Pauli III. ad conclaue legatus miſſus eſt, & in Regio exercitu apud Senas caſtrorum præfecturam adeptus, demum in Subalpinis regionib: Melphij principis, qui tunc Taurinorum prouinciam obtinebat, vices egregie & ſumma cum exiſtimatione geſſit. Quapropter ab Henrico Rege Chriſtianiſſimo nobiliſſima Galliæ oppida, non tam in laborum præmium, quam virtutis teſtimonium dono accepit, quodque præcipuum eſt, æternam ſibi apud poſteros gloriam comparauit. Franc: ab Alf: filio nepos obſequentiſs: auo cariſs: ac de ſe opt: merito poſ: non ſine lacrymis. Obijt M. D. LXXII. ætatis LXXIII.

AENEAE VICO.

Nobili Parmenſi ciui Romano Alphonſi Ducis II. Ferrar: antiquario, antiquaria in antiquario verſanti, cumq; ipſis verſis ad humum verſo tandemque collapſo, & repentino obitu ſuffocato, extincto, imaginibus tamen penè ſpirantibus, ſcriptisque ſuis immortalibus ſubleuato, & vitam perpetuam reſpiranti Catharina vxor mœſtiſſima poſ: ann: M. D. LXIII. vix: ann: XLIIII.

M. ANTONIO ANTIMACHO.

Viro optimo, atque in vtriusque linguæ vtroque dicendi genere præſtantiſs: qui Græcam Ferrariæ XX. ann: profeſſus eſt publlicè quiq; in ea pluraque græce omnes

cum

cùm neque in Latina multò pauciora fecerit optima ſcripſit Epigrammata anno ætatis ſuæ vnde octuageſimo decedenti, Fabius filius vir probatiſs. poni iuſſit M. D. LII. IX. Ianuar.

FRATRIS AVGVSTINI RICHINI.

Flens veni in terras, & flens diſcedo, fuitq;
Dum vixi, fletus, vita, dolor gemitus. Anno ætat. LXXXIIII.

Fratri Auguſtino Righino Ferrarien. patri optimo, ac Theologo præſtantiſſimo, quòd annos vix X. natus Religioni dicatus eam annos amplius LXXX. continenti labore verbo exemplo & opere mirificè honeſtauit.

Quod prope annos XL. verbum Dei per vniuerſam Italiam mirabili & memorabili felicitate ac fructu diſpenſauerit.

Quod prudentia dexteritateque agendi iuuenis admodum ad regimina ordinis euocatus inſigniores & Proām integram Bononiæ & totius ordinis negotia ſapientiſſimè adminiſtrauerit, confeceritq;.

Quod in patriam tandem reuerſus annos iam ſupra XXX. & ſereniſs. Princip. noſtris Herculi patri & Alphonſo filio perpetua fide ac caritate inſeruierit: Vniuerſæ huic ciuitati pauperibus præſertim & afflictis ſolatio incredibili fuerit, ac adiumento: Domum vero hanc Seraphicam ſupra modum extulerit.

Quod eius ductu ac vigilantia ac pietate ſacellum hoc magnum à fundamentis propè excitatum ſit honeſtiſſima dote locupletatum, altare cum ſpecioſiſs. Icone Chriſto Domino aſcendente erectum dicatumque, Sedilia vtrinque magnifice diſpoſita, præcioſè ad ſacras veſtes adhibita, chorus inſuper & ſtructura lapidea ac ſedibus ligneis adiect: inſtructumq; templum hoc auguſtiſſimum fornicibus & arcubus abſolutum, Machina ipſa tota terræ motu quaſſata æterna quadam compage firmata, organa tandem eodem impetu diſſipata in meliorem ſuauioremque harmoniam inſtaurata ſint.

Patres & fratres huius ſodalitij communi pietate & obſeruantia monumentum hoc virtutis & gratitudinis ergò P. P. Anno Domini M. D LXXIIII. ætatis ſuæ LXXXXIII.

LVCIO PAGANVCIO.

Petri Anton: fil: Alphonſo Ateſtin: II. ducis Ferrariæ à ſecretis fideliſs: eidemq; acceptiſs: ad ſuſcipienda & conficienda negotia prudentiſs: ac diligentiſs: in dicen: ſententia cum primis libero, à fraude dolo ac malitia maximè abhorrenti in comparan: & retinenda omnium hominum gratia apto nato, in colloquio & congreſſu grauiſſimo ſimul & ſuauiſſimo, in amicos fide & liberalitate, in omnes æquitate ſingulari, in principem vero ipſum tanta caritate & obſeruantia, vt dum eius cauſſa nullis nec vigilijs nec laboribus infracto animo, nullo valetudinis habita ratione parcit, in grauiſſimum morbum inciderit, quo ſex & eo amplius annos conflictatus nonnihil de priſtino labore & induſtria remittere coactus eſt. Tandem macie confectus ſuperueniente febricula, Spiritum Creatori ac Seruatori ſuo piè ſanctèque reddidit, magnum bonis omnibus ſui deſiderium relinquens, cuius leuandi ergo Marcus Anton: atque Alexius monumentum hoc fratri benemerenti P. C. vixit annos XL. Menſ: V. Obijt VIII. Calend. Iunij Anno Domini M. D. LXXI.

IN AEDE FRATRVM S. NICOLAI.

VESPAS: IANVARIO.

Nobili Parthenop: Hercul: II. Ferrar: Ducis IIII. alumno gratiſſimo eiuſdem principis mortem immatur: immaturius ſubſeq: amici mœſtiſs: P. P. Ob. M. D. LIX. X. Cal. Nouemb.

IN AEDE

IN AEDE S. SPIRITVS.

Vt mortuo liceret quod viuo non permiſſum fuit vxore frui cariſſima Ioan: Paul: Pochinteſtius amoris gratia Claudiæ ſibique viuens poſ: M. D. Lx.

CISTARELLORVM.

Viximus vniti, paruo diſcrimine vitæ
Ceſſimus, vnitos ſic tenet arca duos.
Sic cœlum colimus nunc Ciſtarellus vterq;
Filius Alphonſus Horatiusq; pacens.
M. D. XXIIII.

CASPARIS GERARDINI.

Caſpari paterna Perſonalium, maternaque Gerardinorum familia nato, iuueni ſummo ingenio ac in legum ſcientia maximæ ſpei, qui vix: ann: xxv. ætatis ſuæ expleuerat, cum è vita diſcedens tanquam è carcere ad immortalitatis regionem vitam beatam proficiſci viſus eſt, pijſs: mater fratresque non ſiccis genis poſ: M. D. Lix. die xxix. Sept.

IN AEDE FRATRVM DE CONSOLATIONE.

IVLIAE QVADRIMAE.

Ingenua ac liberali indole, præclaro ingenio, lepidis morib. blando & feſtiuo eloquio, omnibus denique gratijs puellaribus gratiſſimæ, filiæ ſuauiſſimæ pater pientiſs: Hercules Bontiuolus mœſtiſs: poſ:

IN AEDE FRATRVM DE ROSA.

MACABRVNVS ANGVILLEIVS.

I.C. Hipp. II. Card: Ferrarien: diuique Alphonſ: Ferrar: Eſtenſ: fidus auditor, dum vitam egit, magna ſemper molitus eſt, præſertim ius ciuile publicè profitendo, forenſibusque in cauſſis patrocinio reſponſaq; dando, rurſum dum moritur relictis adoreis, puſillo hoc monumento contentus eſt, natus ix. Cal: April: M. CCCC. XCVIIII. Obijt M.D. LIIII. Non: Decembr.

SIGISMVND: BARISANI.

Hic oriunda Rubis Melphitæ nata Chioq;
Ducta ſub Eſtenſem gens Bariſana iacet.

BARTHOLOM: RICCIVS.

Dormit in domino, in eius alterum aduentum in æternam gloriam excitandus. Vix: ann: Lxxix. Obijt M. D. Lxix. vi. Cal: Febr:

IN AEDE D. VIRGINIS

CORPORIS CHRISTI.

Alphonſus dux ſepelitur. Cæteri duces & Marchiones Eſtenſes maiori ex parte Ateſtæ tumulantur, vtpotè Accius Nouellus qui obijt M. CC. Lxii. in æde D. Franciſci cum ſequenti Epithaphio vel inſcriptione:

Accius armipotens generoſi ſtemmatis heros
Inclytus, Eſtenſis decus indelebile belli
Marchio magnanimus toto memorabilis orbe,
Cuius opem ſenſit protecta Bononia quondam
Cardineiq; patres Veneti & Florentia, tandem
Hic ſitus eſt, animamq; Deus ſuſcepit Olympo.

DE ACCIO OBICII FILIO IN ABBATIAE VANGADITIAE MONASTERIO IVXTA Atheſin, hæc:

Annis Chriſte tuis bis ſex & mille ducentis,
Conceſſit fato Azo Marchio menſe Nouembris,
Flos decus imperij, patriæ flos, gloria mundi,
Pulcer, formoſus, ſapiens, eloquens, animoſus
Si pacem coluit, ſi triſtia bella peregit,
Semper in vtroq; prouidus fuit & gratioſus
Quid fecit Friderico, idem quid fecit Othoni
Omnibus eſt notum, nec id expedit hic recitari.
Mantua Veronaq; ſimul Ferraria plangunt
Queis fuerat dominus tunc temporis, atq; poteſtas
Quid moror in verbis? non eſt qui dicere poſſit
Nec ſcribi potuit ſua gratia quanta fuiſſet.
Inuida mors ipſum rapuit ne viueret vltra
Credo quod inde fuit etiam nunc Luna cruenta,
Hic talis tantusq; iacet, tumulo hoc tumulatur,
Qui videt hoc dicat, ſaltem Deus hunc benedicat
Quando vidiſtis Azonem verſibus iſtis,
Sit vobis notus, quamuis ſit carne remotus
Tullius eloquio fuit hic, Pelleus in armis
Ithacus ingenio, quem tu caua petra reponis.

DE VBERTINO CARRARIEN: DVCE III. IBIDEM AD PORTAM IN LOCO SVBLIMI.

Virginis in ſigno nati, quoq; virginis annis
Mille trecentenis; ter trinis terq; decenis
Hæc vbertinus plauſtro rutilante refulgens
Egregius Paduæ Dominus noua mœnia fixit.
Vt faciat tutos Paduæ reſpublica ſomnos
Ceſſet & hoſtilis rabies: Hic ergo Monarcha
Qui patriam patriæ lacerataq; membra coëgit
Fac Deus vt longam vitam bene ducat in æuum.

IN ASYLO.

MEMORIAE DIVI HERCVLIS ESTENSIS *Ducis Secundi.*

Hic Alphonſo Neap: Regi ob egregiam indolem cariſſimus, cum Galeatio Pandono viro illuſtri ac fortiſſimo, vix dum adoleſcens non ſine magna laude ſingulari certamine depugnauit.

Ad Molinellam Venetorum exercitum hoſtili impetu grauiter laborantem, virtute ſua conſeruauit, neq; prius acriter pugnare deſtitit, quàm repulſis hoſtibus plumbea glande dextrum pedem ſaucius ex prælio diſcedere & retrahere coactus eſt.

Multa imperium adeptus, ad vrbis ornatum excogitauit, perfecitq;. Aulam regiam commodiorem pulcrioremq; reddidit, innumeras domos, noua fora, publicas porticus, maxmoreis colũnis inſignes, Caſtelli veteris molẽ iampridem inchoatam celeriter & exactè conſummauit.

Beluigardi palatium auxit atq; exornauit. Belfiorem incendio conſumptum reſtituit, arcem nouam ad Eridanum poſitam, meliore ſtructura, & amœnis hortis additis, multo decentiorem refecit, aqua ex Padi alueo plumbeis fiſtulis in vrbem traducta, perennes fontes inſtituit.

Templis ferè omnibus inſtauratis, atque ad ampliorem auguſtioremque formam redactis, noua poſuit, & ea omnia præclaris muneribus ditauit, paluſtres agros ad culturam redegit, antiquorum Comœdias ac veteris Scenæ modos actusque retulit, plurimaq; ad ſpectatorum hilaritatem, inuſitato ſumptuoſoque paratu actibus interpoſuit.

Hunc nouum vrbis ambitum in Septentrionem vergentem antiquæ vrbi addidit, crebriſq; propugnaculis turritis & inexpugnabilibus muris, lata ac præcipiti foſſa, lateritijs pontibus ſuper conſtructis celeberrimè communiuit.

Tot magnificis operibus breui perfectis, tot publicè priuatimque collatis beneficijs, tot clariſſimarum virtutum ratione habita Auguſti & P. P. nomen merenti, S. P. Q. Ferrarienſis hanc equeſtrem ſtatuam viuenti poſ: ad quam ſi quis intra ambitum xx. p. confugientib: vim attulerit, ſe læſæ Maieſtatis crimen incurriſſe non ignoret.

DE TERRAE MOTV ALOYS: LVSINVS.

Diluuium, terræ motus, contagia, paßim
Bella, fames, mundi quid reliquum exitio eſt?
Ignis & ipſe propè eſt, vnde hæc? ex arce Tonantis.
Tot mala quid mundo congerit? Impietas.
Anne ſalutis adhuc ſpes vlla eſt? vnica. Quiſnam
Porriget hanc? pietas. hæc vbi? nullus habet.
Quid ſtas munde? rue, vt pietas eſt nulla, ruentem
Iam video, auxilium numina læſa negant.

EXTRA MOENIA IN TVRRI SANCTI GEORGII.

Pace Ferrariæ parta Anno M. CCCC. Lxxxv. cum à Clemente V. ſibi metueret Hercules, turrim iſtam ex fundamento deſtrui mandauit, ne hoſtium bombardis pro inferendo vrbi damno vſui eſſet, in qua re cum laborari cœptum eſſet, mutato conſilio ducis ab incœpto opere ceſſatum eſt, ex eo tamen quod iam demolitum erat, turris ad alteram partem inclinare cœpit, vt hodie quoque inclinata cernitur.

BONO-

BONONIA.

VRBS ÆMYLIÆ AMPLA ET POPVLOSA vetuſta Hetruſcorũ ſedes, Romanorũ Colonia antiquitus Felſina, à Boijs Boionia, poſtea Bononia appellata, ſita in Appennini radicibꝰ, tota orienti expoſita, cœlo nõ admodũ ſalubri, loco fertili & vberrimo, potẽs nobilitate, ædibus magnifica, frequẽs porticibus, Ad meridiem montibus vitiferis & fructiferis, ab oriente Rheno amne, ab occidente & ſeptentrione planicie omnis generis frugum ferace, vndè fœlix appellata. Nec procul ab ea eſt Sauenna fluuius, quem alij Sapinam nominant: Apoſa torrens mediam vrbem inter labitur. Murorum pars ex lapide ſpeculari fuit, qui in fundamentis creber adhuc reperitur. In circuitu VII. milliaria complectitur, portas habet XII. Turris altiſsima intra vrbem Aſinella vocatur, ad quam aſcenſus eſt per gradus ligneos CCCCXLVIII. & iuxta eam alia inchoata maior, & in vnam partem pendula, adeò vt ciuitas ſpeciem onerariæ nauis habere cenſeatur, hac ſcalæ, & alijs multis turribus funium formam repræſentante, illa verò mali inſtar emicante. Gymnaſium antiquum quod excitauit hortatu Diui Petronij Theodoſius Imp: Anno 423. Imperatores cæteri auxere, Fridericus Barbaroſſa odio Bononienſium tranſtulit Patauium. Sed & Patauij hoc manſit, & Bononiæ ſedes Muſarum reſtituta eſt, atq́ à Carolo Magno Anno Chriſti 790. ſummisq́ Pontificibus adeo exornata, vt bonarum artium parens ſemper ſit habita, & à florentiſsimis ſtudijs Bononia, quaſi ſuper omnia bona appellata. Eſt ibi collegium Hiſpanorum, in quo aluntur multi ſtudioſi, & Rectorem ipſi creant, qui ſecundas à Gymnaſij Rectore tenet. Eſt & alia Germanorum ſocietas, qui ſingulis annis binos Procuratores, Conſiliarios quatuor creant, ſuntq́ coniuncti ſuperiores & inferiores Germani. Nomen quiſq́ dat, ſeq́ iuramento obſtringit, quod ſit honori & commodis nationis conſulturus. Sacra & ſepulchra certa habent, certas poſſeſsiones, etiam certos & ſtatos conuentus. Rector Gymnaſij ne minimum quidem in illos ius habet. Bibliothecæ publicæ duæ, vna ad S. Saluatorem, pulpit: L: Hebraicis, Græcis, Latiniſq́ libris inſtructa: Altera apud S. Dominicum maior, ſed non melior, in exteriore pulp: LXVI. in interiore XXXII. in qua plurimi libri IureConſultorum, & illa Pandectarum exemplaria quibus vſus eſt Georgius Haloander Zuicauienſis, Item Archetypon Bibliæ Eſdræ in album corium ab Efora ſcriba tempore Cyri Anno 40. conſcriptæ, quam Iudæi pro vera ex familiari ac etiam notarum quarundam obſeruatione tenentes, atq́ etiam multæ Synagogæ approbantes Pontifex ſummus eò deferri curauit. Inter templa primum Diui Petri Epiſcopi ſedes: maximum D. Petronij Vrbis patroni, cuius ædificij finem fore qui & mundi Leander credit, ornatiſsimum: S. Michaelis in monte, mirabiliſsimum: Sancti Franciſci ſplendidiſsimum ſacellis Bentiuogliorum præſertim, Eremitarum magnificentiſsimum: Sancti Saluatoris elegantiſsimum, Diui Iohannis Montani pulcerrimum: Sancti Dominici, in quo cùm alia inſignia, tùm vel maximè chorus & ſacellum Sancti Dominici, in quo eius geſta tàm mirifico opere ſculpta ſunt à fratre ordinis Germano Laico, vt non ſculpta ſed picta videantur; oſſa quoq́ ipſius in candidi marmoris

tymbo excellenti opere perfecto iacent, caput vero in tholo quodam ditiſſimo monſtratur, cum vna ex ſpinis, de aculeata S. Saluatoris Chriſti corona: In chori ambitu ſepulturæ exterarum nationum, Germanorum, Cimbrorum, Anglorum & aliorum. Vetuſtiſſimum S. Stephani, olim Iſidi & Serapidi dicatum, & ſecundum quod ab vrbe condita eſt extructum cui & Iul: Cæſar ſacellum adiecit, quod inſcriptio vetus teſtatur, quæ ſic habet: CÆSARE INCHOANTE. Regitur nunc ciuitas à Legato Pontificio, cui adiunguntur XL. viri ex nobilitate, qui ſingulis duobus menſibus creantur, & appellantur Conſules, vel Confalonieri della Giuſtitia, qualicunq; libertatis ſpecie. Bononia à Lothario Imp: vexata fuit aliquando, cum Venetis bella geſſit, poſtea ciuili diſſenſione Eccleſiaſtici iuris facta eſt, rurſusq; in libertatem ſe vindicans eam non diu retinuit, & Bentiuolam gentem habuit dominos, Sic magna ſemper varietate adminiſtrata. Multa verò præclara ſunt eius ornamenta & decora. Curia Senatus elegantiſſima, & priuatæ domus ornatiſſimæ & ſumptuoſiſſimæ.

IN S: PETRO.

IN PORTICV.

Reuerendus in Chriſto pater D. Bartholomæus de Raymundis Bon: D. G. Epiſcop: à Magnifico & potenti populo electus pater, fecit fieri voltas huius porticus Anno M. CCC. Lxxxx. tempore Sanctiſſimi Domini Bonifacij IX. Papæ.

IN INTROITV ECCLESIAE.

Iubilæo à Gregorio XIII. P. M. ciue Bonoñ: per Gabrielem Cardinalem Paleottum Epiſcopum & ciuem Bononieñ: repente in ſtudium religionis pietatiſq; conuerſa obſecratione per vrbem ab omnibus ſacris & prophanis ordinibus, ipſo præſcribente atq; præſente cum Magiſtratibus Epiſcopo habita ſubinde viritim, vicatim, collegiatim & pagatim inſtructa ſub proprijs vexillis ſupplicatum hoc ordine per quinq; Menſes ad quatuor templa ab ipſo Epiſcopo conſtituta memorabili in poſterum Chriſtianæ ſanctitatis exemplo procedit.

BASIANI, PRAECEPTORIS AZONIS.

Hoc tumulata iacent Baſiani membra lapillo,
Quis ſit, metra docent, quæ ſubſcribuntur in illo.
Huic legum latis patuit victoria caſtris,
Nunc cedens fatis ſocialibus inſidet aſtris.
Canonicæ coluit ſcripturæ plenius ortum,
Qua duce promeruit cæleſtem cernere portum,
Hic erat Italiæ ſydus, reuerentia fratrum,
Flos roſeus patriæ, decus orbis, gloria patrum,
Obſequijs promptus, & in omni dogmate certus,
Conſilijs cautus: humilis, iucundus, apertus,
Si tres excipias annos de mille ducentis
Terminus occurrit, quo mortis iura ſubiuit.

EIVSDEM ALIVD.

Inuidus è medio Baſianum finis ademit,
Cuius membra breuis hic ſita petra premit.
Summus in alterutro Doctoris iure peregit
Hactenus officium, quem lapis iſte tegit.
Iura duo potuit naturæ ius ſuperare,
Hæc duo de proprio mors fugat vna lare.

Iſtius

Iſtius meruere ſinu duo iura locari,
Solus in Italia qui fuit absq; pari.
Non ſibi, ſed vitæ moritur, fons iuris & aret
Non is ea, ſed eo vita moderna caret.
Quisquis in iſtius cathedram ſuccedere quærit,
Fontis reſpectu riuus ineptus erit.
Hunc ſociat ſummis conuerſio Paulica turmis.

Subſcriptum:

Magnæ igitur virtutis eſt, & ſublimioris ingenij, ſub ſenſu animum retrahere, dicæ ratione generoſam erigere mentem, & diuinam ſublimare naturam, vt ad ſuperos inuiſibilis animus aduolare contendat. Nemo diuitijs, nemo faſcibus confidat, quia immortalem iſta non faciunt. Verùm illa eſt feliciſſima hominũ hereditas, iuſtitiam, fidem caritatem obſeruaſſe.

BERNARDINI DE BOTONO.

S. Domini Bernardini de Botono de Parma Cancellarij Bononien: Decretorum Doctoris & apparatus Decretalium compilatoris.

HIERONYMVS CAMPEGIVS.

Iuris V. D. Epiſcop: Parenſis, Vrſarij & Sancti Vincentij comes, & Domini noſtri Sanctiſſimi prælatus domeſticus continuus commenſalis, Sereniſſimi Imp: conſiliarius comes Palatinus, vix: ann: LXXIII.

TANCREDI S.

Magiſtri Tancredi eximij Doctoris Decretorum Archidiaconi Bononien: Orate pro eo.

DIONYSII CASTELLAE.

Cui poterat quodcunq; boni natura remiſit
Caſtellæ gentis ecce Dionyſius.
Is vigil ob patrij curam ſtudiumq; Senatus,
Per malè labentem reſtituit patriam.
Conſilio pietate prior grauitate vel armis
Seu belli aut placidæ tempora pacis erant.

IOANNIS PLATENSIS.

D. O. M. Q.

Viator ſi cupis ſcire qui ſim, Ioannes Plateus Pontif: ciuilisque iuris cultor & ſcriptor. Monumentum vetuſtate corruptum deſtructumque renouatur decreto Cardinalis Iuliani Ruere Bononien: Epiſcopi ac principis virtutum bonorumque virorum fautoris, cui Bononia patria permaxima debet. Conciues mei, rogatos vos volo, vt pacem habeatis, Deum timete, dateque illi honorem, iuſtitiam colite, aduerſa proſperabuntur & bene erit, procurante Franciſco Guidizono Cardinalis familiari Anno M. D. II. XIII. Calend. Febr:

MARTINO AGRIPPAE.

Mediolanenſi, huius ædis Canonico, alijs ſacerdotijs inſigni.

Si doctrina, vigor mentis, facundia, virtus,
Ius in fata habeant ſaluus Agrippa fores.
Heu quam rara ad eos ſolet aduentare ſenectus,
Qui nimijs animi dotibus exuperant.

BERNARDINO PINO.

Canonico & iuris vtriusque conſultiſſimo religione, probitate, integritate, iuſtitiaq; incomparabili Paulus & Caſpar Pini patruo deſideratiſſimo, mœrore pleni poſ: Anno M. D. XXVIII.

LAVRENTIO PINO.

Iureconſulto, matutinæ ſcholæ principi frater, vxor, liberi pientiſſ: opt: de ſemer: p.p. Vix: ann: XXXVIIII. Obijt Calend. Octob. Anno M. D. XIII.

LAVRENTII PINI. II.

Hic ſita ſunt oſſa Laurentij Pini II. legum in Bononien: Gymnaſio Doct: celeberr: qui cum ad eximiam iuris vtriuſque prudentiam multiplicemque eruditionem incomparabilem vitæ integritatem motumq; elegantiam adiunxiſſet, facilè principem inter ſui temporis IureConſultos locum obtinuit. Obijt Anno M. D. XLII. Vix: ann: XLIX.

PARIS DE CRASSIS.

Epiſcop: Piſaurenſis viuens ſibi poſuit.

BERNARDINO PIO.

Qui Piorum genti nobili atque vetuſtæ, eidemq; ditione, militia literis, & ſacro purpuratorum patrum fulgore, illuſtri, ſuum ipſe quoque lumen iuris ciuilis ſcientia, ſingulari probitate & humanitate attulit, Ioan: Andr: pius fratri B. M. poſ: Vix: ann: XXXIII. dies IX. Menſ: IIII. Obijt Anno M. D. LXIII.

CACCIANIMICORVM.

Clariſſ: IureConſultis Scipioni & Hannibali fratribus amantiſſ: Iulius Caccianimicus Iuris vtriusque Doctor ac Eques multis cum lacrymis poſ: Anno à Chriſto nato M. D. XXXIIII.

GVILIELMI LVCENSIS.

Hic Guilielmus erat Lucenſis origine dictus
Cui merito nomen lucis origo dedit.
Sacræ doctrinæ titulis & honore Magiſtri
Lucens, Italicis Lucifer alter erat.
Quod prius in ſpeculo cernebat, lumine vero
Nunc cernit, Deitas nunc patet ipſa ſibi.
Poſt vitam vita fruitur, mors pocula mortis
Huic dedit, ad vitam ſumpſit & hauſit ea.
Auguſti ſibi prima dies fuit vltima vitæ,
Huius & ad vitam ianua prima fuit.
Anno milleno centeno ſeptuageno
Octauo domini mors ſibi vita fuit.

ANTONIO CRASSO.

Bononien: patricio, Epiſcopo Tiburtino, ſacri Palatij cauſſarum auditori, comiti Palatino iure vtroq; inſigni virtutum meritis Pontif: Max: Cæſarique caro, fratres nepotes ob eius in ſuos munificentiam poſ: Vix: ann: LXIX. Menſ: XII. Obijt Anno M. CCCC. Lxxxx.

IOANNI ARIOSTO.

Qui obijt Non. Octobr: M. D. LV. Annibal: fil: tr: pl: B. M. P. Calend. Sextil: M. D. L.

Magnificum & ſplendidum.

Paris de graſſis Epiſcopus Piſauren: viuens ſibi poſuit.

SALVA-

SALVATOR MALEGOTTVS.

Canonicus Bononien: humanæ caducitatis memor hic ſe ſuosque volentes condi voluit. M. D. xxxix.

FRANCISCVS MILETVS.

Miles & Eques Bononien: Obijt M. D. XL.

LVD: MVZOLI.

Hic pius integræ vitæ Ludouice recumbis
Muzolæ qui fueras doctor vtroq; foro.
Sedis Apoſtolicæ decus atq; Canonico Petri,
Collegijq; ſimul ſarcina docta boni.

OTTONI VBALDI.

Hic iacet bonus Antiſtes Ottonus
Vbaldinorum generis fuit egregiorum.
Corpore ſolutus tranſiuit ad aſtra beatus
Funde preces Chriſto lector pro præſule noſtro.
M. CC. Lxxxxv. Indict: I. die xviii. Septemb.

IN S. PETRONIO.

DE INITIO ACADEM: VERSVS NVMERALES.

Ingenuas artes ſacrasq; Bononia leges
Incipit egregijs fœta fouere ſcholis.

Theodoſij Cæſaris Priuilegium.

Ne bonæ artes cunctaq; diſciplinarum dogmata depereant, cum mores, ſanctas, iudicia, cæteraque id genus optimis doctrinis gubernentur, Nos Theodoſius Dei gratia Rom: Imp: Aug: commoditate ac fertilitate loci capti, v. an: xx. menſium penſitato conſilio, in dignitatis noſtræ ſolio ſedentes, generali Chriſtianorum conuocato concilio, ſummo Pontifice Cœleſtino, Cardinalibus xii. Archiepiſcopis Epiſcopiſque innumeris alijsq; in varijs dignitatibus conſtitutis, principibus ac Ducibus Chriſtianis, Balduino quoq; Flandren: ac Gualtero Pictauien: Comitibus legatis, quorum alter Ludouici Franciæ, alter Philippi Angliæ Regum, illis arduis negotijs addicti vicem geſſere, ſedente etiam centum Senatorum Collegio, Bononiam omnium ſcientiarũ fontem, arcanorum noſtrorum armarium, perennem ſtudij ſedem fore, hac inuiolabili indulgentia decernimus. Volentes inſuper vt omnes ſententiæ à iudicibus, qui in hac alma ciuitate per quinquennium ſaltem non ſtuduerint, latæ, nullæ penitus exiſtant. Et ſi quis ad Magiſtratus promotus dignitatem ab alio quàm ab Archidiacono Bononienſi librum Magiſtralem ſuſceperit, quamlibet id quarumlibet facultatum periti præſtiterint, approbauerintq;, eum autoritate noſtra omni dignitate priuamus. Si quis vero Scholaſticos ad ſtudium hoc euntes abeunteſuè auſu temerario offenderit, capite puniatur. Hoc ni præſes exequatur, eadem illum pœna affligi iubemus. Huius autem ſacræ Conſtitutionis Exemplar bulla aurea Maieſtatis noſtræ munitum, manuq; Ciceronis curiæ noſtræ Notarij ſcriptum ad perpetuam rei memoriam Petronio Epiſcopo Bononienſi, ex Cæſarum Conſtantinopolitanorum ſanguine orto, idem ſummis precibus efflagitanti ac procuranti, gubernandum, cuſtodiendum, omnibusque viribus exequendum tradimus ac concedimus. Romæ in Capitolio anno Dominicæ natiuitatis CCCC. xxiii. die ix. Maij. Ioan: Franciſc: Aldrouandus vii. Dictator ære publico poſuit. M. D. X. prid. Calend. Martij.

IN TABVLA AENEA IBIDEM.

Huc vſque licet,ſi commoda hæc grandia ſpectatum venis, quæ Iulius II. P. M. trib: pleb: tabell: ac mercatorib: cæteror: nec non opificum collegijs probitate ſua indulſit.

Frumenti omne genus à XIIII. Calend: Nouemb: M.D.x. vſq; ad Calend: Ianuar: M. D. L. immunis molito. Vltra verò id tempus ſingulis cordibus librar: CXI. precium duorum ſolidûm argenteorum maneto: Portarum Vectigalia dimidio minora quam antea ſunto: Pecunia ex agro boum cauſſa quotannis erogari ſolita, in aliud munus agricolis non perinde graue commutator, & attrito caſtrenſibus ſtationibus agro inde nec fœnum militibus nec paleæ vehuntor. Cauſſæ ciuiles & capitales ab ordinarijs Iudicibus ſolum & ſolemniter audiantor: Captiui publico tantum carceri addicuntor, Municipaliaque paſſim omnia, tàm foro ciuili & capitali,quam mercatorio & fabrili deſeruientia non omittuntor, ac nemini præterquàm publico exactori mulctatitium æs adſeruandum dator: Prolatæ poſt ſemeſtrem à Criticis ciuibus in Prætorem ſemel ſententiæ firmæ ac ratæ habentor. Oppida arceſque extra Pomerium ſitæ biennio tantum, & à Bononienſe duntaxat ciue cuſtodiuntor, cuncta inſuper ſacerdotia exteris alienigeniſque ne conferuntor: Nemo Iudice prolegato legatouè his apoſtolicis indultis priuilegijs aduerſator, & ſi ſecus factum fuerit infectum eſto.

IOANNIS DVCIS BAVARIAE.

Ioanni è genere Ducum Bauariæ Pontificum Rom: ac Cæſarum Imperatorumq; rebus benè proſpereque geſtis, virtus & felicitas huic immortale monumentum extruxêre. Vix: ann: LXVII. Obijt M. D. XXXVII. Calend: Septemb.

DE GRATIANO DECRETORVM Autore.

Gratiani Cluſini Cæſarei Iuris & Pontificij enucleatoris propè diuini, qui monachus in martyrum Felicis & Naboris æde abſolutiſſ: ibidem opus Decretorum anno gratiæ M. C. LI. compilauit,monumentum,quod illic carie ruderibusque obſorduerat, hic magnificentius renouatum Ioan: Franciſ: Aldrouandus Bononienſ: III. Dictator ære publico inſtaurauit anno ſalutis M. CCCC. XCIX. Idib. Iunij, Ioanne Bentiuolo II. p. p. Rempublicam feliciter gubernante.

CAESAR AMELIENSIS PONT: NAV:

Hic eſt qui vicem gerens legati Bononienſium ſumma æquitate ciuibus jus reddidit, mox annum agens III. & LX. conceſſit orco, Vixit dum vixit benè.

DOMINICO IANNIO.

Bononien: qui ob ædificandi fingendique artis præſtantiam ſummis Pontificibus gratiſſimus in Romanam eſt adſcriptus ciuitatem. Anton: frater mœſtiſſ. poſ.

PAVLI

PAVLI SPATARII.

Paulus Spatarius Bononienſis hac
Non ſolus vrna clauditur, ſed Muſicæ
Theoricæ inclytum decus, ſimul fides.
Benè his boni ergo omnes precentur manibus. Vix: ann: Lxxx.

MEMORIAE ANDREAE BARBATIAE.

Equitis & Regis Arragonum conſiliarij, ac Iuris ciuilis & Pontificij interpretis ætate ſua clariſs: Pronepotes proauo B. M. PP. Anno M. D. Lxxxii. Obijt M. cccc. Lxxix.

ANDREAE BARBATIAE.

Siculo, maximo V. I. monarchæ, & Equiti aurato, hic molliter agenti, ſua coniunx Margareta de Pepulis, & pia in parentem proles, hoc opus bene merenti dicauit.

FLORIANO CEREOLO.

Nobili Bononien. Philoſophiæ, Theologiæ ac aliarum bonarum artium in Academia Bonon: per viii. & XL. annos fidiſſimo interpreti, & religione, pietate, moribus inſigni, huius ædis Canonico, Laurentius & ipſe hic Canonicus & Ioan: Baptiſta Cereoli nepotes officioſi inſtaurauêre Anno M. D. xxvi. Cal: Octobr: Vix: ann: Lxxii. Obijt pridie Kalend: Septemb: M. CCCC. xcvi.

ANTONIOTTO PALAVICINO.

Patricio Genuenſi, Protonotario Apoſtolico, ingenio, bonarum artium ac literarum cognitione, morum ſuauitate præſtanti, Cyprianus fratri b. m. p. Vix: ann: xxvii. Ob: M. D. xxviii.

OCTAVIANI CASTELLI.

Epiſcopi Ferrariæ mortui hic ſepulti. Mors norma vitæ eſt optima. Fælix qui ſtatuit bonum quod vnum eſt.

IBIDEM.

CORNELII MARSILII.
M. ANTONII MARSILII.
ALBERTI BRVSCOLI ſepulchra.

MARCO ANTONIO MARSCOTTO.

I. V. Doctori, Protonotario Apoſtolico. D. Petronij Canonico & primic. ſub Clement: VII. & Paulo III. Pontif: Max: XII. viro litibus iudicandis, qui Romæ annum agens LXIII. cum ingenti bonorum omnium luctu vita functus eſt, Iulius Cæſar Marſcottus M. P. Obijt M. D. XLIII. viii. Cal: Mart.

IN PHILIP. BEROALDI SEPVLCRO.

O literæ, ô cantus, ô Apollines vobis impoſterum quid, heu, fiet?

IN S. FRANCISCO.

ANGELO CYNO.

Politiano I.C. Bononien. rerum capitalium Iudici, Apoſtolico Protonotario, Deſiderius frater Conturius ſororius mœſtiſs: p.p. Vixit ann: XLvi. Dies xv. Obijt prid: Calend: Aprilis.

ALEXANDRI CAPRARIAE.

Oſſa hic conduntur, qui agens LVIIII. annum, migrauit eò vndè deceſſit, vt ibi perpetuò quieſcat. Hieron: fr: patri b. m. p. Anno M. D. Lvii.

BARTHOLOMAEO MAGIO.

Bononien: Philoſopho ac Medico præclaro, cuius mira virtutum facultas Iul. III. Pont: Max: Henrico Galliar: Regi totiq; orbi notiſſima fuerat, qui vix: ann: Lxxv. Menſ: vii. Dies xii. Obijt vii. Id: April: Ioan: Baptiſta Maggias fratri B. M. P. M. D. Lii.

POMPEIO PEREGRINO.

Artium & Medicinæ Doctori & equiti, Vix: ann: XLviiii. M. iii. Obijt M. D. XLii. prid: Calend: Martij.

Qualis

Qualis erat bello Pompeius corpore & aſtu,
Talis erat ſtudio viribus ingenij:
Intima naturæ merito ſcrutatus, at illa
Huius cognomen par dedit ingenio.

LVDOVICO BVCCAFERREO.

Bononien: Philoſopho, qui vixit annis LXII. Obijt Anno M. D. XLIIII. Non. Maij.

IOHANNI BABTISTAE TEGIATAE.

Omnium Philoſophiæ & Medicinæ ter maximo. Vix: ann: xx. M. VI. D. VI. Obijt Ann. M. D. LVI. Pater inconſolabilis poſ:

HYERON: GADIO.

Qui Metaphyſicen, Theologiamq; publicè XVIII. annis profeſſus eſt Bononiæ vtiliter & honorificè: ac pariter

Laurentio Patæ Gadij ſucceſſori tum aſcito ad Epātum, cùm ſupremam geſſiſſet ord. minor. conuent. præfecturam, vtriq; ſano Bononien. franc^no^. & de ſtudioſis benè merito: Iulius Maganus Placentinus. ord. Min. conuentualium generalis, gratitudinis ergo poſ. anno M. D. LIII.

CAESARIS KVFENI Sepulc.
PANNINAE FAELICINAE.
MATTHAEI CAPRARIAE ET CAMILLAE GRIPHONAE.
CAMILLI ZAMBECCARII.
BONIFACII DESIDERII ROM:
HIERON: DESIDERII.
PETRI BOMFII.
BERNAR: AMBECHARIS.
VIANESII ALBERGATI.
GASPAR. ARGILIEN:
PAVLI DELLA VOLTA.
CAMILLI RAGVSII.
LVD^ca^. MACCHIAEVELLAE.

GVALTERO GISLERIO.

Summis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenij prædito, vxor & filij Dulciſs. p.

PETRO FLISCO.

Splendidiſs: natalib: orto Lauaniæ Comiti, iuris ciuilis Pontificijq; conſultiſs: Protonotario Apoſtolico multis & varijs animi & corporis dotibus ornato, in primo iuuentutis flore extincto, fratres pietatis ergo monumentum hoc dicarunt M. CCCC. XCII.

LVDOVICO GOZADINO.

Inſigni interpreti Senatus Bononien: vix: ann: LVII. Obijt Anno M. D. XXXVI. Ioannis Zachij opus.

BAPTIS: BARTHOLOM: CLARICINI.

Aliàs de Gambaro viuens ſibi poſteriſq; parauit M. D. LXXVI.

Qui ſpeculum hoc cernis cur non mortalia ſpernis?
Tali namq; domo clauditur omnis homo.

BERNARDINI ZAMBACCARINI.

Hoc eſt ſepulcrum ſpectabiliſs: & egregij I. V. Doctoris famoſiſſimi D. Bernardi Zambaccarij, qui obijt anno M. CCCC. XXIIII. die XV. Aprilis.

FRANCISCI GISLERI.

Franciſcus iacet hoc Giſlerus marmore, cuius
Nulla vnquam in ſanctis lis perijt manibus.
Perdidit hanc vnam tantum quam ferrea mouit
Atropos, aſt extra lis fuit iſta forum.

IBI-

IBIDEM.

Ad perpetuam rei memoriam lapis hicce quid velit ſibi ciuibus ac peregrinis teſtificator. Regi cui omnia parent ſacrum.

Bonapartes Giſlerus Georgij F. cum IIII. ſacerdotum conſortijs hunc in modum pepigit Bononi: In hanc D. Franciſci ædem quotannis Idib: Nouemb: conueniunto, ſacrum anniuerſarium ſua impenſa faciunto, ſuperos voce modulatione & numeris exquiſitioribus precati Bonapartis Giſleri Iſottæ Caldarinæ eius vxoris manibus parentato. Pacta ritè ſancita omnia Iacobus Carlinus cauſidicus, Ludouicus tab: publ: conſignarunt. Anno à nato Chriſto M. D. XXVIII.

BONAPARTES GISLERVS.

Georgij f: Senatus Bononien: ſcriba Iſotæ Calderinæ coniugi cariſs: cum qua vixit XLV. ſine iurgio & ſibi & ſuis poſteriſque eorum pietatis naturæ legum atque officij memor poſ: anno à Virg: partu M. D. XXVII. Vix: illa an: LXIIII. Hominum luxus, faſtus, deliciæ, quæ vitam vitalem eſſe non ſinunt, heu quo redeunt!

THOMAE CLARICINO.

Gambaro Canonico Sancti Petronij, ſumma virtute, plurimis bonis artibus prædito. Nam ad Philoſophiam & Iuris diſciplinas quibus in omnibus excellebat, pingendi, ſculpendi, excudendi atque ex omni materia fingendi, & præter has cognoſcendi ex inſpectione vultus hominum mores vitaſque incredibilem peritiam adiunxerat, qui vix: ann: LXXI. Menſ: VIII. diem I. & Diamanti vxori, qua cum annis XLV. amantiſs: concordiſſimeque vixit Petr. Claricinus dupliciter mœrens fratri & coniugi b. m. p. Anno ſalutis M. D. XXVI.

Viximus vnanimes vnanimesq; ſumus.

MARSILII SANCTAE SOPHIAE MEDICI.

Viuat vt æternum vitæ iam munere functus,
Hoc præſtat virtus quæ facit vna Deos.
Sic inuecta polo ſupera mens regnat in aula
Vndiq; per terras inclyta fama viget.
Quæ mortalis erat iacet hic pars condita, magni
Exuuias animi colligit vrna breuis.
Quumq; procul latè reſonet ſua gloria, ſaxum
Accipit exiguis nomina magna notis.
Marſilius Patauus cui dat gens alma Sophiæ,
Bononiæ medicus, dum docet, occubuit.

IOHANNES S. SOPHIAE.

Artiſta eximius, Medicinæ ritè Monarcha
Atq; ſalus Pataui grandis & ampla iacet.
Ecce pater ſtudij languentum cura Ioannes
Ortum cui celebris Sancta Sophia dedit,
Virtutis ſpeculum præfulgens totus honeſtus,
Norma pudicitiæ, fidus amicus erat.
Expers nequitiæ, ſcelus oſus, regula vitæ
Hic fuit, atq; omnis ſplendida cella boni.
Quidquid Ariſtoteles, Hipocras, tulit & Galienus
Hauſerat, & quidquid ſacra medela canit.

Praxis

Praxis vera fuit, totiq; ſalutifer orbi,
Cuius fama nitens permeat omne ſolum.
Hac terram iuxta voluit ſcepelirier vrna,
Vt mitis natus ſeq; ſubeſſe patri.
Terra ſuum cœpit, cœpit ſibi debita cælum,
Perfruitur toto mens vbi ſancta DEO.

BARTHOLOM. SANCT. SOPHIAE.

Quem dedit alta domus ſanctæ propago Sophiæ
Hic iacet inſignis præclarus Bartholomæus.
Heu quo lapſa ruit medicinæ fracta columna
Tanti morte viri, pro quo fleat æther & orbis.

ANONYMI.

Vir bonus & multa viuens virtute decorus,
Qui pelagus legum vidit penetratq; poëſis
Qui fuerat iuſtus, prudens, fortisq; modeſtus
Oſſa tenet tumulus, melior pars iuit ad aſtra.
M. CCC. XLVIIII. die IX. Octobr.

GISLERII GVALENGAE.

Hic tuus eſt Giſlerus nate Gualengæ
Cuius honoratæ ſimul heredumq; ſuorum
Obſequio patriæ, mortem perpeſſe ſeueram
Mille trecentenis Chriſti labentibus annis
Ac decies centum cum dena luce Decembris
Atq; ſecunda ſolſtitio iam ſole relicto.

Bonapartes Giſlerus Georg: f: ære publico inſtaurauit M. D. XXIX.

ALEGRINVS.

Fran: olim Iacobi de Marſilijs nobil: Bon: Com: Eques ac Catafractus, & inſignis miles Franciſci Sfort: Mediolanen: Ducis Anno M. CCCC. LVII. Vix: ann: LXXXIX. Bernard: & Ioan: Franc: Com: Equit: ac milites inſignes Ioan: Bentiuoli & alior: illuſtriſs: excellent: ann: M. CCCC. LXXXIII. Franc. & fatr: fil. Ber: eq: Bernhardus & frat: D. Franc: ad perpetuam memoriam pro ſe & ſuis conſanguineis inſtaurarunt, Anno M. D. LXXXI.

S. Stephani Deſiderij Iureconſulti præclariſs.

ALEX V. PAPAE.

Petro Filardo Cretenſi viro inſigni oratori gentium concionatori facundiſſimo, Conſiliario Ducum, diſputatori acerrimo, Pariſijs pub: Theologi: profitenti in quat: ſentent: libros ſcriptori luculentiſſimo, qui ex ordine Minorum ad Epãtum Vincentiæ Nouariæ Archiep: Mediolanen. Cardinalat: & tandem ad ſummi Pontificatus apicem euectus & Alex: V. appellatus Bononiæ moritur anno ſalutis M. CCCC. X. Pontif: ſui Menſ: VIII.

Io: Bapt: Paganus de Zanctinis bono pietatis impulſus dum plura in hoc templo diuino cultui pararet eidem diuo cultori hoc mauſoleum reparauit Anno. M. D. LXXXVIII. die XX. Septemb.

Summus Paſtorum Alexander Quintus & omne
Scripturæ lumen, ſanctiſſimus ordo Minorum
Quem dedit & proprio Cretenſis nomine Petrus.
Migrauit M. CCCC. X.

PAVLO BRVTO.

Parthenopæo, viro pacis bellique artibus claro, eloquentiæ inprimis omniſq; Græcæ & Latinæ eruditionis laude præſtanti, qui acceptis à Carolo V. Aug: equeſt: ord: or-

ord: ornamentis in Palatin: & SS. Lateranum aulæ Imperial. conſiſtorijque comitatum cooptatum à Genuen: Repub: quam vnam quæ ſibi patriæ eſſet delegerat in Francorum familiam aſcitus à Hieron: Grimoaldo S. R. E. Card: multis honoribus affectus, & ornatiſſimis diplomat: donatus, ab Andr. Aurio Cæſ: præfecto, cuius etiam geſta Heroicis numeris celebrauit in familiariſs. numerum receptus, poſtremò quo filior: & generi ſtudia incitaret Bononiam profectus honeſtiſs: poſthabitis ſtipendijs, quæ quod pub: mun: apud Genuat: latinè interpretaretur, resque eorum geſtas perſcriberet, multos iam annos ex aſſe conſequeretur, ingenti bonorum omnium dolore è vita exceſſit.

Vincent. Thonius Rob. f. gener ac filij ſocero & patri incomparabili P. P. Vix: ann: LIII. Menſ. VIII. dies XXVI. Obijt Anno M. D. XLIIII. In Septembr.

FRANC. VICEDOMINI.

Ferrarien: viro liberalium artium ſcientia Theologica ſacrarumque concionum facultate, quas aggreſſus à puero perpetuò conſtantiſſimè cum omnium Italiæ ciuitatum admiratione habuit præſtantiſſimo, qui Prouincia Bononien: huiuſce admirabiliter adminiſtrata honeſtis in muneribus pro religione obeundis piè feliciterque obdormiuit anno ætatis ſuæ LVII. Octob. XXIX.

FELICINI.

Hoc ſua componunt Felicini membra ſepulcro
Inſignes clara nobilitate viri. Durandum eſt.
Deterior hominis pars hinc profecta huc redit.
Potior ſibi conſimilem quærit demum.
Hæc via vniuerſæ carnis.

IOAN. BAPTIST. SIGHICELLO.

Epiſcopo Fauentino qui cum integritate vitæ, pietate ac religione eximiam Philoſophiæ, Iuriſprudentiæ, ac omnis politioris doctrinæ cognitionem ita coniunxit, vt in ſingulis præſtantiſſimi cuiuſque laudes æquarit, nepotes patruo optimo atque b. m. p. p. Vix: ann: LXVIII. Menſ: IX. Dies X. Obijt anno Iubilæi M. D. LXXV. Id: Quint.

FRANCISCO DVDVM.

Comit: Baſſæ Ranutio nobili Comiti & Senatori Bononien: paternæ pietatis non immemor Hieron: fil: & heres ex teſtamento poſ: Vix: ann: LXV. Obijt M. D. LI.

VINCENTIO ALBERGATO.

Patria Bonon. Protonotario Apoſtolico Referendario ac Vicecamerario Thiphes: patrimonij Campanile vrbis Romæ Gubernatori opt: Pontiff: V. ob fidem cariſſimo, qui Vulſinum Canale Tolphon Monticellum Aribianum Nurſinosq; in S. R. E. ditionem redegit, dum inter Senenſes & Cornetanos ageretur de finibus, anno peracto L. huc migrauit. Vix: ann: L. Menſ: IIII. dies XII. Dominicus Protonotarius Vicecamerarius & vrbis Gubernator Petrus eques Ludou: Iureconſultus ac Fabianus fratri pientiſſimo b. merenti vnanimes dicauêre.

IN AMBITV.

Sunt ſepulturæ familiæ de Teſtis: Badegiorum, de Plateſijs de Magentibus de Guardinis de Marſtilijs de Macchiauellis.

VINCENT. ALBERGATO.

Elegantis ingenij & ſpectatæ fidei viro Protonotario Apoſtolico Leon: X. Pontif: in Hiſpanio Nuncio atque in eiuſdem & Hadriani & Clement: Pontiff: aulis magna cum gratia & laude, ſummoque cum honore verſato. Vix: ann: LV. Obijt M. D. XXXII. Fabius Albergatus patruo B. M. nepos gratiſs. poſ. Anno M. D. LXXII.

ACCVRSII ANTE TEMPLVM in Cœmiterio

Sepulcrum toris legum ♁ Accurſij gloſſa- & Franciſci eius filij.

SALVIVS DE ROCIIS.

Doctor legum & Decretorum.

HIERONYMVS GRATVS.

Iureconſultus. M. D. XLIIII.

IOAN. BAP. BVTRIGARII.

Oſtium monumenti Mag: equitis Domini Ioan: Bapt: Butrigarij M. D. XL.

ROLANDI.

S. D. Rolandini de Romancijs Doctoris legum, qui obijt Anno Domini M. CC. Lxxxiiii. Indict: xii. Die xi. intrante Septemb.

MARTINI DE BVRGOPANIGALIS.

Hæc eſt ſepultura D. Martini de Burgapanigalis.

ODOFREDI.

Deo trino & vni, pyramidem & ſepulcrum vetuſtate corrupta quæ Albertus genitori ſuo Odofredo legum parenti Anno ſal: M. CC. Lxv. iii. Non: Decemb. defuncto poſuerat, Laurentius Odofredus Dominici Odofredi poſterioris filius Albertiq; trinepos, ſua impenſa in meliorem formam opere & cultu ſplendidiore reſtituit Anno gratiæ M. CCCC. xcvii. Calend. Septemb. Hieronymus quondam Laurentij de Odofredis reparauit die i. Menſis Decemb. Anno M. D. XLVII.

In ipſo monumento verſus hi antiquis characteribus:

Clauditur hic mundi ſenſus iuriſq; profundi
Lux, fœdus pacis, Doctorum flos Odofredus,
Si ſemel M, C. bis, LXV. mente tenebris
Hinc ſine N. membris in terna nocte Decembris.

ALEXANDRI BVTRIGARII.

Qui rexit conſulta patrum, qui Marte forenſi
Bella tulit, cuſtos iuris & arx fidei.
Paruus Alexander cinis iacet, impia fata
Impia de tanto numine nomen erit.

Vix. ann: Lxviii. ab ann: C. N. M. D. V.

Dominus Galeatius I. V. D. Ioannes Baptiſta & Hercules Alexandro Butrigario patri optimo ac Cauſidico excellentiſſimo tumulum hunc erexere Anno Domini M. D. xviii.

GEMINIANI DE INGRAVIIS DE PRATO.

Sepulchrum Decretorum Doctoris, ac ſacri Palatij Apoſtolici cauſſarum auditoris in fratrum prædeceſſorum & ſucceſſorum ſuorum M.

S. D. BARTHOLOMAEI DE PRATIS.

Legum interpretis, & heredum ſuorum, qui obijt Anno Domini M. CCC. xix. Die xxi. Septemb.

R. D. GALEATIO BVTRIGARIO.

Epiſcopo Caietano V. Iuris C. ac ſedis Apoſtolicæ perluſtrum apud Ferdinandum Regem Hiſpaniæ Nuncio, in medio ætatis ac honoris flore rapto. Vix: ann: XLI. Menſ. x. Deceſſit M. D. xviii.

Statutum eſt homini ſemel mori:

O nimium ſed nunquam ſatis illacrymati fratres iniecto puluere & leſſo lacto. Valete.

Vltimum terribilium mors eſt.

Herculi

Herculi pariter fratri, archiuij Rom: Curiæ correctori, ac ſpei max: iuueni florentiſs: æui vere ſucciſo. Vix: ann. xxv. Menſ: vi. Obijt Ann: M. D. xx. Ioan: Baptiſta frater inconſolabilis poſuit Anno M. D. xxii.

Item Galeatij Butrigarij Cauſidici Obijt M. D. xviii.

CAMILLAE GVASTAVILLANI.

Te mihi erepta coniunx, quid vitæ reliquum eſſe poteſt.

ASCANIO MAGISTRO C. R.

Qui xviiii. ætatis ſuæ anno in ſingulari certamine cum vitam iam victor clementiſs: animo hoſti donaſſet de improuiſo ab eodem ingratiſs: percuſſus vitam amiſit Agabitus mœſtiſs. f: amantiſs. p. viii. Calend. Iul. Anno M. D. Li.

CORNELIAE CICARDELLAE.

Nicolai f: quæ x. puerperæ dum xi. parere nequit ac ei infans ex vtero mortuus eijcitur, dolore victa interijt. Vixit annos xxxiiii. M. ix. Dies ix. Obijt vii. Id. Febr: ann. M. D. Lii. Albertus Mangonius coniugi dulciſs. poſ.

PETRI DE CANTILO.

Sepulcrum famoſiſſimi legum Doctoris Petri de Cantilo & ſuorum deſcendentium.

IN PRIMA FACIE TVRRIS SANCTI SERVATII.

AZONIS.

TRINITATI.

Azoni IureConſultorum numini, Anno gratiæ M. CC. hic tumulato, in ſepulcro vetuſtate collapſo, ac inter rudera vix agnito, Ioan. Franciſc. Aldrouandus dictator & Coſſ. Bononien. publica impenſa conciui ſuo b. m. memoriam poſuit. Anno ſalutis M. CD. xcvi. v. Cal. Octob.

STEPHANO DESIDERIO.

Iuris vtriusq; interpreti celeberrimo, quem mors immatura rapuit, parentes filio ſuo dulciſſimo de ſe benè merito flentes erexêre. Vix. ann. xxxiii. Menſ. vi. Obijt Anno M. CCCC. Lxxxix.

PETRVS CLARITIANVS.

Gambarus pro ſe & ſuis poſteris viuens P. M. D. Liii.
Perpetuæ dormitionis domus.

S. D. VINIANI.

De Rixano, I. C. qui fuerit, non dico, ſed ſcitur.

S. D. MARTINI.

De Burgonapolis I. Conſulti celeberrimi.
Item Iacobi de Beluiſo Feudiſtæ egregij.

MATTHESILANORVM.

Vetuſtiſſima Matthesilanorum proſapies annis M. CC. ſibi & poſteris poſuerat, reſtauratum viuentibus atque venturis, Anno ſalutis M. CCCC. xxvi.

In hoc Matthesilanorum monumento & Matthæus de Matthesilanis conditur.

IN S. IACOBO.

IACOBO A NIGRIS.

Bononien. Iuris V. D. celeberrimo, Aduocatoque Conſiſtoriali qui Romæ multos per annos florens, ac demum Rotæ auditor electus, in flebili vrbis excidio, cum ſe ab hoſte magno redemiſſet proh nefas paulò poſt peſte obijt Die vi. Iulij M. D. xvii.

HIERONYMO BONO.

Vtriusque Philoſophiæ ac medicinæ artis profeſſori eruditiſſimo qui XXXVII. ætatis anno morte præuentus, incredibile deſiderium ſui mortalibus reliquit. Helena Bonfilia coniunx mœrens poſ: Anno ſalutis M. D. XXXIII.

Funde bono lacrymas orbata Bononia tanto
Quando vllam bonitas ipſa pacem inueniet.

ANTONII BENTIVOGLII.

Si lacrymis celebres fas eſt ornare ſepultos,
Flete ſuper poſiti, deprecor, oſſa viri.
Vos quoq; Pierides heu tundite pectora palmis
Aonio latice profluit ora ſui.
Antonij nomen cunctis memorabile ſæclis,
Bentiuolæ gentis fama perennis erit.
Clarus qui titulis heu legibus atq; togatus,
Magna gerens clero funera ſæua tulit.

NICOLAI DE FABIS.

Hac ego ſum lutea Nicolaus conditus vrna,
Altera qui fueram gloria ſumma Fabis.
Artis eram Medicæ Doctor Podalirius alter
AEger quiſq; mea tutus abibat ope.

Obijt anno Domini M. C. LXXXIII. VIII. Octob: Vix: ann. XLIII.

PETRI DE VERMITIS.

Hic iacet memorioſus Dominus Petrus de Vermitis legum Doctor legaliſſimus ſepultus M. CCC. XXXII. die XIII. Decemb: pro eius anima orate.

IOANNI MALAVOLTAE.

Iure C. integerrimo Minocia Scardua coniunx mœſtiſs: p. c. M. D. XXXIII.

PETRI VARIGNANI.

Condita marmoreo tenet hic ſua membra ſepulcro
Artibus in ſacris medicinæ & lumine Petrus
Doctor & ipſa virum medicorum ſemper alumna
Varignana dedit cuius nunc oſſa magiſtri
Mille quadringentis deno tribus arduus annis,
Hic habuit locus, octo dies tendebat Aprilis.

NICOLAI DE FABIS. I.

S. eximij artium & medicinæ Doctoris Magiſtri Nicolai de Fabis, qui obijt Anno M. CCCC. XL.

Hic Nicolae cubas Fabiæ noua gloria gentis,
Principe quo euexit Philoſophia caput.
Compar Ariſtoteli fueras, comparq; Platoni
Doctrina, aſt illis tu grauitate prior:
Heu qualis cecidit tibi docta Bononia gnatus!
Auſonia heu cecidit gloria quanta tibi!

PETRI DE CERVETIS.

Hic iacet vir memorioſus Petrus de Cernetis legum doctor legaliſſimus, ſepultus Anno Domini M. CCC XXVIII: XIII. Decemb.

BON: ANDREAE.

Anno trecenteno tertio cum vnà trigeno
Iam poſt mille Chriſti Auguſto decimo miſti

Cælitus

Cœlitas electus, ſed hic eſt corpore tectus,
Moribus ſerenus, Decretorum Doctor amœnus
Bon Andreas ortus, Bon Andreas vndiq; portus
Ora lector tota pro illo mente deuota.

ANNIBALI PALEOTTO.

Annibal: Senioris fil: ſummo qui ingenio & probitate in medio ætatis flore, ereptus eſt, mater & fratres mœſtiſſimi p. p. vix: ann: XXXV. Obijt M. D. L.

M. ANTON. MALVETIO.

Comiti & in Regno Parthenopæo Baroni clariſſ: qui vixit annos XXVII. M. IIII. D. XIII. Obijt Id: Maij Hercules Maluetius patricius pater inconſolabilis filio chariſſimo fieri curauit. M. D. LVI.

Iuniperæ Maluetiæ alterum.

IOANNIS LVDOVICI.

Vita fuit patriæ Ludouici certa Ioannis,
Ciuibus auxilium conſiliumq; ſuis.
Legibus imperitans de Montereatio & altis
Ingenijs dotum Regibus atq; Ducum.
Bononiæq; oriundus in hac qui periacet vrna,
Mente ſed aëria cœlica regna tenet.

CLAVDII LIZARDI.

Hic iacet nobilis vir Claudius Lizardus Gallus patria Trecenſis artium doctor poëta & Orator eximius I. V. Profeſſor officio pietate ac Religione celebratiſſimus qui vixit ann: XL. Obijt anno M. D. XXIII. Septembris XXIIII.

Viuite vt morituri & orate pro eo.

Piam ob memoriam præceptori ſuo poſ: Claudius Guichius Gall.

Non procul ab hinc Edoardi Blounte Angli ſepulchrum Item ſacellum inſigne Cardinalis Campegij, auro picturiſque ornatiſſimis.

IN AMBITV MONASTERII.

Me non obitum mortis vixiſſe teſtatur precium eſt hoc properare quo huiuſce vita præteritis laboribus atque periculis gaudijs æternis fruamur. Mors ærumnarum requies cuius memoria AEmilius Arduinius Tobalius Florentinus f. Baſilicæ diui petronij Canonicus ſibi Franc: ac Hieroni: fratribus monumentum hoc fac: cur: Anno M. D. LV.

IN S. DOMINICO.

IN BIBLIOTHECA.

Dicta fui Bologna prius, nunc Iulia dicor,
Bibliotheca ſacris ædibus hic poſita.
Maximus huc veniens paſtorum maximus ille
Iulius hoc nomen præbuit ipſe mihi.

ANTE BIBLIOTHECAM.

Et Chriſto & Iuri: Iuri librorum ad anathema.

IN CELLVLA EX QVA SANCTVS DOMINICVS MORIens ad cœlum euolaſſe narratur.

Vltima qui tecum pia tempora duximus æui:
AEterno foueas nos ſuper aſtra die.

Item.

Qui lacrymoſa tibi tollunt pia lumina natos
Reſpice ſancte pater dirigeq; ad patriam.

Hæc ſunt ô filij quæ vobis hereditario iure relinquo. Caritatem habete, humilitatem ſeruate, paupertatem voluntariam poſſidete & vt carnis munditia in vobis immaculata permaneat, ſuſpecta fœminarum omnium conſortia euitate. Feliciter deceſſit S. Dominicus Non: Auguſti M. CC. xxi.

IN LIBRIS PANDECTARVM.

Iſte liber correctus eſt, & caſtigatus fuit ad vnguem, ſecundum Originales & Florentinas, quæ olim Piſanæ, ac per prius Conſtantinopolitanæ per me Lodo. Io. de Bologninis de Bononia Anno M. D. I. & M. D. II. quibus fui in regia ciuitate Florentiæ, quo anno M. D. II. electus fui ab excelſo Domino Florentino vnus ex quinq; dominis de Rota ſeu conſilio de Iuſtitia. Quem librum dicaui ſacro conuentui prædicatorum de Bononia, vt ibi ſit perpetuo, vt ab omnibus videri poſſit pro communi vtilitate, ſed non poſſit ex eo ſcribere aliquid vel exemplar: Et quando videbitur ſint præſentes duo ex patribus prædicti conuentus, & non aliter nec alio modo & caſu, quod ſi non obſeruetur hæc voluntas mea, volo quod ponatur in Bibliotheca fratrum minorum de obſeruantia extra portum Sancti Mammoli de Bologna, cum ijſdem cōditionib: de quibus ſupra. Et caſu quod non obſeruetur per eos, volo quod ponatur in Bibliotheca Cathedralis S. Petri cum ijſdem conditionibus, & loco duorum fratrum ſint præſentes duo ex Canonicis: Et caſu, quod non obſeruetur, volo vt ponatur in Bibliotheca Apoſt: in vrbe, cui dono liberaliter tunc cum ijſdem & modis & conditionibus, & loco fratrum vel Canonicorum ſit præſens magiſter illius Bibliothecæ qui pro tempore erit. Ludouicus Bologninus ſcripſit.

IN TABVLA AENEA
Chriſto opt: Maximo.

Viator quiſquis es ſiſte gradum, & quod ſcriptum eſt perlege, vbi perlegeris penſita: Hoc is, cuius cauſſa ſcriptum eſt, fieri rogat.

Orto inter Bononienſes & Mutinenſes bello Cæſar Henricus ſecundus Rom: Imp: filium Henricum Sardiniæ & Corſicæ Inſularum Regem Mutinenſibus ſuppetias ferre iubet, qui inito apud D. Ambroſij pontem certamine à Bononien: capitur, nullaq; re vt dimittatur impetrat, cum pater minis, deinde precibus & precio deprecatoribus vteretur, cum tantum auri pro redimendo filio polliceretur, quantum ad mœnia Bononiæ circulo aureo cingenda ſufficeret, ſic captiuus XXII. annos, Menſ: IX. dies XVI. tenetur, aliturq; regio more publica Bononien: impenſa, ſic defunctꝰ munificentiſſ: ac pientiſſ: funeratus, hic tumulatur. Præterea ſimulacrum hoc in perpetuum & hoſti & captiuo monumentum S. P. Q. Bononien: poſuit Anno ſalutis M. CC. LXXII. II. Id. Martij. Hoc volebam vt ſcires, abi ac vale. Poſitum ære publico Ioanne Franciſco Aldrouano Dictatore.

Priuilegium aureum ſtudio Bononien: per Theodoſium Imperat: conceſſum in altera parte templi eſt paruo charectere æneæ inciſum tabulæ ibique locatum per Ludouicum Bologninum Anno M. D. VII. Iulio II. Pontiſ: Max: ſedente.

IOANNIS DE IMOLA.

Pontiſ: Cæſareiq; iuris Conſultiſſimi oſſa, in ſuppoſito Gariſendorum ſepulcro requieſcunt. Minus Geriſendus LL. & ipſe interpres amico ſuo coniunctiſſimo fecit.

PAN-

PANDVLFI CONTARENI.

Hinc Contareno genus alto à ſtemmate ducens
Pandulfus tumulo mortuus oſſa dedit.
Heu pietas vbi fama vigens? vbi maxima rerum
Gloria? cuncta ſimul perdidit vna dies.

GERISENDORVM.

Deorum manium iura ſancta ſunto.

Sepulcrum hoc Gariſendæ familiæ gentilicium, annis fere CC. poſitum clariſſimus legum interpres D. Gariſendus vetuſtate exeſum inſtaurauit reſtituitque ſibi & ſuis Anno Domini M. D. IX.

FRANCISCI PLILELPHI.

Abſtulit inſignis corpus fera Parca Philelphi
Ingenijs graſſans mors nocuiſſe nequit.

FLORIANI SARPENTRII.

IurisConſulti magni Floriani de S. Petro ſepulcrum ſacrum.

HIERON. ZANETINO.

Comiti & equiti, Pontif: Cæſareiq; Iuris conſultiſs. Anno M. CCCC. XCIII. VI. Id: April: vita functo, Petrus Zanetinus Iuris peritus patruo magno ſibique ac poſteris viuens M. H. P. Anno M. D. LI. Idib: Septemb.

ANDREARVM.

Deo trino & vni.

Sepulcrum vetuſtate corruptum Ioanni Andreę IurisConſultorum principi, atauo, ac Ioanni abauo, & Caſpari auo. Caldarinus IurisConſultiſſimis ac rariſs: viris b. m. poſ: Caldarinus Iacobi filius Iureconſult: inſtaurari fecit Anno M D. I.

Ioan: Andreas patria Florentinus adoptione Bononien:

Hic iacet Andreæ notiſſimus orbe Ioannes
Primo qui ſextum Clementis: quiq; Nouellas
Hieronymi laudes, Speculi quoq; iura peregit,
Rabbi Doctorum, lux, cenſor, normaq; morum
Occubuit fato prædiræ peſtis in anno.

M. CCC. CLVIII. die VII. Iulij Menſis.

Eſt in pariete ſiniſtro Chori veteris.

ALEXANDRO TARTAGNO.

Imolenſi LL. veriſs: ac fideliſs: interpreti, qui vixit ann: LIII. filij pientiſs: p. opt: B. M. P. P. Obijt anno M. CCCC. LXXVII. opus Franciſci Simonis Florentini.

BARTHOLOMAEI SALICETI.

Hoc tumulo legalis apex, dulciſſimus ore,
Et patriæ lux alma ſuæ, pietatis amator,
Iuſtitiæq; ſacræ clypeus, baculusq; cadentum
Qui iuuenis, multoq; etiam venerabilis æuo.
Edocuit, ſuperauit eum nec pœna laboris,
Scribendo, & pariter iuris nucleando tenebras
De Saliceto requieſcit Bartholomæus. Vixit annis LXXVII. D. X.

Obijt Anno M. CCCC. XII. Die XXVIII. Decemb:

Opus Andreæ de Feſulis.

IOANNIS LIGNAGI.

Frigida mirifici tenet hic lapis oſſa Ioannis
Iuit in aſtriferas mens generoſa domos,
Gloria Lignagi titulo decoratus vtroq;,
Legibus & ſacro Canone diues erat.

Alter Ariſtoteles, Hipocras erat, & Ptolomai
Signifer ætherei nouerat aſtra poli.
Abſtulit hunc nobis inopinæ ſyncopa mortis.
Heu dolor hic mundi portus & aura iacet.

Ann: M. CCC. Lxxxiii. die xvi. Febr.

IOANNI CROTTO.
D. O. M.

Monferrato, Pontif: Cæſareique Iuris Monarchæ, qui diu Bononiæ floruit in vtraq; palæſtra, inde Piſas euocatus, deſerti iampridem Gymnaſij inſtaurator fato conceſſit. Magdalena Landa viri b.m. oſſa referens ære proprio hoc monument: faciund: curauit, inconſolabilisque coniunx poſuit.

PETRO ANCHARANO.
D. O. M.

Iuris Pontificij & Cæſarei clariſſimo interpreti, eius amantiſſimi ſacrum hoc inſtauratum poſuer: Anno ſalut: M. CCCC. Lxxxiii.

Canonis hic ſpeculum, ciuilis & anchora iuris,
Heu iacet, æternas mens tenet alma domos.
Nomen erat Petrus: genuit Farneſia proles
Nunc Ancharanum dat ſibi laudis opes.
Quis ſuperauit eum virtute micante? quis iſto
Conſilijs hominum clarior ante fuit?
Pro meritis nunc aſtra dedit tibi Iupiter almus
Et voluit gelido membra iacere ſolo.

LVDOVICI BOLOGNINI.

Reliquum Ludouici Bolognini. Omnia mea mecum porto vix ſola fama remanet.

Ludouico Bolognino I. C ac Equiti, qui cum Bononiæ Ferrariæque iura interpretatus, & ab Innocentio viii. P. M. Carolo Gall: viii. Rege, Ludouico Maria Sfortza Inſub. duce ad reſpondendum ſibi de iure adſcitus Florentiæque litibus iudicandis V.vir & Prætor fuiſſet, ab Alex: vi. Pontif: Senator Rom: deſignatus, & à Iulio II. Pontif: XL.viratum adeptus, ab eoque legatus ad Ludouicum Francorum xii. Regem Romam legationem retuliſſet, Bonon: rediens anno Lxi. ætatis, M. D. viii. Florentiæ obijt Barth: eques & ſenator Bononien: F. fratri Ioan: Mar: eq: patruo F. CC. M. D. Lii.

IVLIO CACCIANIMICO.

Iuris vtriusque peritiſs. equitique clariſs: qui vixit ann: Liiii. coniunx ac filij mœſtiſſimi poſ: xvi. Calend. Auguſti M. D. Li.

AVGVSTINO BEROO.

Iureconſultiſſimo & equiti ætatis ſuæ clariſs: vix: ann: Lxxix. Menſ: xii. Obijt Anno M. D. Liiii. Idib. Septemb. Gnicura coniunx poſ:

HIPPOLITO MARSILIO.

IureConſulto Scipio fil: patri B. M. P. vix: ann: Lxxviii. Men: ii. dies xi. Obijt M. D. xxiix. vii. Id. Febr.

IACOBI BOVII.
S. P. Q. R.

Ampliſſimi ordinis ſimul nomen Magiſtratus meriti

Qui vixit benè mortuus beatur.	Oculus in ſceptro	Aſteria hæc ratio decus laborque Nox mea lux animi eſt.

Iacobo Bouio I. C. Clariſs. Pontificij ſenat: Aduocato eloquentiſs. ad Alex vi. Iu:

VI. Iul: II. Leon: X. Pont: max: legationis munere tum ſenatoria poteſtate vera cum laude perfuncto, cui porro Cardinal: Collegium S. P. Q. R. memores eius inclytæ iuſtitiæ comitatiſque iterum Senat: poteſt: Adrian: VI. iuſſu mandand: cur: Sed ipſe morte præuentus inenarrabile ſui deſider: reliquit M. D. xxii. Vix: ann: Lxvii. M. x. D. xvi.   Vincent. Protonotar: Apoſtolicus & Io. Lod: I. C. patri dulciſs: pp.

THEODORO POETAE.

Equiti Bono: qui Carol. V. Imperat: Aug: deinde Pauli III. Pontif: Max: auſpicijs, mira virtutis & prudentiæ indole, tùm equeſtres tùm pedeſtres ordines duxit, poſtremo ſub Iulio III. in obſidione Mirandulæ ictu glandis ſublato, heredes pp. M. D. Lii. Vix: ann: xxxiii. Occubuit Calend: Ian: M. D. Li.

TADAEVS PEPOLVS.

A populo Bononien: eligitur M. D. xxxvii.

In alio latere ſepulcri.

Tadæus Pepolus à Benedicto XII. Pontif: Max: pro S. R. E. Conſeruator iuſtitiæ Bononienſis Ob: M. CCC: XLVII.

CAESAR NAPAEVS.

Matthæi filius, viuens ſibi poſteriſq; ſuis & coniugi f. Anno M. CCCC. XCIIII. Calend: Iulij. Peto ne quis nos inquietet, aliteruè ponat, neque commutet, neuè etiam alius inferatur, vt die cenſoria hîc vna reſurgamus quid ad vos?

ALEXANDER PEPOLVS.

Illuſtris Comes & Senator magnificus hic in amplexu vxoris cariſſimæ Ludouicæ Sanuitalis Pepulæ, quod mortale erat depoſuit immortale autem ſuo reddidit creatori, triſtes Romæ of: reliquit lacrymas Anno M. D. Liii. Vix: ann: Lxxii.

Virtutem meditabitur guttur meum.

PHILIPPVS PEPOLVS.

Comes ac Senator, vir cum generis nobilitate, tum excelſi inuictique animi virtute perilluſtris, maximis militiæ domique rebus pro Republ: Chriſtiana, pro patria pro domo ſua ſumma cum laude ac omnium ferè mortalium admiratione geſtis deceſſit. Anno M. D. Lv. ætatis Lxiii. filij Io: Cor: patri b. m.

AVGVSTINVS ZANETTVS.

Bonon: Pontificij Cæſareique iuris Doctor Epiſcopus Sebaſten: Epiſcopi Bononien: ſuffraganeus & Vicarius poſt longos graues & diuturnos labores de ſempiterna quiete cogitans, Melchiori patruo Cauſidico inſigni, ſibiq;, ac poſt: poſ: Anno à natali DEI & hominis M. D. xii.

IN PARIETE PERISTILII
apud portam.

Ioannis Antonij Flaminij Forocorneliensis de vtraque lingua B. M. oſſa M. D. xxxvi. xv. Calend. Iunij.

AEGIDII FVSCARII.

Sunt antiquiſs: characteres vt legi vix poſſint, Videntur tamen ita habere:

M. CC. Lxxxix. Indict: II. die ix. Ianuar: ſepulc: Domini Fuſcaris dicti de monte quieſcit G. Doctor Egidius moribus eximius. 6. Dux via luſtrator ſtudij verique repertor & amans Canone fulcitus M̅ teque dē Soli ꝝ 6 cur in cleſis clemens vt ſis ſibi teſtis.

AD CHRISTI EFFIGIEM.

Aſpice quanta fuit pietas & cura parentis
Humani generis, cui ſua cuncta dedit.

Verbera verba tulit patienter vulnera quinq;
Et tandem mortem, mors fuit ipſa crucis.

AD D. THOMAE SIMVLACRVM.

Hæc eſt vera Thomæ facies expreſſaq; diui,
Qui ſcriptis toto lumen in orbe dedit.
Hoc merito ſibi nomen erat, quam gratus & altus
Incomprenſibilis magnus abyſſus erat.
Splendida Dominici fuit iſta lucerna parentis
Ordine ſub ſacro, claraq; ſemper erit.
Diſcite vos omnes leges & ſacra colentes
Sectari tanti dogmata ſancta viri.
σημείωσαι ὁ ἀθλήτης ἁγίου τοῦ θωμᾶ ἀρχέτυπον.

SVB. D. THOMA AD BIBLIOTHECAM.

Per me ſi quis introirit, fontem vitæ & paſcua inueniet.

IACOBO PONTO.

IureConſulto clariſſimo, Senatus Pontificij Aduocato, Senatoria poteſtate & Legati munere ad plures Pontiff. præclare perfuncto, qui obijt Anno Domini M.D. XXII. ætatis LXXVII.

MARIANO SOCINO.

Iuniori Senenſi qui vix. ann. LXXIIII. Menſ. IIII. dies XXV. Obijt Anno ſalutis M. D. LVI. Die XIX. Auguſti. filij mœſtiſs. patri opt. pp.

MARTINI SVLIMANNI.

Cuius præclara in iure opera extant, humata hic oſſa quieſcunt lapidea hæc memoria illi poſita eſt, anno ſalutis M. D. XXVI.

HIERON. SANPETRI.

His leges equeſtrem ac ſenatorium ordinem omnesq; liberales artes in Hieron. Sanpetro ſitas. Helena vxor incomparabilis poſ: tumulumque hunc qui vtrumque complectatur vt lectus vnus irrupta copula viuentes tenuit fieri cur. vix: ann: LV. Obijt M. D. XVI.

ACHILLIS MARSCOTTAE.

Felſina patricium Marſcottæ prolis Achillem
Ceruia Pontificem flet mortis Roma triumphum
Clarus equo, patriæq; decus, ſplendorq; Senatus
Galea excelſo pater abdidit oſſa ſepulcro. Vix: XL. ann:

Miſericors & miſerator Dominus miſereatur patricio D. Galeotto Marſcottæ de Caluis.

HIERON. PRIVIDELLO.

Regienſi IureConſulto clariſſimo ab impio Sicario iniuſtiſsime transfixo fratres mœſtiſs. pp. octauo Id: Nouemb:

FERDINANDI CALVILLAE
In Capella Sancti Dominici.

Mille quatercentis δεκα bis iunctis tribus annis
Dena Quintiliſq; die ſeptemplice lapſa
Terrea qui linquens cœleſtes interit aulas
Caluilla de ſtirpe ſatus par nomine patri
Qui iacet iſte puer ſpecie Fernandus amœna,
Annis iam teneris Mauortia cœperat arma
Eiuſdem patruus ſummi Legatus honores

Euſtachij

Euſtachij Sancti Alphonſus titulo veneratus
Ad matris gremium ſanè caſtrum Bononienſe
Eccleſiæ ſanctæ dignoſcere iura coëgit.

BARTHOL: VOLTAE.

Ant: fil: Eq: Com: & Senat: exim: rei militaris peritia & morum elegantia præſtanti, de patria in Magiſtrat: incomparabili fide ac diligentia gerendo legationibusque obeundis O. M. qui vix: ann: LXIIII. Obijt M. D. LVII. Alexandra Blanchina ex ea fil: II. infant: mater coniugi ſuauiſs: quod illi cum Achille ipſius ex priore vxore fil. eq: præmort: commune foret M. F. C.

Credere quid geminam dubitas nunc viuere vitam
Quem facit extinctum picta tabella tibi.
Semper inextincto Diuûm flagrauit amore
Conſtans eximiaq; integritate fuit.
Hinc fata in cœlis vitam tribuere perennem
In terris fama eſt nec moritura viri.

BARTHOL. VOLTA.

Comes eques & Senator ac ciuitatis Bononien: theſaurarius publicus.

ANTON: VOLTAE.

Barth: eq: fil: ab Rege Francorum Carolo IX. inter milites Sancti Michaelis adſcripto anno ætatis ſuæ XXIIII. defuncto Alex: Blanchina mater dulciſs: filio, à quo extremum officium expectabat præſtare coacta ære proprio p. c. Anno Chriſti M. D. LXXVIII.

IACOBO PETRAMELARIO.

Ciui Bononien: vitæ integerr: Philoſoph. & Medic. celeberrimo inſigniquè Mathematicar: interpreti, nec non Aſtrologorum prædictionum peritiſs: paternæ pietatis non immemores filij pp. Anno M. D. LXXV. Vix: ann: LXVII. Obijt III. Id: Martij M. D. XXXVI.

IO: ANTONII FLAMINII.

Forocornelienſis viri de vtraque lingua B. M. oſſa.

ANDREAE BARGATII CARDINALIS.

Molliter algenti premor hic ſub marmore tantum
Oſſa tenet mens alta poli quem lactea pauit
Calliope Iuuenem ſuperi quam magnus Apollo.
Liberet ipſi quidem certatim ſomnia rerum.
Edocuere ſimul ſolidiq; volumina mundi
Quantaq; Stellifero manibus ſtent tela tonanti
Quin tibi Canonicus meritò Rauerna colebar.
Cardinalis ego ſoboles Bargatia clari
Sanguinis Andreas fuit en mihi gloria quanta
Hic tamen occidimus nitidis ſed reddimur aſtris.

M. CCCC. XVIII. Auguſti XII.

VVENCESLAI BORGARDI.

Incomparabile ô Viator exemplum conſtantiæ atque continentiæ ſancta integritate & inclita fide illuſtre bonarum & artium ſcientia cippus en aſpice vt paruus tegit quid hoc quæris? VVenceſlaus Burgardus Olmante ortus Moraniæ ea vrbs eſt. Iulium montem latini vocant, is vnicus patri nuper Bononiæ vnico vnice ſalutem optans afferre amico penè mortuo occumbit. plura iſte non capit lapis. Vale ergo atque his pia oſſibus dic verba ſies pius tantis. Vixit ann. XXVII. M. X. D. XVIII.

BONONIA.

IOANNI SALAE.

Militi & equiti viro in rebus agen: prudentiſſimo & Barthol: Salæ.

GALEAZIO MARSCOTTO.

De Caluis. Miſericors & miſerator Dominus, miſereatur ei.

HORATIO MARENTIO.

Brixiano Iuris ciuilis ſtudioſiſs. à ſocio per iurgium vulnerato nec ita multo poſt vulnere conſumpto. Bloncha mater & fratres mœſtiſſimi f. c. vixit annos XIX. Ob: IX. Calend: Februarij M. D. LI.

HIERONIMO PRIVIDELO.

Regienſi I. C. clariſſimo ab impio Sicario iniuſtiſſimè transfixo. fratres mœſtiſſimi poſ. Id: Nouembris.

IN TABVLA DEPICTA, A POLONO ET SILESIO POSITA.

Ex vna parte Rex ſacrificulum occidit & adſcriptum eſt:

S. Staniſlaus Poloniæ oriundus atque Craconien: Epiſcopus ſepultum triennio ſuſcitatum fidum pro ſe coram Boleſlao Rege teſtem adducit, ſatellites hunc ad occident: miſſi humi reſupinis vultibus aduoluti illum haudquaquam offendere quem rex poſtea ſacrificantem occidit.

In medio tabulæ hæc:

Hoc tibi ſacrarunt quocunq; polonicus alter.
Sleſius & alter Iuris vterq; Cliens
Ii tua conquirunt cunctis ſuffragia rebus,
Vt pater & Dominus fidus adeſſe velis.

Ex altera parte quidem interficitur cuius oſſa diſperſa ab aquila colliguntur & ſepelitur occiſus. adſcripta hæc:

Huius dilaniata in campo membra ſparguntur, verum cœleſti ab munere cuſtodita, inſimulque compacta, ſepulchris adduntur hic ſummo cum honore ſanctorum numero martyrum Eccleſiaſtico more adſcribitur.

Ioannes Cracouienſis. Georgius Niſſenſis FF.

IN AMBITV MONASTERII.

Hic religionis ſtatus reſtituitur & culpæ effugantur, has ideo fores ceu ſibi hoſtiles Diabolus ingredi manib. pedibusque reluctatur.

SEPVLCRVM COLLEGII NATIONIS GERMANICAE, *ad nigram depictam Aquilam.*

M. D. I. Iuſtitiæ cultores.

GERMANORVM.

Quod pia quod cultrix legum Germana iuuentus
Condidit, vt genti pateat commune ſepulcrum,
Vt Germanorum manes poſt fata quieſcant,

Sacra

Sacra parentali capientes annua ritu
Siſte gradum ſpecta monumentum hoc quæſo viator. M. D. I.

O quam fragilis ΓΝῶΘΙ ΣΕΑΥΤΌΝ ruit voluptas

IOAN: BRANDI.

Cælum animam Brandi, nomen Germania ſeruat
Quod mortale fuit clauditur hoc tumulo.

Iohanni Brando Hildesheimenſi, ſcholaſtico eruditiſſimo Ioan: Brandus artium ac legum Doctor patrueli p.

φίλον ἔδος πατρίδος ἀλλὰ γῆ πᾶσα πατρός.

GARISENDORVM familiæ hic commune ſepulchrum.

IOAN. VOLZII.

Tu quicunq; ſagax veterum monumenta reuoluis
Te ſi fortè mei nominis ardor habet
Hæc lege, Ianus eram, dictus cognomine Volſcus
Arctooq; meum claruit orbe genus
Limpergo fueram, Chiron quod iuſtus Achilli,
Et quod Pelleo Stagiritanus erat.
At Romam admiſſæ dum fortè piacula culpæ
Accepturus eo, contegor hoc tumulo.

Georgius à Limperg Dei gratia Epiſcopus Bambergenſis, Ioanni Volzio præcept: ſuo hoc ſepulcrum poſ:

GEORGIO SACHSIO.

Spirenſi Germano, dum ſcientiarum ardore Italiam adoleſcentulus adijſſet, quadriennio in ea miro virtutum profectu verſatus febri acerbiſſima abſumptus eſt, Philippus Burchart amitino perquam dilecto mœſtiſs: poſ: Obijt VII. Id: April: Anno M. D. XVIII.

Clarum quem ſumma rediturum laude Nemetes
Sperabant, tumulo hoc Felſina docta tenet.

HIERONYMI BORAGINEI.

Me Lubeca tulit, docuit Germania linguas
Huc miſſum ad ſtudium mors truculenta rapit.
Non ferrum, non vlla Venus, Bacchuſuè peremit
Sed ſtudij nimius proh dolor hauſit amor.
Nam dum Phœbe tuas æſtiuis ſolibus herbas
Perſequor, inuaſit pectora ſæua febris.
Iam ter fortè nouem ſtudio quæ vita peracta eſt
Annos attigeram, cum rapit hora nocens.
Ah tua, qui medicus fueras, veſtigia fruſtra
Inſequor ô genitor, cum necor ante diem.
O patria ô Germana vale ſoror vna relicta
Quæ fueras, hac me mors tumulauit humo.

Obijt M. D. XXXV. Auguſti XXVII. Bucoldianus fecit.

CHRISTOPHORO HAGER.

Rackelsburgen: eruditiſſimo viro LL. ſtudioſo, Ioan: Iacob: & Georg: Fuggeri fratres præceptori benemerito pp. Obijt III. Calend: Nouemb. M. D. XXXV.

Omnis caro fœnum, gloria eius tanquam flos agri.

ALEXANDER PELLENDORF.

Eruditiſs: ſcholaris hic humatus eſt. Vix: ann: XXV. Men: II. moritur M. CCCC. XCIIII. Nouemb. XIII.

Corpus Alexandri iacet hic, qui flore iuuentæ
Ingenio, forma, ſanguine clarus erat.

Extinctum cuncti fleuerunt, Atropos ipſa
Inuita queritur ſtamina rupta manu.

GEORGII SPIGELS.

Maxima cui virtus recubas hic clare Georgi,
Præbuit ingenium Diuus Apollo tuum.
Arx hunc Gruna tulit, docuitq; Bononia: poſtquam
Eſt inſignitus iure in vtroq; perit.
Eſſem quod ſpeculum me dixit prima ſpigellum
AEtas, hoc gaudet nomine noſtra domus.
Eloquio cunctos facilè exceſſurus & arte
Corpora clauſa tenet vrnula parua tua.
Te pius hoc frater decorauit honore ſepulcri
Dulcis Otho multis cum gemitu lacrymis.

Obijt hic anno Dom: M. CCCC. Lxvix. Id. Sept.

VVOLFGANGI ORTEGEL.

Ornatiſs: viro VVolfgango Ortegel Germano Nicolaus ab Ebeleben Damianus Pelug. Randolphus à Bunau Præcept. b. m. hoc monum: pietatis ergo pp. Obijt anno ſalutis noſtræ M. D. XLII. Nonis Auguſti, ætatis vero ſuæ xxxii.

HENRIC: PAPHOF.

Nobiliſſimi Decretorum Licentiati Domini Henrici Paphof de Calkar Colonien: Diœceſis, qui obijt anno Domini M. CCCC. L9cvii. die vii. Octobr. cuius anima requieſcat in pace.

NICOLAI ERICI DACI.

Omnia mea mecum porto, vix ſola fama remanet.

Dacia quem genuit iacet hic piè Magnus Erici
Moribus & natu nobilis ingenio.
Altera pars animi fuit is Petro Nicolao
Hoc opus hic poſuit ille comes ſtudij.

Anno Domini M. CCCC. Lxxxvi. die xxiii. Mart.

NICOLAI SCHRENDE.

Hic iacet generoſus & nobilis vir Nicolaus Schrende de Monaco, qui obijt quintadecima die Menſis Auguſti, Anno incarnationis Domini M. CCCC. Lxxi.

Deinde VVolfgangi de Zelting.

ANGLORVM.

Ne in poſterum ſine honore funus efforatum Anglicis omnibus quoquo modo vita functis deeſſet, Robertus Feſchier pietate motus opus hoc faciendum curauit. Vale, ac in rem tuam abi, die iiii. Nouemb: Anno Domini M. D. iii.

POLONORVM.

Commune nationis Polonicæ ſepulcrum.

NICOLAI GOLZEVSCKII.

Polono, ſpectatæ integritatis ac virtutis viro, qui cum ad generis claritatem, ſacerdotijque dignitatem literarum optimorumque ſtudiorum laudem addidiſſet, in ipſo ætatis flore ac gloriæ curſu morbo conſumptus eſt. Socij amico coniunctiſſimo magno cum mœrore poſ:

IOANNIS BRISONETAE.

Hic Turonenſis erat Briſonetta ſtirpe Ioannes
Natus, & eximijs nobilitatus auis.

Qui dum

Qui dum te patriæ ſtudioſa Bononia præfert
Et morum & ſtudÿ captus amore tui.
Occubat hic, raptus nimiùm iuuenilibus annis
Proh dolor, huic virtus quàm precioſa fuit.

SORORVM TERTII HABITVS
Sancti Dominici.

Mortales Dominus cunctos in luce creauit
Vt capiant meritis gaudia ſumma poli.
Felix ille quidem qui mentem iugiter illic
Dirigit, atq; vigil noxia quæq; cauet.
Nec tamen infelix, ſceleris quem pœnitet acti,
Quiq; ſuum facinus plangere ſæpè ſolet.
Sed viuunt homines tanquam mors nulla ſequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.
Cum doceat ſenſus viuentes morte reſolui,
Atq; Erebi pœnas pagina ſacra probet.
Quas qui non metuit, infelix prorſus & amens
Viuit, & extinctus ſentiet ille rogum.
Sic igitur cuncti viuentes viuere certent,
Vt nihil inferni ſit metuenda palus.

MARTINI DE PRATIS.
Laudenſis excellentiſſimi iuris interpretis & deſcendentium ſepulcrum.

CYNI, DYNI, ET FLORIANI.
Iureconſultorum oſſa hic continentur.

D. VGOLINI GARISENDI.
Olim Sp. Equitis, & heredum eius, quod clariſs: IureConſultus D. Minus Gariſendus infractum pientiſs: renouauit.

S. IOHAN: DE GISBERTIS.
Excellentiſs: Doctoris & heredum ſuorum. Obijt Anno M. CC. LIII. Maij xv. cuius anima in pace quieſcat. Orate pro eo.

S. BALTHASARIS DE MANTICHIS.
I. V. Doctoris, & ſuorum heredum Anno M. CCCC. xcviii.

MATTHAEI GANDONI.
Annis mille Dei trecentum cumq; trigenis,
Dum quarto Nonas Iani ſol torquet habenas,
Hic iacet illatus Matthæus iure probatus
Doctor honoratus, Gandonum ſanguine natus.

BONFACII GALVCII I. C.
Hic Doctor miles Bonifacius hac iacet arca } *bone Ieſu.*
Galutÿs ortus cui parcas ſumme hierarcha. }

ANTE TEMPLVM, IN COLVMNIS.
Autore magno naturæ lege vocato
Patre Rolandino proconſule primo defecit,
Buſta hic ſacra locant Octobris tertia dena,
Mille trecentenis cœleſtis prolis ab annis.

ANTE HOSPITALE.
Ad natam Iouis & Panaceam hinc tenditur hoſpes.

POMPEIO ANEDORICO.
Cremonenſ: I. V. D. acerba morte ex vulnere præuento, Florentius filio deſideratiſſimo inconſolabilis poſuit. Vixit Annos xxv: ob: Calend: Iunij Anno M. D. LVI.

LVDOVICO DE SESMAYSOINS.

Non ſinit docta Bononia è ſuo diuelli gremio corpus Ludouici de Seſmaiſoins in cuius ceruice palladium miro artificio extructum comperuit vixit annos xxvii. Obijt vii. Februarij M. D. Lii.

FRANCISCI CORIOLANI.

Bononia ſiculo Canonico Imperiali Panormitano Eccleſiæ AErarij præfecto qui dum ſacris literis operam daret febri ardentiſſima correptus interijt. Vixit ann: xxx. Obijt v. Calend. Iulij M. D. Lv. Anton: frater poſuit.

NICOLAO GOLZENSCHI.

Polono Socij amico coniunctiſſimo magno cum mærore pp. Vix: annos xxxii. Obijt M. D. xxxv. vii. Idus Ianuarij.

Virtus ſocia vitæ fuit
gloria mortis Comes ſauet

In extremo iaceo ſolo.

HIERONYMO SPRONIO.

Chyrurgo celeberrimo totius Italiæ.

PAVLO DE LAVTMARISCHO.

Polono Iuris pontificij ſcholari virtute ingenio fide integritateq; inſigni cunctis ordinibus accepto in ipſo ætatis flore inexplebili, fatorum inuidia magno de ſe apud omnes deſiderio relicto, vita functo Petrus de Tointzke amico chariſſimo ac B.M. poſuit. deceſſit ann. agens xviii. Non: Calend: Auguſti M. CCCC. Lxxxxviii.

IOANNI BRANDO.

Hildeshemenſi Scholaſtico eruditiſſimo, Ioannes Brandes artium & LL. Doctor patrueli poſuit.

VVOLFGANGI DE ZELTING.

Sepulchrum Generoſi & Magnifici viri D. VVolfgangi de Zeltingk Germani Obijt M. CD. xvii. Auguſt. xxvii.

ANGLI.

Hoc ſitus in tumulo eſt Guilhelmus gloria gentis,
Anglorum quem mors traxit ad Elyſios.
Nam modo feſtiuos dum ſpectat ludere bomdos
Bombardæ fractus viribus occubuit,
Proh dolor ergo homini quanam fiducia Martis
Si iugulant etiam quos putat ille iocos.

GVILIELMO ROSSAE.

Anglico, Regiæ maieſtatis Anglicæ alumno latinè & græcè erudito artium Doctori & medico eximio Robertus Eirche Anglus I. V. D. poſuit. M. D. xxiiii.

HIERONIMO LVCATELLO.

Summæ ſpei adoleſcenti omnium bonarum artium ſtudioſo græcæ & latinæ linguæ ſupra ætatem ſuam perito vita & moribus integerrimo in maxima hominum expectatione acerbiſſima morte affecto. Parentes mœſt: poſ: vixit ann: xvi. dies ix. Obijt M. D. Liiii. Id: Octobr.

Dein: ſunt ſepulturæ.

Marij I. C.	Bernhardi Capotij de Interana
Camillæ Saluettæ	Albinæ Burganiæ Senenſis
Nobilium de Sala	Petri Maſolini
Baſilij Bemrinij	Alexandri Baldracani
Auguſtini Beroi I. C.	Ioannis Guidotti
Margaretæ de Pepolis	Laurentij Biſognori
Caroli Anthon: Elephantucij	Hieronimi de Lazaris.
Annibalis & Camilli Pepulorum.	

IN AEDE

IN AEDE D. MARTINI.

IVLIO BOCCHIO.

Romæi filio, ea pietate, fide, modeſtia, vt nec minui detrectationibus, nec augeri laudibus poſſit. Vix: ann: LXVII. Menſ. I. Dies XXV. Obijt X. Calend. Septemb. M. D. XXV.

HIERON: APARI.

Deflendus iacet hic Hieronymus vrbe Panormo
Trinacria genitus ſtemmate Aparus humo
Vix tria cum medio ſuperabat luſtra vacantem
Cum Iuri arripuit mors inimica ſacro.

Obijt M.D.XXXIX. M. Auguſt. Ioannes Petrus pater & Georg. frater mœſtiſs: poſ.

MATTHAEO MALVEZZIO.

Floriani filio virtute pietateque inſigni, Vix: ann: LXXXII. Menſ: XIIII. Obijt ann: M. D. XLVIII. Calend. Iulij.

Florianus Carolus Maluetij fratres patruo B. M. P.

VLYSSIS BENTIVOGLI.

Humari hic voluit Vlyſſes Bentiuoglius eques & Comes, vt vna eſſet mortuus cum Lucretia Vitali præmortua coniuge cariſſima, quemadmodum & viuus idem cum eadem viua vitam vixerat optatam, Obijt Anno M. D. LI. ætat: LVIII.

PETRVS CANONICVS.

Ludouici filius & Iuriſconſult: illuſtris, vir incomparabilis ac patriæ ornamentum, ſingulare teſtamento ſibi & Ioanni Andreæ Bentiuolo eius genero, eorumque heredibus fieri iuſſit. Anno gratiæ M. C. II.

Ibidem & ſepulcrum Magni Alexandri Aclini Philoſophi, & Ioannis fratris eius.

Item Ananiæ & Ludouici Corridini IureConſultorum.

IOAN. BAPTISTAE CIMATORIO.

Bononien: I.Conſultiſſimo qui funere merſus acerbo, ann: XXX. implerat, Ioan: pater mœſtiſs: permittentib: Elephantucijs p. M. D. XIII. prid: Cal. Decembr:

Splendidum.

Prouidus vir Carolus filius quondam Andreæ, olim nobilis militis & egregij LL. Doctoris Domini Roberti de Saliceto hoc ſepulcr. fieri inſtituit de bonis ipſius Caroli pro cuius anima fratres iſtius conuentus perpetuis temporibus anniuerſaria duo celebrare tenentur. M. CCCC. III. completur die XXVIII. Iulij.

CONSTANTIAE ZAMBECCARIAE.

Bocchiæ dotibus & corporis & animi matronarum principi vix: ann: XLIX. M. XI. D. XXVI. Obijt VIII. Cal: Octobr: M. D. XIIII. Achilles Bocchius parentib. Sanctiſs: dulciſs: teſt: f. c. ann. ſal. M. D. LII.

Prudentia pia & innocens conſtantia vitam gubernat, firmat, ornat, protegit.

Lælio Bocchio Achillis filio vix: ann: XXIII.

I nunc & vigila, noctesq; abſume legendo
O curas hominum cœptaq; vana nimis.

ANTONII PALTRONI.

Siſte viator, ne Antonij Paltroni eq: clariſs: virique integerrimi ac filij Alexandri vtriuſq; Iuris conſultiſs: felix memoria pereat, Antonius Iunior & Nicolaus & Vincentius filij fratresq; arctiſſimi locum ſacrum ſarcophagumque poſ. abi in rem tuam. M. D. LVI.

ANDREAE BOVIO.

I. V. D. ac Ser: D. N. Pauli III. Referendario literarumque Apoſtol: de

maiori Præſid: abbreuiatori viro integerrimo, cuius ſingularis virtus in multis magniſq; rebus ſpectata eſt. Vix: ann: XLII. Menſ. III. Dies II. Obijt M. D. XLIII. Calend: Septemb.

IN AEDE SANCTI STEPHANI.

Dominæ Iſidi Victrici nomine Marci Calphurni Tironi ſuo ex parte patrimonij ſui Sextilia M. lib. Homulla per Anth: M. lib. ſuum vt fieret teſt: cauit.

CALVEDIAE VETTIAE.

L. Caluedius Eudopus coniugi incomparabili, cum qua vix: ann: XL.

LAZARI CHISINI.

Terra terræ adhæreo. Sed quid? reſurgam ego.

THOMAS ATHEMISIVS.

De Beradellis, vtriuſq; iuris Conſultiſſimus ordinis militiæ virginis glorioſiſſ. hoc ſibi poſteriſq; ſuis poſ: Anno M.CCC.

NICOLAO ALDOVANDRO.

Atauo, Petro auo equitibus & Iure Conſultis, ac Nicolao patri patricijs ac ſexdecim viris, rari exempli viris Ioan: Franc. & Sebaſtian: inſtaurauere & ſibi anno M. D. L. Calend: April.

FRANCISCI BARZELLINI.

Hoc tumulata iacent Franciſci membra ſepulcro,
Quem Barzellinæ domus huic ſtirps protulit vrbi,
Sacrorum Canonum legum quoq; dogmate fultus,
Ordine ſacerdos Benedicti præuia norma
Abbas dignus erat, annis denis ter, & vno
Cælicolum rexit hoc mon: quo pace quieſcit
Mille quadringentis denis quater & tribus annis.

PVBLII CORNELII.

Saturnini Magiſtr alis Cornelia prima vxor ex indulgent: colleg: ſignum liberei baſim C. aulis.

D. Petronius Epiſcop: & patronus Bononien: qui tempore vitæ ſuæ vndiq; Sanctorum reliquias arripuiſſe, & Bononiam tranſtuliſſe dicitur, etiam B. Apoſtolorum corpora Petri & Pauli in hanc ædem aſſeritur aſportaſſe, vnde tanto hominum multitudo qui ea ſalutarent, accurrit, vt ſcalæ lapideæ genu flexionib: in totum excauatæ appareant.

IN AEDE S. IOANNIS DE MONTE.

Totum ſepulcrum tectum eſt holoſerico nigro.

Sepelitur ſupra portam qua ingreditur Carolus Ruinus Anno M. D. xxx. & Antonius filius M.D. xxxix.

HIERONYMO TOSTINO,

Florentiolæ ciui Bononien: Philoſopho & Medico præclaro qui vix: ann: Lxvi. Leona vxor coniugi cariſſimo P. ann: M. D. xxviii.

AVGVSTINO HERCVLANO.

Comiti Eq: ac Senat: integerrimo omnibus patriæ honoribus, & pluribus legationibus ad varios principes, poſtremo autem ad Gregor: XIII. Pontif: Max: honeſtiſſime functo. Vix: ann: Lxx. Ob: ann: M. D. Lxxix.

NICOLAO HERCVLANO.

IureConſulto Comit: quem ob inſignes animi eius dotes Ioanna II. Neapol: Regina præcipuè carum habuit, cum Ioanne fratre equite max: conſiliario & Cameræ Regiæ Præſide, qui ante in Sicilia Ladiſlai Regis fratris negotijs egregiam nauauit operam.

operam. Obijt hic Neap: ann: M. CCCC. xxx. III. c. Bonon: M. cccc. xxxvii.

DOMIN. MARIAE HERCVLANO.

Comiti præſtanti liberalitate, ſingulari fortitudine, miraque integritate viro, Auguſtin: Herculanus Eques Comes ac Senator mœſtiſs: fratri cariſſimo poſ: Vix: ann: XLvii. Obijt M. D. Lviii.

LVDOVICO SAVINIANO.

Latinæ Græcæq; linguæ ſtudioſo, ac ſingulari in rebus agendis fide & prudentia prædito. Vix: ann: Lxxv. Obijt xxvii. Iunij M. D. Lxxv.

Aurelius Sauinianus à Secretis ſummi Pontif: Gregor: XIII. hoc ſacellum eius agnationis commune erexit.

ANTON. BOLOGNETTO.

IureConſulto, quem turris ſuper ædes repente lapſa miſera quondam morte oppreſſit, & Iacob. Mar: filio integerrimo, Iacob. Mar. eques & Hieron: Camill: filij patri auo ac proauo B. M. pp. Anno M. D. Lxxii.

IN AEDE SERVORVM MARIAE.

Beſſarioni Epiſcopo Tuſculano Cardinali Niceno benefactori noſtro.

ANDREAE AGNANELLO.

Bonon: ciui optimo equeſtris ordinis, Iuris vtriuſq; Conſulto, pietate, fide, beneficentiaq; inſigni, filij mœſtiſſimi patri deſideratiſs: pp. Vix: ann: Lvii. Menſ: vii. Obijt M. D. XLI.

CLARISS. GRATVS.

Iacobo auo & Andreæ patri equitibus auratis, ſenatoribusq; præſtantiſſimis Iacobus Gratus nominis auiti & paterni memor poſ: Anno M. D. iii.

Iacobo grato Senatori prudentiſs: S. P. Q. B. vix: ann: Lviii. Fuluius Gratus patruo B. M. poſ: M. D. Lvi.

Item Hieronimi Grati IurisConſulti.

Item Anthonij Galeatij Bargelini.

Item Ioannis Baptiſtæ Romani à ſicarijs occiſi equit. aurati M. D. Lv. xvi. Octob.

NASCENTORI NASCENTORIO.

Equiti tum ſignifero peditumq; ductori, multis in prælijs ſumma cum laude ſpectato, ac in Senen. bello ablatis hoſtium inſignibus fortiter interempto Ioan: Rainerius frater mœſtiſs: p. Vix: ann: xxvi. Obijt M. D. iiii. Decimo octauo Calend. Oct.

LVDOVICO GOZADINO.

Inſigni legum interpreti Senatoriq; Bononien: Vix: ann: Liiii. Obijt M. D. xxxvi.

Senat: Bonon: Ioannis Zachij opus.

GOZADINI DE GOZADINIS.

MARMOR PVLCERR:

Inſtabilis quàm ſit volucriſq; hæc gloria mundi
Et citò quam fugiant tempora noſtra vide.
Miles & egregius legum reuerendus in orbe
Doctor in hoc tumulo clauditur ecce breui.
Iuſtitiam hic coluit ſacram præclarus, & altum
Pacis amauit opus, improba facta gemens.
Eloquij fuit iſte grauis, moderamine recto
Cuncta regens, fidei nobile geſſit opus.
Fama viget, nec clara ſuum Bononia nomen
Ignorat, laudes ſed canit ipſa ſuas.
Nomen habet Gozadinus enim Gozadina creauit
Hunc proles tanto geſſit & ipſo viro.
Mille quatercentum quadragentis iungitur vni
Marcus huic obire die.

BARTHOL. BENTIVOLAE.

Bentiuolæ portus genti virtutis amator
Roſcius hoc tumulo Bartholomæus ineſt.
Cuius vita perit luſtris bis quinq́; peractis
Dum præmitur nimia ſæua podagra febre.
Exemplum fidei, ſpeculum probitatis, in omni
Bentiuolûm caſu ſcriba diſertus erat. M.CCCC.vc. Cal: Sept:

CONSTANTII ROSCII.

Hic iacet in tumulo Conſtantius, inclyta proles
Roſcia quem genuit nobilitatis honos.
Hic fuit Aſtreæ cultor legumq́; miniſter
Nec non clarus eques ſplendidus atq́; comes.
Ipſe tamen nondum bis denos viderat annos
Cum rupit vitæ ſtamina Parca ſuæ.
Scilicet vt dulci caſus cum lumine lætus
Syderei coleret regna beata ſoli.
M. C. xxxx. die xix. Ianuarij.

IOAN: DE ANANIA.

Sol fuit hic Sophiæ, fuit orbis Anania noſter
Numen, & hic nullo iam iacet in tumulo
Iuſſit & hoc moriens Ioannes vir ſacer: eſto
Aſt immortalis gloria non moritur.

Optantes huius Cœnobij patres nomen Ioannis de Anania Archidiaconi Bononien. ob beneficiorum magnitudinem conſeruare, non quod debebant & volebant, ſed hoc pro viribus monumentum inſtaurarunt, & carmina quæ antea in eius laudem pictæ legebantur ſculpenda curarunt. Obijt Anno M. C C C. Lv. reſtaurat: M. D. Lxviii.

ROBERTO MACHIAVELLIO.

Viro omnibus belli paciſque artibus prædito, qui Aſcanio Columnæ Regni Neapol. Commeſtablio præfectus cohortis Prætoriæ Carol. V. Cæſare peditum Centurio fuit, atque Franciſco & Henrico Francorum Regibus Herculi Ferrariæ Duci in fœdere Pauli IIII. Pontif: & eiuſdem Hinrici primariam in inſtruendis aciebus operam præſtitit, Vlpiani expugnationi præfuit, Gazanum gubernauit, ac demum cuſtos Romanæ arcis à Gregorio XIII. Pontif: conſtitutus in eo munere Romæ mortem iam prouectæ ætatis oppetijt. Vix: ann: Lxxiii. Menſ: i. dies xxvi. Obijt Anno M.D. Lxxix. xi. Calend. Maj.

LVDOVICO LEONI.

Philoſopho ac medico inſigni qui vix. ann. Lxxiii. Menſ. i. dies viii. Obijt Anno M. D. xxviii. Id. Ianuar. & Aſcanio & Leoni eius filijs heredes p. p. Anno M.D. Lxxi.

BARCELLINORVM FRATRVM.

Scipioni I. V. Conſulto magno ingenio magnoque optimarum artium ſtudio tum omni Philologia & digna homine nobili doctrina prædito. Vix. ann. xxxi.

Paulo, qui multos annos vtrumque ius publicè ſumma cum laude interpretatus, deinde à Gregorij XIII. Pontif. Max. nepotibus Romam euocatus. Obijt ann. natus xxx.

Philippo, equiti aurato qui proximo in Turcam bello ſociali opera fortiter nauata, Ann. agens xx. Corcyræ deceſſit.

Vincent: Mariæ Barcellinus Senator pater filijs deſideratiſſ. P. Anno ſalutis M. D. Lxxxiiii. teque viator vt illis à Deo Opt. Max. veniam ac felicitatem preceris orat.

ANNI-

ANNIBALI BRVNO.

Qui Caſtello S. Petri natus primo ſub Franciſco Valeſio Gall. Rege Ducum ſtipendia faceret ſigna militaria tria ex hoſte ſumma cum laude retulit, Inde auſpicijs Venet: mox Clem: VII. tum Pauli III. Pontt: Max. à quo ipſe ciuitate Bononien: donatus eſt, poſtremo etiam Carolo V. Cæſ. Auguſti ordines honeſtiſſimè duxit, Annibal Concellus ſoror: B. M. cum luctu & lacrymis poſ: Vix: ann: XLVIIII. Obijt IIII. Calend: Sextil: M. D. XLV.

IBIDEM.

Ludouicus Caſatinus IureConſultus ſepultus. Ante templum porticus eſt totius Italiæ celeberrima.

IN AEDE FRATRVM REGVLARIVM.

FLORIANO DVLPHO.

Gonzagæ Lucæ filio IureConſulto, Theologo inſigni, Decanatus dignitate, quam in æde D. Petronij ære proprio ditauit, primo functo Franc: & Auth. Dulphi ob fratris benemeriti piam memoriam ſtatuam, Diuo autem Thomæ Cantaurienſi ob regionem ædiculam poſ: M. D. VIII.

Iuxta altare maius in niueo marmore inciſa conceſſio & confirmatio Imp: Carol. V. dum Bononiæ Coronam acciperet, Monaſterio de mutatione nominis facto.

IN AEDE D. PROCLI.

PROCVLI.

Si procul à Proclo Proculi campana fuiſſet
Tunc procul à Proclo Proculus ipſe foret.

IN AEDE FELICIS ET NABORIS.

S. Famoſiſſimi I. V. Doctoris Domini Petri de Boatrijs ciuis & Doctoris Bononienſis.

Item primi Epiſcopi Bononienſis.

Item Azonis & Gratiani, quæ tamen celebrioribus ſunt tradita locis & monumentis.

In ſaxo tamen vetuſtiſſimo, quod nunc in ſacrario reconditur de Gratiano hæc:

Hanc aue partem reuerenter lector adito
Namq; loci Monachus Decretum hic condidit huius
Diuinum Gratianus opus, quantumlibet arcto
Contentus ſepto: quod iam reparando caducum
Et vetus hoc clauſtrum tolli fuit inde neceſſe
Id tamen Abbate conſtructum eſt Bartholomæo
Mille trecentenis decies ſeptem atq; quaternis
Annis à Chriſto, pura de virgine nato.

IN AEDE S. BLASII.

THOMAE TROCHII.

Aſpice qui tranſis petit hic, non ſperne rogantem,
Quem nouiſſe velis cœli iam templa colentem,
Oſſa licet cineresq; ſacros hac vrna retentet:

Legibus

Legibus hic Trochius Thomas & Canone ſacro,
Militia inſignis toti notiſſimus orbi,
Vrbibus in multis virtute vocante peregit
Præſidis officium, mentem iam ſorte vocante
Reddidit illuſtrem, binos Sol vertit vt annos
Mille & trecentos, nonaginta iſte exigit annos
Atq; ſuis Chriſti nomen commendat amicis.

IN AEDE S. SEBASTIANI.

Bulgarus antiquus Gloſator ſepultus de quo illud:
Ordine peruerſo ſuccedis Bulgare nato.

IN AEDE S. VITALIS.

LEVCII MAGISTRORVM.

Et Mundini de Leucis & eorum heredum
Patrum in libello legitur, Vita breuis, ars vero longa.
Gloria naturæ medica virtute Leuci
Cuius erat curæ morientes reddere luci,
Inuidia fati recubās, iam nomen adeptus
Compar Hippocrati ſublimi marmore ſeptus,
Annis millenis tercentum bisq; nouenis,
Cum ſol ter denis Auguſtum torquet habenis.

EXTRA PORTAS BONONIEN:

IN MONASTERIO FRATRVM MInorum.

Sepulcrum Theodoſij Baptiſtæ Montanæ Medici, qui ſcripſit Epiſtolas Medicinales.

IN IMAGINEM MORTIS.

Si tibi pulcra domus, ſi ſplendida menſa, quid inde?
Si ſpecies auri, argenti quoq; maſſa, quid inde?
Si tibi ſponſa decens, ſi ſit generoſa, quid inde?
Si tibi ſint nati, ſi prædia magna, quid inde?
Si fueris pulcer, fortis, diuesq;, quid inde?
Longus ſeruorum ſi ſeruiat ordo, quid inde?
Si doceas alios in qualibet arte, quid inde?
Si rideat mundus, ſi proſpera cuncta, quid inde?
Si Prior, aut Abbas, ſi Rex, ſi Papa, quid inde?
Si rota fortunæ te tollat ad aſtra, quid inde?
Annos ſi felix regnes per mille, quid inde?
Tam citò prætereunt hæc omnia quod nihil inde
Sola manet virtus, qua glorificabimur inde.
Ergo Deo ſerui, quia tot tibi prouenit inde.
Quod feciſſe voles in tempore quo morieris,
Hoc facias iuuenis dum corpore ſanus haberis.
Quod nobis concedat Deus noſter, Amen.

IN TEMPLO ANNVNCIATAE.

IN INTROITV ECCLESIAE.

Hi duo ſed medius ſacra fulſere corona
Regali, Chriſtum Franciſco autore ſecuti

Expenſas

Expenſas humilis Franciſci tertius ordo
Magnificare ſuos cupiens de paupere regno.

MARIAE DE NOVARIA ASTRON:

Qui reſponſa dabat cœli internuncius ore
Veridico, fati ſydera ſacra probans,
Qui variam notat Lunam, Phœbiq; meatus,
Sede ſub hac parua conditus ille iacet,
Pierij iuuenes, populus, gens, curia lugent,
Externi Reges, Bentiuolumq; domus.

Marianus Zuchatus hoc ſepulcr. poſ: Vix: ann: L. obijt M.D. IIII. Septemb. XVI.

IOAN: BAPTISTAE THEODOSII.

Parma parens, primos Mirandula ceßit honores,
Declarat ciuem me Imola grata ſuum.
Ad ſe docta vocat tandem me Felſina, deflent
Artes me medicæ, docta cohorſq; virûm.
Deflent mœſtæ vrbes ipſæ, ciuemq; repoſcunt
Imola, Mirandla, Felſina, Parma parens.

Ioan: Baptiſt: Theodoſio Medico filij pientiſs: poſ: Vix: ann: LXIIII. Obijt M.D. XXXVIII. Menſ. Septembr.

FRATER ALOYSIVS PVTEVS.

Burgondianus ex minoribus obſeruant: hic ſitus eſt, quem omnes qui aliquam eruditionis adminiſtrationisque famam in familia ſua tulerunt, & magiſtrum & exẽplum ſibi præcipuè aſciuerunt, qui verò Concil: Trident: interſuerunt, quo ille à Pio IIII. Pontif: Max: miſſus adfuit, vtramq; & doctrinæ & ſapientiæ laudem mirificè comprobarunt. Qui prouincialia & generalia tàm diu exercuit, tot Italiæ ſuggeſtus celebrauit. Scotum tanta diligentia & voce & ſcriptis explicuit, vt vix horam vllam vacuam habuiſſe videretur. Demum ieiunijs, vigilijs, peregrinationibus, ſtudijsque magis quam ætate confectus grauibus apoplexiæ incommodis diuexatus, Chriſtianæ patientiæ nobile nobis exemplum reliquit. Obijt annum agens LXXIII. IX. Nouemb. M. D. LXXX.

Tanto patri frater Hieron: Imolen: M. H. P. C.

ALOYNO GEORGIRIO.

Epidauro ex Dalmatia viro tùm Philoſophiæ tùm medicinæ ſcientia eximiè ornato, atque etiam hiſtoriarum, Aſtrologiæ, inprimisq; Coſmographiæ ac Geographiæ, quas non tàm ex libris, quam ex diuturna terrarum perluſtratione ſibi adſciuerat, cæterarumque Mathematicarum artium omnium cognitione clariſſimo, amico & ciui optimè merito Bonifacius à Stephanis Epiſcopus Stagninus mœſtiſs: poſ. Obijt anno M.D. LXV.

IN SANCTO MICHAELE IN BOSCO: EXTRA MOENIA BONONIEN:

ARMATIATVS DE RAMMOCIOTIS.

Eques & Comes Bononien: ſanctiſs: Iul: II. Leon: X. Adrian: VI. Clement: VII. equitum & peditum capitaneus. Vix: ann: XCV. Menſ: VIII. dies XII.

BAPTISTAE COSPIO.

Senatori, viro maioris ſapientiæ, quam fortunæ, agnati illius virtuti omnia ſumma debentes poſuere. Vix: XLIX. M. X. D. II. Obijt M. D. XL. III. Id: Nouembr.

ANTO-

BONONIA.

ANTONII BVTRII. I. C.

Qui legum ante alios interpres vixit acutus
Scæuola pro Iuris cognitione nouus.
Et Canonum princeps, nulli pietate ſecundus
Traiano & compar integritate fuit.
Conſilio æquauit magnum & grauitate Catonem,
Antonius Butrio quanta ſepulcra colit?

M. CCCC. VIII. IIII. Octobr.

IBIDEM.

Bononiæ pace reddita, eamque à tormentis bellicis hinc offendi nequaquam poſſe cognito, annuente S. P. Q. B. tùm Dei, tum Monachorum domus reſtitutio ornatusque facta ſunt Anno M. D. XVII.

Obſcurum quod erat poſito ſqualore Michaël
Cui princeps Erebi cum Phlegethonte ſubeſt.
Relligione vigens Benedicti candida proles
Hoc templum egregium ſic ſibi reſtituit.
τοὺς προσκυνήσοντας δεῖ καθέσθαι
θεὸς γὰρ εὐχαριστοῦσι χαίρει.

ALFONSI SALGADI.

Hic iacet Alfonſus Salgadus gentes Hiberæ
Fama, animo ac dextra conſilioque potens.
Dux fuerat Lybicas quando dimiſſus ad oras
Quem ſtrenuum experta eſt Africa terra virum.
Felſineam multo milite dum cingeret vrbem
Quem clarum obtruncant bombea ſaxa ducem.
Seruata ex igne infelix ſeruatur in æde
Aſtra Michaël eat retribuente petes.

AD D. VICTOREM:

IN APPENNINI IVGIS.

Muſeum longum XXV. ped: feneſtras duas verſus Septentrionem & Orientem habens, in quo Bartolus commentaria ſua ſcripſit, ſicut ipſemet in proœmio Digeſtorum teſtatur: In eo hæc:

Bartolus hic legum Syrtes & retia tendens,
Cæſarei Iuris Daphnæa ſerta tulit.

ITEM VGOLINI DE FONTANA ANTIQVI COMMENTATORIS in Ius ciuile.

Tranſiit vt viuat mundanæ legis alumnus
Mors ſit ei requies, vltima vita Deus.
Vrbis honor, mundi ſpeculum iacet hic Vgolinus
Spiritus aſtra tenet, corpora ſignat humus.
Cui fortuna manum reuocans conceſſa tetendit
Cui lex vberius vbera plena dedit.
Mens legum cecidit, reliqui latitant Phariſæi
Chriſtus, qui venit parcere, parcat ei.
Mens reſpondebat veraci conſona linguæ
Et par effectus cordis & oris erat.

Fraudis,

Fraudis, nequitiæ, liuoris & ambitionis
Inter conciues vnicus hoſtis erat.
Mors voluit mundum ſub certa lege teneri,
Nam cinis eſt hodie, qui fuit ignis heri. An: Domini M.C.Lxviii.

IN AEDE D. MARIAE MONTANAE.

Sunt effigies Beſſarionis Carolis Græci & Perotti, Item aſcenſus in cœlum Beatæ virginis, opus perpulcrum & mirabile Galaſſi pictoris excellentiſſimi.

Item Epitaphia Liuiæ Marſiliæ, Sophiæ Maluetiæ, Anton: Mediolani, Vincent. Herculani, Ioſephi Arnolphini, Hieron: Toſtini, Iſidori Cancellarij, Lud. Bolognetti, Leon. Ferrarij, Iſabel. Fælicinæ, Anton: Mariæ Lignani:

In tenebris ſplendorem obtinet Carolus Ruinus I.C. hic ſepultus.

IN PLATEA D. BARTHOL:

Viator ſiſte gradum, & perlege: Vt latior quam vides plateam redderetur cunctis illuſtrior à D. Barthol: quæ ibi tùm ferè in medio fuerant à fundamentis eruta, ære publico cum domibus hic reſtituta eſt, Anno ſalut: M. CCCC XCVII. Calend: Octob: Andrea Grato, Ioanne Marſilio equitibus auratis & X V.I. viris Platea ipſius ac operis viæ Imperialis præfecti, & curantibus Ioanne Bentiuoglio II. Senat: Bonon: principe bono Reipub: nutu approbante.

IN SCHOLA PVBL: BONONIEN:

Gregor: XIII. Pont: Max: annuarum reuolutionum feliciſſimo reſtauratori:

Tempora qui feros Phœbi referentia gyros
Toto ſancte ſenex orbe venire facis,
Scilicet vt redeat nunquam reuocabilis annus
Atq; ſuum teneant feſta ſacrata diem:
Næ tu cœlicolis gratum atq; perutile nobis
Immortale tibi conficis autor opus.

Sub felicibus auſpicijs magnificorum D. D. D. Ioannis Baptiſtæ Bergaiotti Parmenſis & Domini Viti Antonij Horatij de Curtis Murſonenſis Vniuerſitatis patronorum medicorumq; priorum meritiſſimorum die xxx. Menſ: Decembr. Anno Domini M.D. Lxxxii.

IN AVDITORIO MAGNO

I. Conſultorum primo:

Muſeum hoc decorat præclaras indole mentes,
Effunditq; viros Troicus alter equus.
Hoc iuuenes fingit gnaros in rebus agendis
Hoc belli atq; togæ fulmina multa parit.
In quo Iuſtitiæ vertex, legumq; recumbit
Et patrum & procerum gloria prima manet.

Prima manet primis ſemper reſplenduit orbis
Nam iuris primus nunc quoq; & orbis adeſt.

ALIVD.

Hinc Labyrintheas ambages ſoluere legum,
Veraq; de tenebris promere verba ſolet.
Mirus ineſt orgo in verbis grauitasq; docenti
Candida mens, animus promptus ad obſequium.
Tanto igitur monumenta viro ſtudioſa iuuentus
Hæc poſuit grati Rectoris inditium.

Annuent: D. Ioan: vel Baptiſta Saluago Genuenſi vniuerſitatis priore digniſſimo.

IBIDEM.

Principem Gimnaſij claſſem vrbis ornamento ciuitatis ſplendori & poſteris incitamento, conſiliarijs benè geſtæ adminiſtrationis memoriæ relinquendæ ac benè meritis ſe officijs deuinctos oſtendendi ſtudio eorundem generis nominis & honoris inſignibus placuit exornari. Anno ab ortu Chriſti M. D. Lxix. Pij V. Pont: Max:

ITEM.

Vniuerſitas legum ſtudioſa veterem huius Auditorij dignitatem animo repetēs, atq; eidem inpoſterum quoad poſſit conſulere cupiens, nouis his inſignium ſuorum ornamentis cohoneſtandum curarunt, Annuente Dn. Ioanne Baptiſta Saluagō Gennenſe vniuerſitatis Priore digniſſimo. Anno Chriſto nato M. D. xxxi. Georg. XIII. Pont: Max:

IN ALTERO COLLEGIO IVRIDICO.

Ad Virum Illuſtriſſimum & legum prælectorem excellentiſſimum Annibalem Mareſcottum.

AEquora turgeſcunt iuris iam vaſta profundi
AEſtuat & legum pelagus ſpes nulla ſalutis
Ecce Mareſcottus tumidas ſedare ſalebras
Aptus, & implicitos legum diſſoluere nodos
Annibal hic etiam maior: nam vincit vterq;
Ignibus & Pœnus montes hic legibus orbem.

Annuente Manfredo Floſio Dauenherio Senuenſi Priore digniſſimo.

IN TERTIO IVRISTARVM AVDITORIO.

Ioanni Baptiſtæ Salimbenio I. Conſulto Clariſſimo, vniuerſitatis Iuriſtarum opt: merenti poſuit.

Qui concluſa adytis legum penetralibus acri
Promentem ingenio ſacra Salimbenium.

Contemple-

Contempletur ei ſapientum arcana patere
Tractata & ſtupeat tam nituiſſe viro.
Ambigat & plus ne illorum huic ſplendoris, an illis
Inſignis cultus iam ſtudiumq́; ferat.

Annuente Antonio Suardo Ariminen: Priore digniſſimo.

IBIDEM.

Bononien: Gymnaſij adoleſcentes nobiliſſimi, vtramque Iuriſtarum Vniuerſitatem conſilij prudentia & fidelitate gubernantes ſui præceptoris nomen honorificè illuſtrare, harum ædium ſplendorem magnificentius augere, bene geſtæ adminiſtrationis memoriam relinquere, ac eiuſdem muneris vicarios ad honeſtam æmulationem excitare ſtudent: Ad claſſem hanc publicam ſuæ familiæ ac nobilitatis imaginibus publicis exornandam æs publicum erogari iuſſerunt. Anno Domini M. D. Lxxvii.

IN QVARTO AVDITORIO.

Ad virum Excelſum Ioannem Morandum Iuris Conſult: Clariſs:

Plaudite cum vobis adeat celeberrima claſsis
Ille nitor legum Iuſtitiæq́; iubar.
Hinc legum flammas altè rutilare videtis,
Hinc reſponſa patent Felſina docta tibi.
Felſinei montes, mirandum, flumina, valles,
In cœlum tollunt laudibus eximijs.
Felix certè felix terq́; quaterq́; beatus,
Fulgida qui tali tendet ad aſtra viro.

Annuente D. Octauio Viſentino Veronen: Priore digniſſimo.

D. O. M.

Vniuerſitas iuris ſtudioſorum Doctorem præſtantiſſimum Ioannem Morandum, qui ſacris legum ex adytis mirè præcepta promens ſumma ipſos cum admiratione fructuq; moratur, & ſcholam hanc quæ otium, quod maxime maxima quemq; ad negotia inſtruat ijſdem præbet, his ita in vtrunq; ſui ſtudij notis ære impēſo ſuo exornauit, vt ab vtroque ipſa honeſtiſſimæ ſcientiæ clariſſimis ornamentis exornatur. opus finitum iii. Non: Iulij M. D. Lxxix.

De Cæſare Solea Mediolanen: Vniuerſitatis Priore digniſſimo.

IN QVINTO AVDITORIO.

Vniuerſitatis legiſtarum Conſiliarij communi conſenſu, vt Gymnaſio decus, Doctoribus ornamentum, ſcholaribus aliquod ad laudis gloriæq; cupiditatem incitamentum adferrent, hanc ſcholam ære publico pingendam, & inſignibus quisq; ſuis exornandam curarunt.

Cœptum eſt opus M. D. VVolfgango
Conſummatum M. D. Franciſco Prioribus.

Anno M. D. Lxxv. prid. Calend: April: Greg: XIII. Pont: Max: Ludouico Segnio I. Conſulto Clariſs: Vniuerſitas Iuriſtárum opt: merenti poſuit.

Segnius haud vnquam eſt in publica commoda ſegnis
Omnibus hic alget, ſudat & inuigilat.
Et iudex trutina leges examinat acer
Dat lucem obſcuris, ſoluit & ambiguas.

Annuente VVolfgango Caſtner Oenipontano Tyrolenſi Priore digniſſimo.

Vt benè geſtæ adminiſtrationis rationem Iuridicæ facultatis Conſiliarij redderent, Auditorium hoc ad ciuitatis ornamentum communi voto illuſtrandum, & ſuis ſtemmatibus ære publico depingendum curarunt. Gregor: XIII. Pont: Max: & Rudolpho II. electo Romanorum Imperatore inuictiſſimo regnantibus Anno M. D. Lxxxi. die xxviii. Iunij.

Annuente Domino Io: Vdauio Stingihaimer Thuinthenio Priore digniſſimo.

Ad Excellentiſſimum D. Franciſcum Ioannetum Iuris didiuini Interpretem clariſs: Tetraſtichon.

Vt tua Teuthonicis quæ parta eſt gloria terris
Dum retegis veris abdita iura ſonis.
Quæq; tuæ acceſſit famæ noua gratia laudi
Auſtriacum monitis dum regis ipſe Ducem.
Nubila fortunæ valeant tranſcendere ſæuæ
Arctaq; finitimo vincula facta pede.
Iane tuo hæc circumfulgentia ſtemmate ſigna
Conſtituit facili pectore tota cohors.

Annuente D. Vdauio Stingihaimer Priore digniſſimo.

IN SEXTO AVDITORIO.

Studioſa V. I. Vniuerſitas ære publico delectum hoc auditorium his picturis honeſtandum curauit, vt religioſæ imagines non ſolum ad vrbis ornamentum & loci dignitatem ſpectentur: ſed etiam vt per eas nobiliſſimi iuuenes vehementiꝰ ad Iuriſprudentiæ ſtudium inuitentur, Gregor: XIII. Pont: Max: ann: ii. M. D. Lxxvi. ab origine mundi 5532.

In Antonium Gypſum I. Conſultum Clariſs:

O decus egregium Antonius noua gloria Iuris
Inter Iuſtitiæ Patres ſanctumq; Senatum
Qui ſplendore nitet velut inter ſydera Phœbus
Non aurum, non æra tibi, non marmora, verum hos
Tantorum effigies procerum largimur honores
Virtutum æterna vt maneant monumenta tuarum.

Annuente Guilielmo de Porcarijs Priore digniſſimo.

Quid præceptorum merita valeant, quid eorum vigiliæ poſſint hoc vno exemplo ſtudioſa I. V. vniuerſitas apertiſſime demõſtrauit, quæ excellentiſſimo D. Hieronymo Buccaferreo delectũ hoc

auditorium varijs antea picturis cohoneſtatum, nunc vero proprijs ſtemmatibus decoratum (magnum amoris & reuerentiæ ſignum) ex animo dedicauit & obtulit. Procurante R. DD. Flamminio Paulatio Priore digniſſimo.

Ad Excellentiſſimum Dn: Hieron: Buccaferreum I.C. clariſs:

Quidquid hic oppugnat, quidquid defendit & acer
Roborat infirmat Ferreus eſſe ſolet.
Si legum promit ſenſus interprete lingua
Aurea verba fluunt, aureus ordo nitet.
Ferreus eſt igitur dicendus & aureus idem
Inclyta Felſinei gloria gymnaſii.

Annuente R. D. Flaminio Paulatio Gracenſi Priore digniſſimo:
Anno Domini M. D. LXXXII.

Gregor: IX. Pontif: Max: Compilator Decretalium à nati Chriſti anno M. CC. XXVII.

Iuſtinianus I. Imp: totum ius ciuile Rom: antea confuſum immenſo labore & ſtudio fauente Deo reformauit.

Gregor: XIII. Pont: Max: Bononiæ ante leges ciuiles publicè profeſſus eſt Anno Chriſti 1573. ab origine mundi 5532.

Pius IIII. Pont: Max: concil: Trident: quod ſub Paulo III. & Iulio III. incœptum fuerat, perfecit Anno M. D. LXIV.

IN SEPTIMO AVDITORIO.

Vniuerſitatis legiſtarum Conſiliarij communi conſenſu, vt Gymnaſio decus, Doctoribus ornamentum, ſcholaribus aliquod ad laudis gloriæque cupiditatem incitamentum adferrent hanc ſcholam ære publico pingendam & ſymbolis ſuis quiſque exornandam curarunt.

Cœptum eſt opus M. D. VVolfgango.
Conſummatum M. D. Franciſco Prioribus.
Anno M. D. LXXV. prid: Calend: April: Greg: XIII. Pont: Max:

Antonio Caluarino I. C. celeberrimo Vniuerſitas Iuriſtarum optimè merenti dicauit.

Inuenit argutè, benè digerit, explicat aptè
Et nodos acie diſſecat ingenij.
Ducit inerranti ſancta ad penetralia legum
Limite, non vllos hoc duce fallit iter.

Annuente Franciſco Forteſio Vincentino Priore digniſſimo.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum virum Dn. Hieronymum Ghyſilerum, Iuris diuini interpretem.

Te quibus heroum diffuſis laudibus æquem?
Si cedunt luci ſydera cuncta tuæ.
Deſine Iuſtitiam Radamante & Regulus almam
Deſpiciat legem, Neſtoris aula cadat.
Huius adeſt cuſtos cœlo dilapſus ab alto
Et legum cultor Paruatidumq; decus.

Annuente Magnifico & Generoſo D. Bartholomæo Lonagio Siculo Priore digniſſimo.

IN MEDICORVM AVDITORIO.

D. O. M.

Gaſpari Talcacotio ciui Bononien: Philoſopho ac Medico ætatis noſtæ celeberrimo, cum vniuerſam humani corporis anatomen in doctiſſimor: virorum frequentiſs: conuentu publicè adminiſtratam facundia methodo ac doctrina admirabili explicarit, eiuſque incompertas adhuc partes in lucem prodiderit, animi grati & perpetuæ memoriæ ergo Lect: mediciq; pp. ordinariæ anotomes ab illo adminiſtratæ monumentum.

Eidem Clariſſimo atq; Excellentiſſimo viro D. Gaſpari Talcacotio.

Ingenium moresq́, tuos celebramus & artem
Gaſpare tùm doctâ corpora ſecta manu.
At magis inuiſis quod nos cumulaueris auctor
Muneribus tumulos quæ latuêre virûm.
Ergo pro meritis æternùm hoc marmore viues.
Clare vir ingenio, moribus, arte, manu.

Anno à partu virginis M. D. Lxxii. xvi. Calend. Ianuar.

Hanc varijs claſſem cœpit decorare figuris
Communi ſtudio tota caterua ſcholæ.
Vrbis vt altiloquæ celebretur nomen in orbe
Creſcat & aſſiduè gloria, fama, decus.

Annuente Domino Io: Bononio Tergeſtino Priore digniſſimo. Anno M: D. Lxxv.

I. CAESARI ARANTIO.

Bonon: Philo: & Med: præſtantiſſimo ob cōtinuatam in anotom: hum: corp: adminiſtranda explicandaq́; laudem Theodorus Battafocus Plac: Elector & D. anatom: Iulius Luchiuus. Mant. Sebaſtianus Moronus Parmenſ. Guilielmus Klepfer Germ: Franciſcus Lopes Hiſpani. Parigianus Euſebius Bartholus Fanen: Paris. Rom. Pianeſius Reg. Iacobus Pellinus Lucen: Achilles Benolius Angelus, Michael Saccus Bon: Merito certo hæc honoris inſignia pp. Ann: Domini M. D. Lxvii.

Clariſs eidem Arantio Phyſico & Chyrurgo præſtantiſſimo huius ætatis Anatomicorum facilè principi ob vniuerſam humani corporis fabricam admirabili eloquentia planiſs: explicatam Anatomiæ Electores ac Syndici Doctori de Rep: optimè merito p.p. Anno Domini M. D. Lxxii. ix. Calend: Martij.

Hæc tibi noſtrum animum, noſtrum hæc teſtentur amorem.

IN PORTICV.

P. Donato Cæſio S. R. Ec: C. Bon. Leg.

Si merito ſacri vates Heliconis alumnum
Miles Gradiuum tam reuerenter habet.

Nempe

Nempe quod in verſus inſpiret Apollo furorem
Det Mars ancipiti fortia corda viro.
Te quod Pieridum Cæſi ſis fautor, & illas
Protegis, æternùm tota iuuenta colit.

Annuente D. Nicolao Caſtanea Siculo Tuſano Priore digniſſimo. Die xx. Auguſti M. D. Lxxxi.

IN AVDITORIO INFERIORI.

Summa Priuilegij ab Imp: Cæſ: Fl. Theodoſio Iuniore Aug: Hymnaſio Bononiæ conceſſi.

Qui Prætor, Iudexuè quinquennio in Bononien: gymnaſio ſtudiorum cauſſa non conſumpto ad judicandum acceſſerit eius decreta ſententiæuè irrita ſunto.

Qui Doctor in ordinem aſcitus, libro à maioris Eccleſiæ Archidiacono non accepto, fuerit, eius dignitas licet peritorum omnium ſuffragijs comprobata prorſus nulla eſto.

Qui Scholarem aliquem ad Gymnaſium Bonon: pergentem manu verbouè offenderit, capitis reus eſto.

Qui Magiſtratus prout Magiſtratus iniuriam ſcholari illatam perſequi prætermiſerit eadem pœna tenetor. Anno Domini M. D. Lxvii.

Qui honeſtiſſimi huius conſilij participes erunt facti, inprimis operam dent, vt iura, inſtituta, mores, conſuetudineſque omnes, quæ ad huius ſcholæ commoda autoritatemq; tuendam pertineant ſumma cura cuſtodiantur.

Rectori ſcholæ maximus idemque meritus honos ab omnibus habeatur.

Legitimi publicarum profeſſionum dies diligentiſſimè obeantur.

Profeſſorum ipſorum dignitas quam maximè obſeruetur.

Inter Scholaſticorum nationes, æterna piaq; pax concordiaq; conſeruetur.

Exornatus ad vrbis & ſcholæ dignitatem ex autoritate eorum quorum inſignia circumpicta ſunt, & ex totius conſilij locus eſt. A. D. M. D. Lxvii.

IN ALIO AVDITORIO.

In circumferentia.

Eſte pares, & ob hoc concordes viuite, cùm vos
Et decor, & ſtudium & munus ſociarit & ætas.

IN PORTICV INFERIORI.

D. O. M.

Moderatoribus optimis aſſidua cogitatione curantibus, vt inclytæ huius Academiæ ſplendor & dignitas, ad vtilitatem iuuentutis ex cunctis regionibus ſtudiorum gratia confluentis, incrementum accipiat, Priorum ac conſilij Vniuerſitatis Philoſophorum & Medicorum illis diutinam Maieſtatis felicitatem, ſibique patrocinium precati, exiguam hanc, ſed quam præ imbecillitate ſua poſſunt, maximam grati animi ſignificationem memores officiorum pp.

Procurante hanc memoriam Magnifico ac generoſo viro D. Ioſepho Zacconio de Fano Priore digniſſimo.

Anno Domini M. D. Lxxxiii. die xxiiii. Decembr:

IN AVDITORIO INFERIORI.

I.

Magiſter eſto diligens doctus vigil
Veriq; amator, & alieni commodi:
Auditor at tu ſis laboris appetens,
Magiſtri amator & imitator ſedulus.

II.

Conſultor hic vtcunq; tempus poſtulat
Adeſto, ſemper publicum negotium
Curato, agendum quid ſit in præſentia
Videto, longè prouidens in poſterum
Caueto, partes ſic tuas tuebere.

ANTIQVITVS ERANT HAEC INSCRIPTA.

Hic ſtudioſa cohors diſcit ſapere intus & extra,
Dum ſciat vt toto ſit mage dimidium.

Item.

Gloria virtutis comes eſt, vt corporis vmbra.

Ante Stufam Decemuirorum.

Priuatorum obliti, publica curate.

AD INSIGNIA BONON.

Iuſticiæ fortisq; Deæ ſimulachra Ioannes.
Marſilius patris munera conſtituit ann: M. CCCC. Lxxxii.

AD HERCVLEM HYDRAM interficien:

Hæc finxit nouus ora mi Promethius.
Alcides vocor heus abite monſtra. Cornel. Lambertinus II. Coſ. pro curiæ ornamento ſuo ære poſ. M. D. xx.

IN PALATIO BONONIEN.

Clementis VII. Pontif: Max: & Carol. V. Cæſ: Imp: Vnanimitas ſtabile firmamentum.

Clemens VII. Pont: Max: vt Chriſtianæ Reip. ſtatum reformaret, cum Carol. V. Cæſare Imperat: Bononiæ congreſſus eſt. In hanc vrbem Cæſar Non: Nouemb: Anno à Chriſti natali M. D. xxix. introijt, pro templi foribus de more Pont: Max: adorauit, eius hortatu & conſilio cum reſtituto in Mediolani auitum regnum Francis: Sforzia ac Venetis pace data, cunctæ Italiæ otium ac trãquillitatem diu optatam reddidiſſet, Imperij coronam hoc pompæ ordine ſuſcepit. Feneſtra hæc ad dextram fuit porta Prætoria, ea ingeſſus Cæſar per pontem ſublicium in ædem D. Petronij deductus ſacris ritè peractis à Pont: Max: auream coronam Imperij cæteraq; inſignia accepit. Inde cum eo triumphans exercitu ornatiſſimo præeunte vrbem perluſtrauit. Cum ambo in eodem Prætorio totam hyemem coniunctiſſimè de ſumma rerum deliberantes egiſſent, Cæſar poſt ſuum aduentum menſe quinto in Germaniam ad tumultus impiorum ciuium ſedandos & bellum Turcicum cum fratre Ferdinando Pannoniæ Rege apparandum profectus eſt. Huius rei monumentum hoc Innocentio Cibo Card: Leg: autore, Vmberto Garbaro Vrbis præfecto referente S. P. Q. B. extare voluit. Non: Nouembr: M. D. xxx.

INTRO-

INTROITVS CAROLI IN VRBEM.

Magnates & militiæ Duces.
Vexilla communitatis Bononienſ.
Magiſtratus Bononienſ.
Collegiorum Bononienſ: vexilla.
Doctores Legum & Canonum XII.
Vrbis Bononienſis Gubernator.
Vrbis Bononienſ: vexilla.
Vexilla rubra Pontificia.
Cubicularius Pontificis.
Familia Ducis Permæ.
Antiquum pop: Rom: vexillum Sancti Georgij.
Aquila Imperatoris.
Vexilla crucis Eccleſiæ Pontificis.
Equi ſex generoſiſſimi à totidem Helciarijs producti.
Quatuor Pontificis Capellæ.
Pontificis cubicularij, ſcribæ, aulici, aduocati.
Auditores Rotæ.
Tubicines.
Corynophori.
Virgiferi, Oſtiarij, Ianitores.
Heraldi.
Diuerſorum populorum Oratores.
Paſtorale Pontificis baculum.
Tyara Pontificia.
Duo Candelabra aurea.
Duodecim ceræ candidæ ardentes.
Sacra Euchariſtia Bononien: patricijs & Medicinæ Doctoribus ſtipata.
Pontificis Sacriſta.
Varij principes, Comites, Marchiones.
Duces, diuerſarumque nationum linguarumq; ſatrapæ.
Viri nobiles & potentes.
Cæſarei Architriclini ſiue magiſtri domus.
Magnus Architriclinus.
Adrianus Comes à Rodio.
Burgnadus Heraldus inſigne numiſma ſpargens.
Collegium Cardinalium.
Bonifacius Paleologus Marchio montis Ferrati cum ſceptro Imp:
Franciſcus Maria Dux Vrbini gladium Imp: ferens.
Philippus ex Palatinis Rheni & Bauariæ ducibus, cum aureo pomo.
Carolus Dux Subaudiæ Imp: diadema tenens.
Clemens VII. Pont: Max:
Imp: Cæſar Carolus V. Auguſtus Philip. F.
Henricus Comes à Naſſavv.
Archiepiſcopus Barren:
Epiſcop: Caurien:
Epiſcop: Brixien:
Nicolaus Berenottus.
Michael Maius.
Innumeri Canonum legumque Doctores.
Viri Conſulares & Prælati.
Tympaniſtæ.
Tubicines.

Cata-

Cataphractorum equitum armatæ phalanges, puta Marchionis Aſolen: Comitis à Rhodio Baronis aut Regij Domini Viennenſis, & Baronis Sancti Saturnini.

Germani & Hiſpani pedites, cuſtodias agentes.

Antonius de Leua Capitaneus generalis.

Machinæ bellicæ.

Aquilæ inter medios Leones vinum album & rubrum fundentes.

Bos varijs animalculis infartiatus.

Paſſim omnibus omnis generis panis diſtributus.

Nicolaus Hogenbercus Monachen: F.

DIVO ET INVICTISSIMO IMP: CAROLO V. PIO FAELICI.

Cæſar & Heſperijs & qui dominaris Eois,
Aſpice quod tenebris te prohibebit opus.
Non fato veniente cades, multosq́ ſecutus
Ignotum longa nocte premere caput:
Sed cum victuris victurus Carole chartis
Ibis ad Antipodum regna ſecutus auum.

Cæſareas ſanctiq́ patris longo ordine turmas
Aſpice, & artificis ter venerare manum.
Tradere quæ potuit rigido manſura metallo
Nomina magnorum tot generoſa virûm.
Pictor Hogenbercus, quod per tua ſæcula cernas
Hoc tibi poſteritas inuida fecit opus.

PAVLO IIII.

Pontif: opt: Max: relligionis & iuſticiæ inſtauratori & Carolo Carafæ Neapol. Card. Legat. Thomas Contuber Epiſcopus pen. proleg. f. c. Menſe Martio M. D. LVIIII.

GREGOR. XIII.

Ad ſummum Pontificatum ob maximas virtutes euecto Reip: Chriſtianæ bono ac penè ſplendori nato ciui optimè merito, S. P. Q. Bon: ſtatuam hanc erigen: curauit, quam iuſſu Pontificis Petrus Donatus Cæſius Carolis Legatus hic collocandam fulcroque muniendam decreto interpoſito ſanxit, Anno Dominicæ Natiuitatis M. D. Lxxx. Menſe Octobris.

IN AEDIBVS PRIVAT:

AD PP. INSIGNIA.

Virtus fortunæ comes eſt mens conſcia recti
Montibus his Petri ſumma ad feſtigia venit.

IN CASA DELLA MALVASIA.

Depicta Hiſtoria vel vitæ geſta Iulij III. Pontif. ob conceſſum & donatum priuilegium habitatoribus domus & familiæ vendendi Maluaticum.

DEIN AD INSIGNIA PONT:

Excelſus hic mons excedit numine montes.

ITEM.

ITEM.

Tu'e nunc omnes errant ſub montibus agni.

EXTRA PORTAM MASCARELLA.

IN PRAEDIO EQVITIS DELLA VOLTA: I. AB VRB: LAPIDE.

Hanc villulam atq; hunc agellum qui animi aut valetudinis cauſa inuiſerint, ac voluptas valetudinem, corporisuè curatio voluptatem corrumpat, neuè locus qua ſacer eſt violetur, aut qua cultus eſt deſeratur, haſce obſeruanto leges.

Deum Opt: Max: proxima in æde primum venerantor.

Quiduis poſtea luſtranto, te vt vis exercento: vbi vis quieſcento, ſed hoc citra languorem & ſudorem illud.

Seruorum greges importunorum non modo à pomarijs, ſed procul ab vtroq; pomerio interea excluduntor. Si quos tamen miniſterij cauſſa voluerint paucos & modeſtos introducunto, qui nec hilum attingunto inconſulto villico.

Eis abeuntibus pro anni tempore, pro rerum copia & inopia pro cuiusq; perſona, flores, frondes, ramunculos, poma, olera viritim villicus diſtribuet.

Quos ruris dominus ad prandium cœnamuè inuitauerit, curę, mœrores, triſtitiæ in vrbem remittuntor, voluptas, jocus, hilaritas remanento.

Menſæ eleganter & ſplendidè ſine luxu ac pompa, aprico opacouè loco pro anni tempore parantor.

Dapes ſolito lautius & copioſius, ſed ad vitam viuendam, non ad mortem maturandam apponuntor.

Pocula quæ ſitim pellant, non quæ hoſpitē obruant, potantor.

Interim auium concentu, & aquarum murmure ſe oblectantor, his ſilentibus Iopæ, Amphiones, Orphei loquaces compeſcunto, aures mulcento.

Remotis menſis atq; arbitris ſuis cuiq; conuiuarum mores paulò liberius pati, ſeni, juueni, faceto dicaci vel ad ineptias vsq; fas eſto, Si qua licentius poti dixerint aut fecerint, ea in vrbe alijs narrare aut omnino in memoria habere fas non eſto.

Scorta, ſcurræ, paraſiti, præſtigiatores, arioli, ac eiuſmodi impurum ac profanum genus procul arcentor.

Aleis, latrūculis, ſcrupulis, talis, ſi qui ſe oblectare maluerint nemini tūc vitio id dator, modò fiat modicè, ne fortè iacturę dolor in gaudij, cui9 loc9 hic à maiorib9 dicat9 eſt, ſedes mœrorū induxerit.

His actis in eodem ſacello Deo item Opt: Max: gratias agunto, in vrbem læti ludibundiq; abeunto.

IBIDEM

IBIDEM IN PARIETE CANIS EPITAPH.

Latrai à latri, & à gli amanti tacqui
Onde à miſſere & à Madonna piacqui.

IN ALTERO PARIETE.

Achilles Alexandri fil: Volta à Clemen: VII. Pontif: Max: in collegium fratrum gaudentium cooptatus, domum ad ædem Mariæ cum porticu & viridarijs, item hortum & ambulationes cum Ornythone & Leporario ſalientibus & piſcina ad reuocandam collegij memoriam fratrum commoditati fecit aſſignauitque M. D. L.

ANTE HORTVM QVENDAM.

Vrbs habeat curas, qui me mihi reddit agellus,
Exigit ingenius gaudia mixta iocus.

ANTE ALIVM.

Hortule fac placeas, fac hortule dulces in eſtas
Vt fundat Domino libera menſa dapes.

ANTE ALIVM.

Has ædes genio ſacrauimus, vtere quisquis
Hoſpes es, at lingua & moribus eſto probis.
Vti cuiq; ſuis licet, hæc ne carpe voluptas
Ingenua eſt animi quantulacunq; mei.
Si quæ fortè iuuant oculos, ne parce viator,
Quilibet hoc vti commoditate poteſt.

AD HOSPITES.

Inuide quod nequeas imitari, carpere noli
Nil niſi cum ſumptu mentem oculoſq; iuuat.

AD OSTIVM HORTI.

Garrule contineas linguam, tuq; inuide dentem,
Hoc volui, cœptum carpe viator iter.

Has genio ædes, gratijs hortos Nimphijs fontes, nemora faunis & totius loci venuſtatem Sebetho & Syrenibus dedicauit.

Iubeo
Saluos venire ſaluos ire.

IBIDEM ANTIQVVM AENIGMA A.M. PP.D.

AELIA LAELIA CRISPIS, NEQVE VIR NEQVE FOEMINA nec Androgyna nec puella, nec iuuenis nec anus, nec caſta nec meretrix, nec pudica ſed omnia: ſublata neq; ferro, neque fame, neque veneno, nec igne, nec peſte, ſed omnibus: neque cœlo, neque terris, neque aquis, ſed vbique jacet. LVCIVS AGATHO PRISCVS nec maritus, nec amator, nec neceſſarius, neq; mœrens, neq; gemens neque gaudens, neq; flens, hanc nec molem, nec pyramidem, nec ſepulcrum poſuit, ſcit & neſcit, quid cui poſuerit.

ſuerit. Hoc eſt ſepulcrum intus cadauer non habens, Hoc eſt cadauer extra ſepulcrum non habens, ſed cadauer idem eſt, & ſepulcrum ſibi.

FLORENTIOLA.

OPPIDVM ELEGANS ET LAVTVM IN radicibus Appennini ad amnem quendam ſitum, & à Florentinis conditum, quibus paret. Sunt qui velint olim Fidentiam dictam, & Forentiola pro Fidentiola nunc corruptè proferri. Ad D. paſ: hinc Bononia aduentantibus ad læuam mons altus eſt, qui fumum emittit, atq; magnas etiam flammas, præſertim cum pluuia vehementior cadit.

SCARPARIA.

OPPIDVM IN VALLE MVGELLANA INter montes Feſulanos & Appenninum ſitum, à Florentinis deſtructo Actiano Caſtello, quod Vbaldinæ gentis fuit, ſub Clemente V. conditum, plenum fabris ferrarijs, Anno M. D. XLII. die Iulij III. terræ motu quaſſatum & labefactatum, cum locis vicinis, effluxit ex montibus fonticulus ſulphur olens, ſed diebus paucis exſiccatus terræ motu ceſſante. Prope eſt Seba fluuius, qui per lapideum pontem tranſeundus eſt:

DE FLORENTIA DOCTVS QVIDAM ITA LVSIT.

Bella quidem es meritò Florentia bella vocaris,
Italiæ exigerem ſi vitæ tempus in oris
Hetruſci peterem ſolum conſidere in aruis;
Atq; ego ni dulcis patriæ reuocarer amore
Hanc cuperem feſſæ portum requiemq; ſenectæ.

FLORENTIA.

VVLGO FIORENZA, VEL OB FLORENtem fortunam, vel florida incolarum ingenia ſic appellata, ac quòd eſſet præfluente Arno oppoſita, olim Fluentia dicta, Ciuitas elegans, florens potens, quippè quæ anno M. CCC. XXXIX. nonaginta hominum millia recenſuit & in bellum Mediolanen: decies centena ſexaginta ſex aureorum milla in VI Menſibus expendit, ampla & plane regia, à Syllanis militibus XC. Ann: ante Chriſtum natum condita, Romanorum, vt contendunt nonnulli Colonia, & à Triumuiris deducta. A Totila Gothorum Rege, vt ipſius annales loquuntur, diruta, à Carolo Magno reparata & amplificata ex ruinis Pheſularum. Hetruriæ facilè caput: factionibus, tumultu populari, finitimorum armis ſæpius agitata, æquali loco ſita, ſilice quadrato ſtrata, templis auguſta, ornata palatijs, ſplendida plateis, negotiationibus diues, opibus ampla, victu moderata, veſtitu grauis, tota magnifica, frequens & exculta. Viri in ea facundi, mulieres pulcræ & ſermonis elegātia Hetruſcis cæteris præſtantes. Villæ ſuburbanæ magnificentiſſimæ,

M   *& flos*

& flos quaſi Italiæ, tot enim ſunt caſtella nobilium, tot Monaſteria religioſorum & tam frequentia mancipia in circuitu, vt vallis omnis quæ à monte Pheſularum in Piſtorien: agrum extenditur, vna ciuitas videatur, & aliquot millium caſarum cenſeatur, prout apud Piſtoriam attigimus. Per eam Arnus fluit, quatuor pontes habens, & tàm rapidus, vt aduerſo amne non poſsit nauigari. Mœnia alluit Munio Pheſularum amnis. Hæc vrbs à Rudolph. Imp: libertatem pecunia emit, & ad Rempubl: adminiſtrandam XII. viros creauit, cum arcium Priore, vt ipſi nominant, & Iuſtitiæ vexillifero. Rurſus à Carolo V. adiuuante Clemente VII. Pontifice ſubacta eſt, & Clariſs: Mediceæ familiæ cum filiam Margaritam Alexandro elocaret, conceſſa, cui nunc paret. Bibliothecæ VI. Prima S. Laurentij, quæ Medicea appellatur, adhuc inexplicata, & in qua libri coaceruati quam plurimi nullo ordine iacent, priuatim Doctorum vtilitatibus ſeruiens, Multi in ea autores præſertim Græci qui excuſi nō ſunt. Secunda S. Marci, Laurentij Medicis & Nicolai de Nicolis liberalitate ac teſtamento inſtructa atq; aucta: Vna Latina, in qua pulpita LXIII. in altera Græci, Hebræi, Armenici libri, pulpita XIIII, aliquot item Theologorum Græcorum opera nondum expreſſa. Tertia S. Benedicti libros Latinos optimos habens pulpitorum XXX. ei adiuncta itidem Græca, ſed exigua. Quarta S. Crucis à Sebaſtiano de Bucellis in literis politioribus aucta pulpitorum L. & librorum DCC. LXXXI. tota Latina & ſanè præclara Quinta in domo Epiſcopi Latinorum auctorum pulp: XLIIII. Sexta Mariæ Nouellæ tota Latina pulpita XLV. Hoſpitalia ſex, S. Mariæ nouæ. S. Mariæ annunciatæ. S. Bonifacij. SS. Innocentum. S. Matthæi. S. Pauli, quæ nominantur propter magnificentiam, Minora enim alia ſunt XXXII. Eccleſiæ Parrochiales XLIIII. Cœnobia tàm virorum quàm mulierum LXXVI. Collegia ſeu fraternitates puerorum IX. totidem virorum, vel etiam plura. Palatia infinita: Campi octo, S. Crucis, S. Marci, S. Laurentij, Della ſignoria, Del prato, S. Mariæ Nouellæ, Mercato Vecchio, Mercato nouo. Templum Cathedrale cognomento S. Mariæ Floridæ magnificentiſsimum, & intra tria Hetruriæ nominatum, foris incruſtatum marmore albi, nigri, ruſiq; coloris. Portæ à fronte tres ſunt, ex quibus media ſculpta & cæteris ornatior eſt, ſupra tamen rudis; tum aliæ duæ ab vtroq; latere, vna quatuor lata ſacella habet, alterum alteri præeminens, adeo vt in modum crucis facta videantur, in quibus illud miraculo ſimile, quod ſua diſpoſitione ſint ſtabilia, nullis enim pilis aut cōtignationibus ſuſtentātur. Intus parū ornamentorū habet, & octo ſunt pilæ ingētes in duobus ordinibus. Lithoſtratū partim marmoreū, partim lateritium. Templū longū ped: CCXXX. Latum LXIII. amplum DCXVIII. circūferentia exterior DCCCX. Scribit Albertinus Latitudinem CCCIIII. ped: eſſe in parte crucis, corporis vero CXLVIII. Longitudinem ped: CCCC. Altitudinem CXL. Habet in ſuperioribus fornicibus tres ampliſsimos ambitus: vſq; ad primum in quo & intus & extra ambulari poteſt, gradus CXLVIII. vſq; ad ſecundū gradus XLIIII. ad tertium totidem, ad quartum interiorē intra duos muros gradus XVIII. ad quintum qui & ipſe interior ſub ipſo tecto XLV. ad ſextum LVIII. ad ſeptimum qui ſub dio eſt LIX. Sunt igitur in vniuerſum gradus CCCCLVI. inde per ferramēta in turri vtraq; ex parte muro inſerta grad: XXXII. tùm poſt alios gradus XIIII. peruenitur ad ſuperiorem turris partem, cui globus æneus deauratus impoſitus eſt. XVI. fortaſſe hominum capax, cuius hæc eſt inſcriptio:

TEM-

TEMPORE BARTHOLOMAEI CHIROGANI VBERTINI OPERARII M. CCC. Lxv.

Huius operis tam admirabilis architectus fuit Philippus Brunelleſcus Florẽtinus. Turris quadrata templo proxima marmore tota incruſtata, alta cubit. CXLIIII. ped. vt ait Albertinus CCLXXX. Adſcenſus in ſummum per gradus CCCCVI. ex deſcriptione Iotti in altitudinem tantam educta. Sacellum S. Ioannis Baptiſtæ opus vrbis antiquiſſ. olim Marti dicatum, non omninò rotundum, ſed potius ſexangulare, ex nigro, albo, viridiq́ marmore. Extra pilas habet VI. quibus ſingulæ binæ columnæ interpoſitæ viridis marmoris nigro aſſimilantis, vbi altare ſummum eſt, aliud eminet veluti ſacellum quatuor laterum, portæ tres æneæ deauratæ præclari operis cum ſacris hiſtorijs & imaginibus ſanctorum. Limina item ænea, tectum marmoreum. Intus in orbem poſitæ columnæ XVI. totidemq́ pilæ, feneſtræ XX. Septa chori ex nigro alboq́ marmore teſſulata. Baptiſterium, altaria, pauimentum ex marmore. Apud portam quæ eſt è regione maioris Eccleſiæ binæ columnæ porphyreticæ, quas Piſani Florentinis parta de Sarracenis victoria honoris cauſſa miſerunt. Abſente enim Piſano populo vrbs eorum contra Lucenſium incurſus virtute Florentinorum eſt defenſa, hoc ſcribit in Paſchali II. Platina. Alij de ijs fabulantur alia quædam. Sunt ante idem templum imagines aliquot æneæ, quarum vna Cænobij Epiſcopi in eo loco, in quo olim vlmus arefacta frondes foliaq́ produxit, dum corpus eius ex S. Laurentij æde in Baſilicam deferretur, Arcadio & Honorio imperantibus. Palatium Reipubl. quod ante amiſſam libertatem tenebant optimates ciues, nunc habitat Magnus Dux Hetruriæ, & in miram exornatur pulcritudinẽ, illa præſertim pars, quam vulgò vocant Le ſtanze noue. In ea enim conclauia artificioſiſſimè depicta, & imagines quorumcunq́ clarorum virorum, qui in omni ſcientiarum genere noſtro hoc ſæculo claruère. In feneſtris diuerſa & doctiſſima elogia, quorum.

I. AD IVSTITIAM ET PORTVM MARIS: Publicæ commoditati.
II. AD FORTIFICAT: ELBAE INS: Tuſcorum & Ligurum ſecuritati Ilua renaſcens.
III. AD CORONAM CVM SCEPTRO: Pius V. Pont. Max. ob exim. dil. ac Cat. rel. Zel. præcept. AEr. Qiv. ſtud. donauit.
IV. AD BOVEM: Imminutus creuit.
V. AD FRONTEM PALATII PITI: Pulcriora latent.
VI. AD FLORAM CVM LEONE ET LVPO. Etruria pacata.
VII. NODVS CVM FVNE: Explicãdo implicatur.
VIII. AD COLVMNAM CVM IVSTITIA: Iuſtitia victrix.
IX. AD NEPTVNVM SVPER FONTE: Optabilior quò melior.
X. AD BILANCEM IN QVA STROZIORVM MEDICEORVM INSIGNIA ELEVANT: Pluma leuiores.
XI. AD CAPRICORNVM: Animi conſcientia & fiducia fati.
XII. AD CEREREM: Clauduntur belli portæ.
XIII. AD PARLAMENTATIONEM CVM MILITIBVS: Res militaris conſtituta.
XIV. AD SVPPLICEM MARTI: Victor vincitur.

AD FORES PALATII.

Ieſus Rex Regum & Dominus Dominantium.

Ad pedes ſcalæ cuiuſdã Chymæræ ſimulacrũ æneum ex Aretio huc trãslatum cuius dextro pedi characteres inciſi Hetruſci ⅃. I. Ꞁ. Ɔ. M. H. I. X

Ante ſacellum conclaue, in quo horologium æneum cum ſignis & motu planetarum; globi duo, alter Aſtronomicus, alter Geographicus. Item ænea ſtatua viri gladium exertum tenentis & alterius iugulum petentis, qui proſtratus iacet addito elogio: & ſtatua Dauidis marmorea cum funda in manu: cui adſcriptum:

Pro patria fortiter dimicantibus etiam aduerſus terribiliſſimos hoſtes dij præſtant auxilium.

DEIN AD DEPICTAM IMAGINEM DECII HOC.

Sum nato exemplar Decius, ſum victima Romæ.

AD SCIPIONIS.

Scipio ſum, vici Hannibalem, Pœnoſq; ſubegi.

CICERONIS.

Sum Cicero, tremuit noſtras Catilina ſecures.

BRVTI.

Brutus ego aſſertor patriæ, Regumq; fugator.

SCAEVOLAE.

Vro manum ſpretis errantem Scæuola flammis.

CAMILLI.

Hoſte refert cæſo victricia ſigna Camillus.

IN IPSO SACELLO AVREIS LITERIS CIRCVMCIRCA HAEC:

1. Animo propriè iram furoremq; ſedare, atq; reſtinguere, magnæ victorioſæque fortitudinis eſt:
2. Quod non licet concupiſci, non licet intueri.
3. Impunitatis ſpes maxima peccandi illecebra.
4. Magna in vtramq; partem conſcientiæ vis.
5. Vltra hominem quemq; prouehere ſola probitas poteſt.
6. Euangelium inuenit ſibi domum, & leges locum vbi quieſcunt.
7. Concordia res paruæ creſcunt diſcordia etiam maximæ dilabuntur.
8. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ Dei Deo.
9. Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.
10. Hoc eſt præceptum meum vt diligatis vos inuicem ſicut dilexi vos.
11. *Virtus eſt vitium fugere & ſapientia prima ſtulticia caruiſſe.*
12. O pclara operũ & opũ mortaliũ beatitudo q̃ cũ adeptꝰ fueris ſecurꝰ eſſe deſiſtis.
13. Gaudia pelle, pelle timorem, ſpemq; fugato, nec dolor adſit, nubila mens eſt vinctaque frenis, hæc vbi regnant.

Conſeruantur quoq; in hoc palatio libri Pandectarum vetuſtiſſ: ex Piſana præda, Romanis literis diligentiſſimè ſcripta, Græca epiſtola benè longa illis præfixa, vetuſtate penè obliterata, characteres ſunt eiuſmodi ſimiles antiquo Virgilio in bibliotheca Pontif. quo vſus in caſtigatione ſua Pierius. A.B.C.D.E.F.G.H.I.L.M.N.O.P.Q.R.ſ.S.T.V.X.Y. *Corpus item ciuile ab Angelo Politiano correctum.* *Saxum dein vetuſtum cũ quodã Duumuirũ decreto breui.*

Titi Cæſare Tert: German: Cæſ. iter. Coſ. Cn.

Acceio Cn. f. Arn: Rufo Lutacio T. Petitio. p. f.

QVI VI. VIR.

AEdiculã & ſtatuas has hoſtiũ dedicationi victimæ natali Aug. ix. Cal. Oct. duæ quæ p. p. imolari aſſuetæ ſunt ad arã, quæ numini Aug. dedic. eſt viii. & ix. Ca. Oct. imolẽtur. Itẽ Natali Tit. Cæſ. perpetuę acturi Decuriones & populꝰ cremarẽt, quã impẽsã à Caſ: Labeone in perpetuo pollicẽti, vt gratię agerẽtur munificẽtię eiꝰ eiq; natali vt quotãnis vitulus imolaretur, & vt natalib. Aug. & Titi Cæſ.

priuſquam

priuſquam ad veſcendum Decuriones irent thure & vino genij eorum ad epulandum ara numinis Auguſti inuitarentur.

Aram numini Auguſto pecunia noſtra faciund. curauimus. Ludos ex ædib: Auguſti diebus ſex P.N. faciendos curauimus.

Natali Auguſtæ mulſum & cruſtulum mulieribus vicenis ad bonam Deam pecunia noſtra dedimus. Item dedicatione ſtatuarum Cæſarum & Auguſtæ mulſum & cruſtula pecunia noſtra Decurionibus & populo dedimus, perpetuóq; eius die dedicationis daturos nos teſtati ſumus, quo diem quo frequentior quotannis ſit ſeruabimus VI. Idus Martias, qua die Tit: Cæſar. Pontif: Max: feliciſsime eſt creatus.

Ante ingreſſum Palatij binæ ſtatuæ Herculis, altera Cacum interficientis, altera fracta & ſimplex, opus Baocij Bandinelli. Iudith item Holofernem interficientis cum Inſcriptione:

Exemplum ſalutis publicæ:

Item Mercurij Perſeum necantis in cuius baſi:

1. Tuta Ioui ac tanto pignore læta fungar.
2. Te fili ſi quis læſerit vltor ero.
3. Quò vincas clipeum do tibi caſta ſoror.
4. Fratris vt arma geras nudus ad aſtra volo.

Non procul inde aureus Leo in ceruum ſæuiens.

SVPRA PORTAM MAGNAM.

Ingredere optimis auſpicijs fortunatas ædes tuas Auguſta virgo, & præſtantiſſimi ſponſi amore, clariſſimiq; Ducis ſapientia cum bonis omnibus delicijſque ſumma animi ſecuritate diu felix & læta perfruere, & diuinæ tuæ virtutis, ſuauitatis, fœcunditatis fructibus publicam hilaritatem confirma.

IN EIVSDEM INGRESSV.

Ingreſſa auſpicijs hanc vrbem dijsq; ſecundis
Cæſaris inuicti Auguſti pulcerrima proles
Nunc ijſdem ſubeas hæc limina & aurea tecta.
Aduentu ecce tuo lætantur & omnia gaudent,
Quin redimita oleæ crines pax alma corona
Et ſecura quies, & cætera numina læto
Te vultu accipiunt venientem, & fronte ſerena
Omnes & votis optant & voce precantur:
Sis felix, adſiſq; tuo cum coniuge virgo,
AEternum imperium vigeat nomenq; decuſq;.

Cætera vrbis Palatia memoratu digna tria ſunt: Medicum, Strozzarum, & Pitorum trans Arnum: duo hæc ex quadrato lapide nondum planè abſoluta ſunt, illud viro principe non indignum in via lata ſitum eſt, in quo Apollinis ſtatua in fonte cum elogio.

Ne ſis præda tuis Atheon Deus aureus vnda
In volucres vertit vel adamanta viros.

Statuæ denæ marmoreæ recentes, Laochoontis cum duobus filijs, & Orphei cum lyra.

Antiquæ, Marſyæ excoriati ex lapide quodam qui ſanguinis colorem cum nigris maculis refert: viri manibus ſuſpenſi: & Priapi vrnam dextra, capite ſportam fructibus refertam geſtantis, & ſunt adſcripti hi verſiculi:

Quidnam quid rapis ô puella furax?
Ne ramos traheres tibi hæc ferebam:
Sed poſthac caueas feras quid orto.
Obduxi licet arma, ſum Priapus.

AD INGRESSVM IN EPISTILIIS.

Ingredere & votis iam nunc aſſueſce vocari.

ARX NOVA à Carolo V. ædificari cœpta cum Clementis VII. opera Medicam familiam vrbe pulſam reſtituiſſet, multum ſpacij complexa, fontibus, molendinis, turri, propugnaculis, tormentis, annona, rebuſq; alijs ad defenſionem neceſſarijs inſtructa, tenetur nunc à CCC. Hiſpanis præſidiarijs.

SVB INSIGNIIS IMPERATORIS AB EXTREMA PASTE SCRIPTVM:

Semen filiorum eius poſſidebit eam, & qui amat nomen eius habitabit in ea.

AD PORTAM.

Quod fauſtum felixq; ſit Carolus V. Rom: Imp: victor ex Africa rediens, cum Alexandrum Medices Florentinorum Ducem, generum ſuum, extructa iam reliqua arce turris huius fundamenta locantem reperiſſet, primum victrici manu lapidem ponere non dedignatus eſt M. D. xxx.

Arx vetus vrbem ſubtus deſpicit, & Piſcis cuiuſdam oſſa continet miræ longitudinis.

IN FORO NOVO.

IN PORTICV COLVMNIS XX. SVSTENTATO.

Coſmus Medices Florentiæ dux II. publicæ magnificentiæ & ſalubritatis ergo porticum tranſuerſo columnarum ordine, vndiq; permeabilem aduerſus omnem cœli contumeliam negotiantib: in foro ciuibus ſuis extruxit M.D.XLVIII.

IN QVADAM DOMO.

Vxorem moecham qui neſcit, vertice cornu
Vnum habet, at duo qui diſsimulare poteſt.
Qui videt & patitur tria geſtat, quatuor ille
Qui ducit nitidos in ſua tecta procos.
Qui non iſtorum ſe credit in ordine poni,
Credit & vxori, cornua quinq; gerit.

IN ARCV TRIVMPHALI.

AD PONTEM ARNI INFIMVM.

Quæ tam præclara naſcetur ſtirpe parentum,
Inclyta progenies digna atauiſq; ſuis.
Hetruſca attollet ſe quantis gloria rebus,
Coniugio Anſtriacæ Mediceæq; domus.
Viuite felices, non eſt ſpes irrita: namq;
Diuinæ Charites talia voce canunt.

IN

IN TEMPLO SVMMO APP^tò: B. MARIAE REPARATAE.

Ob inſignem magnificentiam ciuitatis & templi Eugenius Papa IIII. omni ſolemnitate adhibita dedicauit die xxv. Martij M. cccc. xxxvi. cuius dedicationis gratia pons ligneus inſigni magnificentia & ornatu factus eſt ab Eccleſia S. Mariæ Nouellæ, vbi Papa inhabitabat vſq; ad hanc Eccleſiam, per quem veniens Pontifex cum Cardinalibus & Epiſcopis, cæterisq; proceribus Pontificali habitu ad dedicandum acceſſit, tanta enim multitudo ad ſpectandum conuenerat, vt præ nimia turba vias obſidente, niſi per pontem commode tranſire Pontifex non potuiſſet.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Generali conſilio Florentiæ celebrato poſt longas diſputationes vnio Græcorum facta eſt in hac ipſa Eccleſia die VI. Iulij M. cccc. xxxi. præſidente eidem Concilio Eugenio PP. IIII. cum Latinis Epiſcopis, & Prælatis, & Imperatore Conſtantinopolitano cũ Epiſcopis, Prælatis & Proceribus Græcorum in copioſiſſimo numero, ſublatiſq; erroribus in vnam eandemque fidem rectam, quã Rom: tenet Eccleſia, conſenſerunt.

ANTONII SQVARCIALVPI MVSICI.

Multum profectò debet Muſica Antonio ex genere vetuſta Squarcialupi, Organiſtæ, is enim ita arti gratiam coniunxit vt quartam ſibi Charites viderentur Muſicam adſciuiſſe ſororem: Florentina ciuitas grati animi officium rata, eius memoriam propagare, cuius manus ſæpè mortales in dulcem admirationem adduxerant ciui ſuo B. M. P.

IOTTI PICTORIS, QVI TVRRIM ædificauit.

Ille ego ſum, per quem pictura extincta reuixit;
Cui quàm recta manus tàm fuit & facilis.
Naturæ dederat noſtræ quod defuit arti,
Plus licuit nulli pingere, nec melius.
Miraris turrim egregiam ſacro ære ſonantem
Hæc quoq; de modulo creuit ad aſtra meo.
Deniq; ſum Iottus, quid opus fuit illa referre?
Hoc nomen longi carminis inſtar erit.

Obijt Anno M. CCC. xxxvi. Conciues B. M. P. Anno M. CCCC. xc.

AD DANTIS EFFIGIEM.

Qui cœlum cecinit, medium imumq; tribunal
Inſtrauitq; animo cuncta Poëta ſuo.
Doctus adeſt Dantes, ſua quem Florentia ſæpè
Senſit conſilijs ac pietate patrem.
Nil potuit tanto mors ſæua nocere Poëtæ
Quem viuum virtus, carmen, imago facit.

MARSILII FICINI PHILOSOPHI.

Viuitur ingenio viuit quem verè ſepultum
Mors abolet tanti non monumenta viri.

FLORENTIA.

En hoſpes, hic eſt Marſilius, Sophiæ pater
Platonicum qui dogma, culpa temporum
Situ obrutum illuſtrans, & Atticum decus
Seruans Latio dedit: fores primus ſacras
Diuino aperiens mentis actus numine.
Vixit beatus ante Coſmi munere
Laurią; Medicis nunc reuixit publico.

S. P. Q. F. Anno M. D. XXI. Obijt M. D. XXXI.

PHILIPPI ARCHITECTI DE BVRBENESCO.

Quantum Philippus architectus arte Dædalea valuerit, cum huius templi celeberrimi mira teſtudo, tum plures machinæ diuino ingenio ab eo adinuentæ documento eſſe poſſunt. Quapropter ob eximias ſui animi dotes ſingulareſą; virtutes, XV. Calend: Maias Anno M. CCCC. XLVI. eius B. M. Corpus in hac humo ſuppoſitum grata patria ſepeliri iuſſit.

LVISII RHETORIS.

Florentina ciuitas ob ſingularem eloquentiam & doctrinam clariſſimi viri Magiſtri Luiſij de Maxilijs ſepulcrum ei ſumptu publico faciundum curauit.

NICOLAVS TOLENTINVS.

Hic quem ſublimem in equo pictum cernis, Nicolaus Tolent: inclytus eſt Dux Florentini exercitus.

SYLVESTRO MED. H.

Qui ita de Repub: domi foriſą; meritus eſt, vt equeſtri ordine & ampliſſimis donis & loco ſepulturæ maximo conſenſu ciuitatis decoratus ſit. Obijt anno ſal: M. CCCC. XXVIII. Vix: ann: LXII. Menſ. XII.

VERIVS MEDICVS.

Eques opibus & gentis nobilitate clarus, ſed & probitate & publico quietis ſtudio clarior hac quieſcit humo, locus meriti honoris ergò vni & viuenti datus opt: ciui. Vixit ann: LXXVII. Menſ: VIII. dies XX. Obijt Anno M. CCC. XC.

IN S. IOAN: BAPTISTA

OLIM MARTI SACR:

Baldaſaris Coſſæ Ioannis XXIII. quondam Papæ corpus hoc conditur ſepulcro.

IN S. MARIA ANNVNCIATA.

Ingredientibus ad ſiniſtram in ara.

Guiliel: Card: Rotomacens. cum ſupremi in terris nuncij munere fungeretur, Legati ratus officium, & innumeris miraculis lociq; religione motus, hanc Annunciatæ aram ſumma cum celebritate ac ſolemni pompa ſacrauit M. CCCC. LII. VIII. Calend. Ianuar:

BERNARDINVS LEONCINIVS.

Thom: fil: Bernardi nepos, ſciens per mortem non eſſe negligendum, quod per reſurrectionem eſt immortale, ſibi & poſteris ſuis poſuit Anno ſalut: M. D. LXXVII.

SIGLIAMONTII.

Thomæ Petri Antonij Sigliamontij fil: Miniatenſi Notario ac ciui Florentino, de hoc conuentu benè merito, eiuſq; poſteris ſepulcrum hoc dicatum Anno M. D. LXXVII.

BONCI-

BONCIANINORVM.

Andreas & Michaël eius fil. de Bonciaininis ſepulcrum hoc marmoreum conſtituend. ad ſui ſuorumque poſterorum corpora ſepelienda curarunt Anno M. D. LXXXIIII.

VINCENTIVS ROSCIVS.

Raphaëlis fil. Catharinæ Morelliæ coniugi dulciſs. inſigni forma ac pudicitia in ipſo ætatis flore iniquè præreptæ, ſibi ſuisque liberis mœſtiſs. animo poſ. ann. M. D. LXXVI.

EPISCOPI CORTONEN.

Quod Bartholomæus Tulla Concinius ex Comitibus Pennæ Matthæo fratri Epiſcopo Cortonen. viro integerrimo viuens deſtinarat, Ioan. Bapt. F. & patruo & parenti opt. qui XXXVII. annos ſumma fide ſingulariq; prudentia magnis Ducibus Etruriæ à Secretis primo loco inſeruierat, monumentum hoc ex teſtamento poſ. Anno M. D. LXXVIII.

ANGELVS MARTIVS.

Aſſiſien. Epiſcopus, ac XXXIIII. annis à Secretis Auguſtæ domus Medicûm, illiuſque alumnus, & in eam ob probitatem ac fidem adſcitus, hoc ſibi viuens ſepulcrum confecit, defunctus vt ſibi viuat, cùm ante mortem amicis. Vix. ann. LXX. Obijt M. D. XLVI.

BACIVS BANDINELLVS.

Diui Iacobi eques ſub hac Seruatoris imagine à ſe expreſſa cum Iacoba Doria vxore quieſcit Anno ſal. M. D. LIX.

IN TESTVDINE.

Franciſcus Gonzaga ſecundus Marchio Mantuæ virgini genetrici religionis cauſſa poſuit, ann. ſal. M. CCCC. LXXVII.

IOAN. GOMETII SYLVII.

Nobiliſſimo viro Ioan. Gometio Syluio Luſitano, clariſs. orto parentib. Ioanne videlicet Syluio & D. Ioanna de Caſtra, quorum alter princeps Syluiæ gentis, quæ & natalium ſplendore & opum amplitudine longè antiquiſſima atque ornatiſſima habetur, ac inuictiſſimi Luſitaniæ Regis Ioannis II. Præfectus prætorio, ſumma fide, gratia, & autoritate inter reliquos aulæ proceres inſignis eminet: Altera vero Regij ſtemmatis prærogatiua fulgens, omnium virtutum genere prædita, non ſuæ tantùm familiæ, ſed & totius regni maximum decus extitit atque ornamentum, qui cum Romam proficiſceretur Florentiæ obijt Anno M. D. LII. Calend. Nouemb. Clariſs. Georgius Syluius frater mœſtiſs. ponere iuſſit. Vix. ann. XXXIII. M. III. D. X.

Barbara diua pedem tenet, hic venerare ſepulcrum.

Ipſa ædis multis priuilegijs dotata eſt, & ſunt in ea Pontificum, Regum, Principum atq; omnis generis mortalium imagines in tholis ſuſpenſæ ex voto, Item inſignia varia, ac donaria ex auro, argento, cera, pannis, adeò vt ipſam compleant. In ambitu cadauera quædam exſiccata.

IN AEDE D. LAVRENTII.

Primum tabulæ ſunt pictæ variæ, admirandi operis, deinde CXXX. vexilla, Petro Strozzio in prælio, apud Senas olim commiſſo, erepta. Capella demum marmoreas ſtatuas egregiè ſculptas, & veteribus comparandas aliquot habens Ducum Florentinorum ex Medicum familia.

IN SE-

IN SEPVLCRO SVB TABVLA MARMOREA.

Si merita in patriam, ſi gloria, ſanguis, & omni
Larga manus, nigra libera morte forent:
Viueret heu patriæ caſta cum coniuge felix
Auxilium, miſeris portus, & aura ſuis.
Omnia ſed quando ſuperantur morte, Ioannes
Hoc mauſoleo tuq; Picarda iaces.
Ergo ſenex mœret, iuuenis, puer, omnis & ætas,
Orba parente ſuo patria mœſta gemit,

Coſinus & Laurent: de Medicis V. C L. Ioan: Aucrareli F. & Picardæ Adorordi F. cariſs: parentib: hoc ſepulcrum faciund: cur: Obijt autem Ioan: X. Calend: Martij, M. CCCC. XXVIII. Picarda verò XIII. Calend: Maij, quinquennio poſt è vita mi grauit.

COSMI MEDICIS.

Coſmus de Medicis hic ſitus eſt, decreto publico, pater patriæ Vix. ann. Lxxv. Menſ. III. Dies xx. Obijt M. CCCC. LXIIII. in villa ſua Carragio cui fortuna tàm impensè indulſit vt eius ætatis ditiſs. & fortunatiſs. ſit iudicatus.

PETRO ET IOHANNI DE MEDICIS.

Coſmi P. P. filijs. H. M. H. N. S. Petrus vix: ann. LIII. Menſ: V. Ioannes ann: xLII. Menſ: III. Dies XXVIII. Anno M. CCCC. LXXII. Laurent: & Iul: Petri F. poſuere.

COSMI MAGNI DVCIS ETRVRIAE.

Oſſa Coſmi Magni Ducis Hetruriæ in puſillo hoc buſto pro tempore depoſita ſunt, in quo quondam Eleonoræ vxoris ſita erant, vt ſimul honeſto tumulo condantur, vt in vita ſemper mutuo amore iuncti fuere.

IOAN: AVSTRIACAE MAGN: DVCISSAE HETRVRIAE.

Hoc tumulo depoſita ſunt oſſa sereniſſimæ Ioannæ Auſtriacæ Franciſci Medices Magni Etruriæ Ducis vxoris, cum tribus filiabus iniquo fato ante omnia præreptis, cum filiolo, qui prius mortuus erat, cum illa quondam vitales auras carperet, mærens ad tempus poſuit.

MATRIS COSMI DVCIS MAGNI.

Maria Saluiata Coſmi Medicis Florentiæ & Senarum Ducis mater & Ioan: S. R. E. Cardinalis vna cum gratia fratre ambo mirificæ indolis adoleſcentes & eiuſdem Coſmi filij hic ad tempus conquieſcunt.

ANTONII GIOFII.

Imago hæc eſt I. C. celeberrimi, atq; omni polita doctrina exculti, vtrumq; Ius ſpacio xxx. annorum Piſis voce ſubtiliter interpretatus eſt, quod etiam ſcriptis ſuis acuminis & elegantiæ plenis illuſtrauit, immatura viri ſubitaq; mors ingentem dolorem attulit familiaribus, & ſtudioſis ſcientiæ legum orbatis repentè & recondita magni Doctoris eruditione & morum ſuauitate ſingulari. Iulianus frater monumentum hoc loco impetrato à Magno Duce Franc°: ſummo amatore ipſius honoris hominis cauſſa extruen. curauit Vix. ann. Lv. Mens. x. Dies. III. Obijt M. D. Lxxv. Piſis VI. Calend: Ianuar:

LAVRENTII DE MEDICIS.

Patris Ioannis de Medicis, qui poſtea Leo x. Pontif: Max: Laurentij Medicis, Laurentij nepotis, patris Alexandri Ducis Vrbinatis & Florentiorum Ducis primi.

PAVLI IOVII.

Nouocomenſis Epiſcopi Nucerini, hiſtoriarum ſcriptoris celeberrimi hic depoſita ſunt oſſa, donec eximia eius virtute dignum erigatur ſepulcrum Vixit annos LXVIII.

Lxviii. Menſ. vii. Dies xxiii. Obijt iii. Id: Decemb: Anno M. D. Lii. Quod ſibi teſtamento decreuerat, poſteri eius integra fide poſuerunt, Indulgentia maximorum optimorumq; Principum Coſmi & Fran^ci. Hetruriæ Ducum.

Hic iacet heu Iouius Romanæ gloria linguæ
Par cui non Criſpus, nec Patauinus erat.

AD PICTVRAM GRAPHICAM VNIVERſalis Diluuij.

Iacobus Pintonus Florentinus, qui antequam tantum opus abſolueret, de medio in cœlum ſublatus eſt. Vix: ann: Lxii. Menſ: vii. Obijt Calend: Ianuar: M. D. Lxi.

IN VALVIS INGREDIENTIB: BIBLIOTHECAM.

Deo præſidibuſq; familiæ Diuus Clemens VII. Medices Pont: Max: libr: opt: ſtudio maiorum vndiq; conquiſitis Bibliothecam ad ornamentum patriæ ac ſuorum ciuium vtilitatem DD.

IN AEDE S. MARCI.

IN ALTARI.

Conſilio ac pietate parens, Anthonius vrbis,
Paſtor in æthereis regnans hic carne quieſcit,
Cui Sextus celebrare ſacros Adrianus honores
Inſtituit, ſolitis poſce hunc Florentia votis
Sic animo & geſtis, ſic ſancto Anthonius ore
Te in cruce Chriſte ſequens prædicat, orat, & amat.

IOAN. PICI MIRANDVLAE.

Ioannes iacet hic Mirandula, cætera norunt
Et Tagus & Ganges, forſan & Antipodes.

Obijt Anno ſalut: M. CCCC. XLIIII. Vix: ann: xxxiii.

Hieronymus Beniuerij, ne disiunctus poſt mortem locus oſſa ſeparet, quorum animos in vita coniunxit amor, hac humo ſuppoſita poni curauit. Obijt Ann: M. D. xxxxii. Vix: ann: Lxxxix. Menſ. vi.

MARIO VRSINO.

Equitum peditumq; præfecto, qui cum aduerſus Cæſareanos pro Florentinis ſumma cum fide virtuteq; diu pugnaſſet æneæ maioris baliſtæ ictu interijt.

ANTONIO VIDOTTO.

Ob pacem inter Anglorum & Francorum Reges confectam ab Euerhardo VI. equeſtrem gradum, ab vtriſq; inſignia munera cõſecuto in patria ab opt: Duce Coſmo in XLVIII. virorum numerum cooptato, Volaterris demum prætura & vita functo gentilibus eius abſentibus filijs p. Ob. iv. Calend: Nouembris M. D. Lv. Vix: annos Lx. Menſ. vi.

IOAN: MARIA PALOTIVS.

Hic ſitus eſt domo Eugubia I. C. celeberrimus, qui cum operam diu nauaſſet Duci Vrbinati principi ſuo, & in alijs Italiæ vrbibus plurimorum controuerſias ſumma cum laude diiudicaſſet, accerſitus poſtremùm à Coſmo Medices duce Florentinorum ac Senenſium primùm in ſex Rotæ iudicibus fuit, deindè cauſſis audiendis præpoſitus, in eo munere cum valde probatus omnib: foret, vitam amiſit. Antonia Boma mærens coniugi cariſs: poſ: Ob. v. Cal: Ianuarij Anno Domini M. D. Lxv. Vix: ann: Lxii. Men: ii. Di: xx.

ANGE-

ANGELI POLITIANI.

Politianus in hoc tumulo iacet Angelus, vnum
Qui caput & linguas, res noua, tres habuit.

Obijt anno M. D. IX. Sept: XXIIII.

Angelus hic clauſit Cineres varia arte politus
Vt vix inueniat Auſonis ora parem.

IBIDEM.

Cum hoc templum Marco Euangeliſtæ dicatum mirificis ſumptibus Clariſſimi viri Coſmi de Medices tandem abſolutum eſſet, Eugenius IIII. Rom: Pontif: maxima Cardinalium, ArchiEpiſcoporum, aliorumq; ſacerdotum frequentia comitatus, in celeberrimo Epiphaniæ die ſolemni more ſeruato conſecrauit, tum etiam quotannis omnibus eodem die Feſto annuas ſtatasq; conſecrationis ceremonias caſtè pieq; qui celebrauerint viſerintque temporis luendis patris ſui debitis ſeptem annos totidemq; quadrigeſimas Apoſtolica remiſit autoritate Anno M. CCCC. XLII.

Prope hanc ædem Equile eſt ducis, vulgo l' equirie, in quo aluntur Leones, tygrides ſubflaui coloris, maculis nigris, Leopardi, Vrſi & boues Numidici.

IN S. IACOBO CAMPI CORBOLINI.

PETRI DE IMOLA.

Hic iacet Petrus de Imola I. V. Profeſſor, Venerandus Prior prioratus Vrbis. Obijt anno Domini M. CCC. XX. die V. Octob. requieſcat in Domino.

IVLIANO BENNINO.

Equiti Strenuiſs: Hieroſolym: Piſar: priori, Italiæque locum tenenti, cuius mortem patria Religio pijſſimè flens ſplendido funere celebrauit. Thomas Salnettus I.C. religioniſque patronus Compatri optimo de ſe benè merito, Chriſtianorumque propugnatori acerrimo poſ: Vix: ann: LXV. Obijt XXI. April. M. CCCC. LIII.

IN S. MARIA NOVELLA.

Ingredientibus in Epiſtylijs.

Ioannes Oricellarius Pauli F. Anno ſalutis humanæ M. CCCC. LXX. F. F.

SVB HOROLOGIO.

Sic fluit occultè, ſic multos decipit ætas,
Sic venit ad finem quidquid in orbe manet.
Heu heu præteritum non eſt reuocabile tempus,
Heu propiùs tacito mors venit ipſa pede.

SVB PICTVRIS AD SVMMVM altare.

Anno M. CCCC. LXXXX. quo pulcerrima ciuitas opib. victorijs, artibus, ædificijs nobilis, copia, ſalubritate, pace fruebatur.

PARICAE MEDICEAE.

Pudicitia atq; prudentia non minus quàm ſanguine claræ incomparabili coniugi, Philippus Strozzius mœrens decem liberis collacrymantibus pro tempore poſuit. Vix: ann: XXVIII. Men: VIII.

NICO-

NICOLAO GADDIO.

Thadæi filio S.R.E. Cardinali, de Republ: Chriſtiana optimè merito ſepulcrum hoc tanto patruo deberi Nicolaus Gaddius cenſuit Anno ſalutis M.D. LXXVII. Vix: ann: LXI. Menſ: VIII. dies XX. Obijt M.D.LII.

IOAN: GADDIO.

Thadæi fil: Cameræ Apoſtolicæ Clerico, diuin: literarum eruditorumq; virorum inſigni patrocinio claro, ad nomen & diuturnam memoriam Nicolaus Gaddius patruo de ſe ſuiſque benè merito Poſ. M. D. LXXVII. oritur anno M.CCCC. XCIII. VIII. Calend. Febr: Occumbit M.D.XCIV. Calend: Nouemb:

THADAEO GADDIO.

Aloyſij fil: S.R.E. presbytero Cardinali, quem ob eximias eius virtutes Pontif: Max: cæteriq; principes mirificè dilexerunt, maximoſque illi honores habuerunt, Nicolaus Gaddius frater patruelis amantiſs: beneuolentiæ cauſſa hoc ſepulcrum ſtatuit Anno M.D.LXXVII. Vix: ann: XLI. Obijt M.D.LXI. XI. Cal: Ianuarij.

SINIBALDO GADDIO.

Thadæi filio patri opt: in publica re & in priuata multa cum laude & dignitate verſato, ob egregiam in ſe indulgentiam iure naturæ & pietatis officio Nicol. Gaddius Anno M.D. LXXVII.

Natus anno M.CCCC.XCIX. XIV. Calend: Maij.

Obijt anno M.D.LVIII. IX. Calend: Iulij.

AEMYLIAE RODOLPHIAE.

Coniugi cariſſimæ, Sinibaldo & Lucretiæ filiolis ſuauiſſimis iniquo fato extinctis: Nicolaus Gaddius mœſtiſs: P. Ann: M.D.LXXVII. AEmilia vix: ann: XX. Menſ. VIII. Dies XIX. Obijt XI. Calend: Ianuar: Ann: M.D.LXIII. Lucretia vixit ann: X. M. VI. D. XIX. Ob: M.D. LXIX. in Ianuar:

PETRO SALAMANCAE HISPANO.

Patricio Burgenſi in Burg. Eccleſia Theſaurario S. Theologiæ doctori S^mi^. Ferdinandi Regis Hungariæ conſiliario oratorique apud Clem: VII. Pont. M. obijt Piſis XII. Cal. Iun: M.D.XXVIII. Vix: ann: LIII. virtute, conſtantia, moribus inſignis Hiſpanos & Pariſienſes literis decorauit.

BEATO REMIGIO.

Florentin: è familia diui Dominici, qui obijt Anno Domini M.CCC.XIX. cuius corpus in iaciendis huiuſce ſacelli fundamentis Nicolaus Gaddius cum inueniſſet & ſub aram condi iuſſiſſet, monumentum hoc pietatis cauſſa F.C. Ann: M.D. LXXVII.

IN SEPVLCRO E LYDIO LAPIDE.

Philippus Strozza Matthæi filius.

NICHOLAE.

Dux morum cultorq; decus, lux, gloria legum
Huic Dominus Nicholæ lapidi ſua membra reliquit,
Mundo fama viret, cœlo mens alta quieſcit.

Anno Domini M. CCC. LXX.

NICOLAI GVASCONIS.

Hoc tua magnanimè clauduntur membra ſepulcro
Nicolaë genus Guaſconum clara propago,
Miles ab illuſtri Francorum Rege creatus.

HIERON: MIRANDAE.

Mercator pietate, fide, cultuq; Deorum,
Nec minus inſignis nobilitate fui.
Humanis igitur ſpolijs Miranda relictis
Contemplor ſuperûm numina ſacra Deûm.

Hieronymus Miranda Franciſc: F. Hiſpanus Vix: annos xxxv. Obijt v. Id: Febr: M. D. Lxi.

VGOLINI MEDICI.

Hic Vgolini conduntur membra ſepulcro,
Qui quondam medicas didicit doctiſsimus artes,
Et præclara ſui chartis monumenta reliquit.
Ac generis ſtirpem duxit de monte Catino.

CHRISTOPHORI OELHAFEN.

D. Chriſtophorus Oelhafen patricius Norinbergen: progenitus à patre Sixto, qui olim tribus Impp: à Secretis fuerat, dum ob veram probitatem & modeſtiam ſingularem bonis eſſet carus, hic in Chriſto obdormiuit, Anno ætatis xxxviii. Salutis M. D. XLiiii. Ioannes Oelhafen frater eius germanus in ſe pietatis memor p. c.

IOANNIS BOCCATII.

Egregijs natus Latijs Boccatius oris
Figmentis, patrio raptus in orbe iacet.

Obijt M. CCC. Lxxiii. Vix: ann: Lxii.

ITEM.

Hac ſub mole iacent cineres & oſſa Ioannis,
Mens ſedet ante Deum meritis ornata laborum.
Mortalis vitæ genitor Boccatius illi,
Patria Certaldum, ſtudium fuit alma poëſis.

LAVRENTII SAXOLI.

Nobiliſſimo Philoſopho, atque ætatis ſuæ Medico peritiſſimo Laurentio Saxolo, liberi fecerunt, patri optimo de ſe benè merito ſibique & poſteris.

SVB IMAGINE CHRISTI.

Vinctus, inops, moriens verè te morte redemi:
Hoſpes adorato numine gratus abi.

IOAN: LONGRONI.

Conduntur tumulo Longronon: hoc oſſa Ioannis
Qui fuit Hiſpanis nobilis ortus auis.
Inſignis probitate fide mercator in ære
Contentus pauco, nulli hominum nocuit.
Ciuilis ritus obſeruantiſsimus æqui,
Vt ciuem ciues hunc coluere boni.
Ex luſtris bis ille nouem quæ firma peregit,
Biſſenus hac grata vixit in vrbe ſenex.

Obijt anno M.D.Lviiii. Idibus Februarij Melchior Aſtudillo in amicum pius p.c.

IACOBO CAPVCINO.

Et eius filio eruditiſſimo Alexiæ à Secretis primo Reipub: Florentinæ, Raphael florentiſs: patri optimo fratrique ſuauiſſimo B. M. ciuibus dolens mærenſque ſibi ac poſteris poſ.

IN S. PETRO MAIORE.

HIERONYMO ALBITIO.

Qui cum Romæ Leonis X. P. M. præſidiar: equitum Magiſter, Florentiæ Coſmi Medicis Flor: Ducis legionar: MM. præfectus bello Senen: pedit: CIↃ. IↃↃ. trib: præfuiſſet, omneſq; honores in Repub: geſſiſſet domi foriſque clariſs: annum agens Lxxiii. M. E. H. E. Virt. p. c. Anno M. D. Lvii.

IN S.

IN S. CRVCE.

In ingreſſu duæ tabulæ inſignis picturæ & artificij.

MICHAELI ANGELO.

Bonarotio è vetuſta Simoniorum familia ſculptori, pictori, & architecto famâ omnibus notiſſimo, Leonardus patruo amantiſſimo & de ſe optimè merito, translatis Roma eius oſſibus, atq; in hoc templo maiorum ſuorum ſepulcro conditis c, ohortante ſereniſſimo Coſmo Medices Magno Hetruriæ Duce P. C.

Anno Domini M. D. Lxx. Vix: ann: Lxxxviii. Menſ. xi. D. xv.

LEONARDI ARETINI.

Poſtquam Leonardus è vita migrauit
Hiſtoria luget, eloquentia muta eſt,
Ferturq; Muſas tum Græcas tum Latinas
Lacrymas tenere non potuiſſe.

GEORGIO MARSVPINO.

Ciuilis Pontificijq; Iuris Conſulto, & qui Gallici Regis Secretarius Ianuenſium vrbem iuſtè prudenterq; multos annos præfectus rexerat. Ioan: Fil: parenti optimo poſteriſq; F. C. Vix: ann: xc. Men. ii. Dies xvi.

MICHAELIS DVVMVIRI.

Michael ex honeſta Duumuirum familia Petri Veri F. & nati Germani fratris eius Franciſci ſibi ac poſteris monumentum poſuit Anno M. D. Lxxxv. April. x.

CVRSII.

Fratres Iocobi fil: aram Deo ſacrauerunt, ſepulcrum patri, ſibi, liberis poſteriſq; ſuis poſuerunt Ann: M. D. Lxxi.

ALEMANNI PACCII.

Altare in altum & marmor in terris Alemannus Paccius de Florentia, alterum pro deuotione, alterum pro ſepultura ſibi, filio, heredibus, erexit, poſuit, elegit.

LVDOVICI VERRAZZANI.

Ludouicus, Ioan: Baptiſta à Verrazzano ciuis Florentinus ſumptibus Franciſci ſui fratris hanc aram fieri fecit, qui anno M. D. Lxxviii. Die xvii. Septembris obijt Sibiliæ, cuius oſſa anno M. D. Lxxx. Florent: translatæ fuerunt.

PHILIPPVS MEDICES.

Et Roſſus F. S. aram Chriſto regnanti & D. ſepulcrum S. P. Q. S. dormientib. D. Ann: M. D. Lxxiiii.

ANTONIVS BERTIVS.

Petri fil: ſibi & natis natorumq; natis ſepulc: hoc ponen: aramque erigen: curauit. Corpori animæq; conſulens. An: M. D. Lxxiiii.

IACOBVS NERIVS.

Nerij F. ſibi poſteriſq; ſuis viuens poſ: Ann: M. D. Lxxxi.

CAROLI POETAE.

Siſte, vides magnum quem ſeruant marmora vatem
Ingenio cuius non ſatis orbis erat.
Quæ natura, polus, quæ mors ferat, omnia nouit
Carolus, ætatis gloria magna ſuæ.
Auſoniæ & Graiæ crines nunc ſoluite Muſæ,
Occidit heu veſtri fama decuſq; chori.

MILANI AESTENSIS.

Sollicitus fiduſq; tuis Florentia guerris
Armiger AEſtenſis iacet hic Milanus in vrna
Auguſti cui nona dies fuit vltima vitæ
Sex nouieſq; decem ter centum mille ſub annis.

IN HOSPITALI AD SCALAS.

EFFIGIES MONSTRI NATI, IN AGRO Florentino.

Hac Petrus Paulusq́; ſub vno corpore bini
Fabrica naturæ mira iacemus humo.
Cuiq́; ſuum fuit & manuum fuit oris opusq́;
Veſicæ, aſt vnum fluxile ventris opus.
Iunxêre extremæ partes nos corporis ambos,
Quas ſimul & neuter dicat vterq́; ſuas.
Neutra ex parte pedes capita ex vtraq́; fuerunt,
Bina ſed è medio corpore planta fuit.
Bina fuit medio quæ corpore planta deorſum
Pendebat, ſurſum quinta erat vna manus.
Non vero nobis vnus ſomnusq́; cibusq́;,
Nec riſus nobis fletus & vnus erat.
Somno membra dabat, ridebat vnus & alter,
Lugebatq́; vnus, flens quoq́; & alter erat.
In Florentina natos nos fluminis Arni
Valle dedit patria nos pia cura patris.
Inde alti & ſacro pariter de fonte leuati
Viximus ambo decem bis totidemq́; dies.
Quid nunc Neptunum, quid nunc Ianumq́; bifrontem
Miraris? Stygij terna quid ora canis?
Et quid Gerionis tria corpora? ſcilicet vnum
Nos corpus, binas nos animasq́; lege.

IN S. BENEDICTO.

VGONI.

Otthonis III. Imp: affini ac Comiti Marchioni Andeburgenſi, Hetruriæq; præfecto, quod D. Benedicto hic olim & VI. alia cœnobia condidit, pij huius loci Monachi de ſe benè merito ſepulcrum vetuſtate attritum inſtaurauêre Anno ſal. M. CCCC. LXXXIIII. Obijt Ann: M. C. XII. Calend: Ianua: H. M. H. N. S.

AEDIS SANCTI MICHAELIS.

Extra in muro ſtatuas Sanctorum marmoreas habet XII: æneas verò Ioan: Baptiſtæ, Thomæ Chriſti latus tractantis, Matthæi, Stephani, intus obſcurum & plus venerationis quam ornamentorum præ ſe ferens.

IN PORTA CIVITATIS.

Carolus V. Cæſar Auguſt: cum inſigni omnium Chriſtianorum beneficio immanem Archipyratam regno Tunitano pepuliſſet fugaſſetq;, Siculo Neapolitano ſuis regnis conſtitutis, Roma profectus Florentiam hanc portam cum magna pompa ingreſſus populo cuncto præ lætitia geſtiente, ab Alexandro Medices ciuitatis Duce, cui Margaritam filiam deſponderat, illuſtri apparatu Regaliq; hoſpitio Mediceas in ædes acceptus eſt Anno Domini M. D. XXXV. Id. Maij.

PISTO-

PISTORIVM.

VVLGO PISTOIA GRÆCA VOCE, QVASI terminus & clauis totius Galliæ Ciſalpinæ, vel quod ſit porta & oſtium tranſcendendi Appenninum. Vrbs Hetruriæ intra Vmbronem & Stellam fluuios, in valle planiſſima ſita, longa magis, quam ampla, factionum parens, vindictæ cupidiſſima, & vt hoſtem proſequatur honoris, opum, vitæ prodiga. A Florentinis Lucenſium auxilio bellis diutinis & ſumma difficultate ſubacta, euerſis mœnibus & foſſis impletis ac complanatis. Prima etiam omnium quæ in Florentinorum, poſteaquam liberi facti ſunt, peruenit poteſtatem, arcem habet ſatis munitam. In templo S. Iacobi ara argenteis laminis & deauratis cum lampadibus argenteis XX. Collegium ibidem tenuioribus cōſtitutum, qui bonis literis dant operam, à Nicolao Fonteguerra Cardinale Theanen: Ex huius aliorumq́ prouentibus in vnum coactis inſtauratum Piſanum Gymnaſium. In hac vrbe vt ſcribit Platina in Greg. IX. primùm omnium audita ſunt factionum nomina, ad perniciem humani generis excogitata, Cancellariorum & Panciaticorum, ex quibus (fertiliſſima enim eſt improbitas) pullularunt infinita mala, quæ exitio pene vniuerſæ Italiæ fuerunt, de quibus multi autores varia ſcribunt: Hæc autem vrbs quaſi fons eſt, iiſq; adeo labefactata, vt ſit miſera & deſerta modò. In aliis tantum nomina mutata, pro partium nobilitate & potentia, paucæ enim ſunt quæ hac peſte careant, Primi igitur:

IN Hetruria	Cancellarij & Panciatici.
In Piceno	Albi & nigri.
In Latio	Columnenſes & Vrſini.
In Inſubribus	Bracciani & Sfortziani.

Guelphi & Gibellini etiam Imperatorum familias exagitarunt. Senſit has furias aliquando Germania, ſed non diu. In Italia extingui non potuerunt, nec extinguentur propter gentis mores & naturam ad iniuriam inferendam facilem, ad deponendam grauem. Tanta autem illius peſtis vis eſt, vt pueri etiam ſe aut harum aut illarum partium eſſe profiteantur, nec pietati parentum nec cognatorum ſanguini parcāt. Itaq; in hanc diem cum alia loca, tum Piſtorienſis ciuitas maximè cædibus recentibus madet In templo Humilitatis integræ cernuntur effigies Leonis X. & Clemen: VII. Pontiff. Coſmi item primi & Alexandri Ducum Florentiæ, deuotionis cauſſa ſicuti Florentiæ ad Annunciatam ſuſpenſæ. Hoſpitale del Zippo ſplendidum cum Pharmacopolio.

In agro Piſtorienſi Catilina ſuperatus eſt ea parte qua Florentiam ſpectat. Eſt autem ea pars vallis lata, amœna, omni fructuum genere abundans, oppida, pagos, villas, caſas, palatiaq́ vti audiuimus in vniuerſum habens 44000. Quod ſi parua magnis, horum temporum inopiam cum veteri copia conferre licet, ſinui Baiano non abſimilis eſſe videtur.

IN SVMMO TEMPLO.

CYNVS MARMOREO CONDITVS SEPVLCRO, cum tali inſcriptione.

Cyno eximio Iuris interpreti Bartoliq́; præceptori digniſſimo Piſtorienſis ciuitas ſuo B. M. fecit. Obijt Anno M. CCC. xxxvi.

IN VELO SVGGESTI.

Nequeunt profectò mala penitus exſtirpari,
Bono enim oppoſitum aliquod eſſe neceſſe eſt.
Sed quia illa apud ſuperos locum habere non poſſunt,
Mortalem naturam & regionem inferiorem circumeunt.
Conandum ergo eſt, vt hinc illuc quàm celerrimè fugiamus.
Fuga autem eſt, vt Deo quàm ſimiles pro viribus efficiamur,
Deo ſimiles efficit prudentia, iuſtitia, fides, ſanctitas.

IN PALATIO SVB BINIS LEONIBVS.

Seruate hanc ædem & patriam ſeruate Leones.

LVCA.

VRBS HETRVRIÆ ORNATISSIMA, ANTIquitus Lucomodia atq́; etiam Aringa nominata, Romanorum colonia, tota plana, & collibus vndiq́; circumdata, quadrato ſilice ſtrata, ſpacio parua, ſed populoſa, & negotiationum plena, templis ædificijsq́; magnifica & ſplendida, plurimos Dominos exiguo tempore experta, à clypeis Lucenſibus, quibus turres eius antiquitus ornatæ erant, dicta, ſuis legibus vtitur, & etiam libertatem à Cæſare Rudolpho pecunia emit. Adminiſtratur Oligarchia Tributaria nunc Imperatori creantur aliquot viri, quorum dominatus bimeſtris eſt, Præfectus vrbis de pœnis & ſupplicijs decernit, ſed iudicium eſt penes CXX. viros, ſine quorum vel maximæ partis aſſenſu mortis nemo damnatur, prope eam Anſeris vel Æſaris, vt alij, fluuius limoſus nigriq́; coloris & lentus. Bibliotheca apud Franciſcanos qualiſcunq́; Templum ornatiſſimum S. Crucis, pilis ingentibus, choro pauimentoq́; marmoreo, in quo XII. vidimus candelabra argentea, & feneſtræ propè maximum altare vitri ipſius colorem, quod varium eſt, ſolis radij percuſſi per longum templi ſpacium diffundentes. Summum altare Diuo Martino ſacrum eſt, in quo crux aurea à Piſana Repub: Lucenſib: oppignorata, & redempta nunquam, ea valere fertur XV. M. aureos coronatos.

VIA REGGIA portulus eſt Lucenſis, quem præſidiarij milites duabus tuentur turribus, quo ante annos aliquot Turcici pyratæ ſcaphis vecti, diuerſoria expilarunt, pileo relicto Turcico, cui ſuſpenſo in taberna ſubſcriptum eſt:

Adi XVI. d' Agoſto Anno M. D. XXXVI. denuò Turci in terra à via reggia & diſualiſrono tutt le hoſterice, & per ſegnale laſſareno il beretino.

IN PALATIO.

Solum Reipublicæ conſulendum.

AD IVSTICIAM.

Reſpub: erunt firmæ, quam diu regnabo,
Bella ciuilia expello, Reſpubl: confirmo.

IBIDEM.

Perlege quiſquis ades libertatis fautor, vt ſcias qualis in Repub: noſtra fuerit Podiorum familia. Horum opera Petrus Zenanus vnus ex Antianis Anno M. CCCC. xxxvi. fuit interemptus. Anno deinde M. D. xxii animo libertatis opprimendæ Hieronymum Vellutellum vexilliferum Iuſticiæ fœdiſſimè trucidarunt, tota autem ciuitate contra eos arma capiente parricidæ aufugerunt, rebelles facti conſcij capite ſunt mulctati, in alios eiuſdem domus multa extant decreta. Deo gratiæ agantur, & hæc obliuioni non tradantur.

IN QVADAM DOMO.

PORTIA.

Me pater admonuit ferro probra vt arceam & igne.

PENELOPE.

Nocte perſolui texta diurna dolo.

ARTEMISIA.

Mauſoli cines hauſi ne diuidar vſquam

HIPSICRATA.

Condet amante ſuos fugiente ſecuta capillos.

IN ALIA DOMO.

L' anticho valor delli cuori Italiani non anchor morto.

IN S. SALVATORE.

FILIVS PATRI.

Accipe care pater, quæ natus munera tradit,
Munera, ſi cineri ſunt benè grata tuo.
Tu mihi das lucem vitæ, do mortis honores
Heu, heu, quàm diſpar gratia noſtra tua eſt.

IN S. VINCENTIO.

Quæ gratis quondam mortales Chriſtus ademit
Hæc tua nunc pietas crimina noſtra leuat.

IN CATHED: D. MARTINI.

BARTHOL: VIDACCIONO.

Cardinali & Præſuli Lucens: I. V. Conſulto, & Theologiæ perito Paulo III. Pontif. vti gratiſs: ita multis magniſq; rebus & ſignandis libellis & Iuſtitiæ gratiæ ſcrutiniis aſſiduè Exercito, & cum quietæ ſtudium vitæ otiumque appeteret inuitè euecto graui totius curiæ & damno & mœrore è medio ſublato Nicolaus Vidiccionus nepos patri, & patruo amantiſſimo Vix: ann: Lxxx. v. Cal: Septemb: M. D. XLix. inter nos eſſe deſijt I. V. I.

DVCIS ADALBERTI.

Hic populi leges ſaxi ſub mole ſepultæ
Hic ius, paxq; iacent, hic patriæ auxilium,
Hic cubat ala, ſcutum clypeus, lacrymæq; repoſtæ
Hic oculus cæci, ac hic pietas viduæ.

Pes claudi, veſtis nudi, ſolamen egeni,
Noſter Adalbertus, dux pius atq; bonus.
Gentibus externis timor, ac pauor minitandus,
Militibus proprijs gloria ſumma ſuis.
Quàm fortis fuerit nouerunt vltima Tule,
Qua bonitate fuit dicere lingua nequit.
In ſexto decimo Septembre notante Calendas
Membra ſua hîc poſuit funereo gemitu:
Quiſq; legis tumulum, culparum facta ſuarum
Ante Deum recita, cum precibuſq; iuua.

BERTAE VXORIS.

Hoc tegitur tumulo Comitiſſæ corpus humatum
Inclyta progenies, Berta, benigna, pia.
Vxor Adalberti Ducis Italiæ fuit ipſa,
Regalis generis quæ fuit omne decus.
Nobilis ex alto Francorum germine Regum,
Carolus ipſe pius rex fuit eius auus.
Quæ ſpecie ſpecioſa, bono ſpecioſior actu,
Filia Lotharij, pulcrior at meritis.
Permanſit felix ſæclo dum vixit in iſto,
Non inimicus eam vincere præualuit.
Conſilio docto moderabat regmina multa,
Semper erat ſecum gratia magna DEI.
Partibus ex multis veniebant vndiq; cuius
Melliſluum Comites quærere colloquium.
Equitibus miſeris mater cariſſima manſit
Atq; peregrinis ſemper opem tribuit.
Claruit hæc mulier ſapiens fortiſq; columna
Totius virtus, gloria, lux, patriæ.
Idibus octauis Martij migrauit ab iſta
Vita, cum Domino viuat vt in requie.
Mors eius multos contriſtat, proh dolor eheu;
Eous populus planget & occiduus.
Nunc Europa gemit, nunc luget Francia tota,
Corſica Sardinia, Græcia & Italia.
Qui legitis verſus iſtos vos dicite cuncti:
Perpetuam lucem donet ei Dominus. AMEN.

Anno Dominicæ incarnationis M. CCC. xxv. Indictione xiii. obijt de mundo.

PETRO NOCETO.

A multis Regibus & à Nicolao Pontif. Max: multis honoribus dignitatumq; inſignibus ſua virtute decorato, qui Vix: ann: Lxx. Men: i. Dies x. Nicolaus parenti benemerenti hoc monumentum F. F. M. CCCC. Lxxxiii.

DOMINICVS BERTINVS.

Lucenſis Lateranenſis & Cæſareæ aularum comes, ac Sanctæ Apoſtolicæ ſedis Secretarius, tabernaculo Saluatori inſigni opere ære ſuo proprio extructo, ſibi & Sueuæ Kiſalitæ coniugi ſuæ incomparabili, eorumq; poſteris viuis dicauit ſacrum. Sepult: M. CCCC. Lxxxviii.

IN B. MARIA.

FILI CORBI.

Hoc eſt ſepulcrum Franciſci filij Olimbecti vocati Barnicoræ Iotti Blauati, ciuis

Lucani,

Lucani, qui olim fuit de maſſa Piſana & ipſius Franciſci & deſcendentium ſub Anno Dom: M. CCC.Lxxiii. Indict: x. die x. Decemb:

IACOBI RVFINI.

Tinctorij ſerici & ſuorum deſcendentium ſepulcrum factum pro ſepultura olim bonæ memoriæ Catharinæ vxoris eius, & filiæ Iacobi Andrucri de Brillo, qui obijt Anno Domini M. CCC. xciiii.

IN ECCL. CRVCI AFFIXI.

Heredes M.Dominici de Chiuirano ſarcophagum hoc poſteris ſtatuerunt.

IN ECCL: DIVI ROMANI.

PHILIPPVS DE IOTTIS.

Ciuis Lucenſis, deuotus exiſtens Catharinæ Virginis, hoc ſibi ſuisq; poſteris fodit, elegitque ſepulcrum Anno M. CCCC. Lxxix.

BARTHOLOMAEO MANVTIO.

Et Claræ piæ matri Petrus filius faciund: curauit.

CLARITAE.

Familiæ piæ, nobili, Martinus Claritus tabellio Lucenſis, domini Tabellionis filius monumentum ætate collapſum reſtaurandum curauit Anno M. D. LI.

BARONVM.

Heredum Baronum ciuium Lucenſium cineres claudo. Anno M. D. Lxiiii.

IOAN. PHILIP. PROFECT. LODIVS.

Nobilis Lucenſis hac breui conditur vrna M. D. ii. Menſ. April.

PAVLINVS MATTHAEVS DE ADIVTANTIBVS.

Iuris vtriuſque conſultus antiquæ familiæ ſepulcrum alibi vetuſtate collapſum huc transferendum atq; reſtaurandum curauit, ac Franciſco patri poſteriſq; ſuis poſ: M. D. Lx.

COMITIS CVIVSDAM TOTVM ABRASVM.

——Comitis Vgolini & filiæ Comitis Reineri de Ian: ——

BVRCHARD. DE FREIBVRG.

Commeſtabilis olim Lucanæ ciuitatis hic iacet, qui obiit Anno M.CCC.xxxviii. in feſto Beatæ Mariæ xxv. Martij.

MATTHAEVS HERMANNVS.

D. Georgij à Culemburg filius hoc ſepulcro conditus iacet, qui Deo viuat. Obijt anno M. D. XLvii. Octob: xxiii. ætatis xxi. M. i. Dies ii.

HENRICVS DE TROSTBECK.

Filius Vgonis de Troſtbeck, qui obijt An: Domini M. CCC. xxvii. hic iacet.

S. COPPI IANI DE MEDICIS.

De Florentia, qui obijt anno Domini M. CCC. XLI. die xxvi. Decemb.

FRANCISCI DE PEBVLIS.

Franciſcus filius Domini Benedicti de Pebulis de Florentia, qui obijt anno M. CCC. XLII. die xxvii. Iunij. Orate Deum pro eo:

IOAN. PAVL. GILIVS.

Lucens: mercator ill^s. cuius in conſulendo prudentiam animiq; magnitudinem ac ſummum in Repub: affectum vt mirantur & imitantur, ſic à lacrymantibus filijs non ſine publica iactura conditum Anno à partu Virginis M. D. xxix. vi. Calend: Martij Vix: ann: Lxiiii. M. x. D. xxii.

ANTO-

ANTON. DOMINI: DE MAZZARIVVLIS.

Nunquam exoratum à quoquam fatum Antonius Dominici de Mazzariuulis Lucens: ciuis optimè intelligens, hoc ſibi poſteriſq; viuus poſ: M.D. xxxiiii.

IN AEDE D. FRANCISCI.

Bernardinus & Hieronym: Starræ hoc vetuſtum maiorum ſepulcrum claro Equiti Ioan: S. Angeli parent: Franciſco fratri ſibi poſteriſq; melius reſtituere, mortis quæ omnia humana rapit memores Anno M. CCCC. xcvi.

MEDICIS LVCENS.

In cœlo ſpiritus vt cineres domus Medicis Lucens: hoc tumulo recubant pietate Hammaris Equitis Magnifici & I. V. Doctoris Anno ſalut. M. D. xvi.

PINATESIORVM.

Ludouicus Pinateſius Nicolao Patri B. M. & Gerardo fratri clariſſimo, mercatoribus, ſuiſq; poſteris mortis memor & pius hoc ſepulcrum poſ: M. CCCC. Lxxxxi.

MICHAELIS DE BENECTONIBVS.

Hoc eſt ſepulcrum Michaelis quondam Franciſci de Benectonibus de Luca, & ſuorum deſcendentium: qui obijt & hic ſepultus fuit, Anno Domini M. CCC. Lxii. Die vi. Septemb. cuius anima per Dei miſericordiam requieſcat in pace.

AVGVSTINI CHIVIZANEI.

Auguſtinus ego Chiuizaneus hic requieſco
Nemo mori neſcit, viuere diſce, vale.

NICOLAI BERTI.

Hic ſibi conſtituit Nicolaus marmora Bertus,
Vxori, natis, quæ ſua membra tegant. M. D. XLI.

VII. eſt Ambroſij Buuelle tabellionis Lucens: I. V. D.
VIII. Lamberti Antonij ciuis Lucens:

CASTRVCII, GERII, ANTOSI SINELLI.

En viuo viuamq; fama rerum geſtarum, Italæ militiæ ſplendor, Lucens: decus, Etruriæ ornamentum Caſtrucius Gerij Antoſinellorum ſtirpe vixi, peccaui, dolui, ceſſi naturæ indigenti, animæ piæ beneuoli ſuccurrite, breui memores vos morituros.

IOAN: GVIDICCIONO.

Præſuli Foro Semproniensi viro multa virtute, literatura, ingenij dexteritate ornato, legatione apud Cæſarem Vrbis Flaminiæ Piceniq; gubernatione cum laude functo, Pauli III. obſequijs domi militiæq; præclarè exercito. Vix: ann. XLI. Barth. Cardinalis patruus & Ant: frat: poſ:

IN S. AEDE PETRI
VVLGO GIGOLI.

DOMINICO SANDONIO.

Ingenij præſtantia & ſcientia, morum honeſtate multorumq; principum virorum gratia clariſſimo, equeſtri dignitate inſigni, multis magniſq; legationibus feliciter peractis redeunti ex Nerico à Sarmatiæ Regina acceršito, in itinere defuncto. Anno ſal: M. D. Lvi. ætatis vero XLII. Nicol: Sandonius fratri dulciſs. p.

CAESARIS DE NOBILIBVS.

Quid aſpicis cineres & oſſa Cæſaris de Nobilibus Lucens: quem ob eius lucida geſta Nicolaus V. P. M. Vmbriæ præfectura decorauit. Vale qui legis.

D. M.

D. M.

Hæc regia inſignia Phanutij Villanutijq; hic antiquam clauſere proſapiam. Anno M. D. XLIIII.

IN S. MICHAELE.

SYLVESTRIO GYLIO.

Epiſcopo VVigornieuenſ: Britanniæ Regum Henrici VII. & VIII. apud Pontif: Max. Legato, in Lucens: ſuoſq; pientiſs: B. M. hered: ex teſtament: cum hoc ſacello poſ: & D. D. Romæ defunctus Anno à Virg: partu M. D. xxc.

Animam cœlo reddidit, oſſa in patriam referri & hoc in templo, quod ipſe nouo Reuerendi Decani, nec non Canonicorum Collegio rariſque dignitatib: decorauit, collocari iuſſit: Vix: ann: Lrix. Menſ. III. Dies xix.

IN S. FRIDIANO.

MARTINO.

Clara Cenamorum familia orto, patriæ libertatis amatori, parent: opt: filij pientiſs: & ſibi & ſuis poſteris marib: Cenamis hoc ſepulcrum poſuere M. cccc. Lxxxviii. Fœminis Cenamis eiuſdem Martini teſtamento hic lapis deſtinatur M. D. Lxxxviii.

S. EMERIGI SANDEI.

Nobilis viri quondam Ducis Domini Emrigi Boeca di vacca de Sandeis & filiorum & heredum ſuorum A. D. M. CCC. Lxxxiii. die xxv. Octobr:

VICTORIO COMPAGNO.

Mercatori fideliſs: Volaterrano, Fridianus & Ioſephus filij pientiſs: parenti B. M. poſuere. Sal: ann: M. D. xvii. Cal: Maij. poſteriſque.

IN S. IOANNE.

I. *HIERONYMI. VELLVTELLI.*

Hic dum vexillum gerit, & te Luca gubernat
A coniuratis vulnera ſæua tulit.
Felix ille nimis qui dum cadit enſe peritq;,
Et ſeruat patriam, de nece victor ouat.

Anno Dom. M. D. xxii. Menſ: Iul: Gerard: fil: parent: opt: poſ:

II. *ANTON: GIARINVS.*

Lucen. Leonardo patri b. m. ſibiq; monumentum hoc filijs eius extrui teſtamento demandauit. Obijt die 6. Decemb. M. CCCC. Lxxiii.

III. IACOBI GALVANI Carrarienſ: nobilis. M. D. xxxv.

IIII. PETRI ANGELI Sardij ciuis Lucens: M. D. xi.

DE SPIAFAMIS.

Nobilium de Spiafamis Lucens: familiare ſepulcrum, ante annum M. CC. poſitum, quod Iacobus de Spiafamis homo Gallus hinc oriundus Niuernenſ: Epiſcop: & in Senatu Pariſienſ: præſes, laribus ſuis maiorumq; ſuorum D. M. raparauit Anno M. CCCC. XLvii.

Familiæ de Spiafamis vetus ſepulcrum.

IN AEDE SERVORVM.

IOAN. LAVRENTIO MALPITIO.

Patri optimo deſideratiſſimoq; ac dulciſs: pientiſs: filij faciund: curauere. Vix: ann: Lxx. M. III.

BARTHOL. PODII.

Philipp: Podius Bartholomæo patri dulciſſimo, & Gettinæ matri honeſtiſſimæ, ſibiq; ac poſteris ſuis reſtaurandum curauit. M. D. Lx.

BLASI.

BLASIVS BALBANVS.

Viuens pro ſe & hered: M. D. xvi.

STEPHAN: SPADAE.

Viuens vt moriturus Stephanus Spada quondam Gerard: ciuis Lucens: filius, hunc tumulum ſibi heredibuſq; condidit M. D. xi.

SEBASTIANO ANDREOZZIO.

Patri opt: ac dulciſs: filij reſtaurarunt M. D. Lxv. Nemo nos inquietet, alium inferat, alibiuè ponat, vt nouiſſimo die vna reſurgamus Quid ad vos?

IANO GRILLO.

Patricio Gennenſi patri opt: ac B. M. Lucas filius poſ.

Qui legis, an cenſes Ianum perijſſe bifrontem?
Qui ventura videt, lapſaq́; non moritur.

MAG: MATTHAEO DE BVRGIS.

Artium Doctori eximio Benedictus parentis haud immemor piè poſuit hoc ſepulcrum M. D. xxix.

PISAE.

VRBS HETRVRIÆ ANTIQVISS: A PELOpe Græco ante Troianum bellum condita: numerantur autem ab interitu Troiæ vſq; ad natum Chriſtum Anni M. CC. VI. Primùm Alphea dicta, inter Arnum & Eſarim ſita, loco plano, & Tyrrheni maris littori propemodum inſerta, frugum copia, ſaxorum operibus, ſerenitate & ſalubritate cœli clara, olim florens & felix, nunc infrequens & deſerta, tantum penè hortorum, quantum ædificiorum intra mœnia habens, virorum fortium altrix, & Sarracenis olim inimica, de quibus etiam victorias ſibi peperit, tantæ quoq́; potentiæ vt centum familiæ centum naues roſtratas priuato ſumptu ædificarint & ad bellum maritimum exornarint. Poſteaquam verò in Florentinorum poteſtatem venit, & nobilitate & opibus eſt exhauſta. (venit autem anno Chriſti M. CCCC. VI) Piſani quibus belli fortuna pepercit, in omnes Italiæ partes diſperſi, multi in Neapolitana ditione, plurimi in Sicilia habitant. Arnus per ipſam vrbem fluit, & tribus pontibus eam iungit, quorum nomina ſunt, Spinæ, fornicum quatuor, Vetus, fornicum trium, Maris, fornicum quinq́;. Gymnaſium ſupra centeſimum abhinc & quadrageſimum quintum annum inchoatum, vnà cum vrbis fortuna collapſum & derelictum, nunc inſtaurare cœpit Coſmus Medices, domo ædificata & accerſito Alciato & Curtio, XL. item cameris extructis, in quibus Tuſci adoleſcentes Florent: ditionis, ſex annis fouentur liberaliter, perfectiſq́; ſtudijs, ad Ducis arbitrium, gubernationi rerum publicarum vel ſecus præficiuntur. Ordo eius œconomicus optimus, liberalitas principis ſumma, ſubminiſtrantis omnia neceſſaria ex decimis Eccleſiaſticis Pontif: Rom: concedente. Bibliotheca apud Dominicanos ſatis bona XXXII. pulp: & horologium artificioſum, ſonans hymnum quendam. Poſt hoc monaſterium excellit eorum, qui S. Antonij Patauini regulam ſequuntur. In hac vrbe Ottho primus Imp: ſeptem Germanorum familias conſtituit, quas & honoribus & facultatibus ornauit.

Caſæ macta	*Orlandi*	*Vicecomites:*	*Dodi.*
Gatana	*Ripa fracta*	*Guſenarij:*	

Templum Cathedrale interioris ædificij magnificentia inter tria illa Hetruriæ memoratum, cuius ambitus D. XL. paſſuum eſt, tribus portis æneis, in quarum vnu hiſtoriæ ſacræ, ſed nullo artificio: quarta ſublata & ſubſtituta lignea, maiori impoſitæ columnæ multæ, quarum numerus in altum, quoniam ædificium contrahitur, ſemper minuitur. Intus IIII. columnarum ordines, in exterioribus duobus XX. in interioribus XVIII. cum pilis duabus magnis, deinde per tranſuerſum in alijs ordinibus XXIV. ad chorum vſq. in quo aliæ octo. Sunt igitur in vniuerſum LXX. quibus ſupernè aliæ impoſitæ ſed multò minores ſub ipſis feneſtris, qua ratione etiam ampliſſimum quodá templum Romæ ædificatum. Pauimentum ex quadrato marmore circa chorum, & in ipſo choro teſſulatum, ſepta chori marmorea, & tabula ingens poſt altere: Item baptiſterium cuius ſimile vix extat in Europa cum vaſe aquæ conſecratæ & duobus pulpitis. Suggeſtus ſuſtentatur columnis in orbem poſitis quatuor, quarum duæ ſolo, duæ Leonibus nituntur, inter quas aliæ quatuor ſacris imaginibus; in medio vnica, in cuius baſi Philoſophia Regina cum ſeptem artibus liberalibus. Tabula templi vermiculato opere, cum quibuſdam hiſtorijs: duo candelabra criſtallina maximè perlucida. Cæmiterium mænibus & porticibus clauſum.

CAMPVS SANCTVS hoc nomine ſepulturæ locum appellant, long: ped. CCCC. LXXXXVI. latus ped: CLX. feneſtræ LVI. & in vna quauis columnellæ tres extreme teretes, media maior cæteris plus parte dimidia, ianuæ ſex, pauimentum ex nigro alboq. marmore, ordine ſepulcrorum apto & mirabili. In pariete depictæ veteris nouiq. teſtamenti hiſtoriæ. In medio Campi ſub dio area herboſa, in qua aliquot antiqua ſepulcra cernuntur. Dicitur ſanctus, propterea, quòd eius terra Hieroſolymis ſit tranſportata, mortuorumq. cadauera vno naturali die conſumantur.

Ante fores templi ſummi pulcerrimæ columnæ marmoreæ, ad morem Hebræum exſculptæ, ſupra quas ſtatua Dauidis poſita cithara ludentis per Piſanos victores, Hieroſolyma item aſportata. Turris pendula & inclinata, habens octo columnarum ordines rotundos, quorum medij ſex aperti ſunt, & in vnoquoq. columnæ triginta, infimus & ſupremus muro complexi, & in hoc columnæ XII. in illo XVI. ab ingreſſu ad ſecundum vſq. ordinem gradus LIIII. ad tertium XXXI. ad quartum & quintum XXX. ad ſextum XXXII. ad ſeptimum XXXVI. inde ad cãpanas XLII. miro artificio extructa. Sunt autem magnæ Campanæ ſex & duæ paruæ. Hoſpitale reliquis vrbis ornamentis non cedit, nam & prouentus copioſos habet, & omnium infirmorum neceſſitatibus patet. Sacellum S. Iohannis Baptiſtæ rotundum & ingens quatuor portis totidem ventis expoſitis, intra ſingulas portas feneſtellæ ſex. Ex quo baptizantur infantes conceptus fons eſt, itidem ex marmore vario, baſis quoq. marmorea, cui ænea Baptiſtæ imago impoſita. Pauimentum tale quale templi eſt maioris, tectum ex plumbo, exteriori in parte arcus XX. vnuſquiſq. pedum XIX. in latitudinẽ. Palatium in quo optimates ciues habitarunt, & ius dixerunt, ruinoſum, & nunc à lictoribus & apparitoribus habitatum, cuius etiam pars ceſſit equili Ducis Florentini, ante eius Palatij ingreſſum hæc leguntur: Receptis in deditionem Piſis, quadrimeſtri trium caſtrorum obſidione Antonius Fillichaia, Alamanus Saluiatus & Nicolaus Caponius Communit: tres Florum cum exercitu vrbem ingreſſi ſunt. An: Domini M.D: IX. Die VIII. Iunij. Idem Alamanus primus Capitaneus. An: M.CCCC IX. fuit hic celebratũ cõciliũ in quo Gregor. XII. & Benedictus XI. ab officio remoti ſunt & Alexander V. Cretenſis Electus cui ſucceſſit Ioannes XXIII. qui concilio Conſtantienſi interfuit.

IN TEMPLO SVMMO.

Qui mare, qui terras primordia vicerat vrbis
Quiſquis auet cupidus Piſanos noſcere ciues,
Claſſe, viris, virtute, auro, bellouè potentes
Carmina nitatur parua relegiſſe tabella.

Pelops Græcorum Rex pater Atrei F. Agamemnonis & Menelai vrbem in Italiã condidit, vocauitq; Peloponiam vel Peloponenſem teſte Solin: de mirabilib: mundi. Cap. de Italia. Siquidem quidam Græci duce prædicto Pelope de Arcadia venientes, ad litora Piſanorum appellentes, inuenientes portus, balnea, lapidicinas, cœperunt habitacula in diuerſis partibus conſtruere, demumq; dictus Pelops cum multitudine Græcorum veniens ædificauit vrbem Piſanam propè Arnum teſte Seruio in Virgil: Hi Græci venerunt ex vrbe quadam dicta Piſæ, quæ in Arcadia iuxta fluuium Alphæum ſita eſt. Ideo primò vrbs hæc Alphæo ab illo fluuio dicta eſt, vt Papias refert, dein Piſæ ab illa vrbe. Hanc autem vrbem longè ante vrbem conditam ædificatam fuiſſe, adeo vt nunc nulla ſit vrbs adeo antiqua, pluribꝰ rationibus patet. Namq;, vt ait Auguſtin: lib: VIII. De ciuitate Dei. AEneas Troianus cum xx. nauibus in Italiã venit, & ibi regno acquiſito, regnauit tribus annis apud vrbem Albam, quam idem AEneas & filius Aſcanius conſtruxerant. Aduentus autem AEneæ in Italiam præceſſit vrbem conditam, namq; ab AEnea vſq; ad Romulum vrbis conditorem plures Reges interceſſere. Et Auguſtinus prædicta declarans ait: quod Anchiſes quidam XII. annos poſt AEneam regnauit, dein Amulius, dein Numitor, qui fuit auus Romuli, cuius Numitoris anno primo condita eſt vrbs. Hæc Auguſtin: Patet igitur intra AEneam & Romulum XIV. Reges regnaſſe, dein ſicut idem dicit eodem libro. Aduentus AEneæ fuit eo tempore, quo Abdon erat rex Iſrael, & regnauit tempore Samſonis: Roma autem ſecundum eundem condita eſt tempore Achab Regis Iudæ, quando iam de tempore ipſorum Regum fluxerunt anni CCC. LXIII. vt idem ait. Cum autem per ſacram ſcripturam liqueat, prius fuiſſe tempus Iudicum quam Regum patet per hocipſum AEneam veniſſe ante vrbem conditam CCC. LXII. annis, & tanto plus, quantum præceſſerat de tempore Iudicum. Rurſus vt ait Oroſius à deſtructione Troiæ ad vrbem conditam confluxerant Anni CCCC. LIIII. & poſt deſtructionem anno trigeſimo AEneas Latiorum regnum obtinuit, vt dicitur in hiſtorijs Eccleſiaſticis ſup: lib: Iudic: & ita regnum adeptus eſt anno circiter CCCC. L. His ita declaratis patet teſte Virgil. x. AEneid: eo tempore quo AEneas regnum occupauit, Piſæ adeo creuerant, vt mille bellatores in ſubſidium miſerint, vt teſtatur Virgil: lib: x: cuius verſus hi:

Plaudite nunc Helicona Deæ, cantuſq; mouete,
Quæ manus interea Tuſcis comitatur ab oris
AEneam, armetq; rates pelagoq; vehatur
Maſſicus ærata princeps ſecat æquora Tigri
Sub quo mille manus iuuenum quæ mœnia cluſi
Quiq; vrbem liquere Coſas — *Dein:*
Hos parere iubet Alphææ ab origine Piſæ
Vrbs Etruſca ſolo.

GAMALIELIS NICOMEDI ET

Abdiæ, patris filij & nepotis vt Eccleſia docet ciuium terrenæ ac cœleſtis Hieruſalem felici tempore Piſanorum traducta cadauera marmore ſub hoc nouato cõduntur. M. D. XXXV.

HENRICI VII. IMPERAT: DVCIS LVXEMBORG.

Hoc in Sacrophago non quidem ſpernendo Henrici olim Lucemburgen: comitis, & poſthac VII. eiuſdem nominis Rom: Imp: oſſa continentur, quæ ſecundo poſt eius fatum anno, videlicet M. CCC. XV. Die XXV. Sextil: Piſas tranſlata ſummo cum honore & funere hoc in fano ad hanc vſq; diem collocata permanſerunt.

Quicquid

Quicquid facimus, venit ex alto.
Si probitas, ſenſus, virtutum gratia, cenſus,
Nobilitas orti poſſent obſiſtere morti, *Als: hic præſul*
Non foret extinctus Henricus, qui iacet intus.

VLADISLAI DVCIS,

S. Illuſtriſs: Domini Dn: Vladiſlai Ducis Texanenſis, qui obijt Piſis Anno Domini M.CCC.Lvi. Menſ: April: Imperatoris Friderici III. Leonoram Portugaliæ Regis filiam coniugem Vladiſlao Duce Sileſiæ ac Domino Texanen: comitante, inuento hoc ſuæ antiquitatis tumulo, innouata ſunt hæc inſignia M.CCCC. Lii. Id: Febr:

IN CAMPO SANCTO.

PHILIPP: DECIVS.

Siue de Dexio Mediolanenſ: Iuris C. celebri fama notiſſimus, cum primum locum ſtudij in iure Canonico & ciuili tenuiſſet, Piſis, Senis, Florentiæ, Paduæ, Papiæ & demum vltra montes in Gallia: reuocatus in Italiam ab excelſa Florentinorum Republ: poſteaquam ſtipendium mille quingentorum aureorum in auro pro lectura côſecutus fuiſſet, de morte cogitans hoc ſepulcrum ſibi fabricari curauit, ne poſteris ſuis crederet.

Tempora quid Decij miraris cana Philippi?
Ius nemo hoc melius nouit vtrumq; viro.

MATTHAEO CVRTIO.

Ticinenſi qui Hippocr: Galeniq; vindex, ſalutis augurium egit, medicinamque exercendo & docendo ipſe valens ſemper excoluit, monumentum hoc amplius quam filij I. P. I. Coſmus Medices Florentiæ Dux II. ære ſuo poni curauit, Anno M. D. XLiiii. Vix: ann: Lxx.

FRANci: SANSEVERINI.

Franciſci Illuſtriſs. gentis nomine olim Sanſeuerinus, poſtea quod eius maiores ſtuprum per vim oblatum vlti occiſo Regis filio Neapoli Piſas migrarunt, ex fuga Murtius IureConſultus Canonicus Piſanus eques pius gentis ſuæ ſolus ſuperſtes S. P. Kal: Mart: cIↃ. IↃ. Lxix.

BARTHOLOM: MEDICI.

Cognomento Mucchio Cent: fortiſs: qui cum multa multis in bellis præclara facinora edidiſſet, à Coſmo Medico Florent: Duce Aretij mox Piſis tuendæ arci præfectus eſt, ibique ſe cum ſtrenuè fideliterque gereret, incredibili ſuorum ac militum mœrore obijt Anno M. D. Lv. Calend: Decemb: ætatis Liiii. Menſ: vi. Dies xxiiii. Alexādra Bartholina vxor mœſtiſs: viro optim: & de ſe benè merito volens poſuit cIↃ. D. Lxxiii. Coſino Medice magno Hetruriæ Duce Imperante.

IOAN: FRANC: VEGIO.

Patricio Ticinenſi Iure Conſ: clariſs: qui ab optimo Duce Coſmo magnis præmijs decoratus per xii. annos Piſis princeps in docendo fuit. f. mœſtiſs. poſ: Obiit M.D. Liiii. Vix: ann: Lxv.

VANNI IACOBI.

Olim Piſarum Domini, eius filij ac Vanni Nepot: Del poltra D. Appiano oſſa ac vrnam Iacob: VI. Airagona de Appiano eorum deſcendens ſtatus plumbini Inſularumuè Iluæ planoſæ & montis Chriſti dom: claſſis Florent: & Senar: ducis duce generali ex eadem familia deſcendent: Reſtaurat: v. Calendas. cIↃ. IↃ. Lxvii.

ANONYMI.

Dum parat hic ſtudijs Aſtræam inducere mundo,
Aſtrææ infertur raptus amore polo. I. D. H. B.

IN S. DOMINICO.

CATACVSINI.

τῷδ' Κατακουσῖνος κεῖται Δημήτριος ἥρως
Ἄρεος ἠδὲ τιμὴ, Ἑλλάδος ἠδὲ κλέος.
Αἰακίδης ἄλλος, Πύλιός τ' ἕτερός τε Ὀδυσσεὺς,
καὶ Φλωρεντίνων ἡγέμονος κυρίου.

En Catacuſinus iacet hic Demetrius heros,
Martis honos, Graij gloria magna ſoli.
AEacides alius, Pylius quoq;, & alter Vlyſſes,
Florentinorum præſidiumq; Ducis.

IN S. GERIONE.

Sunt vetuſtæ inſcriptiones prout in S. Matthæo, quæ ab alijs relatæ.

IN S. PAVLO AD RIPAM ARNI.

BVRGVNDII D.

Quis, qualis, quantus iacet hic in marmore clauſus
Ille vir egregius promitur inferius.
Deceſſit ſenio propria Burgundius vrbe,
Cui ſimilis viuens vix fuit, eſt, vel erit.
Omne quod eſt natum terris ſub ſole locatum
Hic plenè ſciuit, ſcibile quidquid erat.
Optimus interpres Græcorum fonte refectus
Plurima Romano contulit eloquio.
Commentor primus, Chryſoſtomus ille ſecundus,
Claruit expoſitor, ſcripſit, & innotuit.
Docta patet latè Doctoris epiſtola Pauli
Otia cuius erant ſcribere cura, labor.
Inuidia caruit, vitam ſine crimine duxit,
Illæſus vitijs noxia quæq; fugans.
Gloria, laus & honor proles generoſa parentum,
Id fuit in terris, Sol quod in axe ſuo.
Venit vt ad caudam plenus mercede laborum
Inquit terrenis hoſpita terra Vale.
Debitor inſignis ne creditor opprimeretur,
Pſychem namq; polo reddidit, oſſa ſolo.
Qui legis, in titulo ſic ſi cupis eſſe probandus
Huius ad exemplum curre per alta maris.

Doctor Doctorum iacet hic Burgundius vrna,
Schema Magiſtrorum laudabilis & diuturna,
Dogma Poetarum, cui litera Græca, Latina,
Ars medicinarum patuit, ſapientia trina.
Et nunc Piſa dole, triſteris Truſcia tota,
Nullus ſub ſole eſt, cui ſic ſunt omnia nota,
Rurſus ab Angelico cœtu ſuper aëra vectum
Nuper & Angelico cœlo gaudete receptum.

Anno Dom: M. C. Lxxxxiiii. iii. Calend: Nouemb:

IN SVMMO TEMPLO.

Anno Domini M. C. xvi. ix. Calend: Auguſti obijt Domina Mathilda felicis memoriæ Comitiſſa, quæ pro anima genetricis ſuæ Dñæ Beatricis Comitiſſæ venerabilis

In hac

in hac tumba honorabiliter quieſcenti, in multis partibus mirificè hanc dotauit Eccleſiam, quarum animæ requieſcant in pace.

Anno Domini M.CCC.III. ſub digniſſimo operario Domino Burgundio Tambi, occaſione graduum fiendorum per ipſum, circa Eccleſiam ſupradicta tumba ſuperius nominata bis translata fuit, nunc de ſedilibus primis in Eccleſiam, nunc de Eccleſia in hunc locum, vt cernitis, excellentem.

IN S. NICOLAO.

Mille trecentenis Chriſti deca cum tribus annis
Defecit iuuenis Ducis Auſtri vita Ioannes:
Idus Decembris obit hic, Piſis tumulatus,
Integer ex animo, virtutibus atq; probatus.
Stirpis Regalis fuit ex vtroq; parente
Nunc immortalis dotetur ab omnipotente.

P. Salamanca patricius Burgenſis Sereniſſimi Ferdinandi Regis Vngariæ & Archiducis Auſtriæ ad Clement. VII. Pont. Maximum Orator, hoc Epitaphium ſitu & puluere obliteratum inſtaurari fecit M. D. XXVII.

IN S. FRANCISCO.

PETRVS CALEFATVS.

Vir illuſtris, Marietæ Tinioſæ vxori dulciſſimæ in puerperio diem functæ. Anno M. D. IX. ſibique ac liberis poſ. Anno M. D. LXVII.

DONORATICORVM COMITVM.

Florida qui miro tenuerunt culmina curſu
Fletibus aſpicitis mente doloris opus.
Vrbis gloria fulgentis protenſa Piſanæ
Clauditur in tumulo ſtirps generoſa nimis.
Hic genitor genitus Tatius iacet & quoq; Gaddus
Quos Donoraticæ protulit alma domus.
Cairæ ſublimes Comitatus ſede nitebant,
Et Gaddus placidè præfuit ipſe Piſis.
Quo claudente ſua dum ferret lumina curam
Plorat adhuc tanto plebs viduata viro.

Hic iacent Domini Comites, Dn. Tatius & Dn. Gaddus eius filius Comites de Donoratico, Domini Sextæ partis regni Caleriæ, quorum primus obijt An: M. CCC. XIIII. Die XXV. Nouemb: Secundus vero obijt die I. Maij Anno Domini M. CCC. XXI.

PRINCIPIS LVCANI.

Virtutis exemplum, momentaneo iuuentutis flore, clarentibus præmaturæ mortis incurſu præuentus tegor hac in petra Ioannes natus olim Illuſtris principis Domini Caſtrucij Lucani Ducis altis meritis indeletæ memoriæ, libertatis patriæ defenſoris, hoſtibus ſemper inuicti Anno M. CCCC. XLIII. Die XII. Maij. Indict: X.

IN S. CRVCE EXTRA PORTAM.

NICOLAO TIGNOSIO.

Fulginati, Medico inſigni, omniumq; s. ſui temporis Philoſophorum inter rariſſimos numerando, ac multo Ariſtotelis librorum Commentatori acutiſſimo, Curius Marius fil: patri optimo & ſuis miris virtutibus ciuitate Aretina donato poſ: Vix: ann: LXXII. Menſ: V. Dies XV. deceſſit cum Piſis legeret XVIII. Calend: Octobr: M. CCCC. LXXIIII.

VINCENTIO SETAE.

Qui in pugna nauali ad Echinadas à Chriſtianis cum Turcis feliciſſ: geſta, dum ſe fortiter gerit ictu tormenti bellici annum agens XXVIII. occubuit in Leucade, delato & ad ædem D. Mariæ ſepulto. Magdalena mater mœſtiſſ: filio vnico dulciſſ: monumentum hoc fieri fecit. Anno M. D. LXXII. Menſ: Febr:

IN AEDIBVS RANERII RONCIONI.

Partheni aue, benè valeas, qui me ſalutas cum ſocia filia mea.

AD MARMOREVM PARIETEM maioris Eccleſiæ.

Imp: Cæſari Diui Hadriani fil: Diui Traiani Parth: Nep: Diui Neruæ Pronepot: T. AElio Hadriano Antonino Aug: Pio Pont: Max: trib: pot: III. Coſ: III. P. P. indulgentiſſimo principi.

IN SEPVLCRO Vetuſtiſſimo.

Benemerenti in pace
Syluana quæ hic dormit
Vixit annos viginti & vnum,
Menſes tres: horas quatuor,
Scrupulos ſex, depoſita
Nono calendas Iulias.

Qui in truma tudres.

LABRO.

VVLGO LIVORNO, PORTVS XVI. MILL: à Piſis, cui adiunctum eiuſdem nominis oppidum. Celebris quidem portus, ſed paucarum nauium capax, & nondum profundè effoſſus. Hunc antiquitus Volaterrarum fuiſſe, Piſasq; alium habuiſſe, nunc deſtructum, recentiores ſcribunt, & accedit eo Ciceronis ſententia ad fratr: lib. 2. Epiſt. 3. Ante eius portus ingreſſum turres quatuor, in mari tres à Maximilian: Imper: diſiectæ, quarta iam renouata, & impoſita ei cuſtodia eſt. Arx in inſula forma triangulari, & rebus neceſſarijs ad defenſionem, militeq; præſidiario inſtructa. Eſt è regione M. paſſ: in ſcopulo à continente alia turris, quam Phaream vocant, quæ nocturnum lumen præbet, ex inſulis finitimis nauigantibus. In portu vnaquæq; nauis ſoluit tres coronatos, pro portu vnum, pro lumine alterum, pro tota acceſſione tertium. Decimo à Labrone milliar: Arni oſtium eſt magnum & impetuoſum.

CERTALDVM.

OPPIDVM HETRVRIAE IN COLLE SITVM, Boccatij patria, alluitur à Dena fluuio, poſt hoc ſe offert caſtellum Florentinum & Elſa fluuius in Arnum labens, nec inde procul Arnus ponte latericio ſuperandus cum tribus magnis fornicibus.

VOLTERRAE.

VETVSTISSIMA ET NATVRA MVNITISSIma ciuitas Hetruriæ ad Caecinam amnem, à Lydorum Præfecto annis C. ante vrbem Romam condita: poſita in præcipiti & ſublimi monte,

Rom:

Rom: Colonia à III. Viris deducta, & prima inter XII. Hetruriæ ciuitates quæ fidem Chriſtianam ſuſcepit, autore Romulo D. Petri diſcipulo: Arriana labe poſtea aſperſa, à D. Iuſto Africano presbytero rurſus eſt expurgata, vexata à VVandalis & Hunnis, ab Otthon: I. inſtaurata, & adminiſtrata eius nomine longo tempore fuit. Demum à Florentinis occupata. Patria Perſij Poëtæ & Lini Pontificis Rom: habet multas antiquas inſcriptiones, quæ ab alijs collectæ & relatæ ſunt.

IN S. LINO. hæc:

ΑΠΝΟΟΣ *CHRISTO SERVATORI* ΠΝΟΩ.

Raphaeli Maffæo Gerardi Maffæi F. doctrina, pietate, ac ſanctitate cum quouis antiquo comparando, vt eius indicant opera egregia, teſtantur miracula. Vix. ann: Lxx. Menſ: xi. D. viii. Obijt An: ſal: M. D. xxi. viii. Calend: Febr: Marius Maffæus Epiſcopus Caualiren: fratri Smo. poſ: Sic itur ad aſtra.

ITEM.

A. Perſius. A. F. Seuerus. Vix: ann: xix. M. iii. dies xix.

Item.

Linum Volaterranum à patre Herculano annor: xxii. ſtudiorum gratia miſſum Romam, in contubernio tum Quincti Fabij amici paterni, dein veniente eo tempore Romam Petrum omiſſis omnib. ſecutum fuiſſe, ac ob virtutes & fidem egregiam ſimul & eloquentiam Euangelij Coadiutorem illis permanſiſſe, ſedit annis x. Menſ: iii. dieb. xii.

Martyr ſub Saturnio Coſ: cuius filiam Lymphratam liberauerat, ſepultus in Vaticano, ab vltimo Neronis anno ad Veſpaſiani tempora peruenit.

SENAE.

VVLGO SIENA HETRVRIÆ VRBS NOBILISſima clariſſima & amœniſſima ad Arbiam fluuium, de cuius autore eſt inter ſcriptores contentio. Alij enim à Gallis Senonibus tempore Brenni anno CCC. LXXXII. ante Chriſtum natum conditam: alij à quodam Pontifice ædificatam eſſe ſcribunt, eumq́ in eam ſex vrbium dioeceſes contuliſſe, inde Senas appellatam. Fuit & alia Sena vnitatis numero, in Picenis, Rom: Colonia. Huius de qua loquimur vrbis opes ex interitu Cluſij & Ruſcellarum creuerunt. Eſt in edito loco ſita, flexu ſinuoſo propter montis dorſum, lateribus anguſtior & procliuior. Tria quaſi cornua habet, quorum illud quod meridiem ſpectat, latius eſt ijs, quæ ſunt ad ortum & ad occaſum. Nam ea vrbis pars, quæ ad Septentrionem eſt, exigua præ cæteris & plana. Valles intermediæ ferè hortis occupantur. Cœlum noxijs infeſtum ventis, ager inter ſterilem & feracem medius, ſtrata latere coctili, ædificijs ſplendida, alta turribus, plateis recta & longa, formis puellarum inſignis, ciuium humanitate erga exteros laudata, domeſticis tamen factionibus diſſentiens. Occupauit & tenuit enim illam olim per vim annis aliquot Pandulphus Petrucius:

quo extincto in libertatem ſe vindicauit, & opibus & potentia ſecundum locum à Florentia habuit, nomen libertatis agnoſcens. Forum amplum & multorum laterum, adeo vt propter angulorum inæqualitatem, forma eius certa dici non poßit, in medio profundum, erectum è lateribus, vt penſile videatur, cui dignitatis non parum addit fons Brandus ex marmore, cum multis Sanctorum imaginibus: patet XII. acceſſibus; turrim habet, quam vulgò Roccabruna. Palatium tali vrbe dignum, in quo Prætor vrbis cum optimatibus habitat, in eo globus Geometricus maximus & excellens, conclaue cum hiſtorijs Romanorum & Senenſium. Ex Palatio in turrim illi adiunctam adſcenſus eſt per gradus CCXIIX. vſq; ad campanas, inde ad ſummum alij gradus L. Academia à Pio II. Pontif: mirum in modum aucta atq; exornata multis claris viris celebris eſt. Is quoq; porticum faſtigiatam ſuæ genti Senis ſtatuit & parentibus ſplendidum Epitaph: marmoreum poſ: cum inſcript: quæ inferius refertur: Summum templum B. virgini dedicatum, ex nigro alboq; marmore in editiore loco ſitum: longum ped: CCCXXX. lat: CLXXXIII. ſuſtentatum pilis XXVI. Lythoſtratum ex marmore variorum colorum, in quo iuxta ſummum altare IV. virtutes, & in medio earum miſericordia, in reliquo veteris nouiq; teſtamenti hiſtoriæ, ſeptem ætates hominum, decem Sybillæ cum aliquot Philoſophis, tectorum cærulei coloris cum inauratis ſtellulis: in feneſtris ſunt Sanctorum imagines ex vitro verſicolore. In fornice templi circumcirca capita omnium Pontificum Romanorum ex marmore, & XII. pilis Apoſtolorum, altare expolitum, & maculis & varij generis marmore diſtinctum. Præterea altaria XXI. ipſi inſerta muro ſacellorum modo. Suggeſtus maior ex marmore IX. columnellis, quarum pars dimidia leonibus, altera ſolo media baſi ſuſtentatur, in quo octo puellæ exſculptæ ſunt. Eſt & alter impoſitus columnellis ſeptem, in quo quatuor Euangeliſtæ & S. Paulus. Vaſa luſtralis aquæ bina marmorea, multiſq; piſcium generibus, qui innatare videntur, inſignia. Ianua templi maxima cum varijs veterum imaginibus. Præter illam tres ſunt aliæ. Organum quoq; inſigne, & tectum plumbo albo cooportum. Templo contigua eſt bibliotheca cum duabus portis æneis cancellatis, facta à Pio II. Pontifice, cuius etiam totius vitæ curſus ibi picturis illuſtratus & depictus eſt. In medio tres Charites antiquo opere & marmore, libri non expoſiti, & non magni vt videntur precij. Turris templi quadrata & præalta, feneſtris ex omni parte quinq;, quarum amplitudo in altum creſcit, & primæ vna columnella impoſita, ſecundæ duæ, & ſic de cæteris ad quintum vſq;. Sub hoc ipſo templo ſacellum eſt, in quo baptiſterium Hexagonum cum æneis laminis inauratis, in quibus hiſtoria baptiſmi Ioannis & Chriſti, ſuperne impoſiti quatuor Angeli ex ære gratulantibus & lætis ſimiles. Hoſpitale eſt è regione templi, in quod omnes omnium nationum infirmi & peregrini recipiuntur, & diſtincta loca ſunt virorum vbi lecti CXXXVI. & mulierum, vbi lecti ſunt CXXXIII. In altiore parte alia conclauia eorum qui ſacra faciunt, & pauperum infirmitati ſeruiunt, numero XLVI. Cellæ penuariæ & vinariæ admirabiles, & vas vnum, tot vini cadorum capax, quot dies in anno ſunt. Artifices & mercenarij omnis generis. Neq; ſolum infirmi aluntur, & qui curam ipſorum gerunt, quos omnes ferunt eſſe DCC. Sed & quotidie certis monachis alijsq; hominibus dantur eleemoſynæ, pueri expoſititij nutriuntur: fœminæ cum adoleuere viris cum dote elocantur; maſculi ad artificia traduntur. Hoc tam præclarum & omni prædicatione dignum opus inchoatum

atum à quodam ſutore aiunt, auctumq́ multorum poſtea ſanctiſſimorum hominum collatione & liberalitate, adeo vt ipſius reditus ad 80000. Δ torum aſcendere fama ſit, nobisq́ relatum. Collegium, quod Sapientiam vocant, ab Andrea Galerano ciue Senen: initium ſumpſit, in quo certis perſonis præter cubiculum panis, vinum, caro & obſonia dantur, ea conditione, vt in quatuor annos LXX. coron: aureos numerent. Diebus tamen quibus carnium eſus interdictus eſt, tantum obſonium datur. Admittuntur omnis generis homines, Itali, Hiſpani, Germani, ex quibus omnibus ſtudioſi aderant, cum nos eò veniremus. Plurimum hæc ciuitas Germanis placet propter ſitum, aëris temperiem ipſis accommodatam, Item ciuium hoſpitalitatem & fœminas placidas, venuſtas, doctas, lætas, atq́ vt pudicitia fert benignas & facetas. Delitiæ Italum.

IN LITHOSTRTO TEMPLI.

Tempore Domini Alberti, domini Franciſci Aringerij eq: Rhodij hæ quinq; Sibyllæ poſitæ ſunt Anno M. CD. XXCII.

I. ALBVNAEA, quæ & Tyburtina, quod Tyburi collocatur.

Naſcetur Chriſtus in Betlehem, annunciabitur in Nazareth, regnante Tauro pacifico, quietis fundatore.

II. SAMIA, de qua loquitur Eraſtothenes:

Tu enim ſtulta Iudæa Deum tuum cognouiſti, ludentem mortalium mentibus, ſed & ſpinis coronaſti: horridumq; fel miſcuiſti.

III. PHRYGIA, quæ Ancyræ vaticinata eſt,

Tuba de cœlo vocem luctuoſam edet, & tartareum chaos oſtendet dehiſcens terra, venient ad tribunal Dei reges omnes, Deus ipſe iudicans pios ſimul & impios, tunc demũ impios in ignẽ & tenebras mittet, qui autẽ pietatem tenẽt, iterum viuent.

IV. HELLESPONTICA in agro Troiano nata, quam ſcribit Heraclius tempore Cyri fuiſſe.

In cibum fel, in ſitim acetum dederunt, hanc inhoſpitalitatis monſtrabunt menſam. Templi verò ſcindetur velum, & medio die nox erit tenebroſa tribus horis.

V. LIBYCA, cuius meminit Euripides:

In manus iniquas veniet, dabunt Deo alapas manibus inceſtis, miſerabilis & ignominioſus, miſerabilibus ſpem præbebit

VI. DELPHICA, de qua Chryſippus.

Et mortis fatum fini, & ſomno trium dierum ſuſcepto, tunc mortuus regreſſus in lucem veniet, primus reſurrectionis initium oſtendens.

VII. CVMAEA, quam Piſo in annalibus numerat:

Ipſe tuum cognoſce Deum, qui Dei eſt filius.

IIX. CVMANA, cuius Virgilius meminit:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

IX. ERYTHRAEA quam Apollodor: ſuam ait eſſe ciuem:

De excelſo cœlorum habitaculo proſpexit Deus humiles ſuos, ẽn naſcetur in diebus nouiſſimis virgine Hebræa in cunabulis terræ.

X. PERSICA, cuius meminit Nicanor:

Panibus ſimul quinq; & piſcibus duobus hominum millia quinq; in eremo ſatiabit, & reliquias tollens duodecim cophinos implebit in ſpem multorum.

Hermes Mercur: Triſmegiſtus contemporaneus Moyſi: Deus omnium creator ſecum Deum fecit viſibilem, & hũc fecit primum & ſolum, quo oblectat⁹ eſt, & valde amauit propter filium, qui appellatur Sanctum Verbum.

Socrates PHILOSOPHIA Crato.

Huc properate viri, ſalebroſum ſcandite montem:
Pulcra laboris enim præmia, palma quies.

AQVILA.

Inuicto poſita hæc Carolo ſunt Cæſare Quinto.

AD IANVAM.

Caſtiſſimum virginis templum caſtè memento ingredi.

DN. THOMAE PICOLOMINAEO.

Pientino, Pontif. Cæſareoque Conſiliario comitique, Angelus Picolominæus Eques, & Ioan: fratres pijſs: fratri B. M. P. Vix: ann: LII. Diſceſſit anno ſalut: M.D. XXCII.

IN BIBLIOTHECA.

AEneas Syluius Picolominæus, natus eſt patre Syluio, matre Victoria XVIII. Octobr: Anno Domini M. CD. V. Corſiani in fundis gentilicijs, Baſileam ad concilium contendens, vi tempeſtatis in Libyam propellitur.

AEneas Syluius à Baſilienſi Concilio ad vlteriorem Britanniam orator ad Scotiam ad Regem Calexum miſſus, à tempeſtate in Noruegiam pulſus, & per Britanniam regios ſpeculatores eludens Baſileam reuertitur. Hic AEneas à Felice V. Antipapa Legatus ad Eugenium IV. miſſus, non ſolum ei reconciliatus eſt, ſed Hypodiaconus, & Secretarius mox Tergeſtinus, deinde Senenſis antiſtes creatus.

AEneas Frid: III. Imperatori Leonoram ſponſam exhibet, ac puellæ laudes ac Regum Luſitanorum complectitur.

AEneas Senens: Antiſtes ad Calixtum III. Orator à Friderico Imperatore III. miſſus Pontif. ad bellum Aſiaticum armat.

Calixto mortuo, AEneas Cardinal: Senens: acclamatione Patrum apertiſq; ſuffragijs Pont: deligitur, & Pius II. nominatur.

Pius II. Pontif: Max: à Ludouico Mantuanorum principe claſſe in Naumachiæ ſpeciem exceptus VI Calend: Iun: Mantuam ad indictum de expeditione in Turcas conuentum ingreditur.

Pius II. Pontif: Max: Catharinam Senens: ob innumera eius miracula inter diuos retulit.

Pius cum Anconæ expeditionem in Turcas accelerarer, ex febre interijt, cuius animam Heremita Camaldalens: in cœlum efferri vidit, corpus vero Patrum decreto in vrbem reportatum eſt.

AD CRVCIFIXVM.

Miſſus ab arce patris, quo ſæua piacula mundi
Sanguine diluerem, mortis acerba tuli.

DE CONTEMPTV MVNDI.

Iugera non faciunt fœlicem plurima frater,
Non Tergeſtini dulcia muſta ſoli.
Non Tiriæ veſtes, auri non pondera flaui
Non ebur, aut gemmæ, non iuuenile decus.
Non dulcis nati ſoboles, non bellula coniux,
Non triuiſſe ſua ſceptra ſuperba manu.
Noueris & rerum cauſſas licet, aſtraq; cœli,
Et noſtro quidquid ſub Ioue mundus habet.

At mea

At mea ſi quæris quæ ſit ſententia, frater,
Dicam, vis fœlix viuere, viue Deo.

DE CHRISTO.

De me ſolus amor potuit perferre triumphum,
Ille pedes clauis fixit & ille manus.
Si cupis ergo animi mihi ſigna rependere grati
Dilige pro tantis, ſat mihi ſolus amor.

AD SEPVLCRVM B. CATHARIN: SENEN:

Gaude Sena potens, venit Catharina ſecunda,
Ecce beata nouis fœmina temporibus.
Hæc pariter fuerat Dominici ex ordine Diui
Virginei pariter lilia floris amans.
Corde dicata Deo, longis ieiuna diebus,
Paſta magis Chriſto quam fuit illa cibo.
Orabat ſumma noctéq; dieq; tonantem
Pro ſe, proq; tua Sena ſalute potens.
Nunc exuta ſui velamine corporis, alma
Mens domini gratas fundit in arce preces.
Sic & habes geminas pro te pia Sena rogantes
MORTVA EST HAEC Virgo anno M. CD. xci.

IN LVDVIC. SANGVINVM.

Quid maius fortuna daret, ſub principe cuius
Morte mea & vita cognitus extat amor.
Me bello Etruſco turmarum equitumq; Magiſtrum
Fecerat: at felix gloria nulla diu.
In collum nam me pugnantem dira peremit
Lancea: ſed minus haud mors animoſa fuit.
Ante rogum Alphonſus fleuit, poſuitq; ſepulcrum,
Quo viuo & noſtri fama perennis erit.

IN TEMPLO XENODOCHII.

IOANNES BRVCCIVS.

Eques, huius Xenodochii rector, Iacobuſq; pius frater, Cineaq; vtrorumq; dilecta mater, vt domi in vita, ſic poſt obitum vna eſſe voluerunt. M. D. xix.

PAVLI NANIS.

De Guidarellis omnia ſua bona ſanctæ huic domui, corpuſq; ſuum dicauit. Anno Domini M. D. xxix.

IOAN: BAPTISTAE TVNDIO.

Equiti Clariſs: Xenodochiiq; huius Rectori pientiſs: Germ. fra: B. M. Poſ: Vix: ann: XLV. Menſ: ix. Di: xix. Obijt M. D. vii.

OLIVERIO SANSOVINO.

Iuueni & morum bonitate & Muſicarum artium peritia apud omnes gratioſiſſimo, immatura morte defuncto. Bernardus patruus nepoti dulciſs: mœſtiſs: poſ. Vix: ann: xxvii. Obijt Id: Maij M. D. xxix.

IN AEDE

IN AEDE SVMMA B. VIRGINIS.

IOANNES VGVRGERIVS.

Decreto publico hic ſitus eſt, deceſſit Montis aperti clade Ann: ſal: M. CC. LX. Is adeo auri abundans fuiſſe fertur, vt neceſſitatis tempore vltrò duos currus auro refertos Reip. obtulerit, tantundem aut plus etiam in ædibus ſibi reſeruans. Obid etiam ædes in foro reliquis omnibus prominentiores ædificare conceſſum eſt illi, item vt primus ciuium in hoc templo ſepeliretur.

LVDOVICO PONTANO.

Equiti clariſs: Phyſicoq; celeberrimo, qui apud Illuſtriſs: Italiæ principes, Senẽſemq; Rempubl: in conſilio & medici autoritate ita præſtitit, vt honoribus meritò honeſtatus, iam ſenior vita functus ſac. hoc tumulo conditur F. pijſs: ſibiq; ac poſteris P. M. CD. xxcvii.

ALPHONSI SANNICATI.

Tutelari Genio Alphonſo Sannicati Sacæ Com: Equiti Compoſtellano, qui Caroli V. Auguſti ſigna ſecutus, duarum Cohort: Germ: præfectus XIII. pro tribus ductans Satiano expug: dum luſtrata arce ad ſuos rediret, ictus tormento perijt XXV. Nouembr. M. D. Lv. ætatis xxv.

ANTONIO MVDARRA.

Hiſpano, ſanguine & virtute claro, Hiſpanorumq; peditum ductori, qui poſtquam inter Caroli V. Cæſaris copias nonnullis annis fortiter fideliterq; bella geſſerat cum in hac ciuitate iamdudum erepta Gallis, denuoq; eiuſdem Cæſaris imperio parere coacta continua laboraret febre, vitam cum morte commutarit. Anton: Banientos Hiſpanorum peditum ſimiliter ductor, hoc pietatis & amicitiæ monumentum non ſine mœrore poſ: d. iv. Maij. Ann: M. D. Lv.

HIERONYMO MALEVOLTAE.

Sannæ nobilitatis & probitatis viro illuſtri I. C. de Republ: Senen: optimè merito, dum Piſis maiore cum ſtipendio quam nemo alius iuris ciuilis interpretandi munere egregiè fungeretur, diem ſuum obeunti, & mirum ſui deſiderium patriæ ſuiſq; omnibus relinquenti fratres mœſtiſs: P. C. Obijt xv. Septemb: Anno M. D. Lx. ætatis ann: XLI.

NICOLAI REIBEISEN GERMANI BAVARI.

Nobilis ex claro maiorum ſanguine natus
Nicolaus Reibeiſn hac requieſcit humo.
Cui fortuna fauens dederat naturaq; dextra
In magno quæ ſunt cuncta petenda viro.
Qui ſtudij longi iam iam petiturus honores,
Præripitur patrij ſpeſq; decuſq; ſoli.
Sed mortalis erat, tumulus mortalia condit,
Spiritus in Chriſti viuit agitq; ſinu.

BON SIGNOR DE CELSA.

Canonic: Senen: & D. Pontif: hoc ſibi monum: viuens poſ:

Humanis nulla eſt rebus fortuna perennis,
His mundi vicibus deniq; finis erit.
Ne querere afflictis, non tu confide ſecundis,
Omnia ſub paruo diſpereunt tumulo.
Sed venerare Deum, ſi mox cupis eſſe beatus.
In cæca heu transfert tartara nos vitium.

ILLVSTR: IOAN. BENTIVOLO. II.

Cuius ſi virtutem ſpectes, ſatis vixit, ſi ætatem, parum: is cum in exercitu Henrici II. Franc. Regis alæ equitum magna cum laude præeſſet, ad paludem

Clauis à copijs Ducis Florentini oppreſſus, in bello quod pro euertenda Senen: libertate gerebat, maluit in prælio fortiter occumbendo egregiam ſui memoriam relinquere, quam turpiter fugiendo auitæ gloriæ deeſſe. Corn: Bentiuol: & Anton: Gall: frat: mœſtiſs: poſ: Anno M.D. LIV. Vixit annos XX.

IN S. DOMINICO.

TANCREDI.

Inſignem facie & genere & fulgentibus armis,
Tancredum puerum contigit hic tumulus.

ANTONII DIAE LVSITANI.

Quiſquis ab Heſperijs veniſti ſedibus hoſpes
Accipe quæ referas, ſi rediturus ades.
Perpetuo flendus iacet hic Antonius, atra
Morte Dias, hoc te nolo latere, Vale.

Obijt M.D.XLI. VI. Id: Iulij.

EADEM IN AEDE.

Sarcophagus ſecundæ Catharinæ Senenſis.
Sepulcrum Gallerani cum hoc Elogio:
Quem in Aram tulit pia deuotio Andream
Galeranum, in cœlum euexere pia merita.

GERMANI.

Vina dedere neci Germanum, vina ſepulcro
Funde, ſitim nondum finijt atra dies.

IOANNES TRVCHSES.

A Baderwaldt, nobili ortus genere, iuris Pontif: D. hic ſitus eſt: numerans annum ætatis ſuæ XXXIII. cum Friderico Saxoniæ Senæ famulatur. Diem clauſit anno ſalutis M.CD.XCIIII. die XXIV. Ianuar: proſecutus Domini, ciuium & ſociorum lacrymis pijſſimis.

PETRVCIORVM VXORES.

Aureliæ Palmeriæ, præter admirabiles corporis dotes, & egregias animi virtutes, ſingulariq; modeſtia inſignitæ, XVII. ſuæ ætatis anno ſubreptæ, Scipio Antonij Petrucij mœſtiſs. coniux poſ:

MONTANIMAE LAVRENTII BOMINSIGNII EQVITIS F.

Gratia & decore ſuper cæteras inſigni, quæ vix: XXV. cum viro IX. tribus liberis ſuperſtitibus deceſſit Hieronym: Petrucius vxoris honeſtiſs: & concordiali ben:meri

Cur turbata fremit Pallas? vir Delia clamat?
Cur lacerat ſæuo nunc Venus vngue genas?
Occubuit quoniam ſapientia, forma, pudorq;
Cuncta puellari corpore iuncta ſimul.
Proh mala ſors hominum, nam quæ precioſa ſuperſunt,
Continuò properat impia mors rapere.
Nemo me lacrymis ploret, nam mortua non ſum
Viuo ſed in ſuperis læta beata locis.
Marmore tu cinerem claudis Hieronyme coniux,
Ipſa ſed ante Deum ſupplico vt aſtra petas.

ORLANDVS MALAVOLTA.

Clariſs: I. V. C. Bernhardi fil: oſſa parentum quæ vetuſtate eſt, lapſa antiquæ familiæ ſepulcro ad tempus erant depoſita, ſub hoc lapide claudi curauit, die VI. Iulij M.D.LXVI.

Mox heu Iuliam vxorem fidiſſimam atq; optimam, forma ac corporis animique virtutibus & pulcra prole ornatiſſimam VI. Febr: extinctam lugens condidit. Cal. Auguſti Ann: eiuſdem, ætatis XXX.

ANGELO PLACITO.

Iuueni Græcæ Latinæq; linguæ peritiſſimo mira animi, generis ac corporis nobilitate clariſs: ſexta ætatis ſuæ olympiade defuncto, cuius mores virtuteſq; omnes intuentes Proce: Senen: putauere. Ioan: Baptiſt: pater omnium feliciſs: æternum lacrumans B. M. P. anno ſalut: M. D. XXII.

IN S. AVGVSTINO.

MARISETAE.

Hoc lacrymis ſita Mariſetæ gloria gentis
Vgonis clari clauduntur membra ſepulcro,
Qui cauſſas rerum nouit, qui ſydera cœli,
Rhetor, & inſignis vates, dimenſor & orbis,
Et nî tam ſubitò crudelia fata tuliſſent,
Non foret in terris iuuenis præſtantior alter.

DOCTORIS, QVI SVPRA MAGIST: ſententiarum ſcripſit.

Oſſa tegit Petri marmor cognomine Ruſſi,
Sed fruitur ſuperis mens benedicta polis.
Naturæ cœliq; ſagax ſcrutator auarus,
Tempſit opes, meditans dogmata ſacra Dei.
Iudaicas Moyſis leges diuosq; Prophetas
Et Chriſti clarum reddidit eloquium.

TVCIVS PERI.

De Beccharellis hoc ſibi dicauit monumentum quo nunc ipſe conditur.

CHRISTOPHOR. FRANCISC.

Hoc ſibi poſteriſq; dicauit monument: quo nunc ipſe conditur.

HELIONORAE PICOLOMINAE AE.

Hieron: fil: pudicitia inenarrabili egregiaq; forma præditæ, prudentia verò plus quàm fœminæ diem ſuum obeunti, Auguſtus Chiſeus vxori cariſs: ſuauiſſimæq; mœſtiſs: poni curauit. Obijt III. Id: Febr: M. D. LXI.

ANDROMACHAE PETRVCIAE.

Coniugi piæ, pudicæ, frugi, quæ vix: ann: L. Menſ: III. dies XIV. Bernardinus Franciſcus Philippus B. M. P.

CAROLO FORTIO.

Viro probitate claro, qui cum ſcribæ munere per multos annos ſumma fidelitate, ingenij dexteritateq; defunct: Senatuſq; Senenſ: actor: diligentiſs: ſcriptor mira apud ciues gratia polleret, diuturna oppreſſus febre, mortem obijt: deinde etiam eius fil: Nicolao & Lælio ante patrem vita functis, Virginea Picolominæa amantiſs: fil: dulciſs: P. C. Vix: ann: LIX. Anno Domini M. D. LXIIX.

VANNICINII.

Hic perantiquum ſepulcrum vetuſtate collapſum, & nomine & inſignibus Cinimanni Gaelarij Vannicini I. V. D. celeberr: equitiſq; Cæſar: Vannicini fil: ijſdem notis decedens Aſcanio fratri reparañ: mandauit. An: ſal: M. D. LXV.

GEORGII ECKAR GERMANI.

Seruatori Deo, pacis cuſtodi, genio, manibus & vmbræ.

Georgij Eckar ciuis Inſpéchiẽ: Eraſmi Macri de Fachſtat, Germanicæ cohortis pfecti primipili ſubcen-

ſubcenturionis, qui Illmo. Ioanne Archij comite pprætore Tribuno Senenſi bello Cæſaris ſecutus militiam clariſs: decus ſibi ſuiſq; peperit, prælium vero quod apud Marcianum depugnatum eſt, pro ſua parte virili Germanum nomen inſigni gloria præſtitit inuiolatum: deceſſit ann: ſalut: M. D. LVI. pridie Calend: Auguſti ætatis ſuæ anno XXX. die vero VI. flentes poſuere commilitones.

LACTANT. LVCARINVS.

Cauſidic: Senenſ: Spiritum Deo, prolem naturæ, lobores ſorti, probitatem famæ, nec fas Erebo, oſſaq; ſepulcro ſibi viuens ac poſteris D. Ann: ſalut. M. D. LVIII.

BARTHOLOM: COMPAGNINO.

Senenſ: ord. minor: Theolog: magiſtro inſigni, Philoſophiam pub: legeñ: Tuſciæ miniſt: hæreticæq; prauitatis inquiſitori Relig: Pat: ſepul: hoc poſ: eſt B. M. Obijt anno M. CD. XXCIX. XIII. Calend. Auguſti.

INQVISITOR: HAERET: PRAVITATIS.

Hic iacet Reuerendus Pater Magiſter Ieronymus Inſi de Senis ord: minor: qui fuit ſocius R. M. patris generalis, eiuſq; commiſſarius & Inquiſitor hæreticæ prauitatis, qui obijt die VI. Menſ: Iulij M. CD. LIIX. Indict: VII.

Hic iacet quondam R. Pater M. Laurent: Inſi: de Sen: ord: minor: prædicator eximius. Miniſter p. terræ ſanctæ & poſtea Tuſciæ, qui librariam conſtruxit, eamq; libris ſolemnibus pluribus ornauit, localia Sacriſtiæ ac bona multa conuentui largitus eſt. Obijt Anno M. CD. LXI. die VII. Iun:

Hic iacet R. Pater M. Angelus de Senis, qui fuit miniſter Tuſciæ pluribus annis & Generalis ord: minor: qui ob: anno Domini M. CD. XXIII. Sexta Octobr:

Hic iacet R. in Chriſto Pater Dñs Fortunius de Vallo L. Doctor Epiſcopus Legionenſis, Orator Ser^mi: Regis Hiſpani. Obijt die XVIII. Iunij M. CD. LX. requieſcat in pace.

GISBERTO PTOLOMAEO.

Corinthi & montis Phalis Epiſcopo V. C. Thaliq; antiſtiti, Pij II. Pontif: patrueli M. CD. LXXIX. Anno ætatis XXXVI. dicatum.

ALEXIVS DE CAESARIS.

Senenſ: Beneuentanus Archiepiſcopus Referendariuſq; Apoſtolicus, & Præneſtini Epiſcopatus Commendatarius.

RODERICI.

Hic iacet M. Ioannes Rodericus Portugal: artium & medic: D. filius Magni Roderici, maioris medici Regis Portugaliæ, qui obijt M. CD. LXXXVI. die XXII. Iunij.

PETRVS SCIARRA.

Flegellanus Phyſicus immature defunctus hoc clauditur tumulo.

HIERON: REGENTIS.

Hieronymus Regens quem grata Placentia fratrem
Iactat, in vmbroſo conditur hoc tumulo.

DEIN APPARENT:

Salmandræ familiæ Sepulcrum.
Bolgarinæ familiæ ſepulcrum.
De Cæſaris familiæ ſepulcrum.

NICOLAO SERGARDIO.

Achillis fil: Nicolai N. equitis clariſſimi, qui cum ſummis magiſtratibus inter ſuos ciues innocentiſs: functus eſſet, ac publicas apud varios principes legationes ſumma cum fide obijſſet, in humanis eſſe deſijt. Conſtantina Cuſtellea mater filio pientiſs: & filij patri indulgentiſs: P. C. Vixit an: LVIII. Menſ: VII, dies XXVI. Obijt M. D. LIIX.

LVCAE BRVNNER GERMANO.

Quod reſero pictis armis quoq; nomine fontem
Non ſine myſterijs lector id eſſe putes.
Fons animum notat huic propero dum iungere puras
Perpetuò Sophiæ ſcaturientis aquas.
Vitam intercepit duriſſima Parca ſororum,
Plangentis patriæ læta dolore meæ.

Egregius & doctus iuuenis Lucas Brunner Monacen: ex Bauaria obijt xxiv. ætatis ſuæ M. D. Li. Septemb. xx.

CHRISTOPHORI FRANCISCONI.

Non ita malum curandum eſt ijs, qui neceſſariò morituri ſunt, quid accidat ne moriantur, ſed moriendo quo ire cogantur. Chriſt: Franciſc: hoc ſibi & poſteris dicauit monument:

ANTONIO BISELLO.

IureConſulto Vltrajecteñ: qui poſtquam in celeberrimo LON: GEN: Iuri ciuili ELA, cum vtriuſq; LIG: antiquit: & hiſtor: coniunxiſſet Galliam adijt, indeq; tantam Iurium cognitionem reportauit, vt id adoleſcẽs more veterum interpretaretur. Rob: à Nodenhel Seuehingæ dñ: præceptori B. M. F. C. Vix: ann: xxvii. obijt M. D. Lxvi. v. Calend: Auguſti.

Βίστηρος νεμικῶν μεγὰ κῦδος εὖ φρονεόντων
ὁπλότερος ἤμέλω γηραλέος δὲ νοόν.
τῇδ' ἐπὶ τῶν σφαλερῶν συγγραφὰς βιβλίοιο μερίμνας
θῆκε δέμας, ψυχὴ ἀλλ' ἄγε μέχρι θεῶ.

Germ: Falckenburg poſ:

MATRONAR: ET VIRGIN:

MARGARET: GRIPHOLAE.

Incomparabilis Prudentiæ integritatiſq; matronæ coniugiq; cariſs: cum qua II. & L. annos coniunctiſſimè amantiſſimeq; vixerat, filioſq; viginti ex ea ſuſceperat Scipio. Verdellus non tàm ſenio quàm mœrore confectus P. C. Vixit annos Lxvi. Ob: Cal. Iulij M. D. Lxiii.

EVPRASIAE.

Illuſtri Illiciorum Comitum gente Claudio Sozimo iuueni nobiliſs: deſponſatæ, quæ egregiam in teneris annis corporis pulcritudinem ſenili prudentia ſuperabat, hanc, dum illi Hymenæus lectus frequenti pompa iam iam nuptiales tædas accenderet, inuida mors alias faces præferens in quarto decimo, heu neſas, ætatis ſuæ anno extinxit. Achilles Illicius comes & Catharina Burgeſia, parent: mœſtiſs: poſ: obijt iv. Non: Maij. Anno M. D. Liii.

PORTIAE SARACENAE.

Iulij fil: prole ac virtute fœcundæ VII. ſuperſtitibus liberis diem pudiciſs: functæ, Virginea mater domo eius penitus deſtituta, & Claud: Ptolæus coniux omnium mœſtiſs: piè p. p. Vix: ann: xxxv. M. iv. Obijt pridie Calend: Iulij M. D. Liii. Vixit tanquàm moritura, mortua eſt tanquam victura.

ANONYMI.

Hanc vbi ſublimes reuocant ad iuſta parentes
Otia, ne varijs exul eat laribus.
Eripuit Lacheſis: nihil hic quod credere tutum
Poſsis, in accinctu dum fuit interijt.

A L I V D.

Quid lacrymis opus eſt coniux, quid plangere prodeſt?
Sunt ſacrata Deo cantica grata magis.

Eſt

Eſt commune mori nulli vitabile, quiduis?
Hunc paſſum ſemper mors comitata fuit.
Pignus amoris habes noſtri pro morte relictum,
Cuius prima dies hæc mihi ſumma fuit.

AD AVEM.

Reſpice quò miſerum duxerunt fata volantem
Et quàm ſit miſeræ ſors inimica mihi.
Liber eram & felix totumq́ vagabar in orbem
Nuncq́ tua cogor ſub ditione miſer.
At poſtquàm mea colla tenes conuexa catenis
Ne tua ſit ſaltem dextera parca precor.

CANIS.

Dum volui domini iuſſu perquirere ſyluas,
Vt ſequerer timidas curſibus ipſe feras.
Fortia me miſerum lethali pectora ſaxo
Ruſtica percuſſit impia ſæua manus.
Me precor vt paruo referas Franciſce ſepulcro,
Ne mea ſint rapidis viſcera præda lupis.

POTATORIS.

Vina dabant vitam, mortem mihi vina dedere
Sobrius auroram cernere non potui.
Oſſa merum ſitiunt, vino conſperge ſepulcrum,
Et calice epoto care viator abi.
Valete potatores.

ANTONICVM CANZOLVM.

Siculum, Logicæ Phyſicæq; eruditiſs. hoc inferiori loco ſepultum eſſe, præſens D. Virginis cuius & ipſe deuotiſſimus erat, imago declarat, eius impenſa iuſſuque à Beneuenuto Ioannis Seneñ. pictore conſtructa Anno M. CCCC. LXIIII.

BERNARDI CRVNII.

Conditus hic iaceo Bernardus gente vetuſta
Crunius, Herculei quem genuere lares.
Me niſi crudelis laniaſſet dextera ſaltem,
Heu mihi clauſiſſet lumina vterq́ parens.
Heu miſeranda tuis inuidit pallida votis,
Theſiphone genitrix abſtulit ante diem.
Parcite nunc Lacrymis, triſtes gaudete parentes
Poſſidet Elyſias nobilis vmbra domos.

AVRELIAE PETRVCIAE.

Burgeſij filiæ, cui nihil defuit quod fas eſſet optare, poſt ann. alterum & XXX. quàm terris oſtenſa eſt, cœlo reddita. Camillus coniux lacrymans p. IV. Non. Nouemb. Anno M. D. XLII.

LVCRETIAE APPIANAE.

Claræ & nobili Piſanæ Marianus Veturius coniugi B. M. poſ. Vix. ann. XXXV. Obijt XV. Auguſti M. D. XIX.

AD PIVM SENENSEM.

Non lacrymæ non ſacta mouent te vota patronum
Ne deſeras Senæ dulcia tecta tuæ.
Ecce peroptatus demiſit vertice nimbos
Iuppiter, hoc lætum pectus amantis erat.

Grata feras igitur Diuorum munera templis
Nam tibi ſydereo eſt gratia facta polo.

ANONYMI.

Nec Vrſina proles magnis decorata triumphis
Extulit ad ſuperas pectora noſtra plagas.

Honorata Vrſina puellarum decus, matronarum ſplendor, coniugum honos, pudicitiæ iubar, ſanctimoniæ templum, Virtutum & formæ cumulus, hoc breui conditur ſarcophago.

IN AMBITV.

Hic lapis excultos cineres & membra coërcet
Baptiſtæ tumulo qui iacet exiguo.
Dum puer inſudat ſtudijs, iuuenilibus annis
Soluitur, ac votis fallitur ipſe ſuis.
Spargite humum iuuenes lacrymis rorate ſepulcrum
Vt cinis atq; vmbræ terra ſit ipſa leuis.

IN MONASTERIO SERVORVM MARIAE.

NICOLAVS DONATVS.

Laurentij fil: LXIII. ætatis Anno ſalutis M. CCCC. LXVIII. filiorum pietate hoc habet monument.

IN MONASTERIO Sti. SPIRITVS.

AMERICI.

Hic Americus humor, ſed quis ſim noſce viator,
Puluis, humus, tellus, putrida terra, cinis.
Expoſita ſemper fuerat mea vita labori
Dum vixi, placida eſt non mihi data quies.
Octuaginta fluens mundus mihi præſtitit annos,
In vita humanus, ſanctus in interitu.
Si quæris quis me hic intruſit, ſiſte, docetur,
Filius ornauit hæc monumenta meus.

IN MONASTERIO CARTHVSIANO.

AD MARIAM.

Noſq; in extremo mortales cardine vitæ
Fer tecum ad ſuperos Regia virgo polos.

AD S. BERNARDINVM EXTRA MVROS.

PAVLO VITELLIO.

A quibus non debuit iniuſtè confoſſo poſt condonatam, vt Chriſtianum decet, iniuriam religioſiſſimè mortuo, Anton: filius pijſs: patri benemerenti Vix: ann: LXII. Menſ: VIII.

IBIDEM in Cella.

Grata domus, genitor, frater, cariq; ſodales,
Et quondam precioſa mihi terrena valete.
Sat me lethifera mundus dulcedine luſit.
Sat tenuit me falſus amor, diſcedo ſolutus
His laqueis, ſecura iuuat iam clauſtra ſubire.

Nudus

Nudus ab hoc pelago veniens ad litus amœnum
Te bone Chriſte ſequor, ſolus mihi ſufficis vnus.

IBIDEM.

In mundo ſpes nulla boni, ſpes nulla ſalutis
Sola ſalus ſeruire Deo, ſunt cætera fraudes.

IN PRAETORIO SENEN:

AD IMAGINES IVLII CAES: ET CNEI Pompeij.

Hos pietate viros animis infigite ciues,
Publica concordi nam ſunt bona mente ſecuti:
Maieſtas Romana duces tremefecit & orbem,
Ambitio ſed cæca duos vbi traxit ad arma
Libertas Romana ruit, ſciſſoq; ſenatu
Heu licet & puero caput altæ aſcendere Romæ.

IN OPPOSITO: SVB IMAGINE ARISTOTELIS.

Ille ego qui rerum cauſſas ſcrutatus, & artes
Publica res docui ſurgat quibus omnis in aſtra.
Exemplum ciuile tuum præclara Senarum
Vrbs tibi monſtro viros, quorum veſtigia ſacra
Dum ſequeris foris atq; domi tua gloria creſcit
Libertasq; tuos ſemper ſeruabit honores.

Ad pedes eiuſdem.

Magnus Ariſtoteles ego ſum, qui carmina ſeno
Cunctorum modus eſt perfectus duxit ad actum,
Quos virtus tibi ſigno viros, quibus atq; ſupernè
Res creuit Romana potens cœloſq; ſubiuit.

AD PORTAM MONTIS OLIVETI.

Moribus antiquis iacet hoc Catharina ſepulcro
Quæ quondam fuerat Martino iuncta marito.

IN S. FRANCISCO.

ALEXANDRAE SARACENAE.

Cum forma & ætate floreret Alexandram Saracenam mors rapuit, coniugis Orlandi delicias, & caſtitatis exemplum maximum.

NICOLAI COMITIS ILCII.

Hic Comes inſigni iaceo Nicolaus in vrna
Ilcia quem genuit ſanguine clara domus.
Filius hic mecum Comes eſt Ludouicus, & ipſa
Gentilis caſtas inter habenda mirus.
Iacobus officium dedit hoc mihi natus, vt omnis
Munera venturis ſentiat iſta nepos.

NICOLAI EQVITIS.

Lar patrius cui Sena fuit, Porcaria proles,
Mars ſtudium, tegitur hac Nicolaus humo.
Armis carus erat patriæ, gratuſq; Latino
Eloquio mitis gratus & ingenio.

ALEXAN: ADREOCIO.

Adoleſcenti ſpectatiſſimo cuius ſedecim annos ingenium excedebat Paula mater mœſtiſs: & ſibi poſ:

COSMVS SVNIVS.

Nobiliſs: adoleſcens & genere & virtute Romanus egregiè pugnans proprio ſanguine libertatem ſuis, ſibi verò immortalitatem peperit, quem domus Ameriga hoc marmoreo monumento decorauit M. D. XLV. vi. Id: Febr:

SARAZENORVM

Quiſquis es, ſi pius es, pijs ne parcito lachrymis. Hieronymus Saracenus hoc paruo contegor tumulo, qui dum ab hoſtibus obſeſſam patriam liberarem, pectus clypeum pro ciuibus efferens, victoriam & immortalem mortem reportaui, quæ ſuperis, naturæ, patriæ, amicis, parentibus debui perſolui. Si piè patriam amas quæſo ne inuideas. In acerbiſs: pietatem mœſtiſs: parentes poſ: quarta Olympiade nondum peracta Anno M. D. xxvi. Iulij xxvii.

IOAN: ANTON: SARACENI EQVITIS.

Tuſcus eques fueram Saracena è ſtirpe Ioannis
Antonij nomen, Pieris ingenium.
Sena ſolum tribuit, viridem mihi Roma poëſin,
Sex habui natos coniuge Virginea.
Antra, nemus, fontes, Satyri, Pan, Cynthius atq;
Deliciæ, ſtudium, numina Chriſtus erat.

IVLIO SARACENO.

Camillus filius vnicus & Virginea coniux infeliciſs: perpetuis lacrymis poſ: Vix: ann: xxxiv. M. i. D. vii.

CAMILLO SARRACENO.

Indolis ingenijq; egregij puello vnico, amplarum fortunarum hæredi, ex ponticulo à parietum ſtructoribus male fulcito dilapſo & exanimato, virginea nunc vidua & infauſta fecit, cuius orbitate luctum nunquam finiendum, pueriq; caſum lecto condolens. Vix: ann: ix. Menſ: iii. dies xxviii.

ALEXANDRO SARACENO.

Ex ſtirpe genito ciui è nobilibus ſpectatiſſimo vxor & filia pietati poſ: decrepitatis annum attingenti, dein ipſe obijt anni in calce M. D. xxi

AENEAE VALENTI.

Vincent: fil: militi veterano, qui in obſidione patriæ præfect: i. cohort: pro victoria ferè ſolus emicuit: Tribun: poſt milit: factus fines & oras Senen: defend: hoſt: præda ſemper onuſt: quare ab viii. viris pacis in ordinem Senatorum adſcriptus, à x. viris receptus, omnibus rerum geſtar: gloria cariſſimus Franciſc: Ban: Picr: Archiep: Senen: ex eius vltima voluntate amico B. M. iuxta familiæ ſuæ ſepulcrum P. C. Vix: ann: XLvii. Obijt v. Calend: April: M. D. XLviii. S. H. N. S.

SALVSTIO BAN:

Qui dum fortiſſimis viris æmulari contendit, equi Machinæ caſu ad equeſtrem diſciplinam paratæ conteritur. Marius Auraſia parentes altam indolem acerbè lacrymantes poſ:

GABRIELI PICOLOMINAEO.

Antiſtiti Cluſino Hieron: Picolominæus Pientinus Antiſtes, gentili ſuo poſ:

FLORENANTI CLVSINO.

Senen: milit: primipilo frater fratri rariſſimo comparauit. Vixit ann: XLviii.

FABIO GARGLIO.

Agnationis ſuæ vltimo & Franciſco Equitibus Hieroſolymit: alijſq; ſuis filijs dulciſs:

ciſs: & Hieronymo coniugi, memoriæq; Gargliorum omnium ab hominibus exemptorum, ac ſibi Caliſta Petroccia eximiæ erga ſuos pietatis monumentum hoc quod vetuſtate perierat innouauit. An: Domini M. D. XLVI.

Hàc iter ad ſuperos benemerentibus.

PATRICIORVM.

Patricius Patricius Iacob: filius, hoc diui Antonij ſacellum inſtaurauit donauitq;, ac oſſa vtriuſque parentis patruiq; huc redigi curauit Anno M. D. LXVI.

MATRVMFAMILIAS QVARVNDAM.

Heu facimus! obijt Cynthia Vaia adhuc Olympiadis quintæ primum annum peragens, quæ cum vice ſecunda mater dulciſſima dici cuperet, Lucina ſibi faciles partus abnegauit, gloriam hæc pudicitiæ capit vrna, virtutum ſpecimen, dulces parentum delicias, & verò DEI, Phœbi mœſtiſſimi coniugis decus atque ſalutem. Vale tibi quiſq; ſupremum æternumque dicat, quæ fuiſti omnium viuens amor, omnium adempta dolor.

FRANCISCAE LANDIAE.

Incomparabili probitate fœminæ, quæ lethali morbo, cui magno animo multos annos reſtiterat, tandem victa naturæ conceſſit. Petrus Seccardus coniugi dulciſs: v. Maij An: M. D. XLV. poſ:

CYNTHIAE VENTVRIAE.

Corporis atq; animi virtutibus inſigni, florenti ætate ſubreptæ F. Gerardus inſolabiliter lacrymans P.

CAMILLAE MARSILIAE.

Præclara Camilla, illa, inquam, Marſilij coniux delicias ſuas hic poſuit, quæ generoſæ prolis ſtudioſa, dum immortales Nannum & Mutium filios faceret, quod Dijs proprium humano inuidens ingenio mors præripuit. Anno M.D. XXXII. XI. Nouemb.

CAMILLAE SANDIDONIAE.

Lectiſſimæ fœminæ honeſtatis & venuſtatis rariſſimo exemplo Alexander Palmerius mœſtiſs: coniugi. Vix: ann: XXVIIII. dies XXV. M. D. XLV.

AD CIRCVMFERENTIAM SEDILIVM CHORI.

Hic pius ætherio præconia fulgido Chriſto
Concinit, & laudes nocte dieq; chorus.
Diuus in his meruit cælum Franciſcus, & alta
Præmia teſtantur peſq; manuſq; latus.

PAVLO THVRE.

Iureconſulto Bartholus frater Phyſicus ſuiſq; dicauit.

SYLVII PII II. PONT: MAX: PATRIS.

Syluius hic iaceo, coniux Victoria mecum eſt
Filius hoc clauſit marmore Papa Pius.

AD PORTAM PISANAM.

Cæſarem Fridericum III. Imperatorem, & Leonoram Sponſam, Portugaliæ regis filiam, hoc ſe primùm ſalutaſſe loco, lætiſq; inter ſe conſultaſſe auſpicijs, marmoreum poſteris indicat monumentum Anno Domini M. CCCC. XLI. VII. Calend. Martij.

MONS

MONS ALCINOI.

VULGO MONT: ALCIN: CELEBRIS OB vina optima, quæ producit, eò noſtra ætate præcipuæ Senenſes familiæ, cum eorum ciuitas & domicilium à Cæſareanis & Florentinis obſideretur, commigrarunt, & monte vndiq; munito contra omnem principum Italiæ, ac ipſam Cæſaris potentiam, ſub Gallorum Regis patrocinio tamèn ſeſe tutati ſunt. Iam magno Duci Hetruriæ cum Senis paret.

S^tus QVIRICVS.

OPPIDUM CUM ARCE IUXTA OSENNAM montem. Hic memorandum eſt illud: Florentinam Remp: magno ſumptu alere plurimos leones, ex quibus ſi vnus centeſimum & vnum annum ſuperuixerit, ad eumq; montem & oppidum ſit perductus, tum Senenſes veteri quodam iure futuros in Florentinorum poteſtate.

AQVA PENDENS.

OLIM AQUULA OPPIDUM OBLONGUM, ET in monte poſitum inter lacum Vulſinenſium & amnem Pilam, qui lapideo ponte ſex fornicum tranſmittendus eſt, Inde alius pons quem nominant Cintinum, à quo proximæ vicus appellationes ſunt conſecutæ.

VVLSINIA.

VULGO BOLZENA, EX DUODECIM CApitibus Etruriæ vna, nunc deleta, & in villam propemodum conuerſa, ampliſſimo lacui Vulſinenſium adiacens, cuius ager olea eſt feraciſſ: & primo anno ſtatim fructum facit. In lacu Inſula à Monachis Diui Franciſci habitata, in qua Almaricus Oſtro Gothorum Rex Amaſiundam genitricem occidi paſſus eſt. De quo Procop: lib: 1. belli ciuilis, & Caſſiodorus, qui eam adeò eloquentem & edoctam ſcribit, vt extremo afficiendi ſupplicio, & Amalaſiuntam orantem audientes mortem planè contempſerint. Sunt hic Epigramata quædam vetuſta quæ ab aliis relata.

OROPYTVM.

VULGO ORVIETO ANTIQUUM OPPIDUM IN montis capite non longè à lacu Cymino in altiſſima rupe poſitum ac circum circa flumine & riuulis cinctum, atq; ita à Pelaſgis conditoribus & eiuſdem nominis vrbe in Achaia appellatum. Procopius tamen Vrbiuentum, alij Herbanum nominant. Templum primarium porphyretico marmore planè eſt incruſtatum, veſtibulum pario: In eo picturæ elegantes & ſtatua omnipotentis formantis ex coſta Adæ Euam, opus certè pulcerr: Feneſtræ alabaſtrinæ, ſacella expolita

polita valdè Palatium Vrbani V. Pontif: & fons profundiſſ: à Clement: VII. in rupe exciſus quo caſu ita ferente obſidionē aliquandiu poſſet ferre: Ad introitum cuius legitur: Quod natura munimēto inuiderat induſtria adiecit. Profunditas dicitur CCLII. Claffter/ *cubitorum. Extra oppidum Pelius mons, à Pelæo Æaci fil: qui ibi primùm conſedit, dictus, & fluuius eiuſdem nominis cum alio quem vulgò Chiana, Ptolomæus Clanium vocat.*

MONS FALISCORVM.

VVLGO MONT FIASCON, PTOLOMAEO Falernium, & quondam Faliſcorum caput, ſitum arduo loco, nobile vino Muſcatelli, lino & alijs fructibus quàm plurimis. Cato arcem Iti vocat, & ab Argis conditam refert: Plinius Faliſcum propè Lucus Hetruſcorum, quem nunc Il boſco d' mont Fiaſcon vulgò appellant, vbi hodie item Martiniano, Veiorum ciuitas fuit. De qua Beroſ: Liui: & Halicarn: Lacus Sabaticus vulgo Il Lago d' Anguillara. Venit hic notanda hiſtoria de quodam prælato, qui nimia vini ingurgitatione in monte Faliſcorum, mortuus eſt. Nam habebat pro more dum iter faceret, vt ſemper famulum præmitteret, qui de hoſpitijs quæreret, quæ melioribus vinis eſſent inſtructa, ne forſitan in illa re falleretur: Aduenens igitur ex famulo quæſiuit Epiſcopus, an eſſet bonum vinum. Famulus vt bonitatem vini eò magis exprimeret, reſpondit: Eſt Eſt, & vocem duplicauit. Mortuo itaq; Epiſcopo famulus tale poſuit Epitaphium.

Propter eſt eſt, Dominus meus mortuus eſt.
Roſulum Mont' Roſe.
Soractes il mont' di S. Syluestro.

VITERBIVM.

VRBS PHALISCORVM, OLIM LONGIDA dicta, vel vt alij Vetulonia, ſed veriſimilius eſt, in his locis eam fuiſſe, ſicut & Hetruria. Nam Viterbium ſi Rhenano credimus, quaſi Vuit Erbum Germanico nomine appellatur, & eſt recentior: Sita in radice montis Cymini longi & præcipitis, loco plano & irriguo, lapide quadrato ædificata, factionibus Columnenſiū & Vrſinorū valde agitata, turribus plena, fontes in publico duos habet, Vnus Germanico more factus wie ein Rohrkaſten *quaſi caſtellū aquæ per canales ductæ, abūdat vino, frugibus, & fluminibus, fontibus tàm medicatis quàm dulcibus, inter quos ſunt aquæ Caiæ ab antiquis ſcriptoribus laudatæ. In ea multa ſunt Epigrammata, inter cætera duo notabilia, vnum de Marco Tullio Cicerone Ca: Iul: Cæſar: decretum, alterum Deſiderij Longob: Regis edictum.*

I.

Marcum Tullium Ciceronem, ob egregias eius virtutes, ſingulareſq; animi dotes, per totum orbem noſtris armis virtuteque perdomitum, ſaluum & incolumem eſſe iubemus.

II.

Reuocamus ſtatuta regis Aſtulphi cōtra Vetulones edita, vt lacus nō Tyrēſium, ſed Vetulonū ſit, qui lacus magnus Italiæ dictus

eſt,

eſt, quia eorum ager prius eſt Italia dicta ab Ibi ſede Itali, & vt ſua Longoli non Lungobardolam, ſed cognomine ſui ampliatoris Tirrheni Terbum vocent, & ſub vno muro cingant tria oppida, Longolam, Vetuloniam & Tirrheniam, Vulturnam dictam Hetruriam totamq; vrbem noſtra adiectione Viterbum pronunciat, vt Rhoda & ciuitas Balneoregium dici iuſſimus. Permittimus pecunijs imprimi FAVL. ſed amoueri Herculem & poni S^tum^. Laurentium eorum patronum, ſicut Roma & Bononia. Iubemus quoq; reparari Cormentam, Dardanum, Aſſium, Faranium, Cormitum & Thuſcanellum. Nos enim non ſumus Thuſciæ deſtructores, vt nos apud Gallos accuſat Adrianus Papa. Nam ædificauimus à fundamentis vobis quidem Voltiſphrenis, Calnellum vicum Orchianum, Balnearia, Barbaranum & Gariophilum: Sentinatibus autem Auſdonias & Rodacoſanum: Volatenis Rodocomalum: Lunæ Sergianum & Petram ſanctam, olim fanum Feroniæ: Phocenſibus SS^tos^. Geminianum & Miniatem: Ieſulanis oppidum, in quo vagos ſparſos Arinianos & palantes fluenti nos collegimus rurſus, plures antiquas nobiles vrbes ampliauimus & muris cinximus, vt nunc agimus circa Lucam, Piſtorium, Aretium, Orobitum Hetruriam nunc Viterbum, cuius nomen aut à nobis conſtituta decreta, ſi quis violauerit, aut capite puniatur, aut laqueo ſtranguletur. Hoc itaq; non eſt Hetruriam deſtruere vt nos arguit Adrianus, qui pacem vltrò à nobis oblatam reſpuit. Quare tibi Grimoalde præfecte Viterbienſ. præcipimus, vt quam diu pax dubia perſeuerat, iubeat omnes Thuſciæ milites paratos eſſe in armis, & commeatus ac ſtipendia ſine auaritia in promptu fac habeas vt nō ſolum hoſtibus occurrere ſed illos inuadere poſſis, ciues non grauabis nouis exactionibus.

IBIDEM In quodam Conclaui.

Conſtantia ciuium arx munitiſſima.
Florente Repub: omnia bona ſuppetunt.
Benè geſtorum memoria non ſeneſcit.
Virtutes vrbi vera ſunt ornamenta.
Honeſtum & decorum expetendum.
Nefarium Rempubl: habere quæſtui.
Seniorum vitæ, iuniorum mores.
Publicum auget, Priuatum diſſipat.
Bonum conſilium conſultori optimum.
Felix Reſpub. quæ bonis ornata ciuibus.
Vir ſapiens eſt ciuitatis ſplendor.
Saluti publicæ ſemper conſulendum.
Præmia Magiſtratus honor & gloria.

Seruata

Seruata pace reſtituta felicitas.
Nil præclarius quàm de Repub: benè mereri.
Præferre patriam liberis Regentem decet.
Summum bonum ciuitati optimè gubernari.
Fortis & prudens.
Dux bonorum omnium Veritas.
Ab optimo longè ambitio relegata.
Frugalitas commune præſidium.
Fama virtutum tuba perennis.
Labor æterni ſator.

In alio Conclaui.

Suſtine & abſtine.
Indolens.
Temperantia vitæ cultus.
Virtus trahit ad verum decus.
Semper adeſſe Deum cogita.
Nulla palleſcere culpa.
Diuinum ſemper excipito.
Sperato Deum memorem.
Ciuibus inſpiret mentem paracletus ab alto.
Tranquillitati comes vnanimitas.
Fulgebunt iuſti.
Excelſi animi candor.

IN AEDE CATHEDRALI DIVI LAVRENTII.

Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri Epiſcopo & dilectis filijs Archipresbytero Caplo Viterbienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inter Martyrum veneranda certamina Beati Laurentij flammis exuſti martyrium recolentes in Eccleſijs in eiuſdem honorem fundatis, per exuberans ſpiritualis gratiæ impendium, eius memoriam haberi celebrem cupim⁹ in labijs populorum vt qui per manus pauperum theſauros Eccleſiæ tranſuexit, in cœlos renatos fonte ſacri baptiſmatis templum eius inſignitum vocabulo viſitantes muneribus remiſſionem allectos, ſuæ interceſſionis auxilio de igne Purgatorij ad refrigerij locum tranſuehat, & collegas conſtituit ſupernornm. Vt igitur Eccleſia veſtra, quæ in honorem eiuſdem Beati Laurentij glorioſi Martyris eſt conſtructa, & in qua, vt aſſeritis, Beatorum Protogenij & Tranquillini Martyrum corpora requieſcunt, cùm natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ & decollationis eiuſdem feſtiua ſolemnitas celebratur, tanto venerabilius & deuotius à plebe Dominica frequentetur, quanto in ea ſpiritualiora dona percipere ſe conſpexerit, ex hoc in conſpectu æterni numinis gratioſè omnib⁹ verè pœnitenti-

nitentibus & confeſſis, qui in ſingulis eorundem Sanctorum & dedicationis eiuſdem Eccleſiæ feſtiuitatibus, vſq; ad octauas earundem Sanctorum eandem Eccleſiam deuotè viſitauerint, annuatim de omnipotentis DEI, Mariæ & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi vnum annum & XL. dies de iniunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Datæ Romæ apud S. Marcum Maiorem. Idib. Ianuar: Pontificatus noſtri anno primo. Nicolaus PP. IIII. ded: Anno Domini M.CC.Lxxxix.

IBIDEM IN PORPHYRETICO MONVMENTO.

Ioan: Luſitan: xxi. Pont: Max: ſui Men: viii. moritur M. CC. Lxiiii.

ECCLESIA S. ANGELI.

GALIANAE FOEMINAE.

Flos & honor patriæ, ſpecies pulcerrima rerum
Clauditur hoc tumulo Galiana, decus mulierum.
Fœmina ſi qua polos conſcendere pulcra meretur,
Angelicis manibus diua hæc Galiana tenetur.
Si Veneri non poſſe mori natura dediſſet,
Nec fragili Galiana mori mundo potuiſſet,
Anno milleno centeno terq; deceno,
Biſq; quaterdeno cœlo reuocata ſereno,
Roma dolet nimium, triſtatur Thuſcia tota,
Gloria noſtra perit, ſunt gaudia cuncta remota
Miles & arma ſilent nimio percuſſa dolore.
Organa cum Cytharis pereunt caritura canore,
O ſi noſtra prius dira ſors morte periſſet,
Quàm non morte ſua patriæ iactura fuiſſet.

Franciſc: B. Piccol: Archiepiſc: Senen: patr: prou: gub: templum collapſum reſtituit.

ECCLESIA D. IOAN BAPTISTAE.

HIERONYMAE ALMADIANAE.

Grande pudicitiæ exemplum Hieronyma ſacræ
Hic Auguſtini conditur vxor amans.
Octo luſtra ſuo manſit cum coniuge viuens,
Athanatos moriens inter at aſtra ſedet.

Auguſtinus Almadianus Hieronymæ vxori benem: poſ: M. D. xxxi

IOANN. BAPTISTAE ALMADIANI.

Ioannes tegitur clarus Baptiſta ſepulcro
Almadianus in hoc ſcriptor Apoſtolicus.
Plumbo præfectus fuerat, quoq; præditus omni
Hic virtute, ſacræ religionis amans.
Hoc templum extruxit, viuens in morte quieſcit
Aſtriferi gaudens ſemper in arce poli.
Auguſtinus & hæc poſuit benè ſcripta merenti
Frater, ei dicas qui legis iſta, Vale. M. D. xxii.

ECCLE-

ECCLESIA S. MATTHAEI.

Ad dextram ingredientibus.

Nomine Sonſa vocor fulgentis porta Viterbi:
Eſt mihi grande decus, & fungor honore perenni,
Omnis enim qui ſeruili ſub lege grauatur,
Si ciuis meus extiterit liber reputatur:
Maximus Enricus Cæſar mihi contulit iſtud.

Anno ab incarnatione Domini M. Lxxxxv. hæc porta fundata eſt, præſidente Domino Paſcale PP. Imperante Enrico. Perfecta verò eſt tempore Domini Eugenij PP. AEdificatores fuerunt Raynerius Mincio, & Petrus Expleſto Conſulum & totius populi. Gothifridus dictauit: Rolandus ſculpſit.

DOMINICI PETRVCII.

Maximar: virtutum exemplari Dominico Petruccio Viterb: ſcriptori Pontificio primario, de patria ac de ſede Apoſtolica benè merito, frat: fideliſs: pietatis ergò pp. Obijt ann: ætat: ſuæ Lxix. VII. Id: Auguſti. M. D. XLV.

ECCLESIA S. STEPHANI.

IN ARA MAIORI.

Mille trecentenis Domini currentibus annis,
Viginti quinq; Papatu ſtante Ioannis,
Iſta capella fuit reparata bonis Odulinæ,
Ipſiusq; viri ſub honore piæ Catharinæ,
Quam dotauerunt vir & vxor denariorum
Quingentis prorſus libris animabus earum
Angelus Albani ſolitus vir nomine dici,
Eccleſiæ lector clarus fuit atq; pudicus.
Ergo rogare Deum non ceſſent ſcripta legentes
Pro ſupra dictis animabus carmina gentes.

SANCTA MARIA AD GRADVS.

Anno Domini M. CC. LVIII. conſecrata eſt Eccleſia in honorem S. Mariæ Virginis per Venerabilem PP. Alexand: IIII. quam fundauit D. Raynald: Cardinal: hanc feneſtram fecit mag. Bononſegna.

Anno Domini M. CCC. Lxxxxvii. in præſenti Eccleſia S. Mariæ ad gradus plenaria eſt abſolutionis indulgentia omnium peccatorum, eo modo qui eſt in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Angelis de Aſiſio, quæ quidem omni anno perpetuò habetur hic in feſto Annunciationis ipſius Virginis glorioſæ, quod de Menſe Martij aduenit, data & conceſſa per Dominum Papam Bonifacium IX. Procuratore Dn: Chriſtophoro de Gaietanis, tunc patrimonij Rectore tempore poteſtatis fratris Angeli Ioannis I. D. E. M. A. I.

IN COLVMNA AQVAE LVSTRALIS.

Alexander Epiſcopus Seruus ſeruorum DEI, dilectis filijs Priori & conuentu fratrum ordinis Prædicatorum Eccleſiæ S. Mariæ ad gradus Viterbienſ: ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Splendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementiſſima ipſius maieſtate ſperantium, tunc præcipuè benigno fauore proſequitur, cum deuota ipſorum humilitas ſanctorum precibus & meritis adiuuatur. Cum itaq; dignum ſit, quod veneranda veſtra Eccleſia, quæ per nos ad honorem DEI & Beatæ Mariæ Virginis proprijs fuit manibus dedicata, frequenter exemplo à fidelibus honoretur, & eis ibidem pro ipſorum deuotionis merito proueniat aſſecutio beneficij ſpecialis: Nos de Omnipotentis Dei, Mariæ, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus autoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis qui ad Eccleſiam ipſam in anniuerſario die dedicationis ejuſdem, & quindecim diebus immediatè ſequentibus cauſſa deuotionis acceſſerint annuatim, unum annum & tres quadragenas de injunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Datæ Viterbij XIIII. Calend. Iunij Pontif. noſtri anno quarto.

Anno Domini M.CC.LVIII. facta eſt conſecratio Eccleſiæ huius, vltima Dominica Aprilis, cuius fundator & patronus extitit Dom. Raynerius Cardinalis Viterbien:

CLEMENTIS IIII. PAPAE.

Lector ſige pedes, admirans quam breuis ædis
Pontificem quartum Clementem contegit arctum.
En datur in cineres Petri ſucceſſor & heres,
Cuius ſi memor es mundi non gaudia quæres.
Hic Iudex primùm quem ſic ſucceſſus opimum
Reddidit, vt fertur, miles probus efficeretur
Taleq; ſortitus nomen Iurisq; peritus,
Virginis vnius fuit vnicus ipſe maritus,
Qui viduatus ea mox Chriſti ſorte petitus.
Anitienſis ita dignus fuit Archileuita,
Præſul ibi factus, poſt Archiepiſcopus actus.
Paſtor vt egregius Narbonæ præfuit auctus.
Vtq; Deo gratus vir Cardinibus ſociatus,
Papatus nomen clarum ſuſcepit & omen.
Sic ſublimatus ſic deniq; clarificatus,
Perficiendo gradus cenſetur ad aſtra leuatus.
Annis ſex denis octo cum mille ducentis,
Trans actis Chriſti Clemens tumulo datur iſti
Vt finalis ei det gaudia ſumma diei. Amen.

ECCLESIA Stæ. TRINITATIS.

IN PORTA MAIORI.

In nomine Domini, Amen. Anno Domini à natiuitate M. cc. Lviii. Indict: IIII. Non: Ian: Dominic: diei eiuſdem menſis temporibus Domini Alexandri Papæ IIII. Eccleſia loci Viterbienſis fratrum Heremitarum ordinis S. Auguſtini, ab eodem ſummo Pontifice tunc Viterbij exiſtente cum ſuis Cardinalibus & quampluribus alijs Epiſcopis publicè ſolemniter & honorificè cum maiori ac conuentuali Altari ad honorem ſummi atq; ſanctæ ac indiuiduæ Trinitatis, nec non ad laudem glorioſæ Dei genitricis Mariæ virginis expreſſa fuit & liberaliter conſecrata, & in ſignum ac eminentiam ipſius Eccleſiæ ac altaris dedicationis reliquit vel dimiſit ipſe Papa, de omnipotentis Dei, Mariæ, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli autoritate, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad hoc feſtum annuatim acceſſerint deuote, vel Eleemoſynam & bona ſua ibidem largiti fuerint vel per aliquem miſerint, ab ipſo die feſti vſq; ad natiuitatem Beatæ Mariæ, ciuibus tres annos cum ter XL. diebus: & forenſibus quatuor annos cum XL. diebus, de iniuncta pœnitentia miſericorditer relaxauit.

CARDINALIS PERAVLDI.

Raymundus Perauldi patriæ ſuæ Santonen: Epiſcopus ac S. R. E. presbyter, Cardinal: Curgen: proq; ea Legatus, adeo opulentiæ contemptor, vt elargiendo nil ſibi relinqueret: ab Iulio tamen II. Pont: Max: ditatus, dum Patrimonij Legatione fungitur, Viterbij obijt Nonis Septemb: Anno ſalut: M. D. v. vtq; ab Iulio tradita ſolum retinere occuperat, ſic monumentum hoc haud quæſitum reuerentia eiuſdam approbare credendum eſt. Vixit ann: Lxx.

IN DOMO GALEOTTI GATTAE.

In porta maiore:

Pandulfus Comes Anguillariæ poteſtatis, & Rolandus Domini Alexandri Capit: ciuitatis Viterbij poſteritati ſalunt dicunt diſcordes in ciuitate Viterbij & diſtrictu mir. & ſolemni pace pacauit, cuius turbatorem ex non ſpoliatum bonis alienatione debit. l. dote obſtante puniendum capite Viterb. p. p. in conuentione, decreuit populo tempore veniam merituro, quod pro tali crimine fuerit exbannitus eiſdemque ſubdendo, pœniſque in alium quam nocentem manus vltionis extenderit Anno Domini M. CC. LXXV.

IN PALATIO EPISCOPI.

Raynerius Gattus iam ter Capitaneus actus
AEdem Papalem ſtruit iſtam Pontificalem,
Hoc habeas menti lector, quod mille ducenti,
Anni ſex deni currebant, deniq; ſeni
Gatti quos cerni, cui tendo ſolent dare ſumm:
Virtutes ſignant potius conſcendit in altum.

IBIDEM.

Cuntebat Andraeas Studioſum eonois à cuius
Beralli proles tene Capitaneus huius,
Cum ſexaginta ſeptem, cum mille ducenti
Currebant anni Domini, ſit nota legenti,
Clemens quartus erat Romanus Papa beatus,
Tertius ipſius fuit annus Pontificatus.
Nobile Viterbum Britonum generoſa propago
Quid tibi fert operis ſpecioſa figurat imago.

IN PORTA VALLIS.

Ex autoritate Alexandri Farneſij Card: Leg: perpet: populus Viterb: portam Farneſiam aperuit, Valliam minus commodo loco poſitam cluſit Anno M. D. LXVIIII.

IN PORTA SIXTI.

Alex: Farneſio Card: Ampliſs: leg: perpet: p.p. quod prouinciam ſumma in tranquillitate conſtituerit, & Viterb: quotidiè augeat atq; ornet. S. C.

RONCILLONVM.

OPPIDVLVM IN COLLE INTER SVTRIVM, cæde Hetruſcorum nobile, & Graphalicam, vini bonitate commendatum, ſitum. Non longè abeſt lacus Cyminus à Virgilio celebratus, & lacus Vadimonis hoc longè maior, De quo Liuius: inter vtrumq; calidarum aquarum copia maxima.

BACCANAE POST ARSIAE ſyluæ exitum.

Quo in loco nunc tabernæ cauponum & eiuſdem nominis lacus, ex quo Cremera exiguus ille, ſed magni nominis fluuius labitur. Hinc XII. mill: Ital: Vrbs Roma diſtat, cuius deſcriptionem antequam in ſecundo itinere & libro aggrediar, operæ precium fuerit, prius loca quæ circa vrbem ſunt, & in iter Neapolitanum cum deuia eſſent, commodè referri nequeunt, paucis attingere.

ITER

ITER CIRCA ROMAM.

NOMIN: ANTIQVA.	RECENT:	MILL:	REGIO ET DITIO.
Pons Ammæus.	Ponte Mammolo.	IIII.	Pontificis.
Anio fluui:	L' anien.		
	Prato longo.		
	Caſtel arſon.		
	Lago della.		
	Peſtina.	IIII.	
Pons Lucanus	Ponte Lucano.	II.	
Tybur	Tiuoli.	II.	
Riuus maior.	Riomaggior.	III.	Latium.
	Corcolla.	I.	
	Paſſarano.	I.	
Præneſte.	Peleſtin.	VII.	
	Sagarolo.	II.	
Tuſculum.	Fraſcada.	VIII.	
Tuſculanum Ciceronis.	Grotta.	I.	
	Ferrata.		
	Decimi.	X.	
	Porciliano.	II.	
Oſtia,	Oſtia.	V.	Pontificis.
Vna ex XII. Eccleſijs.	S· Paulo.	VIIII.	
ROMA.	ROMA.	II.	

TYBVR.

VLGO TIVOLI OPPIDVM LATII IN monte ſitum, à Tyburto Argiuo conditum, à Germanis primò euerſum, mox inſtauratum & auctum: Horatij Poëtæ ſeceſſu cantatum, loco ſalubri & in primis amœno propter cataractas Anienis, qui in montibus Trebanorum oritur, eo loco qui nunc vulgò del Gozzo dicitur, ex altiſsimo monte Tyburtino præceps in profundam vallem decidens, tanto impetu vt fumū agere vnda videatur. Iuxta Tybur incipit eſſe nauigabilis, & per viridē planiciem placidè labens, Romanos Sabinoſq; diſterminat, tertioq; ab vrbe milliario in Tyberim influit, aſpectu pulcer, potu dulcis, ingredientibus primo frigidus, mox caleſcens, dentes atq; ebur immiſſum candidius facit. Pontes quatuor habet, ſed inſigniores Mammæum, à Mammæa Alexandri Imp: matre dictum, fornice vno ingenti, & duobus paruis: & Lucanum à Plancio factum, quatuor fornicibus: Propè vtraq; inſcri-

inſcriptiones antiquæ leguntur, quæ ab alijs relatæ Ante ingreſſum Tyburis in quadratis baſibus erectæ imagines Leonis & equi, inter quos certatum fuiſſe ferunt de Tyburtinorum & Romanorum Imperio, ſed equus Victor exiſtens, Leone pluribus vulneribus ſauciato opes Tyburis ad rem Romanam traduxit. Eſt & tertia baſis in modum arcus facta, cui impoſita tabula marmorea, in qua vir vnus ſacrificans, & alter Cranium hominis tenens, in medio circulus, in quo auicula, & poſt vnum virum caniculus, ante alterum hircus, de qua nihil certi referentes incolæ, theſaurum ibi conditum ſomniant. In radice montis antequam in oppidum aſcendatur templum ingens rotundum & vetus, nunc Diuæ Virgini ſacrum, olim Herculis fuiſſe aſſerunt. In editiori oppidi loco aliud rotundum, ex cuius porticu XII. adhuc columnæ ſuperſunt. Sibyllæ vt aiunt Tyburtinæ olim dicatum, & medium inter duo præcipitia Anienis. Locus vbi maximum præcipitium eſt, propter altitudinem vulgò il Inferno dicitur. Caſtrum quod vrbem ſubter deſpicit à Pio II. Pont: incredibili celeritate à fundamentis deſtructum & extructum eſt pulchrum & munitum.

IN PORTA.

Grata bonis, inuiſa malis, inimica ſuperbis
Sum tibi Tybur enim ſic Pius inſtituit.

ALIBI.

Nunquam ſtygias fertur ad vndas, inclyta virtus
Iter ad ſuperos gloria pandit.

IBIDEM.

Si pietas ſi ſancta fides conſcendit Olympum
Nos legimus cineres, Spiritus aſtra colit.

IBIDEM.

Iuſtus, obit, nec obit, ſed abit ab hoſpite migrans
Carne, petit patriam, delitiasq; patris.
Spes igitur mea ſola Deus, quem credere vita eſt
Qui patriæ ciuem me dedit alterius.

IN PONTE FLVMINIS DE MARTELONA S. P. Q. TYBVRS.

Nomen ædilis abraſum non ſine cauſſa:

Ciuis militiæq; caput Tyburis ſuo ſtudio & ſociorum ære publico hac forma reſtituit Tybur ſuperbum: Vno à Tybure milliario lacus eſt, cuius aquæ Sulphureæ, in quo inſulæ natantes ſpectantur cum capris & vaccis ſeſe paſcentibus. Secundo milliario villa Adriani ſumptuoſiſſima & oppidi ambitum complexa, inter cuius ruinas ſunt fornices & loca concamerata, partim picturis, partim incruſtationib9 marmoreis adhuc ornata, in quorum vno alatæ victoriæ, fons ſcaturientibus aquis amœniſs: cuius aquam limpida per multas cameras, in quas deducta fuit etiam nunc fluit.

Sunt

Sunt alia loca quæ centum camerarum dicuntur, quorum triginta numerauimus binas portas habentia, alteram alteri impoſitam: duodecim tribus portis XIX quatuor, iuxta cliui ipſius rationem exædificata. Teſtatur Spartianus Adrianum in ea villa & prouinciarũ & locorũ celeberrima nomina inſcripſiſſe, velut Lycium, Academiam, Pritanium, Canopum, Pœcile, Tempe, & vt nihil præteriret, etiam inferos in ea finxiſſe. Nunc tota paſſim ſentibus partim etiam agris pratisq; occupata, præter exiguam inter ruinas ſemitam. Incolæ rerum ignari domum, ſacellum, fontem, campum Sibyllæ Tyburtinæ iſtic fuiſſe fingunt, & Tiuoli Vecchio appellant, ſed opinione falſa. In æde San: Archangeli SS. Sylueſtri & Vincentij multæ ſunt inſcriptiones antiquæ, quæ ab alijs poſitæ quemadmodum & illa quæ eſt in ſepulchro marmoreo Plautiorum.

FARFA.

MONASTERIVM EST SVMPTVOSVM AC diues Monachis habitatum Germanis, ad fluuium Farfarum & vallem Lucretilem ſitum, quibus adiacet mons cum ſylua eiusdem nominis, ac Blanduſiæ fons ab Horatio cantatis.

SVBLACO.

PLIN: SVBLAQVEVM APPELLAT A Lacu adiacente, celebre ob D. Benedicti Monaſterium, quod ibidem conditum eſt ſplendidum. Huc tempore æſtatis Farfenſes Monachi mutandi aëris gratia ſecedunt.

PRAENESTE.

VVLGO PELESTRINA, OPPIDVM SABInorum in decliui monte ſitum, vel à natura loci nomen habens quod præſtet montibus, vt Sex: Pompe: vel quod iliceta ibi fuerunt, vt vult Seruius, vel à Præneſte Vlyßis nepote, vt Solin: & Martianus, vel à Cæculo Vulcani filio, vt Virgil: Nobilitatum cæde Marij, ac templo Syllæ, quod in eo Fortunæ dicauit, cuius apud S. Agapetum hodie veſtigia extant, & eius etiam Lithoſtrati de quo Plinius meminit. Fuit autem tanto ſumptu artificioq; factũ, vt ſimile illi non viderim, & vt conijci poteſt, res à Sylla geſtæ in eo repreſentatæ fuerunt. In domo Epiſcopali multæ imagines antiquæ, & ſimulacrũ Fortunæ marmoreũ, cũ inſcriptionib. alibi annotatis. Alluitur à Veneſtri fluuio Mons in quo cõditũ eſt oppidũ olim Auetinus, vt Sequeſter ait, nũc vt Lexica habet, Aretinus dictus eſt. In radice mõtis, cui quaſi affixũ oppidũ eſt, caſtellũ fuit aquæ, cui fornices nouem alti & ampli, ſinguli quatuor habentes oſtia, cernuntur. Ante ingreſſum

Caſtelli

Caſtelli XXI. feneſtellæ ſunt, quibus ſtatuas imaginum ſuarum veteres impoſuerunt. Fuit in Præneſtinis montibus Horatij Poëtæ villa, vbi nunc Eccleſia S. Ioannis in campo Horatij, vel vt alij dicunt S. Mariæ in villa. Præneſtinæ etiam viæ in ſyluis proximis non obſcura apparent veſtigia. Arx ſummo monti impoſita eſt, cuius Dominus Steph: Columna.

TVSCVLVM.

VULGO FRASCADA OPPIDVM SABINOrum à Telemacho Vliſsis filio conditum, dictumq́ quaſi Diſcolon, quod aditum habuit difficilem: in dorſo enim Albani montis ſitum, Catonum natalibus, & villa Ciceronis celebre, & coniunctione cum Friderico Ænobarbo Imp: nunc deſertum, & in humiliorem montis partem translatum, loco amœniſsimo, ſalubri, & aquis abundante, verſus Orientem montibus circundatum, cæteris partibus planitie & ſylua. Nunc inſtaurata à Paulo III. Pontif: Vno inde milliario monaſterium S. Mariæ de cripta ferrata, quod inhabitant homines Calabri imitantes regulam D. Baſilij, & Græcorum ritu ſacra facientes. In horto tria ſepulcra antiqua, in quorum vno homines inſident Elephantis Camelis & Leonibus, & baſis cum virorum mulierumq́ imaginibus pulcerrima. Eo in loco M. Tullij Tuſculanum fuiſſe nonnulli autores ſunt. Strabo Tuſculi collem fœcundam aquis & regijs ædificijs abundaſſe refert, & continua eſſe loca, quæ ad Albanum vergunt montem, eandem tum virtutem, tum apparatum magnificum habentia. Aquam virginis, quæ hinc via Præneſtina ad VIII. milliare Romam perducitur, in villa Luculli hic inuentam Blondus aſſeuerat.

ALBA LONGA.

VETVSTISSIMA VRBS, CVIVS MAGNIFIcentiam extantia rudera & moles loquuntur, nomen habet ab alba ſue, quæ XXX. hic fœtus enixa: & Longæ cognomine dicta, quod in longitudinem ſit ædificata, ſeu ad differentiam eius, quæ eſt in Marſis, olim ita potens, quod XXX. deduxerit Colonias, inter quas & ipſa Roma. Condita annis CCC. ante vrbem, & XXX. poſt ædificationem Lauinij. In monte ei contiguo veſtigia cernuntur templi Iouis Latialis, in quo ex inſtitutione Tarquinij Priſci annuatim feriæ celebrabantur. De quibus & Carnium in illis viſceratione ac Albanorum imperio doctè & perdiligenter Dion: Halicarnaſſæus ſcribit. Lacus Albanus priſcum nomen retinet, ex quo autore Blondo amnis ille, qui apud locum cædis Pauli Apoſtoli labitur, paludem, ad aquas Saluias appellatam, efficit. Eſtq́; is lacus, de quo vates Hetruſcus prædixit, futurum, vt ſi emitterentur inde aquæ Romani Veijs potirentur.

OSTIA.

OSTIA.

OPPIDVM AB OSTIO TYBERINO APPELlatum, ab Anco Martio, eo loco, vbi Æneas primùm caſtra conſtituit, conditum, in ipſo maris Tyrrheni & Tybris fluuij confinio, vt totius mundi opes illo veluti maritimo vrbis hoſpitio reciperentur, aërem grauem habet & peſtilentem, olim maximis ædificijs ornatum, nunc in paucas & exiguas villas abijt. Turrim habet cum propugnaculo à Martino V. extructam, apud eam duobus oſtijs Tyberis in mare influit, ſed vno maximo & impetuoſiore. Ruinas & veſtigia portus celeberrimi vidimus, cuius fundamenta adhuc è mari ipſo eminent. Fuit vnum ex operibus admirandis quæ vnquam Romani extruxerunt. Eius forma habetur apud Tramezinum Pyrrho Ligorio inuentore. Lazarus Bonamicus dicere ſolebat: Omnes Chriſtianorum Principes non poſſe talem extruere. Fuit dirutus à Gregorio Pontif: propter metum Sarracenorum, ne eſſet ad illorum irruptiones receptaculum. Sunt propè ruinæ multorum ædificiorum, & maximè Camerarum quarundam, quæ quidem ſatis amplæ ſunt, ſed valdè humiles, quarum nec formam complecti, nec numerum inire potuimus in tanta vaſtitate. In ijs repoſita fuiſſe ea, quæ ex nauibus exportabantur, veriſimile eſt.

IN PONTE VIAE SALARIAE EXTRA VRBEM.

Imperante D. pijſſimo ac triumphali ſemper Iuſtiniano PP. Aug: Anno XXXIX. Narſes vir glorioſiſs: ex Præpoſito ſacri Palatij Excoſs: atq; patricius, poſt victoriam Gothicam ipſis eorum Regibus celeritate mirabili conflictu publico ſuperatis atq; proſtratis, libertate vrbis Romæ ac totius Italiæ reſtituta, pontem Viæ Salariæ vſq; ad aquam à nefandiſſimo Totyla tyranno deſtructum, purgato fluminis alueo, in meliorem ſtatum quàm quondam fuerat, renouauit.

FINIS.

PRIMI LIBRI ET ITINERIS.

MONVMENTORVM ITALIAE,

Quæ hoc noſtro ſæculo & à Chriſtianis poſita ſunt,

LIBER SECVNDVS.

Editus â
LAVRENTIO SCHRADERO
HALBERSTADIEN:
Saxone.



Cum Gratia & Priuilegio Cæſareo.

HELMAESTADII
Typis Iacobi Lucij Tranſyluani.
M. D. XCII.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO IN CHRISTO PRINCIPI AC DOMINO, Domino Henrico Iulio, poſtulato Epiſcopo Halberſtadenſi, Duci Brunſuicenſi & Lunæburgenſi, Domino ſuo gratioſiſſimo.

ADMONITIONES CREBRAE, ILLVſtriſſime ac Reuerendiſſime Princeps, Domine mi clementiſſime, non vnius ſed multorum, non plebeiorum, ſed ſummorum & clariſſimorum virorum, tandem effecerunt, vt monumenta Italiæ, inibi à me multis abhinc annis collecta, nec non ita pridem inſigniter aucta, in lucem conſpectumq́; doctorum proferre decreuerim. At verò cogitanti mihi de typis, qui illa partim abraſa, partim temporum iniuria malè habita, quod in ipſis eſſet, perpolire poſſent: occurrit tandem inclytæ & florentiſſimæ illius tuæ Iuliæ typographus Lucius: cui cùm illa, non tamen ſine tua, vt moris & ſtatuti eſt venia, conceſſerim imprimenda: intermittere non potui, imò nec debui quidem, quin ſecundum hunc librum tuæ Celſ. dedicem & conſecrem; vt ſic grati animi memoria poſteris, fidei verò & amoris exemplum ſubditis erga ſuum Dominum naturalem extaret.

Etſi verò in eo, ſicut in toto opere, ingenij aut parum, aut nihil ſit; induſtriæ tamen & laboris non modici fuit, ea vndiq; deſcribere: vt interim de ſumptu, quem crebrò ea de cauſſa feci, taceam. Continet autem inſcriptiones non antiquas, obſcuras; ſed Chriſtianorum & huius ſæculi tantùm, eaſq́; tam in palatijs publicis quàm priuatis, Eccleſijs & alijs Italiæ locis extantes: nec tamen communes aut vulgares, ſed præclariſſimorum virorum, qui vel magiſtratus & munia publica cum laude ſuſtinuerunt, vel re bellica & literaria præ cæteris claruerunt. Miſcentur interdum incompoſita & ridicula, vt lector videat, ingenia omnium ætatum non fuiſſe paria, nec omnes compoſitiones illorum æquales, æquè doctas, politas & limatas, eaſq́; cum noſtris conferenda eſſe, quæ nil niſi Requieſcat in pace reſonant.

 Plæraq;

Plæraq; verò ſunt excellentia, quæ ſi eo modo quo poſita viſuntur & leguntur, hoc eſt, ſi ſtatuæ artificioſiſſimæ, itemque & formæ quibus impreſſæ & inſertæ ſunt, adumbratæ & ad viuum depictæ, æriqúe inciſæ eſſent, videret profectò poſteritas opus admirandum. Vendius Sileſius eorum aliquot ante annos edidit aliorum ſumptu, qui liber, cum formæ extarent, Francofurti eſt recuſus, & Cæſari Maximiliano II. inſcriptus. Facultates meæ non ferrent id tentare, nedum perficere: itaque alijs relinquo.

Ego in hiſce excipiendis, cùm aliquæ attritæ, aliquæ ſitu & vetuſtate, aliauè incommoditate eraſæ erant, ſæpius vſus ſum penicillo, quò ſenſum ad minus elicerem & indagarem. Ideoque alijs prandentibus ſæpiuſculè Eccleſijs me incluſi, vt incœpta perficerem & abſoluerem, nihilque quod peregrinanti ſcitu dignum iucundumq; eſſet, relinquerem. Optarem alterum accedere, qui formas & imagines æri inciſas adderet, opus eſſet magis conſpicuum. Sed vereor ne quis facilè ſuſceperit. Exemplum ne deeſſet dare hiſce & proponere volui: quibus id potiſſimùm egi, vt Italiam accedentibus commodarem, quò breuiſſimo tempore omnia iſtius regionis præclara perluſtrare & intueri, redeuntes verò eadem ad animum reuocare, ijſq; ſe oblectare poſſent: quod & ij poterunt facilimè qui nunquam Italiam viderunt. Dein vt inſcriptiones haſce opponerem antiquitati. De ea enim vbiuis libri innumeri, codiceſque ingentes proſtant: ſed qui Chriſtianorum inſcriptiones eo ordine collegiſſet, & in lucem protuliſſet, non memini. Aliquarum tamen Italiæ ciuitatum vidi & reperi editas deſcriptiones, quibus inſcriptiones eiuſmodi intexuntur, Italico ſermone: ſed eum non omnes intelligunt & callent.

Leander exactè quidem, familias, originem vrbium, fluuiorum, fontium, & ſitum totius regionis, ad quem interdum etiam recurſum habui, deſcripſit: ſed inſcriptiones huiuſmodi nullas poſuit: quas ego vt omnibus proſtarent, colligere ac edere volui, vt poſteris vſui & emolumento eſſent: Italos enim in epitaphijs & inſcriptionibus conficiendis & ponendis, longè poſt ſe alios relinquere in confeſſo eſt: tum verò vt eorum memoria & conſeruatio non fluxa caducauè, ſed perpetua maneret. Videmus enim in motibus Belgicis, à quibus nullæ regiones, Deo ſic permittente, ſunt liberæ, eiuſmodi multa minutim particulatimque concidiſſe, ita vt ne veſtigia quidem exſtent.

Sereno

Sereno itaque & benigno animo, Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Princeps, hanc alteram partem ſuſcipito, tuoq́; fauore & patrocinio proſequere. Quod ſi mihi conceſſeris, perficiam, vt in omnibus ſtudium meum & obſeruantiam rectius intelligas. Deus opt. max. Celſ. tuam quàm diutiſsimè beatam ac florentem eſſe velit. Oſnabrugæ Calend. Septemb. Anno M. D. CXII.

Celſitud. tuæ

Deditiſs.

Laurentius Schradæus.

LIBER SECVNDVS,

CONTINENS ITER NEAPOLITANVM EX VRBE ROMA, ET ROMAM REDITVM.

NOM: ANTIQ:	RECENTIA	MILL:	REGIO.	DITIO.
Roma	Roma			
Lamum	Marino	XII.		Pontificis.
Velitræ	Velletri	VIII.	Latium	
	Alla Ciſterna	VI.	Campagna di	
Sermonetta	Sermonetta	VII.	Roma	
	Caſenoue	VIII.		
Forum Appij	La Badia	VIII.	Campania	
Anxur	Terracina	IIX.		Regis Hiſpaniæ.
Fundi	Fundi	IX.		
Formiæ	Mola	X.		
Minturnæ	Garigliano	IIX.		
	Rorca di mont: Dragon	X.	Regno di	
Linternum	Patria	XV.	Napoli.	
NEAPOLIS	NAPOLI	XV.		

REDITVS ROMAM PONITVR POST DESCRIPTIONEM VRBIS NEAPOLITANAE.

Iter hoc plerumq; conficitur equis conductitijs quinq; diebus. Duo ciues Romani ſunt (vulgò Proccacios vocant) quorum vnus ſtato tempore, videlicet ſingulis diebus dominicis Roma, alter Neapoli recedit. His omnia à mercatoribus & peregrinis committuntur; & multi vt ſecurius iter faciant, cum illis hinc inde peregrinantur. Pro equo, labore, & ſumptibus meo tempore non niſi 4 $\Delta^{ti.}$ cum dimidio numerabantur. Conſultius tamen eſt ſi quis equo Romæ in alio loco conducto ipſe ſumptus faciat, & nihilominus Procacium in comitatu ſequatur. Iſta enim ratione quiſq; in hoſpitium ſibi aptum diuertere poteſt: nam in Procacij diuerſorio propter numerum hoſpitum multa perferuntur incommoda; & eadem eſt ſumptuum ratio. Nam præſcriptum eſt hoſpitibns ne meridie pro prandio & ſumptu plus duobus Iulijs, & per noctem tres accipiant. Equus autem Romæ plus minus co-

nus coronato locatur. Obſeruandum quoq; eſt, quòd Neapolin euntibus liceat importare tantum argenti & aliarum rerum quantum quiſq; habet & volet: egredientibus verò non niſi XXV. $\Delta^{tos.}$ ſub confiſcationis pœna: ſi autem vectigal pro illis ſoluat tutò eos refert vel Procacio committit. Monticellæ verò in finibus regni viatores excutiuntur, & ſi quicquid prohibitarum rerum ſecum tulerint, ijs omnibus exuuntur, & præter ius faſq; homines exteri hîc à cuſtodibus paſſus, hominibus malitioſiſſimis, vti ferè per totam Italiam, in hiſce viarum anguſtijs, in quibus turris excitata eſt, ex qua ſtrictiſſimè tramites concluduntur, tractantur & vexantur.

ROMA

ROMA.

ROMA NON ITALIAE SOLVM, SED orbis terrarum caput, anno DCCL. ante Chriſtum, à paſtorum manu condita, Regum, Conſulum, Imperatorum dominatu vſa, à Gallis Senonibus incenſa, à barbaris ſæpè deleta, à Pontificibus multis antiquis ornamentis, ne eorum cauſa potius quàm deuotionis ergò populi accederent, ſpoliata, & Cæſ: Germanicorum contemptu quater capta: quam Reuſnerus arcem omnium gentium, domum virtutis, Imperij, dignitatis, fortunæ, patriam legum & fontem ſacerdotij appellat non immerito: Numine enim cœleſti electa, ſparſa congregauit Imperia, humanitatem dedit hominibus, & Regina & Domina facta eſt totius mundi, nec eius amplitudini & maieſtati vlla par poteſt eſſe oratio. Poſita tamen in loco ſterili, & obiecta Auſtro, cœliq; grauioris: cuius ambitus olim XIII. M. paſs: fuit, hodie vix M.CC. Vias complexa antiquitus XXIX. quarum reliquiæ multæ & non obſcuræ extant. Sunt autem;

Appia	Latina	Labicana	Campana
Præneſtina	Cimina	Valeria	Oſtienſis
Flamminia	Caſſia	Laurentina	Ardeatina
Tyburtina	Collatina	Gallicana	Tyberina
Nomentana	Salaria	Setina	Quinctia
AEmilia	Portuenſis	Prætoriana	Triumphalis
Cornelia	Claudia	Aurelia	Laticulenſis.

Erant & in Vrbe:

Alta ſemita in dorſo Quirinalis.
Via lata iuxta ſepta Campi Martij
Suburra iuxta radices Exquiliarum.
Via ſacra iuxta arcum Conſtantini.
Via noua ad thermas Antonianas.
Triumphalis propè portam Vaticanam.
Vitellia ad Ianiculum.
Recta in Campo Martio.
Fornicata iuxta Flaminiam.

Turres in murorum ambitu circiter CCCLX. olim D CCXL.
Portæ in vniuerſum XXI.

VRBANAE ET ANTIQVI NOMINIS.

Flaminia, hodie	Porta populi	Gabiuſa hodie	S. Methodij
Collatina	Pinciana	Ferentina	Latina
Quirinalis	Agonia.	Capena.	S. Sebaſtiani.
Viminalis	S·Agnetis vel pia	Oſtiẽſis vel trige-	S. Pauli.
Tyburtina	Nunc clauſa.	Portnenſis (mina.	Porta ripæ.
Exquilina	S. Laurentij.	Aurelia	S. Pancratij.
Næuia	Porta Magior	Fontinalis	Septimiana.
Cœli montana	S. Ioannis	Vaticana in ripa	Tiberis.

SVBVRBANAE ATQVE RECENTES SEX:

Turrionis	Porta Iulia.
Porta Subiecta	Porta Caſtelli.
S. Petri.	S. Spirit9, olim Triumphalis, quã nullus ruſtic9 intrare poterat.

COLLES HODIE MOENIBVS INCLVSI.

I. Capitolinus vel Tarpeius, qui tempore Regis Tarquinij vltra Lx. delubra, ædes ſacras, & ſacella, cum altiſſimis turribus habuit, & mura cinctus, domicilium Deorum dictus fuit.

II. Palatinus, ſubterraneis meatibus ferè totus penſilis, hortis occupatus, & ruinis deformis, in quo ſedes Regia fuit, & magnificæ ædes Auguſti Imp: Ciceronis, Hortenſij & Catilinæ.

III. Auentinus, hodie S. Sabinæ, prima Pontificum ſedes.

IIII. Cœli9 eo loco vbi hodie templũ Lateranẽſe & Crucis in Hieruſalẽ, habuit præclara tẽpla multa Ethnicorũ & aquæduct9 inſignes.

V. Exquilinus, vbi hodie S. Petrus ad vincula, clarus domibus Virgilij, & Propertij, Item hortis Mœcenatis.

VI. Viminalis, vbi hodie S. Prudentiana & Laurentius in palis perna In eo Craſſi domus fuit.

VII. Quirinalis, hodie Monte Caballo, clarus domibus Saluſtij Catuli, Aquilij, foro & hortis Saluſtij.

VIII. Hortulorum vel Pincius, hodie Diuæ Trinitatis, in quo templũ Solis eo loco fuit, vbi illa rotunda moles cũ puteo profundiſſimo.

IX. Vaticanus, vbi hodie S. Petri Baſilica & palatium Pontificis.

X. Ianiculum, vbi hodie templa S. Onufrij, & Petri montis aurei Teſtaceus ad portam Oſtienſem. (ab arenis.

Templa Diuorum ſupra CCC. quorum ſeptem religionis cauſſa maximè frequentantur.

S. Petrus in Vaticano.
Paulus in via Oſtienſi.
Maria maior in Eſquilino.

Seba-

Sebaſtianus extra Capenam.
Ioannes Lateranenſis in Cœlio.
Crux in Hieruſalem in Cœlio.
Laurentius extra Eſquilinam.

Sex templa portas habent æneas (quanquam & apud Sanctum Ioannem Lateranenſem etiam aliquot, ſed paruæ) ſunt autem:

S. Petrus in Vaticano.
Maria rotunda πάντων θεῶν.
Adrianus olim Saturni.
Coſmus & Damianus, olim Caſtoris & Pollucis.
S. Agnes, olim Bacchi, &
Paulus in via Oſtienſi.

Structuræ templorum non ſunt vniformes, ſed varijs ætatibus varia placuerunt: alia enim forma circulari ſine columnis, contignatione, feneſtris, in medio tecti amplo foramine lucem præbente, quorum primum & ſpectatiſſimum S. Mariæ rotundæ: alia circulari forma, & plurima columnarum ordine, vt Stephani in Cœlio, olim Fauni, Conſtantiæ extra Viminalem, olim Bacchi: alia quadrangula, & ordine columnarum recto, & plærumq; vno tantùm, interdum duplicato, vt in magnificentiſſimis Ioan: in Cœlio, Petri in Vaticano, Pauli in via Oſtienſi, Agnetis extra muros: Nonnulla pilas tantum habent, & columnas interiectas, & feneſtellas ſub ipſo tecto, aliàs plures, aliàs pauciores, pro reliqui ædificij aut amplitudine aut magnitudine. Fornicata rariſſima repePARTriuntur. In ipſis templis plurimæ columnæ precioſæ, ex varijs & diuerſis marmorum generibus, pauimenta teſſellata & marmorea ſunt non pauca. Et in Eccleſia D. Petri tholus inſignis, quem Sixtus V. miro artificio & ingenti ſumptu abſoluit. Sed per totam vrbem nulla templa incultiora ſunt, & ruinam magis minitantia, quàm Cardinalium, à quibus titulos habent, idq; contingere exiſtimo, quod ij multoties varientur, à tempore Pij V. tamen aliqua reparari cœpta & magnificè extructa. Criptæ ſubterraneæ, quæ latebræ & ſepulcra Chriſtianorum fuerunt plenæ venerationis & viſu admirabiles, quorum etiam D. Hieronymus meminit, ſunt quatuor, apud:

S. Agnetem extra Viminalem.
Pancratium extra Aureliam.
Sebaſtianum extra Capenam.
Priſcillam extra Flaminiam.

Hoſpitalia in quæ infirmi recipiuntur, & magna diligentia curantur, tanta magnificentia, vt inter recentia vrbis monumenta nihil prædicatione dignius. Sunt autem multa, primùm publica omnium nationum & mortalium:

S. Spiritus in Vaticano.
Saluatoris in Cœlio.
Iacobi de Auguſta in valle Martia.
Mariæ de Conſolatione in Velabro, &
Antonij in Eſquilino.

Deinde propria ſingulorum populorum, vt:

S. Mariæ de anima	Germanorum.
Ludouici	Gallorum.
Iacobi	Hiſpanorum.
Thomæ	Anglorum.
Petri	Vngarorum.
Brigidæ	Suecorum.
Ioannis in Cœlio	
Andreæ prope Argentinam	Flandrorum.
Ioannis Baptiſtæ	Florentinorũ.
Ioannis Baptiſtæ prope ripã Tyberis à Mediaduſto Cicada conditum & dotatum.	Genuenſium

Sunt & aliæ ædes pupillorũ multæ, quæ receſere neceſſum nõ eſt.
Cœmiteria ſacra quæ partim olim fuere, partim nunc ſunt 27.

Agnetis.	Amproniani.
Balbinæ via Ardeatina.	Baſillæ.
Calixti ad S. Sebaſtian:	Calopodij via Aurelia.
Cathecumbæ.	Ad cliuum cucumeris.
Commodillæ via Oſtienſi.	Ciriaci via Tyburtina.
Damaſi.	Domicilli via Ardeatina.
Felicis.	Ad duos Lauros.
Felicitatis.	Hermetis.
Iordanorum.	Inſalatarum via Portnenſi.
Nicomedis.	Nerei & Achillei.
Peregrinorum.	Pancratij.
Pontiani.	Prætextati via Appia.
Priſcillæ via Salaria.	Thraſonis.
Vrſi Pileati ad S. Balbinam.	

Bibliothecæ Pontificis tres, vna clauſa, quæ eſt ſelectorum librorum, cui adiuncta etiã alia; tertia, quæ vulgò omnibꝰ diebus nõ

feſtiuis

feſtiuis per duas horas patet, Græcis Latiniſq; libris inſtructiſſima, beneficio Nicolai V. Pont: Max: Item, noua Xyſti V. PPæ. quarum inſcriptiones inferius relatæ.

S. Mariæ in area cœli.
Mariæ de populo.
Mariæ ſupra Mineruam.
Auguſtini.

Fuerunt & aliæ apud S. Petrum in vinculis, & apud SS. Apoſtolos ac Sabinam, quæ in direptione vrbis partim incendio abſumptæ ſunt, partim etiam prædæ fuerunt. Antiquitatis ſtudioſi habent hortos amœniſſimos ſummi Pontificis, quibus ſeſe oblectare, & animum ac oculos paſcere poſſunt, nulli enim negatur aditus: & aliorum multorum ædes ac vineas, ſed horum maximè inſignium:

Illmorum Carlium:	Bellai.	Ferrarienſis.
	Carpenſis.	Cæſij.
	Farneſij.	Viſei trans Tybrim.
	Soderinorum.	Achillis Bocchij.
	Boccatij.	Monachorum S. Petri ad vincula.

Palatiũ	Conſeruatorũ in Capitolio.	Colotij in campo Martio.
	Portiorũ in regione Pineæ.	Vrſinorum infra Capitolium.
	DDorum: de Valle.	DDorum de Maximis.
	DDorum: Cæſarinorum.	Farneſianum in campo Floræ.
	Saluiati trans Tyberim.	Carlis: de capite ferreo propè campum Floræ.
	Lateranēſe à Syxto v. ex fundamentis magnificentiſſimè exſtructum.	Bufalorum in regione campi Martij.
	S. Georgij in Damaſo.	Vrſinorum in campo Floræ & circo Flaminio.
	Cardinalis Carpenſis.	S. Marci in capite viæ latæ.
	D. de Ruſtici.	
	Columnenſium in regione Triuij.	

Regionum in vrbe nomina hodie ſunt XIV. olim XIX.

Regio	Montium.	Triuij.
	Columnæ.	Campi Martij
	Pontis.	Parionis.
	Harenulæ:	Euſtachij.
	Pineæ.	S. Angeli.
	Campitelli.	Ripæ.
	Tranſtyberis.	Burgi.

Pontes lapidei ſupra Tybrim vi:

Miluius vulgò Ponte mol extra vrbem & portam Flaminiam ad duo milliaria.

AElius S. Angeli vel Caſtelli.

Fabritius quatuor Capitum.

Ianiculenſis Xyſti.

Ceſtius S. Bartholomæi.

Senatorius vel Palatinus S. Mariæ AEgyptiacæ.

Sublicius & Triumphalis hodie non extant, vtriusq; pilæ aqua tenui apparent, huius ad S. Spiritum, illius ad radices Auentini.

Aquæ in urbe Tyberis & Almo fluvij, dein reliquiæ fontium ex veteribus ductibus, quarum licet plurimæ fuerint, paucæ tamen ſolùm urbem nunc ingrediuntur. Aqua virgo per campum Martium deducta à Nicolao V. Pont: Max: & Alſietina per Vaticanum reſtituta ab Innocentio VIII. & nuper Salonia à Pio IV. Gregorium XIII. etiam alias reduxiſſe inſcriptiones teſtantur, quæ ad me miſſæ ſunt, dum urbe abfui, & cæteris inſeruntur.

Campi in vrbe multi, ſed nominatiſsimi hodie ſunt:

Vaticanus	Agonius	
Figulenſis	Iudæorum &	Floræ.

Porticus nouæ præcipuæ tres:

I. Benedictionis.

II. In Vaticani Palatio triplicis obambulationis aperta.

III. Verſus hortos Bel videre, vulgò il curri dorio, nunc Gregoriana.

Fora itidem varia, quorum Piſcarium & olitorium dicuntur ijs adhuc eſſe locis, vbi fuère antiquitùs: Suarium & boarium, vbi olim Romanum. Piſtorum vnum prope Sanctam Mariam rotundam, Alterũ in Vico Iudeorũ, Tertium propè S. Laurentium in damaſo, Quartum ad pontem AEliũ, coniuncta ferè Laniena & macella piſtoribus. Commune omnium mercium & rerum venaliũ forum in Campo Agonio. Montes rariſsimi habitantur, nam aut hortis aut vinetis occupati ſunt, aut antiquorum ædificiorum immenſis ruinis. Viæ multiplices quas Sixtus V. recto tramite per vrbes ſtrauit ſumptuoſæ.

Sedes Pontificia nunc eſt contigua Baſilicæ S. Petri, in qua multa præclara præſertim ſacella, propter picturas Michaëlis Angeli

geli Bonaroti Florentini & aliorum, vnde etiam artifices exempla ſumunt. Aſcenſus ſunt facillimi & ædibus Palatinis accommodati ex omni parte, adeo vt etiā equo ad tectū vſq; eas. Sunt & aliæ habitationes æſtiuæ apud D. Marcum, S. Mariam maiorem, S. Ioannem Lateranum, & SS. Apoſtolos in regione Triuij.

Palatia Cardinalium per totam vrbem diſperſa, & præcipua, quæ ſupra commemorata, & ſingula turres ſingulas adiunctas habent. AEdes ciuium ſatis bellæ, & partim vetuſtatis monumentis, marmoribus, picturis, partim hortis, fontibus, nymphæis exornatæ. Arx Pontificis, quam molem Adriani ſiue Caſtellum S. Angeli appellant, triplici ratione munita, & omni apparatu bellico inſtructa. In ea tres dies feſti quotannis magna celebritate peraguntur, funalibus paſsim accenſis, iaciendis ignibus arte factis, & emittendis tormentis bellicis. Vnus eſt SSorum: Petri & Pauli, Reliqui duo, quibus illius temporis Pontifex ſuffragijs declaratus, & corona poſtea ornatus eſt. Arcis cuſtodia viro ſpectato commēdatur, qui poſt exactam ſeptem annorum præfecturam, aut Cardinalis titulo decoratur, aut aliquot millibus aureorum donatur.

Summa autem quæ nunc in vrbe habetur dignitas eſt Cardinalium. Romani in ciuilibus cauſsis ſeu controuerſijs habent Senatorem, qui externus eſſe cogitur, ad quam dignitatem olim Regibus & principibus ſolùm acceſſus patebat, nunc quiuis admittitur, modo Romæ natus non ſit. Ex ſua quoq; nobilitate III. viros creant, quos conſeruatores ipſi nominant, qui ius dicunt, ac priuatas lites dirimunt hominum plebeiorum. Senator purpuratus Pontificem per vrbem euntem vbiq; fere Eques ſequitur. Sic maiorum laude & nominibus nitentes, antiquæ libertatis parum habent.

Mulieres nobiles elegantem præ ſe ferunt grauitatem, rerum honeſtarum ſtudioſæ.

Officiales & miniſtri Pontificis innumeri & multi ſunt, & ſuperat illius aula Magnificentia omnes Chriſtianorum Principum, & tanta eius eſt obſeruantia, vt ne Cardinalis quidem, qui dignitate Regibus comparantur, vrbe exeat, niſi petita & habita licentia. Horum in vrbe ſemper ad minus XL. ſi non L. ſunt. Omnes verò meo tempore LXXII. interdū plus minuſuè iuxta Pontificis Max: arbitrium & creationem. Archiepiſcopi dein plurimi, & Epiſcoporum magnus numerus. In familia Pontificis:

Auditores Rotæ	XII.
Clerici Cameræ	VII.
Theſaurarius	I.
Auditor Cameræ	I.
Regens Cancellariæ	I.
Protonotarij Apoſtolici	VII.
Subdiaconi	VI.
Acolyti	VIII.
Secretarij Apoſtolici	VIII.
Corrector Cancellariæ	I.
Summiſta	I.
De conſuetis	I.
Abbreuiatores maiores	XII.
Abbreuiatores minores	VI.
Cuſtos Cancellariæ	I.
Secretarius Scedularum	I.
Hoſtiarius Cancellariæ	I.
Scriptores Apoſtolici	CI.
Cubicularij Apoſtolici	LX.
Scutiferi vel dapiferi Apoſtolici	CXL.
Milites S. Petri	cccc.
Milites S. Pauli	cc.
Scriptores Breuium	Lxxxi.
Procuratores pœnitentiariæ	XXIV.
Scriptores pœnitentiariæ	xxviii.
Collectores plumbi	CIV.
Correctores pœnitentiariæ	II.
Sollicitatores de Ianizeris	C.
Correctores Archiuij	X.
Scriptores Archiuij	X.
Magiſtri plumbi	III.
Secretarij bullarum ſalariatarum	VIII.
Regiſtratores bullarum earundem	IIII.
Magiſtri regiſtratarum bullarum	IIII.
Auditores Contradictarum	XIIII.
Magiſtri Supplicationum	IIII.
Clerici regiſtri Supplicationum	VI.
Notarij Cameræ Apoſtolicæ	IX.
Scriptores regiſtri Supplicationum	XX.

Notarij

Notarij Auditoris Cameræ	X.
Notarij Rotæ	xLviii
Notarij Vicarij Papæ	IIII.
Notarij gubernatoris ciuilis	II.
Notarius maleficiorum	I.
Notarius Cancellariæ	I.
Præſidentes Ripæ	CXLI.
Portionarij	Dcxii.
Curſores	XIX.
Seruitores armorum	XXIV
Virgæ rubeæ.	XVI.
Catenæ ſacri Palatij	LXII.
Portæ ferreæ	XXvi.

Equites leuis armaturæ communiter C. vel CC.

Bombardarij milites vel Sclopetarij CCC.

Heluetij cuſtodientes portas palatij Pontificij & quotidianas excubias agentes CC. interdum etiam CCC.

Hi cum Romanis & tota curia vina bibunt optima & non contemnenda. Quæ enim Romæ veneunt talia & varia ſunt, quod mihi tanquam Germano præcipuè notandum venit, cum eius bonitate, atq; Itali Veneris cupiditate Germani conterranei mei plurimùm delectentur. Sunt autem:

Vin Græco di ſomma opt: albi coloris in Veſuuio Campaniæ oppido naſcens.

Chirello album Neapolitanum acre.

Latino della torre album Neapolitanum mediocre.

Aſparino Neapolitanum album ſtipticum.

Mazzacan album Neapolitanum tenue.

Græco de Iſchia Campan: ex Inarinæ Inſula optimum.

Salerno nigrum, bonum.

Sanſeuerino album & nigrum bona vtraq;.

Corſo de elba album
Corſo de Branda album } grauia.
Corſo de Loda album

Da Riuiera ex Liguria album & nigrum.

Gileſi album & nigrum
Ponte Reoli album ex agro Genuenſi
Muſcatello di Sarnia coloris medij } tenuia ſalubria.
Vindellia Taia album Genuenſe

Lacryma

Lacryma nigrum optimum.
Romaneſco album tenue varij ſaporis.
Albanum album & nigrum.
De S. Paulo album
De Franza nigrum
Salinum album & nigrum — mediocria.
Tyburtinum & Veliternum cocta
Signium de Segno
Mania guerra nigrum optimum.
Caſtel S. Gangolpho album optimum.
Della Ricia album optimum tenue.
Raſpada eſt ſecunda expreſſio ex vuis.
Maluaſia ex Creta.
Muſcatellum & vinum de Taglia optima & præcellentia.

Hæc de vrbe & hominum moribus qui nunc ſunt. Inter antiqua autem monumenta, quorum loca ſitum & deſcriptiones, apud eos qui de Roma ſcripſerunt, inquirere & videre licet, conſpicua ſunt: AQVAE DVCTVS VETERVM, cum receptaculis & caſtellis aquarum. Vt pote primùm, Aquæ Claudiæ tanti ſumpt9 & operis, quod in illius inſtauratione quingenta & ſexaginta talenta fuerint erogata.

Aq. Martiæ.
Aq. Marianæ.
Aq. Alexandrinæ.
Aq. Iuliæ.
Aq. Auguſtæ.
Aq. Sabbatinæ.
Anienis veteris.
Aq. Vinturnæ.
Aq. Appiæ.
Aq. Trajanæ.
Aq. Tepulæ.
Aq. Alſietinæ.
Aq. Mercurij.
Aq. Virginis.
Anienis novi.
Aq. Sabinæ in Aventino.

THERMAE:
Diocletianæ.
Varianæ.
Titianæ.
Gordianæ.
Nouatianæ.
Agrippinæ.
Alexandrinæ.
Aurelianæ.
Commodi.
Antonianæ.
Decianæ.
Traiani.
Philippi Imp:
Olympiadis.
Hadrianæ.
Neronici.
Seueri Imp:
Conſtantini
Domitiani.

FON-

FONTES: Fauni. Iuturnæ.
PVTEI: Probus. Aquæ ſalientis.
INSVLAE: Tyberina Licaonia.
LACVS: Iuturnæ. Curtij.

FORA: Romanum.
Traiani.
Cæſaris.
Latium.
Holitorium.
Boarium.
Archimonij.
Esquilinum.
AEnobarbi.
Ruſticorum.
Piſtorium.
Neruæ.
Auguſti.
Tranſitorium.
Piſcarium.
Suarium.
Saluſtij.
Diocletiani.
Gallorum.
Cupidinis.

ARCVS TRIVMPHALES:
Conſtantini.
Lucij Septimij Severi.
Traiani.
Cœlitis.
Galieni.
Theodoſij.
Romuli.
Titi Veſpaſiani.
Domitiani.
Fabiani.
Gordiani.
Tiberij.
Camilli.

AMPHITHEATRA:
Titi Veſpaſiani CL. mill. hominum capax.
Statilij Tauri
Claudij.

THEATRA:
Pompei.
Balbi.
Scauri.
Marcelli.
Calliculæ.

CIRCI: Maximus.
Agonius.
Floralium.
Flaminius.
Neronis.
Alexandri.

PORTICVS:
Palatina.
Concordiæ.
Libertatis.
Auguſti.
Antonini Pij.
Fauſtinæ.
Claudiæ.
Amphitheatri.
Octauiæ ſororis Auguſti.
Cliui Capitolini
Metelli.
Conſtantini.
Q. Catuli.
Fori Auguſti.
Traiani.
Liviæ.
Circi maximi.
Neptuni.
Quirini.

Corin-

Corinthia.
Seueri.
Panthei.
Cn: Octauij. Iuliæ.
COLVMNAE:
Traiani.
Cæſaris.
Lactaria. Mœnia.
OBELISCI:
Campi Martij.
Mauſolei Auguſti.
Extra portam Laurentij.
Solis. Areæ cœli.
COLOSSI:
Martis.
PYRAMIDES: Caij Ceſtij.
NAVMACHIæ: Circi maximi.
Neronis.
SEPTIZONIA: Seueri.
EQVI Sciphius.
Arion.
Antonini Pij.
Domitiani. L. Veri.

Mercurij.
Pompeia.
Veneris Ericinæ.
& Tribunal Aurelium.
Roſtrata.
Antonini Pij.
Bellica.
Porticus Concordiæ.
Circi Maximi.
Lunæ in colle hortulorum.
Vaticani ad S. Petrum.
Ad caput Bouis.
Mahuti in platea.
Neronis.
Apollinis.
Scipionis ad molē Adriani.
Domitiani.
Cæſaris.
Titij.
Traiani.
Cæſaris.
Conſtantini.
Phidiæ & Praxitelis.

STATVAE: Iouis variæ, vt pote:

Optimi maximi.
Piſtoris.
Nemeſis.
Fidei.
Numeriani Imp.
Fortunæ.
Proſerpinæ.
Apollinis.
Veneris.
Nili.
Tygris.
Pollucis.
Latonæ.
AEſculapij.

Tonantis.
Imperatoris.
Victoris.
Herculis.
Boni euentus.
Bonæ fortunæ.
Muſarum.
Iani.
Cupidinis.
Satyri.
Caſtoris.
Iunonis.
Dianæ.
Higiæ.

Miner-

Mineruæ.	Cereris.
Martis.	Mercurij.
Vertumni.	Bacchi.
Statæ matris.	Pudicitiæ.
Rheni.	Sybillæ.
Sybillæ Tyburtinæ.	Veneris.
Cupidinis.	Caſſandræ.
Romuli.	Remi.
Scipionis.	Coruini.
M. Actij.	Tremellij.
Alex. Magni.	Cæſaris.
Q. Martij.	Auguſti.
Agrippæ.	Q. Ciceronis.
Alcibiadis.	Tullij.
Sp. Matici.	L. Roſij.
Cælij.	Coclitis.
Ganimedis.	Syllæ.
AEmylij.	Metelli.
Corneliæ.	Trebij.
Tyberis.	Fab: Maximi.
Bruti.	Cleliæ.
Muti.	Sex: Tullij.
Tiberij.	Varronis.
Britanici.	Laochoontis.
Cleopatræ.	Socratis.
Ludienis.	Cn. Octauij.
M. Scauri.	P. Scipionis.
L. Scipionis.	Ennij.
Pacuuij	Sumurani.

De his libri peculiares extant ære inciſi: & repertæ in rude-ribus, atq; erutæ in Palatijs Pontif: Cardinalium, Nobilium Rom: atq; ipſorum vineis ſunt repoſitæ.

PALATIA.

Pincij.	Traiani.
Romuli.	Neruæ.
Seſoriani.	Conſtantini.
Licinianum.	Caracallæ.
Antonini Pij.	Decij.
	Auguſti.

T Nero-

Neronis.		Claudij.
Titi.	Sfortianum.	Maius.
DOMVS:		Romuli.
Tatij.	Numæ.	T. Hoſtilij.
Tarquinij.	S. Tullij.	Anci Martij.
Manlij.	Milonis.	Ouidij.
Valer: Maximi.	Catilinæ.	Scauri.
Ciceronis.	M. Flacci.	Craſſi.
Viturbij.	Vani.	Auguſtana.
Tiberiana.	L. Amerini.	Calui oratoris.
Hortenſij.	Publicolæ.	Cæſaris.
M. Antonij.	Cornelij.	Pompei.
Lateranorum.	Mamunæ.	Cl. Centimali.
Tetricorum.	Iunij Senatoris.	Tit. Cl. Clypti.
Phylidis.	Balbini.	Neronis aurea.
Tranſitoria.	Virgilij.	Horatij.
P. Africani.	AEliorum.	Gordiani.
Læliæ.	M. Craſſi.	Q. Catuli.
C. Aquilij.	Pomp: Attici.	Fl. Sabini.
Mœcenatis.	Martialis.	Pincij Senatoris
Propertij.	Coruinia	Balbini.
Saluſtij.	Catuli.	Terentij.
HORTI	Mœcenatis.	Martialis.
Saluſtij.	Neronis.	Ouidij.
Terentij.	Galbæ.	Cæſaris.
Prædiolum Iulij Pauli poëtæ.		
ATRIA.	Capitolinum.	
Palatij.	Veſtæ.	Pompei.
Veneris.	Libertatis.	Mineruæ.
Augurariorum.	Montis Auentini.	
BASILICAE in quibus Romani litigabant.		Portia.
Conſtantini.	Pauli.	Siſimini.
Sempronia.	Caij & Lucij.	Opimij.
Argentina.	Optima.	Macidij.
Alexandri.	Antonini.	Iulia.
Vlpia.	Neſtini.	Nechunij.
Gloſelli.	Martiani.	Feſſellarij.
ROSTRA: Noua	& Vetera.	
CVRIAE:	Calabra.	Saliorum.

Hoſtilia.

	Hoſtilia.	Pompei.	Iulia.
	Vetus.	Noua.	Octauia.
LVCI:		Sylua Laurea.	Nemus Alexandri.
	Martis.	Eſquilinus.	Iunonis Laciniæ.
	Petilinus.	Fagutalis.	Larum.
	Querquetulanꝰ.	Camœnarum.	Honoris.
	AEgeriæ.	Veſtæ.	Aſyti.
VICI:	Ruminalis.	Manurius.	Sanduliarius.
	Thurarius.	Padi.	Fortunæ reſpicientis
	Patricius.	Mamurri.	Corneliorum.
	Cyprius.	Sceleratus.	Publicus.
	Vitiatorum.	Iugarius.	Tuſcus.
TABVLAE	PVBLICAE:	Victoriæ.	Scipionis.
	Iugurthæ.		Raptus Proſerpinæ.
	Fœder: Carthaginen:		AEreæ reſtitutæ.
	AErea in Laterano.		Geſtorum Clodij
TABERNAE:		Nouæ	Septem.
	Quinq;	Argentariæ.	Laneæ.
	Cæditiæ.	Bibliopolarum.	
	Mentoriæ.	Argiletanæ	Decem.
CLIVI:		Capitolinus	Victoriæ.
	Virbius.	Suburbanus.	Publicus.
CAMPI:		Martius mai:	Tyberinus.
	Vaticanus.	Martius minor:	Martialis in Cœlio.
	Eſquilinus.	Viminalis.	Sceleratus.
	Floræ.	Agrippæ.	Horatiorum.
CARCERES:		Tullianus.	
	Populi Romani.	Caſtrum Cuſtodiæ.	
CELLAE:	Iouis.	Concordiæ.	Matris Deorum.
SEPVLCRA:		Fauſtuli.	Accæ Laurentiæ.
	Argi.	Romuli.	Neronis.
	Q. Plotij.	Veſtalium.	Marcelli.
	Scyllæ.	Iuliæ.	Britanici.
	Druſi.	Numæ.	Hircij & Panſæ.
	Hadriani.	Marij.	Cæcilij Statij Poëtæ.
	Bacchi.	Metellæ.	Licinij Tonſoris Aug^{ti}:
	Collatini.	Africani.	Scipionum.
	Seruiliorum.	Metellorum.	Septem Epulonum.
	Tulliorum.	Ennij	Horatiorum.

Q. Cæcilij.	Auguſti Cæſ:	Pomponij Attici.
C. Ceſtij.	Seueri.	

TEMPLA, AEDES SACRAE: FANA:

Iouis Feretrij.	Opt: Maximi.	Tonantis.
Cuſtodis.	Sponſoris.	Statoris.
Victoris.	Veiouis.	Saturni.
Iunonis.	Iun: Soſpitæ.	Iun: Lucinæ.
Iun: Monetæ.	Iun: Matutæ:	Iun: Reginæ.
Apollinis:	Termini.	Larum.
Iani.	Iani quadrifrõtis.	Mentis
Herculis.	Herc: Muſarum.	Herc: Cuſtodis.
Herc: Victoris.	Martis.	Martis Vltoris.
Veneris	Ven: Ericinæ.	Ven: Victricis.
Ven: genitricis.	Ven: Cloacinæ.	Ven: Caluæ.
Veneris & Cupidinis.	Fidei.	Vulcani.
Fortunæ maſculæ.	Fort: primigeniæ.	Fort: obſequentis.
Fort: virilis.	Fort: proſperæ.	Fort: paruæ.
Fort: equeſtris.	Fort: muliebris.	Fort: publicæ.
Fort: Seiæ.	Fort: malæ.	Fortunæ.
Pacis.	Bellonæ.	Telluris.
Salutis.	Bacchi.	Pietatis.
Rheæ.	Carmentæ.	Spei.
Matutæ.	Futtutæ.	Pudicitiæ.
Pudic: plebeiæ.	Vertumni.	Conſi.
Mercurij.	Floræ.	Mineruæ.
Miner: Calcidiæ.	Concordię.	Veſtæ.
Cereris.	Victoriæ.	Romuli.
Quirini.	Matris Deûm.	Libertatis.
Heliogabali.	Penatum.	Caſtoris.
Solis.	Lunæ.	Pollucis.
Auguſti.	Fauſtinæ.	Cæſaris.
Liberi.	Liberæ.	Proſerpinæ.
Dianæ.	Fauni.	Deæ Carnæ.
Claudij Cæſ:	Honoris.	Virtutis.
Iſidis:	Bonæ Deæ.	Quietis.
Felicitatis.	Syluani.	Apis.
Pantheonis.	Dij Fidei.	Boni euẽtꝰ.
Neptuni.	Rauennatium.	Neniæ.
Orci.	Iuturnæ.	AEſculapij.

Camoe-

Camænarum.	Tempeſtatis	Portumni.
Febris.	Deæ Viriplacæ.	Murtiæ.
Marianum.	Miſericordiæ.	Palladis.
Veſtalium.	Saturni.	Quietis.
Iſidis.	Serapidis.	Floræ.
A R AE:	Herculis.	Saturni.
Martis.	Febris.	Septimiana.
Fortunæ malæ.	Iunonis iugæ.	Pacis.
Apollinis.	Cæſaris.	Victoriæ.
Carmentæ.	Maximæ.	Conſi.
Opis.	Cereris.	Penatum.
Iouis Elicij.	Iouis Inuẽtoris.	Iouis Viminei.
Iouis Piſtoris.	Murceæ.	Proſerpinæ.
Neptuni.	Ditis.	Flaminij.

TVRRES: Capitolij. Mœcenatis. Militiarum.
VILLAE: Publica. Cæſaris. Tyburtina.
SEPTA: Agrippina. Campi Martij
SACRARIA: Numæ. Bonæ Deæ.
SCALAE: Caci. Annularici. Gemoniæ.
PVTEAL: Actij. Liboris.
PRATA: Mutia. Quinctia.
PILA: Horatia. Tyburtina.
OFFICINAE: Monetæ. Minij.
MACELLA: Magnum. Liuianum.
BIBLIOTHECAE: Maiorum: Auguſti.
Vlpia. Marcelli. Pauli.
ARMAMENTARIA: In Cœlio. Telluris.
ANTRA: Cyclopis. Fauni.
Pici. Caci.

AERARIVM POPVLI ROM:
AQVIMELIVM.
ASYLVM.
STAGNA NERONIS.
EQVIRIA.
CLITELLAE LOCA.
CASTRA PEREGRINORVM.
COMITIVM.
SAXVM CARMENTAE.
EMPORIVM.
SECRETARIVM.
ARMILVSTRVM.
VIVARIVM.
SENATVLA.
NYMPHAEA.
BVSTA GALLICA.
SALINAE.
SILEX PERCVTIEN: FOEDERA.
META SVDANS.
RVPIS TARPEIA.

CARINAE.
NAVALIA.
LVPANARIA.
LVDI PISCATORII.
HIPPODROMVS.
LAVACRVM AGRIPPINAE.
SPOLIARIVM.
SORORIVM TIGILLVM.
ARX CRESCENTII.
NOSOCOMION.
OVILIA.
MANSIONES ALBANAE.
HORREA POP. ROMANI.
LVPERCAL.
GREGOSTASIS.
MANALIS LAPIS.
AGGERES TARQVINII.
FIGLINAE.

COLLES.
VIAE.
PORTAE
PONTES

} Superius ſunt relatæ.

CLOACAE: quæ ita fuere conſtructæ, vt per eas in Tybrim corriuaretur quidquid aquarum per vias defluebat, tantæ amplitudinis & impenſæ, vt neglectas aliquando Cenſores mille talentis purgandas locauerint.

Cætera huius Vrbis admiranda & conſideratione digna, ſunt apud Poggium Florentinum, Franciſcum Oricellarium, Fabricium Varrhanum, Flauium Blondum, Andream Fuluium, Franciſcum Albertinum, Raphaëlem Volaterranum, Bartholomæum Marlianum, Franciſc: Serlium, & Georgium Fabricium, item Maurum & Faunum, qui omnes ex recentioribus de vrbe ſcripſerunt. De Tyberis auctu Ludouicus Gometius. Epigrammata veterum, quæ in effoſſis marmoribus continentur, collegit ingenti libro incertus autor, quem excudit Mazochius Romæ, Imperatorum imagines idem excudit, præfante Iacobo Sadoleto: longè verò elegantius eaſdem cùm picturis ædificiorum, Statuarum, hominum, Deorumque gentilium expreſſerunt Anton: Salamanca & Lafrerius, qui integros libros venales habent, opus conferendum antiquitati. Michaël quoq; Tramezinus & Pyrrhus Ligorius Neapolitanus coſmographicas chartas, cum forma ædificiorum veterum ſelectiſſimis typis ediderunt. Victor memorat, inter vrbis ornamenta & ædificia publica, ædes CCCXXIIII. Curias XXXV. Fora XI. Campos VIII. Capitolia, quorum vnum argento fuit tectum, & ſtatuas aureas præſtantiſſimorum hominum continuit, II. Theatra & Amphitheatra VII. Circos IIII. Obeliſcos VII. Arcus marmoreos XXXVI. Portas XXXVII. quorum omnium numerus

merus & ſtatus ſi conferatur cum extantibus, Romam in ipſa Roma vix inuenies. Ea rerum humanarum eſt fragilitas & viciſſitudo.

HINC IANVS VITALIS ITA CECINIT.

Qui Romam in media quæris nouus aduena Roma,
Et Romæ in Roma nil reperis media,
Aſpice murorum moles, præruptaq; ſaxa,
Obſitaq; ingenti vaſta theatra ſitu.
Hæc ſunt Roma viden? velut ipſa cadauera tanta
Vrbis adhuc ſpirant imperioſa minas.
Vicit vt hæc mundum nixa eſt, ſe vincere vicit
A te non victum ne quid in orbe foret.
Nunc eadem inuicta Roma illa inuicta ſepulta eſt,
Atq; eadem victrix, victaq; Roma fuit.
Albula Roma nihil reſtat nunc nominis index,
Quin etiam rapidis fertur in æquor aquis.
Diſce hinc quid poßit fortuna, immota labaſcunt,
Et quæ perpetuò ſunt agitata manent.

ET LAZARVS BONAMICVS.

Vos operum ſtratæ moles, colleſq; ſuperbi,
Queîs modo nunc Romæ nomen inane manet.
Voſq; Triumphales arcus, cœloq; coloßi
AEquati, parijs cæſa columna iugis.
Edita piramidum faſtigia, templa deorum
Digna vel æthereis Amphitheatra locis.
Vos æui tandem attriuit longinqua vetuſtas,
Vos longa tandem fata tulere die.
At Romæ AEneadum magnum & memorabile nomen,
Tempus edax rerum tollere non potuit.
Nec poterit donec clari monumenta vigebunt
Ingenij, quæ non vlla ſenecta rapit.
Cætera labuntur tacito fugientia curſu,
Calliope æternum viuere ſola poteſt.

Item alius.

Vrbs cecidit; de qua ſi dignum dicere quinq;
Moliar, hoc potero dicere: Roma fuit.
Non tamen armorum ſeries, non flamma, non enſis,
AEternum potuit hoc abolere decus.
Cura hominum potius tantam componere Romam,
Quantam non potuit ſoluere vita deûm.
Confer opem marmorq; nouum ſuperumq; fauorem,
Artificum vigilent in noua facta manus.
Non tamen aut fieri præſtanti machina muro,
Aut inſtaurari ſola ruina poteſt.
Tantum reſtat adhuc, tantum ruit, vt neq; ſtant per
AEquari poßit diruta non refici.
Hic ſuperum formas ſuperi mirantur & ipſi
Se cupiunt vrbis vultibus eſſe pares.

De templis Diuorum ordine Alphabetico tractabimus, additis nominibus veteribus, & tumulis Chriſtianorum, quo omnia & ſingula rectius à peregrinantibus animaduerti & conſpici, atq; cum antiquis inſcriptionibus conferri, ijſdemq; opponi queant.

AEDIVM SACRARVM INSCRIPTIONES.

S. ADRIANVS in tribus foris olim Saturni, in foro Romano poſt Neruæ.

In Epiſtylijs.

Ioannes Cardinalis Bellaius inſtaurauit.

S. AGAPETVS, apud Baſilicam Diui Laurentij.

S. AGATHA, ſub Viminali Gothorum Eccleſia, in qua Pacis & Dianæ imagines ex cæmento. Ante templum pueri prætextati in ſubſellijs ſedent & docentur. Prætexta habet magnam ſimilitudinem cum veſte ſacra, quam ſacerdotes reliquis imponunt celebraturi ſacrum.

TVMVLVS LASCARIS GRAECI.

Λάσκαρις ἀλλοδαπῇ γαίῃ ἐνικάτθετο, γαίῃ
Οὔ τι λίην ξείνῃ ὦ ξένε μεμφόμενος.
Εὕρετο μειλιχίην, ἀλλ' ἄχθεται εἴπερ Ἀχαιοῖς
οὐκ ἔτι χοῦν χεύει πατρὶς ἐλευθέριον.

IBIDEM.

Ξεῖνε Λακαίνης με μοῖρ' ἀλλ' οὐ πατρὸς ἡ προφυγοῦσα
Δουλοσύνην πάτρας ἦλθεν ἐς Ἰταλίην.
μητρῷ τεθεμένη, ὅς ζεῦξε μιν ἀνέρι κλεινῷ
τοῖς καὶ κόσμος ἔην τῆς ἰδίαις ἀρετῆς.
Ἑλλάδος ἀλλ' ὀλοὴ καθαρὴν προὔφθασε μοῖρα
τηλεπερ οὐδ' πήτηρ ἔγκονον οὐδὲ νέκυ.

S. AGNES, in regione Parionis.

S. AGNES in via Numentana.

Pulcrum eſt templum & marmore incruſtatum.
Supra portam qua ingreditur.

Jul: Card: S. P. ad vincula Sixti IIII. Pontif: Max: nepos porticum ad ædes S. Agnetis vetuſtate collapſam reſtituit.

Deſcenſus in templum eſt graduum XXXII. Portæ æneæ, & columnæ quibus fulcita eſt concameratio marmoreæ XVI. Monaſterium contiguum concidit, cuius porticus ob marmoreas columnas ſubtiliſſimas olim ornatiſſima fuit. Quam Iul: Card^lis: Sixti IIII. Nepos, vt teſtatur inſcriptio, extruxit, in templo etiam corpus Beatæ Agnetis Abbatiſſæ ab Anno M. CC. XLI. requieſcit. Adiacet fanum aliud rotundum XXIIII. marmoreis columnis ſuſtentatum, & Muſaico opere fabrefactum, in quo tumba porphyretica inciſa Genijs vuas ferentibus demetentibus & conculcantibus, vnde Bacchi ſepultura, & ipſum fanum Baccho ſacrum fuiſſe

ſuiſſe exiſtimatur. In teſſellis pueri natantes, ſcaphis vecti, & vuas exprimere colligereq́; apparent.

Supra portam inſcriptio de conſecratione ita incipit:

Anno Domini M. CC. LVI. eo die, quo viſitatio Beati Vitalis celebratur, Dominus Alexander Papa IIII. conſecrauit altare Beatæ Conſtantiæ filiæ Conſtantini Imp: in quo corpora Atticæ Arthemiæ, Mecentianæ, Virginum Chriſti cum corpore eiuſdem Beatæ Conſtantiæ conduntur, cui conſecrationi tota Romana Curia interfuit.

IBIDEM.

Aurea de cunctis ſurgit pictura metallis,
Et complexa ſimul clauditur ipſa dies.
Fontibus eruptis credas aurora ſubire,
Corruptas nubes roribus arua priuans:
Vel quali Phœbus dat lucem proſpice lyra
Purpureus, qui pario ipſe colore nitens.
Martyrum è buſtis hunc vnum vt reppulit illic
Præſul Honorius hæc vota dicata dedit.
Veſtibus & factis ſignantur illius ora,
Suſcipit aſpectum lucida corda gerens.

S. ALBERTVS IN ESQVILIIS.

S. ALEXIVS IN AVENTINO, olim Herculis Victoris.

Maximus hinc ſurget gemina cum pube ſuorum
Atq; decus mundi. Semper miſerere ſepultis,
Perpetuò & cura qui bona cuncta facis.

S. AMBROSIVS DE MAXIMA in regione S. Angeli.

S. AMBROSIVS in campo Martio.

NICOLAO BVLLIO.

Mediolanenſi, qui dum mercaturam exerceret veræ virtutis & induſtriæ an modeſtiæ plus fuerit neſcias, Vixit ann: XXXII.

FRANCISCO BERRETTAE.

Mediolanenſi, ſpectatæ fidei ſingulariſq; induſtriæ viro, qui dum honeſtè mercaturis faciend: rem quæreret, vitæ iacturam fecit, Anno LI. Menſ: IIII. Dies II.

BARTHOLOMAEI GREGORII.

Bartholomæus Gregorius patricius Comenſis, mercator feliciſs: quippe qui ob eius & animi & morum & in omni negotio integritatem dexteritatemq; ab omnibus deſiderabatur, hic quieſcit Vixit annos XXXXVIII. Gabriel Gregorius fratri benemer: lacrymans poſ: die XVII. Martij M. D. XXXV.

BARTHOL: RAPITIO.

De Leucho Mercatori Milenſ: Archiuij ſcriptori viro frugi, in vtraq; fortuna abſtinentiſs: Catharina eius vxor pientiſs: ſibi ac poſteris parauit, annum agens XLIX. Vita functus eſt. M. D. XXVII.

TVMVLVS CAESARIS SACCI.

Cæſari Sacco laude Pompeia ornatiſs: parentibus, ingenij præſtantia & ſingulari propè diſciplinarum cognitione clariſſimo, qui dum in hac hominum fece vitam degeret, ætate iam ingraueſcente, magno totius vrbis deſiderio obijt. Antonius & Bartholomæus Sacci B. M. poſ: Anno ſalut: M. D. XXIII.

CASTANNAE FILIAE.

Infanti lacrymas, flores, titulumq; ſepulcri,
Hæc tibi quæ nollem filia dona dedi.

Barthol: Caſtanna filiæ infelic: poſ: M. D. xxi.

S. ANASTASIA in radicibus Palatini, olim Neptuni Equeſtris qui & Conſus, quod conſiliorum ſecretorum Deus eſſet.

S. ANASTASIVS in regione Harenulæ.

S. ANASTASIVS ad aquas Saluias via Ardeatina.

S. ANDREAS DE COLVMNA in regione Triuij.

S. ANDREAS DE ANIA propè curiam Sabellorum.

S. ANDREAS DE TABERNOLA inter Exquilin: & Cœlium.

S. ANDREAS DE FRATTIS inter Capitol: & Theatrum Marcelli.

S. ANDREAS IN MENTVZA in radice Capitolini.

S. ANDREAS IN NAZARENO in regione Harenulæ.

S. ANDREAS IN PALLVRA in Palatino.

S. ANDREAS IN PORTVGALLO in Suburra.

S. ANDREAS DE SCAPHIS in ripa Tyberis.

S. ANDREAS IN STATERA in radicibus Capitolini.

S. ANDREAS TRANS TYBRIM in Vaticano.

S. ANDREAS DE VRSIS in regione Harenulæ.

S. ANGELVS in foro boario.

S. ANGELVS in piſcina olim Mercurij.

IN COLVMNA.

Dedicatio Eccleſiæ iſtius nomen Beati Pauli Calend: Iunij eſt. Indictione VIII. Anno ab initio mundi Sex mill: CC. LXII. temporibus Domini Stephani Iunioris Papæ, Theodor: olim Dux, nunc Primicerius Sanctæ ſedis Apoſtolicæ & pater XXI. Bendia Caſolo ædificauit pro intentione animæ ſuæ & redemptione peccatorum.

FRANCISCO PETRII.

Canonico D. Card. Iacobatij Magiſtro domus mortem præmeditanti in hoc ſuo ſuorumque Iuris patronatus ſacello ſepeliri ipſo viuo iuſſit. poſitus eſt.

S. ANGELVS DE MOZARELLA in monte Iordano.

S. ANGELVS IN THERMIS DIOCLETIANIS. Quod Pius IIII. Pontif: Max: magnificentiſſimè extruxit, addita inſcriptione quæ in ſuprema ara legitur:

Quod fuit idolum nunc templum eſt Virginis: autor
Eſt Pius ipſe Pater. Dæmones aufugite.

ANTONII DE DVCA.

Siculi presbyteri Cephaludens: qui has Diocletiani Thermas ante annos ferè XL. Virginis Angelorum vt extat templum fore diuinitus præuidit, hic oſſa quieſcunt. Vix: ann: Lxxiii: Menſ: iiii. Dies xv. Obijt xxx. Octobr. M. D. Lxiiii.

Iacobus de Duca pronepos Teſt. heres poſuit.

CARDINALIS ALCIATI.

D. O. M. Et

Memoriæ Franc: Alciati Mediolanen: tit: S. Mariæ in porticu S.R.E. Preſ: Car: I. V. ſcientia, ac cæteris omnibus diſciplinis florentiſſimo, Carthuſien: familiæ procuratores. Vix: ann: Lviii. M. ii. D. xviii. Obijt Anno ſalutis M. D. Lxxx. xiii. Cal: Maij.

S. ANNA in circo Flaminio.

S. ANNA ſub Viminali.

S. ANTONIVS in Eſquilino. In ferijs huius Sancti, equi, muli, & aſini circumeunt & ducuntur ad altare maius, quo à lupis & morbis toto anno ſint tuti & immunes.

ALOYSIO DE PVTEO.

Bonello Presb: Mediolanenſ: Sancti Antonij de Vrbe Adminiſtratori fide ac diligentia inſigni, qui vixit annos XLvi. Michael de Barengo. Archiep: Berinzonæ amicorum ſtudioſiſſimo B. M. P. Obijt Anno Domini M. CCCC. Lxxxvi. iii Non. Mart:

IN FRONTISPICIO HOSPITALIS.

Pius IIII. Mediolanenſ: P. O. M. huius hoſpitalis inſtaurator.

IBIDEM.

Conſtantius Gul: prior ædem hanc vetuſtate collabentem à fundamentis inſtaurauit. An. M. CCCC. LXXXI.

CARDINALIS AMBRIENSIS.

Hic iacet Gal: Io: Diac: Card: Ambrienſ: cuius anima requieſcat in pace.

S. ANTONIVS in Portugallo.

ANTONIVS IN SCIAVONIA Vallis Martiæ.

S. APOLLINARIS propè turrim ſanguineam, olim Apollinis.

CIRCI FLAMINII D. O. M. S.

Sum cinis, at vobis poteram modo dicere Saluc,
Eſt celer & fati neſcius ille dies.
Gloria ſi qua fuit nobis dum viximus, illa
Hic modò cum noſtro corpore clauſa iacet.

S. APOSTOLVS IN REGIONE TRIVII. Coniunctum cum Monaſterio in quo fratres ordinis Diui Franciſci, de cuius fundatione ſaxum ita inciſum:

Hæc eſt Venerabilis Eccleſia in honorem XII. Apoſtolorum primò à Conſtantino fundata, & poſtmodum ab Hæreticis deſtructa Pelagius & Ioannes Pontifices eam in gradum priſtinum reſtaurantes, multorum Sanctorum corporibus ac indulgentijs exornarunt.

TVMVLVS BESSARIONIS CARD.

Beſſario Epiſcopus Tuſculanus S. R. E. Cardinalis, Patriarcha Conſtantinopolitanus, nobili Græcia ortus oriunduſq; ſibi viuus poſ: Anno ſalut: M. CCCC. LXVI. ætatis LXXVII.

Τοῦτ᾽ ἔπι Βησσαρίων ζῶν ἄνυσα σώματι σῆμα
Πνεῦμα δὲ φεύξεται πρὸς θεὸν ἀθάνατον.

Quod diſtichon Maioranus Salentinus ita vertit.

Beſſarion feci hunc tumulum, qui conderet oſſa,
Venerat vnde olim Spiritus aſtra petet.

M. ANTON. COLVMNAE. PAREN. POS.

Si ſpectas annos bimum luxere parentes
Si mentem, iſte ſenex naſcitur & moritur.

IBIDEM.

Si daret annoſam numeroſa pecunia vitam
Quiſq; ſibi diues tempora longa daret.

ANGELOTTAE FVSCORIAE.

Coniugis Pauli Venectini.

VINCEN-

VINCENTIO VBALDO.

Rom: peditum præfecto deſignato Magiana in Marcellum cæde, dum æs creditum repetit, ab Alpinis militibus, non inultus tamen, primo iuuentutis ingreſſu acerbiſſimè trucidato, Fauſtina Iancolina Rom: mater pientiſſ: vnico filio dulciſſimo funalibus equis Verona Romam impenſa ferè regia, traucto, ſtirpis Vbaldæ ſpe ſublata inconſolabilis filio maxima quæque ornamenta B. M. poſ: Vix: ann: xxvii. Obijt M. D. xxxix. Nouemb. xi.

Manilij Ralli.
Pancratij Rotundi Fractionorum Epiſcopi.
Pauli Riccardi Acerranorum Epiſcopi deſignati.
Michaelis Lebuox Britanni.
Zachariæ Albrigonij Theolog: Doctoris & Conuentus Guardiani.
Philippi Bagnacauali Theologi.
Andreæ Ligneauillæ Lottringi.
Gabrielis Garræ Equitis Samenſis.
Pauli Aquaiclatiæ Canonici S. Mariæ trans Tybrim.
Petri Marcellini nobilis Romani.

FRATRI BENEDICTO GENTILI.

Theologo olim ſeruitori ſuo domeſtico, hoc ſepulcrum dari iuſſit Xiſtus IIII. Pontif: Max:

GIRANDO ANSEDVNO.

Equiti Gallo, Capreriarum Domino, omnibus ingenij virtutiſq; dotibus ornato, pacis belliq; artibus inſtructo, Carolo VIII. & Ludouico XII. Francorum Regibus familiæ præfecto ſolertiſſimo, Iulij II. Pontif: Max: quod Sororis eius filiam duxiſſet neceſſario adprimè caro. Vix: ann: XLI. Men: x. Di: iiii. Roſtachnus Archiepiſcopus Ebredunen: Francorum Regis ad Pont: Orator fratri opt: mœrens poſ: M. D. v.

Flagrat inextinctum cælo, premit oſſa ſepulcrum.

PETRO SAONENSI.

Ex gente Roaria nobili ac vetuſta ex ordine Minorum Cardinalium S. Sixti Patriarchæ Conſtant: Archiepiſcopo Florent: Peruſiæ Vmbriæque Legato, Sixtus IIII. Pont: Max: nepoti benemerenti poſ: Vix: ann: xxviii. Menſ: viii. D. vi. Gratia, liberalitate, ac animi magnitudine inſignis, totius Italiæ legatione functus moritur, magna de ſe in tàm florida ætate deſiderio relicto, quippe qui maiora mente conceperat & pollicebatur, vt ædes miro ſumptu apud Apoſtolos inchoatæ oſtendunt M. CCCC. Lxxiiii.

BARTHOL: CAMERARIO.

Beneuentano, ſacrarum ſcripturarum, Canonum, Legum, Conſuetudinum præſertim feudalium interpreti, vt quam certiſſ: ita maximè recepto non vulgaris vtriuſque exemplo, Romæ vita functo, atque à clariſſ: Columnenſium familia hic æquo iure ſuis cum maioribus illato. Caſp: Criſp: Meapolit: Min: con: proſyndic: Rain: Corſus corrig: I. C. virtutis ergo beneuolentiæq; inſcripſere Obijt xii. Calend: Ianuar. M. D. Lxiiii.

PETRO VARO.

Iure Conſulto moribus & pietate inſigni, diplomatum Pontificalis Regiſtri Magiſtro, Lælia fratri Concordiali B. M. & ſibi ſuiſq; poſteris poſ: Vix: ann: Lxxx. Obijt M. CCCC. Lxxxii.

Ille ego Ioannis celſi Canonicus ædis
Lælia quem genitrix condidit hoc tumulo.
Vix ſeptena miſer compleram luſtra maligno
Sydere, cum ſecuit ſtamina dira ſoror.

FACCII FERRERII.

Et Lauræ Baroncellæ vxoris eius.

HELENAE.

Hieronymi S. Valentini coniugi optimæ Iſabella Eſtenſis Mantuæ March: ſuarum à cubiculo virginum cuſtodi integerrimæ poſ: Obijt Anno M. D. XXVII.

EVANGELISTAE BONSENORII.

Viue diu, quicunq; potes, nos viximus olim,
Fortunamq; ſuam vita ſecunda tulit.
Vrbs mihi natalem, gens Bonſenoria nomen,
Cinis quidquid habet muneris, illa dedit.
Pignora cara nouem, & rarum, ſanctiſsima, coniux
Frigida preſſerunt lumina, lector aue.

MARITVS.

Vna ſit vrna volo mens velut vna fuit.

IBIDEM.

Decipimur votis. Tempore fallimur.
Mors deridet curas. Anxia vita nihil.

SVPRA IMAGINIBVS SEPVLTI.

Malo mori quàm maculari.

HONORAE QVINTERIAE.

Hæc quicunq; modo ſpirantia mollius ora
Proſpicit, & cœli nobile laudat opus.
Quàm gemeret, mentis ſi conſpexiſſet Honoræ
Tot bona, naturæ vix reuocanda manu.
Diceret & vitæ comites, probitasq; fideſq;
Et pudor & formæ gratia rara perit.
At tibi Quinteri longum manſurus in æuum
Stet decor hic ſaxi, nec fluiturus honos.

BERNARDINI.

Theophili de Vrbino.

ALEXANDRI PAVONII.

Fidus Alexander iacet hic Pauonius, is qui
Ipſe amor, ipſa fides, ipſa erat & bonitas.
Fratri ergo inuictæ fidei, bonitatis, amoris
Hunc Paulus tumulum præbuit, aſtra Deus.

IBIDEM.

Sanſeuerina domus, patria eſt Lucania, pulſus
Sedibus è patrijs mortuus hic iaceo.
Bis denos numerans orbes Antonius, expers
Dum vixi, inuidiæ, ſim licet ipſe nothus.
Hoc mihi pro meritis fratres poſuere ſepulcrum
Atq; pij exequias contribuere, Vale.

Obijt M. CCCC. Lxxxix. Vix: ann: xx.

IOAN: COLVMNA.

Diaconus, Cardinalis Primarius Rom: nominis ſalutis libertatiſq; publicæ columen hic ſitus eſt. Vix: ann: LI. M. III. Obijt M. D. VIII. Sept: XXVI.

LVCIVS MANCINVS.

Lucius hac Laurens tegitur Mancinus in vrna
Clarus Eques, claro ſanguine, Marte Potens.

Qui Venetûm ducens Romano pectore turmas,
Rettulit hæc dextra parta trophæa Ioui.
Conſilio, virtute, manu, ſi vita fuiſſet,
Odriſii poterat vincere facta Dei.
Proh dolor infelix poſuit Felicita coniux
Arciona hæc caro mæſta ſepulcra viro.
Quin etiam vt dulcem viua eſt amplexa maritum,
Conſtituit moriens oſſibus oſſa ſequi.
Vix: ann: XLII. Menſ: IIII. Dies III. ho: XI. Obijt M. D. XIIII.

DEMETRII CABACII RHALLI.

Demetrio Cabacio Rhallo, Equit: Spartano, qui nullum corporis incommodũ expertus, nonageſimum ætatis annum Men: II. diem XXII. ſuperauit. Manilius ex Thomaide Theodori Bocchali filia ſuſceptus parenti ſanctiſſimo ac b. m. ſibiq; poſ:

Si genitor deflende pius tibi debita natus
Iuſta, ſepulturæ munera ſi apta darem:
Conderer hic tecum, diſcat me ſera ſenectus
Cum genere amiſſam rem patriamq; mihi.

IBIDEM.

Concordes animos, piasq; mentes
Vt dicas licet vnicam fuiſſe
Commiſti cineres ſequentur, & ſe
Credi corporis vnius iuuabit.

LVCAE MASSIO.

Mercatori Surrienſi, coniux & filij mœſtiſs: poſ: M. D. LI.

MARII NISII.

Militis Veterani per ſingulos militiæ gradus ſtrenuè verſati, equitum alæ à cuſtodia Maxx: Pontiff: Clement: VII. & Pauli III. præfecti. Alex: Niſius patri opt: poſ: Vix: ann: LXVII. M. VII. D. XVIII. elatus pridie Non: April: Anno M. D. XLV.

SALVSTIO BANDINAEO.

Marij filio Senen: ac ciui Rom: illuſtri genere nato, equeſtris aurati ordinis, ſpectatæ virtutis ac probitatis iuueni, & Euphraſiæ Agaſſanæ Senen: eius matri matronæ primariæ nobilitate, omniq; muliebri laude inſigni. Qui cum ambo pietatis ac religionis ſtudio Romam ad ſacra loca adoranda ſe contuliſſent, à Rege cui omnia viuunt, ad meliorem vitam aſſumpti ſunt. Franciſcus Bandinus Picolominæus Archiepiſcopus Senenſ: fratris filio ac fratris vxori benemerentibus poſ: Vixit Saluſtius an: XXVI. Menſ: I. Dies III. Euphraſia An: LX. M. V. D. XX. Obijt Saluſtius M. D. LXX. Maij XVI. Euphraſia M. D. LXIII. Maij XIII.

NICOLAI SVDORII.

Muſici, qui Arragonijs Regibus quatuor & XXX. annos ſeruiuit. Obijt M. D. V.

Cur te Muſice Muſicus peremit
Sagitta Nicolae peſtilenti?
Inuidit modulis meis Apollo.

IOANNI PISOLO.

Pagilancij ad Larium cœli arte conſpicuo, animæ æternùm inſonti.

Iulij Vechij Hieron: fil: Obijt M. D. LVI.
Horatij Telani Lud: fil: Senenſ:
Iacobi Sancti Iannutij.
Aluari Nonij Luſitani I. C.
Tullij Bernardini militis.
Firmi de Martellis.

Petri

Petri Sancini.
Antonij Laurentij.
Bernardi Gallij.
Vincentij Albertonij.
Iacobi Firmi Veronenſ.
Lucæ Brancodori.
Antonij Nicolai Clerici Baſilicæ D. Petri.

S. APOSTOLI XII. IN VATICANO.
S. AVGVSTINVS IN CAMPO MARTIO.

BONACTI.

Quiſquis es, rogant te Bonacti, ſepulcrum auitum ne violes, reſurrectionem ſoli hic expectare volunt.

SCHIATTENSIVM.

Blaſio & Ioanni de Schiattenſib: ciuib: Florentinis fratribus dulciſ: pientiſſ: heredes ex debito poſuêre Anno M. CCCC. LXXVIII.

AVGVSTINVS DE GENESSA.

Hic iacet corpus in Chriſto patris ac Domini, Dn. Auguſtini de Geneſſa ordinis Heremitarum Epiſcopi Romæ, qui obijt Anno Domini M. D. XXX. Die XXI. Auguſti, cuius anima requieſcat in pace, Amen.

LVC: ANGELO PACINO.

I. V. D. à Rauocontrada Senogalienſ: dioc: & in Romana curia cauſſarum procuratori egregio Carol: & Clara parent: pijſſ: poſuêre. Vix: ann: XXXVII. Men: VI. D. VI. Obijt anno Domini M. D. LXIIII.

SOLYMANNO.

Ex Patauinorum patr: famil: Iur: Ciuilis & Pontif: Conſult: VII. Vir Pontificial: ærar: ingenio & fide probatiſſimo, qui vix: ann: LXVI. Men. VII. Dies IX. hor: III.

IOAN. FRANCISCO BARENGO.

Mediolanenſ: probitatis ac eruditionis ergo à Iulio III. Marcello II. Romm: Pontiff: in Secretarium aſcito, magnum ſolertiæ pietatis ac ſapientiæ præconium adepto Paulo IIII. Ponttif: M. à quo vnicè diligebatur, Anno ſalutis M. D. LIX. ætatis LXII. vita functo pa: Hier: Iulius, Lælius filij, patri optimo faciundum curarunt.

IOAN. FRANC. MARTELLII.

Deo Opt: Max: Deiparæq; Virgini ſacrum.

Ioan: Franciſco Marcello Florentino nobili genere oriundo, Ap: Abbre. Iulij P. Max. gratiſſ. fortunæ, ingenijq; bonis abundè ornato, repentina morte erepto, VII. impuberes liberi patri pijſſ. ac b. m. & dulciſſ. frat. max. Apoſt. ſubd. & ſuis R. ſacellumq; cum dote Dō.

IOAN: RIZONIO.

Veronenſ. omnibus laboribus qui mortali contingere poſſunt peractis, Hieron. & Benedict. Nepotes Papien. f.

AVGVSTINO REVSIAE.

De Barbarano I. V. D. qui vixit ann. LXXII. Obijt die VIII. April. M. D. LVIII. Euangeliſta Reuſia de Barbarano I. V. D. Nep. ex frat. patruo B. M P.

PAVLI DE MASSA.

Extinctos ſi quando ſuos Dea fleuit alumnos,
Hic eſt quem lacrymis nunc fleat illa pijs.
Liquiſti triſtes lacrymas fletusq; parenti,
Pro quibus infelix hunc tibi dat tumulum.

Paulo de Maſſa de Surrento filio obſeq. Andreas pater infelix & vnanimes fratres poſuere. Obijt Anno ſuæ ætatis XXVI. Ripalib. inter mercatores bis præfuit Ann: ſalut: M. D. XXVIII.

TRIVM SORORVM.

Ambroſinam, Franciſcinam, & Altabellam liber: dulciſs: luce vna Ioan: Petri F. ex foſſato artis dioceſeos Notticomienſ: pater infelix amiſit, lacrymis lauit tumulũ DD. Vix: illa ann: VII. Menſ: VI. Dies XXVIII. Media ann: V. Menſ: IV. D. XIIII. Vltima ann: II. Menſ: IX. D. XXIIII.

MARTIANO.

Inſtauratori Vrbis S. qui altare fecit & dotauit.

EMANVELI BALBO.

Scriptori Apoſtolico, comiti Palatino, Eſtenſi patricio, morum facilitate ac virtutibus apud omnes gratioſo. Io. Baptiſta Cæſarei Pontificijq; Iuris D. fr. B. M. poſuit Anno M. D. V. Die XXIII. April: Vix: ann: LXI.

RINALDI SIARAMPAE.

Siarampa de gente rapit te Roma Rinalde
Heu facinus! iuuenem tempore, mente ſenem.

Vix: ann: XX: Men: X. Dies XII. Obijt Nonis Febr: M. D. VI.
Barthol: & Octauianus pientiſs: fratres aſſiſt. Curiæ contra votum poſuere.

BARTHOL: DE PANCIATICIS.

Nobili Piſtorienſ: iuueni optimo integerrimoq; Nicol. de Panciaticis, Decanus Piſtorien: fratri vnico amantiſſimo b. m. poſ: Vix: ann: XXIX. Men: III. D. XXVII. Obijt Anno M. D. XXIII. Die XXIX. Octob.

HIERON: CORDVBENSI.

Viro optimo, qui Martyris Sebaſtiani Societatem ordinauit. Obijt XVI. Octob: M. CCCC: LXXX. Chaterina conterraneo ſuo B. M. poſ:

LEONDRAE DIAZ.

De Cordub. ex nobilib: moribus cum eſſet in tam florida iuuentute cum filio deceſſit. Vixit annos XIIII. Obijt Anno M. CCCC. XXVIII. Die II. Auguſti. Maria Alfonſi filiæ dulciſs: & Ioan: de Bretioſa coniugi amantiſſimo B. M. P.

SALVIATORVM.

Franciſco Bonafide & Mariettæ Saluiat: Florent: ciuib: pijſſi: filij optimis parentib. poſ: Anno ſalutis M. D. LXIIII.

MATTHAEI DE ANCISA.

Matthæus olim Michaelis de Anciſa ciuis Florentinus ſibi dum vixit hoc tumuli tegmen fieri fecit, qui poſt III. Dies elapſo Octob. Menſ. An: LXI. gerens, obijt.

CLAVDIO DE MATTHEIS.

De Camerino, viro prouido, fide, induſtriaq; inſigni, Obijt die II. Febr: Ann. M. D. LXXI. Petrus Io: frat: & ſer. teſt: P. & ſucceſſoribus ſuis.

PRINCIPIS MACEDONIAE.

Conſtantino Commeno Macedoniæ principi, Acaiæ Duci, qui cum patre amiſſo XII. ann: natus auitis regnis à Turcis pulſus eſſet, animi magnitudine fortunæ iniuriam confutauit, bellicisq; ſtudijs maiorum ſuorum amplitudinem adæquauit, primum à Max: atq; Aloyſio Gallorum Rege ampliſſimis exercitibus præpoſitus, omnibus Imperatorijs virtutibus ſummam gloriam adeptus eſt. Aranitus filius patri opt: merit: p: Vix: ann: LXXIIII. Deceſſit Calend: Maij. Anno M. D. XXXI.

IOAN: BRVSCOLINI.

Hic iacet Magiſter Ioan. Bruſcolinus de Saitor. qui obijt Menſe April. D. V. Appol. vxor, viro B. M. P. Anno M. CCCC. LXXXIIII.

OVIDIO BARZELLINO.

Comiti & Equiti ciuiq; Bononienſ: non minus ob ſuauiſſimos mores quàm ob generis nobilitatem ciuium ſuorum gratia florentiſſimo, dum vetera ſanctorum Patrum monumenta miro pietatis ardore perluſtraſſet, immatura morte prærepto, Marſibilia Maluetia vxor mœſtiſs: poſ: Vix: annos xxxi. Men: vi. Obijt Non: April.

ARCHIEPISCOPI BENEVENTANI.

Franciſco de Ruere Archiepiſcopo Beneuentano, Iulij II. Pontif: Max: ex fratre Nepoti, ex matre vero ex nobili Comiennorum Græciæ Imperatoris familia, qui viuens & animi & fortunæ bonis locuples fuit, moriens verò cœleſtibus diuitijs locupletiſſimus extitit, Aranitus Comenus Macedoniæ princeps. gratiſs: atq; amantiſs: conſanguin: memor poſ: Obijt anno Domini M. D. X L V. Die xxii. Menſ: Ianuarij. Vix: ann: Lxx. Menſ: ii. D. ii.

CASPARI SOAREZ.

Portugalenſ: viro nobili Ferdinandi Soarez filio, qui obijt Romæ xxi. Septembris M. D. Lvi. Ioan: Soarez Dalbegaria fr: poſ:

IACOBO VARIS.

Viro probo, Mariæ eius coniugi optimæ, liberis eorum anno M. D. Lxii. xxi. Ianuarij I. F. F.

IACOBI MENTEBONA.

Luca ortus, Sena lege fuit mihi patria, nomen
Dum vixi Iacobus, Mens bona pro genere.
Papa Pius ſedem Papienſem detulit, idem
Cardineo ornauit munere, gente, domo.
Viuite qui legitis, æterna quærite, non hæc:
In cineres tandem gloria tota redit.

Obijt apud Laurent: Valſinienſ: Anno ſalutis M. CCCC. Lxxiiii. x. Septemb: In vrbem relatus pia familia domeſtica proſequenti & hic conditus, Sixti IIII. Pontificis Max: beneficio. Vix: ann: Lvii. Menſ: vi. D. ii.

ANTONIO PAPAZONIO.

Iuris Conſulto viro probo, patricio Tyb: cauſſarum integerrimo ac perito Hieron: Dagius heres ex teſt: amico cariſs: fieri curauit, qui vixit annos Li. Obijt xii. Octobr: Anno M. D. Lviii.

MENNIO NICOLAO CAPENATI.

Roma Capenatem dolet amiſiſſe Poëtam,
Orphea qui plectro vincere certus erat.
Mœret amans nutrix, non oſſa referre ſepulcro
Inuidet & Roma, quæ ſua membra tegit.

PEREGRINO FABIO.

Ciui Bononienſ: Epiſcopo Vectano XII. viro litib: iudicandis. Vix: ann: Lvi. Ant: & Iul: fratres B. M. fecere Anno M. D. Lvi.

VXORIS NICOLETTI.

Perna vxor q. Pauli Nicoletti Rom: Nicolao & Io: filijs dulciſs: hoc & ſibi poſteriſque viuens monumentum curauit Anno ſalutis M. D. V. Menſ: Septemb:

IOANNI VERE.

Agri Valentini Cæſarei Pontificijq; Iuris Conſultiſſimo, Presbytero S. Balbinæ, Card: Salernitano, qui ab Alex: VI. Pontif: Max: vltrò de Hiſpania accitus & inter Patres relatus, Piceno AEmiliæq; magna Prouincialium commendatione præfuit, difficillimiſq; Eccleſiæ temporibus duobus, præſertim inter Pontificios, cum ma-

gnas turbas compoſuiſſet, pacem, quietem, ociumque vrbi Rom: reddidiſſet, tanti Pontificis iudicium ſuum prudentia integritate animiq; magnitudine comprobauit. Vix: ann: LIIII. Menſ: v. D. IX. Oliuerius Neapolitanus & Franciſc: S. R. E. Cardinales ex teſtamento poſ:

PETRI GRIPHI.

Nunquam moritur, qui benè vixit.

Petro Gripho Piſano Foroliuienſ: præſuli claris natalibus orto, bonarum artium & iuris prudentia inſigni, cui nihil ad ſummum vel ingenij vel fortunæ defuit, præter ætatem: Ad Cæſarem Gallorumq; ac Britanniæ Reges Venetorum, Mediolani & cæter: Italiæ Principi & patriæ & Pontificum miſſo legationibus functus, nunquam niſi poſtulatorum compos reuertit, A Gallorum Rege equeſtri dignitate ornatus, à Mediolanenſ: Duce in concilium aſcitus, à Pontifice Alexandro VI. Sabinæ præfectus, à Iulio Collector & Nuncius in Angliam miſſus, Pontificaliumque Inſularum inſignibus honeſtatus, ad extremum Referendarius à Leone inſtitutus, cum illius iuſſu aliquandiu præfuiſſet Vmbris & Peruſi: Legati vicem ſumma laude impl: magiſt. libert. Ecc: ſuam inuiſit, ibi dum gregem legibus & exemplo muniuit, dum reparandis templis operam nauat, fati vi repentina raptus, luctum mœroremq; perpetuum, non ſuis magis quàm bonis vniuerſis reliquit. Vixit annos XLV. Menſ: IX. Dies XXI. Pentaſilea & Leora Leolæ, hæc auunculo fratri, illa velut patri orbata doloris deſiderijq; æterni ergò poſuerunt.

IN MVRO AD CISTAM.

Sepulcrum vbi Beatæ Monicæ corpus apud hoſtia Tyberina Anno M. XL. iacuit, ob in eo edita in eius translatione miracula, ex obſcuro loco in illuſtriorem tranſponendum filij pientiſs: curauerunt. Anno M. D. LXVI.

ANTONII HIRSPACH.

Hoſpita terra Vale.

Antonius de Hirſpach Baſilicus, nobili genere natus, Archidiaconus Biteren: vita morum grauitate inſigni. Chriſto animam reddit II. Calend: Aprilis Anno Domini M. CCCC. LXVI.

NICOLAO PALMERIO.

Siculo Epiſcopo orto Diui Auguſtini religionis addictiſs, Oratori Philoſopho, Theologoq; illuſtri, Sac. S. fid: Cathcæ. defenſori, Hæreticorumq; expugnatori acerrimo, qui annos XXVIII ſumma cum laude in agro Domini conlaborauit, multaque ſuæ doctrinæ monumenta reliquit. Andreas Pratenſis ab eo liberaliter educatus benemerit: f. Vix: ann: LXV. Men: XI. Dies XXIX.

DOCTORIS FERTINI.

Tegitur hoc tumulo Dom: Ioan: Fertin: Decretorum Doctor, de inclyta Normanorum natione, qui Theſaur: ac Canonicus Baiar: extitit, & Mag: regiſtri literarum Apoſtolicar: ac R. D. de Eſtouilla Epiſcopi Oſtienſis Cardinalis Rothomagenſis fid: Secr: Obijt die XIII. Febr: Ann: M. CCCC. LXXVI.

IACOBI EPISCOPI.

S. Angeli de Lombardis, de regula D. Auguſtini patris gratiſſimi ac pijſſimi in hoc tumulo corpus ſepultum tegitur M. CCCC. LXXVII. Die XV. Ianuar:

ANONYMI.

Sedente Sixto IIII.

Viua Deo, defuncta mihi Conſtantia mater
Quos poſui hic elegos, quæ monumenta tibi,
Vltima ſunt fili ſapientis munera teſtor.
Defunctæ & viuæ quod potui id tribui. M. CCCC. LXXIIII.

SCAFE-

SCAFENATI CARDINALIS.

Ioan: Iacob: Scafenato Mediolanenſ: Diui Stephani in Cœlio S. R. E. Presbyt: Card: Parmenſ: ob ing: fidem, ſolertiam, cæterasq; animi & corporis dotes, à Sixt: IIII. Pont: Max: inter Patres relato, ac fortunis vndecunq; ornato, ſingulari modeſtia, incomparabiliq; integritate gnauiter annos xiv. functo. Philipp: eques Hieroſolymitanus fratri concordiſſimo vi. Id: Decemb. M. D. iii. mort: bene mer: poſ:

PROCVRATORIS ORDINIS.

Hieronymo Fulginati, ordinis Auguſtinianorum heremitarum Procuratori, qui dum diuinarum literarum ſcientia, ac morum maieſtate & comitate ſe admirabilem omnibus præbuiſſet illum mors inop: rapuit.

CARDINALIS AEGIDII.

AEgidio Viterbienſi Cardinali Gabriel Venetus generalis P. M. D. xxxv.

EVSEBIO DE MARCHIS.

Vercell: viro integritate pietate religione & prudentia præſtanti, qui dote conſtituta, vt eius & ſuorum animabus quolibet die à Sacerdotib: huius ordinis res diuina expietur Obijt x. Decemb: M. D. Lxx. Vix: ann: circiter Lxxv. Ioan: de Marchis patruo ben: mer: mœſtiſs: poſ:

CATANEI CREMONENS.

Coriolanus Cataneus Cremonen: & Gregoria Friciata Romana, coniuges in Chriſti dilectione, pari voto vouendo dicarunt, dote conſtituta, vaſis ſacris, veſtibus, ornamentisq; ad rem diuinam attributis, vt ſingulis diebus in perpetuum ſalutaris oſtia offeratur, Anno à natali Chriſti M. D. Lxix. Calend: Auguſti.

LIDIAE SANDRAE.

Lidia dulciſonis iam cantibus æthera mulcens
Sandra ſub exiguo marmore muta iacet.
Dona dat hæc non tàm formæ, quàm laudis amori
Et bona tot fatis tàm citò rapta dolet.

NICOLAI ARRAGONII.

Naturam & lethum ſuperauit, adultus in ipſa
Viuit morte, puer cœperat eſſe ſenex.

OCTAVIANI FVRNARII.

Ετ' χείριν ἔξετε λέσε πόνος καὶ ἀθέσφατος ὕβρως
τὸν θανατὸν δὲ φοβεῖσθαι τὸν ἡσυχίης γενετῆρα.

CAMILLI PVERI.

Præcipiti dum currit equo dans frena Camillus,
Vix annos natus decidit octo puer.
Si caſurus erat molli cecidiſſet in herba,
Heu tenerum ſcelus eſt rumpere ſaxa caput!

ALIVD.

Hic patriæ, amicis, naturæ, ac ſuperis
Quod debuit ad extremum vſq; perſoluit.

BONAVENTVRAE PERAGNINI CARDINALIS.

Hic Bonauentura eſt qui doctus dogmate ſacro
Auguſtine tuis iam præfuit orbis Eremis,
Padua poſt ſolio profectus, Cardinis inde

Anni milleni decies ſeptemq́ triceni
Addito ijs nouem Chriſti, requieuit in vrbe
Ciuis, cœlum animam, ſed poſsidet oſſa ſepulcrum.

IBIDEM.

Aſpice Canonicam pater Auguſtine cateruam
Atq́ audi Romæ vota preceſq́ tuæ.

IN. S. MONICHAM, AVGVSTINI MATREM.

Hic Auguſtini ſanctam venerare parentem,
Votaq́ fer tumulo quo iacet illa ſacro.
Quò quondam grato toti nunc Monicha mundo
Succurrat, precibus præſtet opemq́ ſuis.

NICOLAI AMICI.

Re cognomen habens tegor hic Nicolaus Amici,
Sola, nec id merui, mors inimica fuit.
Cum formam & quidquid poterat natura dediſſet,
Inuidit mihi mors & rapuit iuuenem.
Occubui Romæ, genuit Florentia, luſtra
Quinq́, pares dotes corporis atq́ animi.

S. BALBINA IN AVENTINO.

S. BARBARA IN REGIONE PINEAE olim Veneris Theatri Pompeiani.

S. BARTHOLOMAEI IN INSVLA olim Iouis, vel, vt alij malunt, AEſculapij.

CRISPOLDI.

Iulio Criſpoldo diuinæ legis ſtudioſiſſimo V. C. P.

MARIANI.

Hic Marianus erat magnus virtutis amator
Taurineq́ domus lumen & omne decus.
Qui ΥΠΕΡΤΑΤΟΥΣ *vrbis ſpe geſtabat honores*
En obijt Ο ⋝ Ι *gaudia ſumma γιοτς.*

Vixit annos LXII. Obijt Anno M.CCCC. LXXXI.

MANSVETO DE SCALANO.

Natione Cantabro, ordinis minorum diuinis muneribus ornato, cuius auſpitio templum hoc Io. Maria & Aſcanio Pariſiano S.R.E. Cardd: procurantibus inſtaurauit, ſuiſque contubernalibus Franciſcanis adiecit Vix: ann: XXII.

IN SAXO ANTIQVO.

Semnoni Sanco Deo fidio ſacr: Sex: Pomp: ſp: col: Muſsianus quinquennalis Decur: Bidentalis donum dedit.

IACOBI BALDOVINI.

CHRISTO SERVATORI.

Iacobus Baldouinus Tifernas patria ob ciuiles diſſenſiones cedens Romam cum migraſſet, ciuitate donatus, publiciſq; muneribus perfunctus, templi Auguſti religionem veritus, mortis memor pro foribus viuens, ſibi poſteriſq; ſuis poſ: Anno M. D. VI.

VBERTI TACINTAE.

Hic iacet Vbertus Tacintus vir benè rectus.

S. BASILIVS SVPRA FORVM NERVAE.

S. BENEDICTVS IN REGIONE HARENVLAE.

S. BENE-

S. BENEDICTVS TAGLIACOZZO, prope vicum Iudæorum.
S. BENEDICTVS TRANS TYBERIM.
S. BERNARDVS PROPE COLVMNAM TRAIANI.
S. BLASIVS IN CAMPO MARTIO.

S. BLASIVS
- DE ANGELO in reg. Pineæ.
- DE FOSSA in reg. Pontis.
- DE MONTIB. in Eſquilino.
- IN ORPHAEA.
- DE PAGNOTTA.
- IN RIPA TYBRIS, olim Neptuni.
- IN SCALIS.
- TRANS TYBRIM.

S. BIBIANA IN ESQVILIIS.
S. BONIFACIVS IN AVENTINO.
S. BRIGIDA IN REGIONE ARENVLAE.
S. CAECILIA TRANS TYBRIM.
S. CAECILIA IN CAMPO MARTIO.
S. CAECILIA IN REG. AMPHITHEATRI.
S. CAESARIVS IN REG. ARENVLAE.
S. CALIXTVS IN VIA AVRELIA.
CARTHVSIENSIVM IN COELIO.
S. CATHARINA SVB MONTE TARPEIO, olim Carmentæ.

S. CATHARINA
- DE SABELLIS.
- IN CIRCO FLAMINIO.
- TRANS TYBERIM.

S. CELSVS IVXTA PONTEM AELIVM.
S. CHRISOGONVS TRANS TYBERIM.

HIER. ALEANDRI CARDINALIS Brunduſini.

Hieronymo Alexandro Mottenſi, è Comitibus Landri in Carnia Petræ Piloſæ in Hiſtria oriundo T. T. S. Chriſogoni S. R. E. Præsbyt. Card. Brunduſino Philoſophiæ & Theologiæ Doctori, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, aliquotq; aliarum linguarum exoticarum ita exactè docto, vt eas rectè & aptè loqueretur & ſcriberet, mox diuerſis legationibus pro ſummis Pontt. ad omnes ferè Chriſtianos Principes fideliter & diligenter perfuncto, & ideò in tabem delapſo, quanti humanam miſeriam fecerit, ſequenti diſticho de ſe edito teſtatum poſteris reliquit:

Κάτθανον οὐκ ἀέκων, ὅτι παύσομαι ὧν ἐπιμάρτυς
πολλῶν, ὧν περ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτου.

Quod eſt:

Exceßi è vitæ ærumnis facilisq; lubensq;,
Ne peiora ipſa morte dehinc videam.

Natus eſt Mottæ in Carnia, Anno M.CCCC.Lxxviiii. Moritur Romæ, Anno Chriſt. ſalut. M.D.xLii. ætatis ſuæ Lxii. minus dieb. xiii. Heredes patruo ampliſſimo & opt. mœſtiſſimi P. C.

DAVIDIS VVILLYANIS.

Guallia me genuit ipſis habitata Britannis,
Anglia me nutrijt, Oxoniæq; docent.
Orator Romam luſtris bis quinq; peractis
Dum veni morior, hæc tibi lector. Abi.

S. CLE-

S. CLEMENS IN COELIO.

S. CONSTANTIA In via Numentana, olim Bacchi.

S. CORNELIVS in via Appia.

S. COSMVS in via ſacra cum Damiano, olim Romuli & Remi.

TVMVLVS CRESCENTII.

Quiſquis ab occaſu properas huc, quiſquis ab ortu,
Axe vel à gelido, ſiue calente polo.
Flecte precor geminos carmen lecturus ocellos,
Sortis & humanæ flebilis eſto memor.
Et quod amice fuit tumulo qui clauditur iſto
Nunc cinis & puluis, quodq; futurus eris.
Hei mihi non vero Creſcentius omine dictus,
Stamina dum noſcet ſors breuiora ſibi.
Vngue ſed à tenero pietatis vomere ſulcos
Excoluit, mentis ſemina grata ſerens.
Hoſpitibus tectum, nudis largitus amictum,
Eſuriem dapibus ſuſtulit, amne ſitim.
Sed cum ter denis ſubijt ſex quater ariſtis
Quod terræ eſt liquit ſumere certus idem.
Sic tibi ſic cunctis poſt mortem talia reddant,
Carmen in hoc tumulo quiſquis amice legis.

GVIDONIS PISANI.

Sedis Apoſtolicæ Guido Cancellarius, in ſe
Quàm nihil eſt mundi gloria, morte probat.
Piſa virum peperit, quem donat Roma ſepulcro
Vix paritura parem, vix fruitura pari.
Huic ſine nocte diem, vitam ſine morte, quietem
Det ſine fine, dies, vita, quieſq; Deus.

S. COSMATVS SVB IANICVLO olim fortis Fortunæ.

S. CRESCENTIVS IN VIA MAMERTINA.

S. CRVX IN HIERVSALEM in Cœlio, olim Veneris & Cupidinis templum mundum & elegans, ab Helena matre Conſtantini ædificatum XX. habens columnas & II. marmorea monumenta è nigro ſubrufo & candidiſs. marmore: tectum ſummi altaris IIII. Columnis Marmoreis ſuſtentatur, ſolum illius loci è terra Sancta translatum.

BENEDICTI VII. PAPAE.

Hoc recubant Papæ Benedicti membra ſepulcro,
Septimus exiſtens ordine quippe patrum.
Hic primus repulit Franconis ſpurca ſuperbi
Culmina, qui inuaſit ſedis Apoſtolicæ.
Cum Domino ſimul iſta ſuo qui caſtra tenebat,
Atq; dabat facti præmia digna mali.
Cumq; pater multum certaret dogmate ſancto,
Rectus Apoſtolica ſede quietus agit.
Hic quoq; prædones Sanctorum falce ſubegit
Romanæ Eccleſiæ, iuditijſq; Patrum.
Hicce Monaſterium ſtatuit Monachoſq; locauit,
Qui laudes Domino nocte dieq; canant.
Confouens viduas nec non inopeſq; pupillos,
Vt natos proprios aſſiduè refouens.
Inſpector tumuli compuncto dicito corde
Cum Chriſto viuas ô Benedicte Deo.

Obijt Anno Chriſti M. Indict: XII: x. Iulij. IX. annis reſidens in ſede Apoſtolica.

CARDI-

CARDINALIS QVINGONII.

Franciſcus Quingonius tit: S. Crucis in Hieruſ: S. R. E. Presbit: Cardinalis, natione Hiſpanus, patria Legion: Sanctiſſimo Chriſti corpori dicauit An: M. D. xxxvi. Calend: Iul:

Franciſ: Quingonius Card: S. Crucis de morte cogitans ac reſurrectione viuens ſibi poſuit. Expectans donec veniat immutatio mea.

BERNARDINO CARVAIL.

Natione Hiſpano, patria Placent: Epiſcopo Oſtienſi Cardinali S. Crucis, ob egregias virtutes, doctrinamq; in ſacris literis ſingularem ab Alexand: VI. Pontif: Max: in numerum patrum aſcito, pluribus legationibus pro Repub: Chriſtiana integrè ſapienterq; functo, proſpera fortuna moderatè, aduerſa conſtanter vſo, per omnem vitam pio ac religioſo, Vix: ann: Lxviii. Men: iii. Dies viii. Obijt xvi. Calend: Ianu: M. D. xxiii. Hic Bernard. Card: S. Crucis Epiſcop: Oſtienſ: quieſcit, donec ad æternam vitam reſurgat.

PAVLO ALBO.

Pauli f. Belgæ, ſculptori clariſs: veteres æquaturo, ſi fata ſinerent ingenij acumine, animi candore, morum comitate ornato, magnaq; omnium expectatione ante xxx. ætatis annum erepto, amici tres amico optimo ac benemerenti non ſine lacrymis poſ: M. D. xxxviii.

IN SAXO CAPELLAE SVBTERRANEAE S. HELENAE.

Hic tellus ſancta, Caluariæ Solimæ ab Beata Helena in inferiorem fornicem demiſſa ſeruata eſt, atq; inde nomen Hieruſalem Capellæ inditum.

AD DEXTRAM *Ingredientibus Capellam.*

Anno Domini M. III. tempore Otthonis III. Syluester Papa II. qui fuerat antea eiuſdem Otthonis præceptor, non ſatis ritè forſan Pontificatum adeptus, à Spiritu præmonitus, qua die Hieruſalem accederet, ſe fore moriturum, neſciens fortè hoc ſacellum eſſe Hieruſalem ſecundum, ſui Pontificatus anno quinto, ſtatuta die, rem hic diuinam faciens, ipſa die moritur. Eo tamen diuina gratia ante communionem, cum ſe iam tunc moriturum intellexiſſet propter dignam pœnitudinem & lacrymas ac loci ſanctitatem ad ſtatum veriſimilem ſalutis reducto: reſeratis enim poſt diuina populo criminibus ſuis & ordinatione præmiſſa, vt in criminum vltionem exanime corpus ſuum ab indomitis equis per vrbem quaqua verſum diſcurrentibus traheretur, & inhumatum dimitteretur, niſi Deus ſua pietate aliud diſponeret, equiſq; poſt longiorem curſum intra Lateranam ædem moratis, iſthic ab Otthone tumulatur. Sergiuſq; III. ſucceſſor Mauſoleum deinde expolitius reddidit. Sunt qui dicunt Hiſtorico referēte Vincentio Aſylum Romæ quod primum inter duos lucos Tarpeium & Palatinum impunitati virorum & fœminarum Romulus dicauerat, aucta vrbe ex Cœlio monte per Tullum Hoſtilium III. Roman: Regem ad finem ipſius montis intra vrbis pomerium translatum, fuiſſe ex ipſo fermè loco vbi nunc Baſilicam Hieruſalem conſtructam cernimus, vt vbi olim fuerat flagitijs impunitas, ibi ſub Chriſto accedentibus omnium peccatorum venia tribuatur.

IBIDEM

IBIDEM Ex alio latere.

Ad gloriam Dominicæ Crucis & ſpem recuperationis ſacri glorioſi ſepulcri Hieroſolymæ ſub S. in Chriſto Patre & D. N. Leone X. Hetruſca gente familia Medices clariſſimo, ac Sereniſſimo D. Carolo V. Hiſpaniarum & vtriusq; Siciliæ ac Hieruſalem, vniuerſæq; Inſulæ Athlanticæ ſeu terræ ſanctæ Crucis & Hiſpanienſis, ac aliarum Inſularum Africæ & Indiæ Rege Catholico, Archiduce Auſtriæ &c. in Rom: Imp: electo, Reuerend: in Chriſto Pater D. Bernard: Cardinal: Vaial: Epiſc: Sabinenſ: & Card: S. Crucis Patriarcha Hieroſolymitanus ante capellam hanc vlteriori ſacræ capellæ S. Crucis in Hieruſalem adiungendam curauit, Anno ſalutis Chriſt: M. D. XX.

AD SINISTRAM Ingredientib: eand: Capellam.

Sacra Capella dicta Hieruſalem, quod Beata Helena Conſtantini mater Hieroſol: rediens Anno Domini CCC. XXI. Dominici trophæi inſignijs repertis, in proprio eam cubiculo erexerit, terraq; Sancta montis Caluariæ naui inde adducta, ſupra quam Chriſti ſanguis effuſus fuit, redemptionis humanæ precium, cuiuſq; vigore in cœleſtem Hieruſalem mortalibus aditus patuit, ad primum vſq; inferiorem fornicem repleuerit, ex quo ſacellum ipſum ac tota Baſilica & vniuerſa vrbs ſecunda Hieruſalem meruit appellari. Apud quam & Dominus ad illius robur fidei in Petro iterum crucifigi voluit, vbiq; vnius Dei veneratio ac fides indeficiens & Domini precibus & Petri fauore ad vltimum vſq; iudicantes domini aduentum, in vrbe ſublimi & valente ac inde verior Hieruſalem creditur permanſura. Hunc ergo locum regina ipſa multis Chriſti & Sanctorum reliquiis ornauit & à B. Syluestro XIII. Calend: Aprilis cum multiplici peccatorum venia viſitantibus indulta, conſecrari obtinuit. Inde centum fermè labentibus annis Valentinian: II. Imp: filij Conſtantij Cæſaris Arcadij & Honorij Impp: nepos ex ſorore Placidia, filia magni Theodoſij Hiſpani in ſolutionem voti ſui ac matris Placidiæ & Honoriæ Somnis, opere vermiculato eam exornauit. Inde quaſi M. C. annis euolutis, titulus veræ crucis, ab Helena Romam delatus, qui ſupra arcum maiorẽ iſtius Baſilicæ in parua feneſtra plumbea theca muro latericio clauſus tã diu latuerat muſiuis literis tamẽ ab extra id referẽtibus, quod illic titulus ſtaret, quæ iam literæ præ vetuſtate vix legi poterant, ſedente Innocentio VIII. Pientiſſ: Pontifice Anno Domini M. CCCC. XCII. Pontificatus ſui anno VIII. Cum Petrus Gundiſaluus de Mendoza Card: tit: S. Cruc: in Hieruſalem, Toletanus primus tectum Baſilicæ iſtius & muſiuas illas literas feneſtræ reparari faceret, fabris bitumen, quo literæ figebantur indiſcretè diruentibus, aperto feneſtræ foramine con-

mine contra eorum & Card: beneplacitum glorioſus titulus veræ crucis poſt tot annos ab Helena Romæ viſibilis apparuit die magna, granata olim dicta.

S. CIRIACVS IN VIMINALI.
S. DIONISIVS.
S. AEGIDIVS IN VIA CASSIA.
S. ELISABETHA IN CAMPO, olim Agrippæ.
S. EQVITIVS PROPE THERMAS Domitij.
S. ERASMVS IN COELIO.
S. EVFEMIA { IN ESQVILIIS. / IN VIA APPIA.
S. EVPOLVS IN VIA OSTIENSI.
S. EVSTACHIVS PROPE PANTHEON, olim boni Euentus.

S. FABIANVS ET SEBASTIANVS IN VIA APPIA oblongum templum ſimplicis ſtructuræ, cum pauimento marmoreo, & adiuncto Monaſterio dilabente, in quo multæ SS. reliquiæ & loca, vbi corpora Beatorum Petri & Pauli olim ſepulta fuere, ara magna, marmorea, niuei coloris, quatuor columnis fulcitur, & tectum habet lapideum, vt plurima in vrbe, poſtremum cancella ferrea, ſub quo S. Stephanus Papa & Martyr reconditur, inſcriptione adiecta:

Ecce Pontifex magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo & inuentus eſt iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.

In tabula marmorea mutila, ad eum locum, vbi primò dicitur collocatus S. Paulus cum puteo extraheretur.

— HIC HAIGARE PRIVS SCOS COGNOSCERE DEBES
— NOIA QI Q7 PETRI PAVLI PARITERQ; REQVIRIS.
DISCIPLOS ORIENS MISIT QVOD SPONTE — —

IN SACELLO SVBTERRANEO AD quod deſcenditur XII. ſcalis in tabula.

Deus qui hodiernum diem Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli Martyrio conſecraſti, Da Eccleſiæ tuæ eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos religionis ſumpſit exordium, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui tecum viuit & regnat per omnia ſæcula ſeculorum.

Ingredientibus Cœmiteriū ſubterraneum. *Diui Calixti Papæ plenum venerationis locum, in quo ſub Impp: Romanis Chriſtiani latitarunt tyrannidem & perſecutionem eorum, quantum poterant, effugientes & Deo ſuo in criptis iſtis preces fundentes.*

Viſitet hic pia mens ſanctorum buſta frequenter,
In Chriſto quorum gloria perpes erit.

Hic eſt Cœmiterium Beati Calixti Papæ & Martyris inclyti, quicunq; illud contritus & confeſſus ingreſſus fuerit, plenam remiſſionem omnium peccatorum ſuorum obtinebit, per merita glorioſa centum ſeptua-

ginta quatuor millium Sanctorum martyrum, quorum ibi corpora in pace ſepulta ſunt, vnà cum XLVI. ſummis Pontificibus beatis, qui omnes ex magna tribulatione venerunt, & vt heredes in domo Domini fierent, mortis ſupplicium pro Chriſti nomine pertulerunt. Sixtus Abbas fieri fecit.

IN IPSIS CRIPTIS SVBTERRANEIS.

Saxa inciſa ſic:

Hoc eſt ſepulcrum S. Lucinæ Virginis & Martyris.

Hìc quondàm reconditum fuit corpus B. Ceciliæ Virginis & Martyris.

Hoc opus fieri fecit Reuerendiſs. pater D. Guilielmus Archiepiſcopus Bituricen. Anno Domini M. CCCC. IX.

Egredientibus criptas ex altero latere, ſacellum marmoreum, in quo vt adſcripta referunt, D. Gregorio ſacrum celebranti, quatuor animæ ex purgatorio comparuerunt.

Ad Scalam hæc.

Temporibus S. Innocentij Epiſcopi Proclinus & Vrſus presbyteri tituli Byzanti S. Sebaſtiano Martyri ex voto fecerunt.

Præter hæc columna monſtratur, in qua ſagittatus S. Sebaſtianus. Item menſura pedis Chriſti.

SVPRA COLVMNAS PORTICVS TEMPLI, QVAE ſex marmoreis columnis ſuſtentatur.

In iſto loco promiſſio vera eſt & peccatorum remiſſio, ſplendor & lux perpetua, quam meruit Chriſti martyr Sebaſtianus M. CCCC. LXIX. Iolian. Abb. de Varis fieri fecit.

S. FELICITAS IN VIA SALARIA.

S. FELIX { IN VALLE MARTIA. / IN PINEIS.

S. FRANCISCVS IN PEDE IANICVLI.

BEATAE LVDOVICAE.

Hìc iacet Beata Ludouica, filia Stephani, Petri, Matthæi de Albertonibus.

Cælituum conſors frueris quibus octa poſce,
Ludouica tuis noſq; tuere malis.
Da modò te facilem ſanctiſſima numina dextro,
Qui miracla facis tot pia, & affer opem.

PHILIPPO BARBARNEO.

Veneto Protonotario Apoſtolico poſitum.

FRANCISCO DE ANGVILLARIA.

Comiti Verſi filio M. Domina Lucretia de Fameſia coniugi ſuo pientiſſimo & benè merenti fecit, qui obijt anno Domini M. CCCC. LXXIII. in pace, Amen.

GESIMINA CERVARIA.

Cum Gonioſa & Ioanna ex Io. Andrea Bramhaleone coniuge fil. circumq; ac Petrum Nardines illarum maritos, haud eorum voluntatis immemor, auiam, materteram, patruum, parentes, vt ſimul eis quotannis iuſta fieri, ſimulq; ſurgere poſſint, hoc monumento Ioan. Andreas Nardinus Diui Petri Vaticani Canonicus pientiſſimè ſimul clauſit, die XI. Decemb. M. D. XXXIIII.

IOAN. PAVLO DE LECHA.

Comiti Cinararchæ Inſulæ Corſicæ domicello, generis ac animi magnanimitate primario, dum de repetundis rebus ope Leon. X. Pontif. Max. agit, Romæ vita functus eſt M. D. XV.

VIN-

VINCENTI IVDICIS.

Hoc tegitur tumulo Iudex; cui ſplendida Minos
Arbitria, & vacuas fecerat atra colos
Veri Parca tenax: hanc præceps mouerat ira,
Sæpè quod is medica reppulit Argus ope.
Sparge roſas Paule & violis opobalſama miſce,
Sic Latio dictes aura ferenda foro.

Victoria vxor & Paul. fil. Vincentio Iudici parenti nconſolabiles poſ. Vix. LVI. ann. M. D. XLI.

PANDVLPHO ANGVILLARIAE COMITI.

Militiæ domiq; ſtrenuo, de Repub. Chriſtiana benem. morib. integro, iuſtitia in ſubditos admirabili, Hiſtoriarum Rom. & Rer. theſauro, qui vixit ſæculum emeritos ſenectutis annos, ne cùm corpore animus marceſceret, regulæ III. ord. Diui Franciſci tradidit. filij vnanimes contra teſtamenti verecundiam patri optimo poſ.

Camillæ Tozolæ.
Ioannis Veliterni nobilis Rom.
Ptolom. de Iaroponis Corſi.
De Macaronibus.
Magiſtri Saluati Chyrurgici S. D. N.
Chriſtophoræ Saladinæ nob. Romanæ.
Lucretiæ Caſaræ.
Bernardini Thomaſij ſenſalis ripæ.
Gabrielis & Franciſci Zaccariæ.
Gregoriæ Caſtellanæ patriciæ Rom.

S. GEORGIVS IN VELABRO.
S. GEORGIVS IN SPECIS.
S. GERVASIVS.
S. GREGORIVS ad caput pontis Fabricij.
S. GREGORIVS IN COELIO.

Monaſterium hoc habitatur à Germanis & Belgis Monachis: in templo profunda ſpecus cum fonticulo, quam S. Gregorius inhabitauit. In horto tabula lapidea oblonga, quæ menſæ loco fuit XII. pauperibus, quos quotidiè pauit, ſicuti facti hiſtoria ibidem depicta cernitur.

EDVARDO CARNO.

Britanno Equiti aurato, Iuriſconſulto, oratori ſummis de rebus Britanniæ Regum ad Imperatores, ad Reges, bisq; ad Romanam & Apoſtolicam ſedem, quarum in altera legatione à Philippo Mariaq; pijs regibus miſſus, oborto deindè poſt mortem Mariæ in Britannia ſchiſmate ſpontè patria carens, ob Catholicam fidem cum magna integritatis veræq; pietatis exiſtimatione deceſſit. Hoc monumentum Galfridus Vachanus, & Thomas Fremannus amici ex teſt. poſ. Obijt M. D. LXI. 14. Calend. Febr.

ANDREAE GENTILI.

Patricio Genuenſi bonitate, plus quàm credibile ſit, conſpicuo. Vix. ann. LIX. Menſ. III. Dies X.

Battinæ Matronæ caritate inſigni vix. an. XLIII. Menſ. IIII. Dies X.

Iuliæ Gentili puellæ ſuauiſs. in primo ætatis flore ereptæ Vix. ann. X. Menſ. IIII. Dies XI. Lucretia & Heliſabetha ſuperſtites parentibus pientiſs. ſororiq; dulciſs. benè mer. poſ. Anno M. D. XXV.

ANTONIO PALVZELLO.

Pauli filio ob ſingularem humanitatem omnibus æquè caro, atq; iucundo, Sabus Paluzellus fratri amantiſs. benemerenti fecit, Anno poſt Chriſtum natum M. D. LIII. vixit ann. xLVII. Menſ. x. Dies xxIII. Sabo Paluzello Rubeo viro frugi, & in ſummis diuitijs abſtinenti, quodq; rarùm eſt fideli, qui climacterico anno eſſe deſijt.

IOAN. TROTETI.

Viro optimo Ioanni Troteti de Viſulio, natione Burgundo, Rectori Parr. Eccleſiæ de Bonragniæ Biſuntin. Diac. executores poſuerunt.

GVILIEL. ROLE.

Viro claro, Canonico Cantoriq; Leodiens. Eccleſiæ Ioannes Hoern Leodienſ. electus oratori ſuo apud Sixtum IIII. Pontif. Max. benemerenti poſuit.

IOAN. FRANC. POGGIO. D. O. M.

Florent. cum virtute ac conſtantia, morum grauitate, vita integerrimè acta, paterna ſuaq; laude eloquentiæ ac literarum, Iuris quoq; ciuilis & Pontificij, diuinæq; ſcripturæ cumulata doctrina, religioſè viuenti, religioſius ſupremo die functo. Vincent. Lucæ Martinus fratris eius gener paren. apud ſe locum ſemper adſecuto opt. merent. poſ. Obijt anno Domini M. D. xxII. Die xxv. Iunij. Vix. an. Lxxix.

CATHARINAE PICOLOMINEAE.

Matronæ pudiciſs. ac omnium virtutum ſplendore, quæ mulierem honeſtant, ornatiſs. Hieron. Venturius filius pientiſs. matri cariſs. poſ. Vixit an. LxIII. Menſ. vII. Dies xII. Obijt M. D. xxx. Die xx. Octob.

ELISABETH TORNABONAE.

Nobil. Florentinæ probitate morum integritate pudicitia inſigni ornatæ, domeſticarumq; rerum peritiſſimæ Pandulphus Deliachaſa coniugi benemerenti votum poſ. Obijt xIx. Iunij M. D. x.

CORNELIAE VENAE.

Vetuſtiſs. Raimundorum & Martin. ortæ familijs, forma moribus frugilitate optimisq; naturæ dotibus inſigni prædit. proh dolor mort. erept. ætat. L. annos xxII. Menſ. v. M. D. xxvII.

GINEVRAE DE IOANNE.

Integerrimæ mulieri Gineuræ de Ioannis Florentinæ, Philippus de Carolis coniugi benemeritæ eidem & poſteris ſuis monum. poſ. Die xxvII. Iunij M. D. x.

PANDVLPHO NICOLINO.

Florent. in regend. inſtruendisq; equis præſtantiſſimo à Iulio II. & Leone X. Pontif. Max. equilibus Pontificijs præfecto, fide, bonitateq; conſpicuo ex teſt. poſ. Vix. ann. xLv. Menſ. Ix. Dies vIII.

PETRO BELTRAMO.

Hieronymi filio, ſagaciſs. ingenij iuueni, virtute ac bonis artib. ornato, quem mors immatura intercepit, Ioanna mater vnica ſpe orbata, multis cum lacrymis poſuit. Vixit an. xxI. M. vI. Obijt xIII. Nouemb. M. D. xLIIII.

BONSIORVM.

Antonius & Michaël Bonſij fratres nob. Florent. hor. vultus adſpice fortes in aduerſis contra non fidentes, ſedem perp. requietis viui ſibi poſterisq; poſ. & de ſe duntaxat ann. iuſtor. memoriam per confratres, & Mariæ gratiarum & conſolationis habend. curauêre: Michaël excogitauit ann. agens xxxv. alter quamuis natu maior ann. xI. cuius primæ erunt, adſenſus eſt.

LANZE-

LANZERINI.

Leoni Lanzerino pat. Rom. officij & amicitiæ cultori præcipuo. Vixit an. xL. Menſ. v. Dies xxvi. Obijt anno M. D. Lv. Lucia Galla coniugi opt. inſolabiliter mœrens poſ.

OFFICIALIS MAGLOVIENSIS.

Ioan. de Plumagant nob. Canon. & Officiali Maglouienſi Iuris ciuil. & Pontificij, bonarumq; artium perit. morum grauitate integritateq; præcl. Dionyſius Epiſcopus Maglo. Regius Orator amico benè mer. poſ. Obijt immatura morte vi. Calend. Auguſt. M. D. ix.

CATHARINAE ALBERTAE.

Fecunditatis & pudic. lectiſſimæ fœminæ Simon Iornabonus, Mediceæ domui coniunctiſs. decennio in vrbe Senatoria dignitate perfunctus, vxori incomparabili poſuit. Vixit an. Lx. Obijt pridie Calend. Decemb. M. D. xxxiiii.

PLACIDO FVSCO.

Monte florum Arimicienſi art. Medicinæq; D. Com. Palat. qui tùm in Flaminia, tùm atq; Siciliæ, plærisq; ciuitatibus, ob admirabilem prædicandi facultatem Prognoſtes vocatus eſt, tùm Romæ à Pio V. in familiam cooptatus, & ante & poſt eum in S. Spiritu Noſocomion, atq; in S. inquiſitionis carcerem miſſos, aliosq; pietatis erga pauperes annos xvi. curando, obijt prid. Id. Mart. M. D. Lxxiv. vixit an. Lxiiii. Menſ. v. Dies ii. Thomas Fuſc. filius V. D. Vinc. Her. teſt. rog. Cul. I. P.

Poſt obitum viuo melius, doleoq; medendi
Artibus extremum ſæpè fugaſſe diem.

PALLA MATRONAE.

Matutiæ Pallæ Narci Olbitri continentia, ac pietate matronæ inſigni, quæ vixit ann. Lviiii. Menſ. x.

IOAN. FRANCISCI DE MARINIS.

Ioan. Franciſc. de Marinis nob. Genuenſ. quem in patriam poſt xL. an. labores viriliter exantlatos, reditu ad quietem cogitantem, irata mors detinuit, quippe quæ ſibi Romam ingenioſorum hominum ſepulcrum eſſe voluit. Vixit an. Lxiii. Nemini præter mortem inferentes iniuriam, Darat. de Marinis nepos patruo opt. benè mer. poſ. M. D. xxvi.

ANDREAE DE CASTRO.

Adſit & legat hæc notata vita,
Trepidat, moneo, licet iuuenta:
Sis forti atq; animo potens, eundum eſt
Nec qua ſcire licet via, venit mors
Clam per mille modos; en ipſe florens
Equi calce feri peremptus hîc ſum,
Quare viuito iam benè ac paratus.

Andreæ de Caſtro iuueni Salmantino, & quidem frugi fatorum inuidia ac ſpe creſcente erepto, Chriſtophorus de Caſtro auunculus paterna pietate poſ. Vixit an. xxvi. obijt xxvi. Ianuarij, M. D. xxi.

ANTONII VALIS.

Antonio Valis Barchinone clariſſima Celtuberiæ ciuitate honeſtoq; loco generato, qui literis, conſilijs & opera, multis Principib. cariſſimus & in honore habitus, qui in Rom. Curia diù & non obſcurè verſatus fuit. Petrus Altiſſen. ſcrip. Ap. eius teſtament. execut. vnic. per eum deputat. benè mer. poſ. qui vixit ann. xxxiiii. Menſ. iii. Dies xv. Obijt Romæ ſedente Sixto iiii. Pontif. Max. xiii. Auguſti, M. CCCC. Lxxxii.

DE VALLE.

Dilectiſſimę coniugi Hieronymæ de Valle nobilis Romanæ, quę vixit an. xxxiii. Menſ. iii. & dies iiii. Camillus de Citara nob. Rom. multis cum lacrymis hoc monumentum fieri curauit, M. D. Lxx. Die xix. Septemb.

CAPISVCCAE.

Corneliæ Capiſuccæ patriciæ Rom. fidei & pietatis exemplo, matri pientiſs. & Catharinæ Ciociæ ſorori dulciſs. mœrens, poſ. M. D. LIX.

COLVMNAE.

Corneliæ Columnæ, vxori quondam Pyrrhi Maluetij nob. Bonon. quæ vixit annos LVIII. Pomp. Aſcanius & Ioſephus de Rubeici, heredes ex teſtamento benem. poſuêre. Obijt anno M. D. LXII. die III. Octobr.

LAVRA SETINAE.

Religione ac honeſtate decoratæ, quæ lethali morbo conſumpta, cœleſtem animam eius ſalute prouiſa terræ reddidit corpus, v. Id. Octobr. M. D. LXXII. M. D. LXXII. ætat. ſuæ XLV. Felix Coſmus Iolentinus vxori benemerent. poſ.

VERCELLINO BVCHAE.

Ex oppido Candiæ Marchionatus Montferrati in alma vrbe per ann. LV. honorificè verſato, nouiſſimum vniuerſæ carnis reſurrectionis diem expectanti. naturæ debitum ſoluit VIII. Id. Decemb. M. D. LXXI. ætatis ſuæ LXXIII.

ANGELO MELLOLO.

Bonon. militi bono & fideli, ob integritatem morumq; ſuauitatem Ioanni Card. Morono à Secretiſ. Vrſina Bonon. coniux M. D. LXXII.

AEMYLIA DE TEBALDESCHIS.

Hîc iacet D. Aemilia de Tebaldeſchis, quæ vixit annos LXV. Obijt XVII. Martij, M. D. LXX.

BAGASIAE.

Franciſco Mariæ Bagaſiæ viro integerrimo, Catharina Troila benefactori ſuo vix. ann. LII. Obijt die VII. Septemb. M. D. LXII.

ALEXANDRO FVSCERIO.

Vrbinati, viro integerrimo, cauſarum patrono ſuæ ætatis facilè principi, & Septimiæ Fuſcheriæ puellæ lectiſſimæ Geneura Corteſia, viro optimè merito, ac filiæ dulciſs. Vincent. Fuſcherius vtr. ſignat. Referen. & reliqui fratres patri cariſſimo & ſorori ſuauiſſimæ fecerunt. Vixit pat. annos LX. filia ann. X. Obijt ille, Anno M. D. LIIII. hæc anno M. D. LXII. VI. Calend. Decemb.

BARON. RAVCAE.

Adæ Baron. Raucæ Lotharingo, V. I. Baccalaur. Scriptori & Protonotario Apoſtolico, Comiti Palatino omnibus ſibi notis admodum caro & benè accepto, ſuæ ætatis annum fermè XL. attingenti Sept. Id. Nouemb. M. D. LIIII. ab humanis in vitam feliciorem ſublato.

LVCRETIAE SFORTZIAE.

Bombelliæ fœminæ ac prudentia inſigni Bernard. Bombellius maritus vxor. cariſs. poſ. Anno Domini M. D. LXXII. Vix. ann. XXXVIII.

ELISABETH A CORRIGIO.

Vxori Vincentij Cencij fœminæ, pudicitia & moribus inſigni. Vixit annos LX. Amici & heredes benemerenti P. C. Anno Domini M. D. LXXI.

NICOLAO ACCIATOLO.

Florentino Iuriſconſult. apprimè docto, qui cùm Florentinam olim Rempubl. adiunctis ſibi collegis rexiſſet, nec non poſtea Romæ in Aduocationibus doctè ac ſtrenuè ſe geſſiſſet, tandem ad vitæ quietem ſe contulit, & ex hoc ſæculo migrauit, anno ætatis ſuæ LXVI. Obijt Anno M. D. LXV. IIII. Non. Aug. filij poſuêre.

ROBERTO PECHAMO.

Anglo Equiti aurato, Philippo & Mariæ Angliæ & Hiſp. Regibus olim à Conſilijs, genere, religione, virtute præclaro, qui cùm patriam ſuam à fide Catholica deficientem

cientem aſpicere, ſine ſummo dolore non poſſet, relictis omnibus, quæ in vita cariſſima eſſe ſolent, in voluntarium profectus exilium, poſt ſex annos pauperibus exempli heredibus ex teſtamento inſtitutis, ſanctiſſimè è vita migrauit. Id. Septemb. M. D. Lxix. ætatis ſuæ Liiii. Thomas Goldouellus Epiſcop. Aſauenſ. & Thomas Kirtonus Angli teſtamenti procuratores poſ.

STATII TVMVLVS.

Statius hîc ſitus eſt, iuuenem quem Cypris ademit,
Præconem Aeneæ carmine quòd premeret.

Statio Statij fil. dulciſs. Chriſtophora M. pientiſs. P. Vix. ann. xxxiii.

PANDVLPHI NICOLINI.

Pandulpho Nicolino Floncitino, in regendis inſtruendiſq; equis præſtanti, Iulio II. & Leoni X. Pontif. Max. equilibus Pontificijs præfecto, fide bonitateq; conſpicuo executores ex teſtamento poſ.

S. HIERONYMVS PROPE CVRIAM SABELLAM.

CATHARINAE LANGERIN.

Inualides æger dum vult curare parentes,
Fata recidiuis implicuêre malis.
Tum magno enixam Lucina dolore coëgit,
Atram Perſephones dira ſubire domum.
O pietas! ô dii! crudeli ſorte licebat
Viuere, ſed præſtat cum pietate mori.

Catharinæ Langerin, coniugi ſuauiſſimæ, elegantia formæ perpaucis, moribus verò atq; viuendi conſuetudine nulli fœminarum comparandæ, quam concordia mariti, fortunæ bonis, liberiſq; fortunatam dixiſſes, ſed ea omnia, ne quid humani non fluxum caducumq; exiſtimes, mors importuna inopinanti ante tempus eripuit. Moritur annò ætatis ſuæ xxvii. à ſalut. Chriſtiana M. CCCC. xCv. prid. Calend. Ianuar. Ioan. Langer maritus, & Ioan. Engel genitor eius hoc monumentum contra vota ſtatuerunt.

IBIDEM.

Dum ſacris Lyricis componit corda Iacobus
Litigioſa hominum legibus, hinc abijt.
Nunc ſanctas animas, ſupera ad conuexa vocatus
Ante Deum hîc mulcet, ſed graviore lyra.

S. HIPPOLITVS SVB QVIRINALI.

S. IACOBVS IN CIRCO FLAMINIO HISPANORVM.

ALPHONSO DIAZ.

Cordubenſ. Cauſidico iuſtiſs. patri Menriæq;, & Lionoræ ſororib. defunctis, ac Mariæ Fernand. matri, ſibiq; viuens, poſteriſq; eorum Didacus Diaz Cantor Ludenſis pientiſſimè P. M. D. xxv.

Vt Mercurij ac Saturni diebus ſingulis Deo Opt. Max. ſacrum offeratur, anniuerſariumq; Menſ. Iulij v. id perpetuum celebretur, Capellam hanc & dot. Didacus Diaz Protonatarius Apoſt. beatiſſimæ virg. dono dedit, dicauitq;.

PETRO FERNANDI.

Portion. Hiſpalen. ſed. Apoſt. protonot. qui vixit ann. xxxiii. Menſ. vii. Dies xv. Gartias de Gribal Pontif. ſcript. Apoſt. ex teſtamento benemer. poſ. Obijt xxvii. Ianuarij M. D. II.

ALVERO PEREZ.

Del Vellar Can. Compoſtell. literarum Apoſtol. ſollicit. dum ſe moriturum cenſeret, Capellam hanc D. Iacobo dotemq; dedit. Vixit annos xxxviii. Menſ. vii. Dies xx. Obijt iii. Decemb. M. CCCC. Lxi. hered. b. m. p.

RODERICI DE OGNA.

Rodericus de Ogna Baccalaureus in Decretis, optimis parentibus natus, ex oppido de Ogna oriund. vixit an. xLv. deuotiſs. animam illius conditori tradidit ix. Septemb. M. D. xxv.

AD LECTOREM.

Ne ſpem his humanis fugitiuis ponite rebus,
Spes quoniam hîc mecum tota ſepulta mea eſt.

HIERONYMO MIRANDA.

Natione Hiſpano, patria Burgen. viro frugi à literis bullatis, Apoſt. ſcrib. & Ioan. Card. Arborenſ. famil. fideliſſimoq; alumno.

CANONICI AGRIN.

Guideſaluo Hiſpalen. Can. Agrin. Ioan Arboren. & Ioan. Agrigen. Card. magn. domus fide & integritate probato. Ant. de Ripa, Salaman. ex teſtamento benè merit. poſ.

MARTINI DE CAVEIS.

Sep^m. R. Patris Domini Martini de Caueis ſed. Apoſtol. Protonotarij, & D. D. Auditorum Rotæ Decano, qui obijt Menſ. Iulij, Anno M. CCCC. xLviii. cuius anima in pace requieſcat.

PRIORIS EXOMENS.

Ioan. de Nebreda, Priori Exomenſ. viro integerrimo, in amicosq; obſeq. in eius maiorum tumulo executores teſtamenti p. cur.

HIERON. RASSON.

Vrbem miſſus ad Henricam faceſſere iuſſa,
Vix vrbi notum me breuis vrna premit.
Raſſon Hieronymus curſum fortuna peregit,
Sola, nec id merui, mors inimica fuit.
Hoſpes quiſquis ad hæc pergit delubra Iacobi,
Sacratam in cineres buſtaq; ſpargat aquam.

Iacet hîc Hieron. Raſſon Hiſpan. qui obijt vii. Id. Ianuarij. Anno M. CCCC. Lxxxxviii.

CARDINALIS ARBOREN.

In Serre Epiſcopo Præneſt. S. R. E. Card. Arborenſ. A. de Monte Car. exec. ex teſtamento poſ.

ALVERO DE BASSAMONTE.

Hiſpan. ex clara famil. ort. Alexand. Pont. Max. cubiculo herſcitus eſt. Vixit an. Lv. Menſ. vi. Dies viii. elatus maxima ſuorum non ſine lacrymis frequentia, v. April. Anno M. D. iiii. ſedente Iulio II. pont. M. feria v. hor. iii.

IOAN. DEBRII.

Sepulcrum quondam Ioan. Debrij Hiſpani, Decretorum Doctoris, literarum Apoſtolicarum Abbreuiatoris & Contradict. procuratoris, cuius anima requieſcat in pace. Obijt. xiii. Octob. Anno M. CCCC. Lxxx.

GVARDISCALCI RODER.

Hîc requieſcit Guardiſcalcus Roder de Oranda mag. domus Reuerend. patris Ioannis Arias Epiſcopi Legouienſ. cuius anima requieſcat in pace, ex teſtamento P. magno cum omnium mœrore.

PETRI GVADESALVI.

Hîc iacet Petr. Guadeſaluus, de Guadelaſara Archipresbyt. de Hitalis de cauſ. parentis.

EPISCOPI CIVITATEN.

Alfonſo de Paradinas Epiſcopo Ciuitaten. Eccleſiæ huius & hoſpitalis fundatori, paupe-

pauperum oppreſſorumq; fautori pijſs. cæterarum cognitionum conſ^mo^ honoris virtutiſq; cauſſa. Vixit an. Lxi. obijt xix. Octob. M. D. Lxxxvii.

CARDINALIS CVEVAE.

Bartholomæo Cueua ab Illuſtriſ. Ducibus de Arbur quoq; orto, S. in Hieruſalem presbytero Card. locum hunc ſibi ad ipſa templi limina optauit. Domine propitius eſto mihi peccatori. Vixit ann. Lxi. obijt anno M. D. Lxii. Calend. Iulij.

LVDOVIC. SIMMACAS.

D. Ludouicus Simmacas Venegas D. Sacræ Theologiæ, Arch. & Cano. Eccleſiæ Cordu, nobili genere natus, obijt Anno Domini M. D. Lxxi. Menſ. Iulij die xxii. ætatis vero anno xxix.

IOAN. MARTINEZ.

Anguiano V. I. D. Calaquiat. Eccleſiæ Arch. ab literis ſcribendis Apoſtolicis Centumuiro militiæ principis Apoſtolornm Equiti, ac pluribus alijs Romanæ Curiæ muneribus, abſq; vllo fuco functo, erga omnes fide conſtanti, pauperum verò defenſ. conſp. Nepotes patruo mœſtiſs. P. Vixit annos Lxxxviii. Menſ. vii. D. xxiii. Exceſſit maximo bonorum omnium dolore iiii. Id. Octob. M. D. xL.

SEBASTIANI MOREA.

Hoc tumulo teguntur oſſa Sebaſtiani Morea Scutiferi Apoſtolici, qui domum huic Eccleſiæ pro duabus miſſis celebrandis legauit.

IOAN. DE SPADA.

Ioan. de Spada presbyt. Palent. Obijt Auguſt. M. D. Liii. Hoſpit. Hiſpanorum ex teſtamento heres poſ.

LANCELLOTTI.

Iulianus Lancellotti humanum ſe videns p. x. par. f. cariſſimus iam adulto, & viuens ſibi poſteriſq; poſ.

DOMINICI DE ATAVANTIS.

Dominicus de Atauantis ſibi poſteriſq; ſuis, M. CCCC. xc.

CAROLI MAZEI.

Frater Claudius Cathebin. ordin. Heremit. S. Auguſtini & Theolog. profeſſori Domini.

Hoc ſacellum in Dei ac S. Claudij honorem crate ferreo, varijſq; picturis excoluit, & vt voluit, honeſtam dotem dedit, Anno ſalutis M. D. I.

PANDOLFELLI.

D. Laurentio Rub Pandolfello Cano. Baſilicæ principis Apoſtolorum auunculo ſuo pijſs. & Hieronymus Sancti A. B. M. Brigida & Lælia P.

VXORIS MACHABEI.

Semproniæ Baſiæ Machabeo Tuſian. Hier. Machabeus Caſtren. Epiſcop. matri pijſs. atq; benè de ſe meritæ P. curauit. Vixit annos xxviii. Menſ. i. D. xviii. Obijt M. D. Lii.

MICHAELI GALERA.

Rom. ſac. pal. Apoſt. cur. Notar. V. I. peritiſsimo, cuius ingenij dexteritas ſummaq; bonarum literarum ſcientia modeſtiſs. cæteriſq; virtutibus facilè reſpondebat, qui vixit annos xxx. Menſ. viii. Dies iiii. Obijt iii. Auguſt. M. D. Lxviii. Anna de Boſſis mater, & Margarita Galera ſoror, non ſine lacrymis poſ.

GRIONVM.

Hunc ſibi Griones tumulum fecere ſuiſq;,
Qui poſt ſupremum contegat oſſa diem.
Nam decet ætherijs animas vt reddier aſtris,
Sic condi proprio corpus inane ſolo.

Grionum familiæ ſepulcrum.

ABBA-

ABBATIS FARFENSIS.

Iacobo Ceraſolo de Mondopol. Abb. Farfen. portionario Ripæ, viro ſumma fide & integritate præſtantiſſimo. Qui vix. ann. LXXVII. & Menſ. III. Obijt die XVI. Iulij, Anno M. D. LXXIII. Lautina del Hatto Rom. coniux mœr. poſ.

ANTONII DE VALDERAS.

Anton. de Valder. Can. ciuitatis Tauri, & ex eadem oriund. B. P. D. Didaci Epiſcopi Tumorienſ. alumnus, ſub hoc lapide clauditur, qui obijt anno Iubilæi, Die VIII. Calend. Octobr.

ALPHONSI DE THAMORA.

Hic iacet Ioannes Alphonſus de Thamora Hiſp. Tamor. bo. me. Car. Neap. famil. antiq. Obijt XVI. Menſis Aprilis, M. D. XVI. requieſcat in pace, Amen.

PAVLAE CONCIAE.

Romanæ, vxori cariſſimæ Alphonſus Truglius Hiſp. P. Vix. ann. XXXI. Obijt XVI. Decemb. M. D. LXXI.

Trugillorum S^um.

MARGANELLAE.

Mariæ Marganellæ Iuſtinopolit. æterna ſit quies. Vix. an. XXIV. Obijt XXIIII. Ianuarij, M. CCCC. LXXXV. M. A. I. E. G. E. F.

BERNARDINO CORDVB.

Pontif. Max. diſciplinarum omnium cognitione inclyto, cuius ingenium ac diſſerendi acumen cunctarum gentium gymnaſia ſtupuêre, viro omni virtutum genere ornatiſſimo, qui vita ſacrarum literarum ſtudijs innocentiſſimè acta, multæq; doctrinæ monimentis poſteritati relictis, hominem exuit, anno ætatis LXV. Anno M. CCCC. LXXXV. Gregorius Card. Portuenſis benè mer. poſ.

MILITIS GVNDISALVI.

Gundiſaluo de Vetera, S. Iacobi de Spatha militi nobil. genere, qui cum Ferdinandi Regis, & Eliſabethæ Hiſpaniæ Reginæ apud Sixtum IIII. Pont. Max. legatione ſumma cum laude functus, in patriam ad Reges redijſſet, ob vitæ morumq; probitatem ac ſingularem erga illos fidem, ad eundem Pontif. iterum Orator miſſus, mortem honeſtiſs. obijt Anno ſalutis M. CCCC. LXXXIIII. XXVII. Menſ. Martij, Alphonſi Ciuitanen. Epiſcop. ex teſta. poſ.

RODERICO SANCTIO.

Præſuli Palentin. humani diuiniq; I. C. optimo, qui molem Adriani fid. præfectura cuſtodiuit, ſed Apoſt. obſer. Vix. an. LXVI. Beſſario Cardinalis Sabinenſis, & Marci Card. Diui Marci P. P. Obijt ann VII. Pauli Pontif. Max. in Octob.

PETRO CIACONI.

Presbytero Toletano, in quo multiplicis doctrinæ copia cum vitæ ac morum integritate certabat, qui à Gregor. XIII. Pontif. Max. Sanctorum Patrum libris ſacriſq; Canonibus, & ſacroſanctis biblijs perpurgandis præpoſitus, in eo munere obeundo, eruditione, iudicio, fide ac diligentia præſtitit. Eccleſia S. Iacobi Hiſpanorum, qui vrbem colunt, heres ab eo inſtituta monum. hoc P. Vixit an. LVI. Obijt Anno M. D. LXXXI. VII. Calend. Nouemb.

PETRI DE VELASSO.

Petrus de Velaſſo Hiſpalenſis ſacellum proximum ſua impenſa ſtructum, & ſacrificio perpetuo benè dotatum conceptionis Virginis Dei Mariæ pietatis ergò dic: ſepulcrumq; hoc ſibi & ſuis poſteriſq; eorum viuens P. Anno ſalutis Chriſtianæ M. D. XLI.

FRANC. DE FRIENTES.

Palentino, diplomatum Apoſtolicorum ſub Iul. Pontif. Max. ſcript. manſuetudine, probitate indefeſſoq; iuuandi ſtudio inſigni, ſolùm ad benemerendum nato, qui nulla

nulla re niſi moriendo nocuit longè plus alijs, quàm ſibi, Deo florentem gratia, beneq; volentem omnibus immatura mors ſuſtulit, minùs vt eſſet in terris boni. Petr. de Frientes concordiſs. fratri poſ. Vix. ann. xxxv. Obijt Anno ſalutis M. D. xiii. Iulij.

PETRI DE SERVILLA.

Requieſcit ſub hoc lapide paralyticum corpus Petri de Seruilla, ap. ſcript. hominis, non modò in ſuos, verùm in exteros beneficentiſs. ob cuius miram in laboribus manſuetudinem, patientiam, ſingularemq; erga omnes humanitatem piè creditur dimiſſo cadauere animam ad ſuperos euolaſſe. Vix. ann. LVII. executores ex teſtam. benemer. poſ.

FRANCISCO.

Iuris pontificij doctori, qui cum in Rom. Curia ſuis, inter quos magnas fortunas diſtribuerat, apprimè charus vixiſſet, à ſtolido quodam adoſcente, quem domi aluerat, præſentaneo veneno ſublatus eſt.

Heu foui in gremio qui me poſt perdidit anguem,
Sed tibi quàm morior, tàm benè viuo mihi.

CONSTANTINI DE CASTELLO.

Conſtantinus del Caſtello Decanus.

Archidiaconus dum ſe mortalem animo voluit, ſacellumq; hoc virgini dedicatum conſtruit dotauitq;, Anno M. D. LII.

BLASIO DE CASAMVIOS.

Viro integerrimo, & in omnes officioſiſſimo, qui repentinè moriens amicis magnum ſui deſiderium, propinquis luctum reliquit. Vix. ann. LIII. Menſ. VII. Dies III. Obijt VI. Calend. Martij. M. D. LXIIII.

Gratia Zancher mœrens coniugi, quem fide incomparabili dilexerat, & cum quo xxx. ann. ſine querela vixerat P. C.

FERDINANDI MVGNON.

Hiſpano Gien. Caroli V. Imperatoris peditum equitumq; præfecto, cuius fides & virtus, cùm in omnibus bellis, præſertim contra Saracenos fuerit inuenta, ab eodem Carolo multis priuilegijs honoribus & præeminentijs decoratus, ſed inter virtutis merita max. laudand. vt tandem tanquam Chriſti miles ann. Lx. agens, V. die Aprilis M. D. LVII. deceſſit. Melchior del Rio & de Heredia amico cariſſimo poſuit.

ALEXANDRI DE TOLEDO.

Sepulcrum Anth. Alex. de Toledo M. CCCC. XC. A. D. 8. M.

ITEM.

Sepulcrum quondam Brigidæ del Teotenice qui . . . .

IOAN. DE LANDA.

Hîc jacet Ioan. de Landa Sacerd. Calagurritan. & Canonicus Palent. qui ſtipendium pro Capellano in dies ſingulos perpetuò reliquit. Vix. ann. LXXVII. & Menſ. VIII. Obijt die XII. Martij, M. D. LXX. Execut. ex teſtament. poſ. Tu qui legis dic aue, & requieſcat in pace.

SOLLICITATORIS CAESARIS.

Io. Annone Caroli V. Rom. Imp. fidel. ſollicitator, qui vixit ann. xLIII. Obijt XXIII. Octob. M. D. xLIX. Io. Perez Artolacæ literarum Apoſtolicarum ſollicitatori, qui vix. ann. xxxv. Obijt XXVII. Nouemb. M. D. LII. Cantabris ambob. itemq; in Eccleſ. Pampil. Archid. religione amicitiaq; coniunctiſs.

Ioan. de Mondragon amicis vtriſq; cariſs. mœſtiſs. P.

Vnanimes viximus, nec adhuc mortui diſsidemus.

IN CO-

IN COLVMNA.

Ferdinandi & Eliſabeth glorioſ: Hiſpaniarum Regibus victoria recuperat: Granat: Regni nunciat: Innocentius VIII. Pontif: Max: ſacris hic ritè peractis prim: Febr: Dominicam præclar: indulg: à primis veſperis vſq; ad ſolis occaſum, vt Diui Iacobi feſto anniuerſari: multas ob cauſſas eſſe inſtituit Anno ſalutis M. D. II.

IBIDEM.

Iſta clauis eſt vnius duarum portarum Barbaricæ ciuitati Tripoli nũcupatæ, quam D. in feſto S. Jacobi ab infidelib: in manibus Ferdinandi fidelis Hiſp: Cath: Regis dedit, & propterea hic inde ex voto debito poſita fuit M. D. III. tempore Julij PP. II.

IOANNES DE MELLA.

Genere Hiſp: fam: ingenua, Cæſarei ac Pontificij Iuris Conſultus S. Laurentij in Damaſo Presbyt: Cardinal: Tamorent: ſacr: vix: ann: Lxx. Obijt III. Nouemb. Anno ſalutis noſtræ M. CCCC. Lxiii: Paul. Pontif. Max. II. anno IIII.

IOAN: DE CAPEDA.

Ad piam memoriam Ioannis de Capeda Presbyt: Palent: I. V. D. cuius anima requieſcat in pace. Obijt die xxx. Auguſt: M. D. Lxxiiii.

IOAN: ROMEAE.

Ioan: Romea de Nogaetas ſic volui condier vix: ann: xxx. Obijt II. Octobr. M. D. II.

IACOBO LAPEZIO.

Moratell: ex celeber: Hiſpan: Taeraconeñ: oppido Gualdaiara nuncupat: huius ædis ſacræ Procantoris munere ann: plus xx. cum magna laude defuncto Vix: ann: XLI. Obijt M. D. XLviii. x. Calend: Octobr:

EPISCOPI GIENSIS.

Gab: Mer: Gienſ: Epiſcopo à Carolo V. Imperat: ob ſedand: populares Hiſpan. ſeditiones inter intimos Conſiliario aſcito, Claui in Italiam nauiganti præpoſito bello Pannonico, pro communi ſalute ſuſcepto procurat: rerum Caſtrenſium præfecto à Clemente VII. Pontif: Max: admiratione virtutis ad ſummos honores euecto LXIII. ætatis ſuæ anno, rubrico dolore benè acta vita functo P.

GARSIAE.

Hic iacet Garſias nat: Hiſpanus & patria Mentin:

MELCHIORI RAMIREZ.

Melchiori Ramirez de Deiet: fac: pœnit: Apoſt: correctori ciuitatis de Raet, ingenio, vitæq; integritate prædito omnium negotiorum Romæ quæ geruntur peritiſſimo, nata Elionora de Auila eius vxor ſibi ſuiſq; liberis M.P.C. Vix: ann: Li. M. vi. D. xxviii. Ob: prid: Cal: Sept: M. D. Lxvi.

IN MVRO.

Innocentius Epiſcop: Seruus Seruorum Dei vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In Apoſtolicæ dignitatis culmen diuina diſponente clementia ſublimati dignum reputamus, vt ſub Sanctorum Apoſtolorum nominibus præcipuè

in alma

in alma vrbe Deo dicati congruis extollantur honoribus, & Chriſti fideles vniuerſi, quorum ſalutem deſideramus, ad illa confluentes, ſuorum delictorum ſarcina depoſita, remiſsionum gratiam ibidem conſequantur. Cupientes igitur, vt Eccl. Sancti Iacobi Hiſpanorum nuncupati de vrbe dignis honoribus frequentetur, & à Chriſti fidelibus in veneratione habeatur, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli eius auctoritate confiſi, intuitu & conſideratione dilecti filij Nobilis viri Ereti LopetZ de Mendotra, comiti de Tentiglia cariſsimi in Chriſto filij noſtri Ferdinandi Regis, & cariſsimæ in Chriſto filiæ Eliſabeth Reginæ Caſtellæ & Legion. Illuſtrium càpitanei & Oratoris ad nos deſtinati, qui nobis ſuper hoc humiles preces porrexit, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus vtriusq; ſexus, qui Eccleſiam prædictam in feſto eiuſdem S. Iacobi à primis veſperis vſq; ad occaſum diei ipſius deuotè viſitârit annuatim, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſsionem, & indulgentiam autoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & elargimur. Datæ Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXXXVI. XI. Calend. Februarij, Pontificatus noſtri anno III.

DIDACI DE VALDEZ.

Certa dies nulli eſt, mors certa, incerta ſequentum
Cura, locet tumulum qui ſapit ante ſibi.

Didacus de Valdez Aſtur patria, Pontificatuq; Zamoren. cum ſe moriturum aſſiduè meditaretur, viuens hoc ſuo cadaueri ſtatuit monumentum. Vixit annos propè Lx. obijt xxvii. Decemb. M. D. vi. Die xi. Menſ. Septembris, Pontif. Max. Alexand. Valen. anno iiii. cùm Magiſtratum domus eius exerceret.

Religio ſocia vitæ fuit, & pietas mortis comes.

IN MVRO CAPELLÆ.

EPIS. ZAMORENSIS.

Adhæc obligatur Eccleſia iſta gubernator & adminiſtrator pro tempore, ex fundatione & dotatione Capellæ S. Illifonſi, per Dominum Didacum de Valdis, Epiſcop. Tamorenſ.

Inprimis deputare ſalarium duobus Capellanis, qui vltrà XII. qui nunc ſunt in ſingulis diebus, per ſuas hebdomadas alternatim teneantur celebrare vnam miſſam feſti currentis, cum oratione pro dicto Domino Epiſcopo & ſuis defunctis, & ſi feſtum non occurrat, celebretur miſſa, Te requiem, pro eiſdem.

Item, ſingulis hebdomadis II. III. vel IIII. feria Capellanus, qui miſſam in dicta Capella celebrare debet, in vna quatuor Eccleſiarum, in quibus offeratur ſacrificium pro animabus in purgatorio exiſtentibus, videlicet prima hebdomada Menſ. in die deputat. in Capella de Scala cœli ad tres fontes. II. hebdomada in S. Sebaſtiano in altare refrigerij. III.

hebdomada in S. Gregorio. IV. hebdomada in cripta S. Laurentij, extra muros celebretur, pro Domini Epiſcopi & ſuorum defunctorum animabus.

Item, tenentur ſupradicti in ſolemnitate Diui Illefonſi, quæ celebratur XXIIII. Januarij, ſub cuius inuocatione Capella eſt dedicata primas Veſperas, Miſſam, & ſecundas Veſperas, ſolemniter celebrare, & pro omnibus Capellanis conſtituit tali die X. Carolinos pro eorum communi præſentia.

Item, tenentur ſupradicti intellecto obitu Domini Epiſcopi obſequium ſolemne immediatè facere, & poſtea intellecto certo die obitus ſui, tali die ſui obitus ſingulis annis in prædicta Capella miſſam, Te requiem, cantare, cum Diacono ac Subdiacono, ac reſponſorijs ſuper eius ſep. & cre. Tali die dent omnibus Capellanis VI. Carolinos pro communi præſentia.

Item, tenentur ſupradicti ſingulis annis in commemoratione omnium defunctorum, ponere ſuper ſepulcrum prædicti Domini Epiſcopi unum tapetum, & duas faces, quæ ardeant per totum officium Vigiliæ & diei, & offerantur ad pedes ſepulcri panis & vinum, pretio IIII. Carolinorum more Hiſp.

Item, quod nullus intra prædictam Capellam poſſit ſepeliri, niſi ſit ex progenie dicti Domini Epiſcopi aut dignit. ſeu Canonicus in Eccleſia Zomarenſ.

Et ſuper his omnibus exequendis Dn. Epiſcopus onerat conſcientiam gubernatoris & Adminiſtratoris pro tempore.

F. COLMENARES.

F. Colmenares Canon. Legion. viro nobili probatiſſimo, qui dum ætatis ſuæ annum agens Lxxxv. à remotiſſimis Hiſpaniæ finibus alumn. prauitate Romam citatus aduenit, in ſpem contra ſpem moriturus. Ioan. Martin. ſanguin. & Petr. Velaſus ex teſtament. Ob. xx. Calend. Octob. M. D. xxxi.

Hem foui in gremio, qui me poſt perdidit anguis:
Sed ſibi cùm morior, tùm benè viuo mihi.

GABARCI.

Nobili viro, de Gabarco Decano Eccleſiæ Amnid. Her. benemer. P. vixit ann. xxxvi. Obijt xix. Decemb. M. D. viii.

S. FRANC. DE TOLEDO.

Viro integerrimo, ſacrarum literarum noticia excellentiſſimo, morum ſanctimonia, fide, pietate, conſtantia inſigni, Antiſtiti Carienſi, Sixti IIII. Pontif. Max. Datar. cuius opera ad componendas Chriſtianæ religionis principum populorumq; diſcordias, Nicolaus, Pius, Paulus, Sixtus Pontifices domi foriſq; vſi ſunt, qui abſumpto munere, è Liguria rediens, magno deſiderio immatura morte peruentus, occubuit. Anno ætatis ſuæ Lvi. Menſ. iii. Die x. Salutis M. CCCC. Lxxix. v. Id. Februarij. Sixti IIII. ann. viii. Alphonſus etiam de Toledo fratri B. M. poſ.

IOAN. DE. FVESELIDA.

Hiſpano, Alex. vi. Pontif. Max. de intimis Secretario, Lupus de Fueſelida Ducis Valentini campi Ductor, ex teſtamento fratri benem. præſul. Interamnum. ſub Domini ſui ſepulcro P. Obijt anno Domini M. CCCC. Lxxxxviii. Die xviii. Martij.

S. IACOBVS
- DE AVGVSTA IN VALLE MARTIA.
- SCORZACABALII IN CAMPO VATICANO.
  Hic lapis eſt, in quo natum templo obtulit olim
  More Hebræorum virgo Maria ſuum.
- DE MOROTTIS, propè colum. Antonini.
- IN SEPTIMANO, trans Tyberim.

S. IANVARIVS IN VIA APPIA.

IESVITARVM VETVS ET NOVA.

IN PORTA MAIORI.

Alexand. Farneſius Cardinalis S. R. E. Vicecancellarius, Pauli III. Pontif. Max. Nepos, cuius authoritate Societas Ieſu recepta primùm fuit, & decretis ampliſsimis ornata, templum hoc ſuæ monumentum & religionis, & perpetuæ in eum ordinem voluntatis, funditus extruit, Anno ſalutis M. D. LXXV.

CAROLO CELSO.

Io. f. optimæ ſpei, ſummæq; feſtiuitatis ac ſuauitatis puero, Atalanta Coruaria filio dulciſſimo, multis cum lacrymis poſuit. Vixit ann. vii. Dies xv. Obijt Auguſt. M. D. Lxv.

Care puer, feſtiue puer, tibi munera mater
Vltima dat, matri quæ dare debueras.

BARTHOL. HASTALLO.

Philoſopho & Medico celeberrimo, vixit ann. xLviii. & Io. Baptiſtæ Haſtall. eius fratri viro optimo integerrimoq;. Vixit ann. Lvii. Paulus, Petrus, Hieronymus Haſtall. fratres, patri patruoq; ob multa merita, titulum poſuêre, Anno à natal. Chriſti M. D. vii.

S. IOANNES
- BAPTISTA IN COELIO.
- COLEVITA IN INSVLA ol. Aeſculapij.
- EVANGELISTA ANTE PORTAM Latinam, olim Dianæ in Cœlio: Prope hoc fuit Monaſterium Virginum, quod propter infanticidia deletum eſt funditus.

MONTIS ACVTI.

Monte acuto, ciui Florentino, morum decore ac liberalitate inſigni, qui dum Romæ Florentinorum Conſul eſſet, extremum diem obijt M. D. xLiii.

THOMAE ALBERICO.

Florentino, felix bonorum ipſius Romæ exiſtit, fratri benemerito mœſtiſs poſ. Vixit ann. xxxvii. Obijt M. D. Lxxi.

CATHARINAE CAMGIAE.

Florentinæ, iuuenculæ honeſtiſſimæ & pudiciſſimæ, quæ vixit ann. xix. Menſ. vii. dies xxiv. Ioan. Baptiſta Regius Monteferratus mœſtiſs. coniugi benemerenti poſuit.

FRANC. DELLA FONTE.

Florentino, viro probo, Iacobus Borgian. quo ſuæ cum Ioan. Baptiſta illius fidæ amicitiæ monimentum extaret, p. cur. Vixit ann. Lx. obijt, cùm eſſet conſul, anno ſalut. M. D. xxx.

PHILIPPO BRAVO.

Nobili Parmenſ. viro morum probitate, ac religione inſigni, Nicolai Gaddi, Guidonis Aſcanij, & Alexand. Stortiæ Cardinalium, nec non Pauli Iordani Vrſini Brauianenſium Ducis, intimo cariſſimoq; familiari, Luchina Tronamala Salen. optim. coniugi P. obijt vii. Calend. Nouemb. ann. ſalut. M. D. Lxxiiii. ætatis Lxxvii. Menſ. viii. D. i.

PVCCII.

Dominico à Puccio de Carda Cuſentinenſi priuigno in filij loco dilecto fel. cap. flore P. M. D. Lxxiiii.

CAROLO IOLLO.

Florentino, cuius quanta in ſutoria arte excellens præſtantia, tanta fuit in illa exercenda integritas & probitas, filij mœſtiſs. patri optimo poſuer. cum vixit annos Liiii. Menſ. vi. Dies iii. obijt ix. Ianuar. M. D. Lxiii.

FRANC. IOTTI.

A Sanct. Ioan. viro integerrimo, & negotijs gerendis ſolertiſſimi ingenij, Laur. fratri pientiſſimo mœr. poni curauit, Anno M. D. Lviii. Vixit ann. Lxxiiii.

CONCINELLI.

Ioannes Baptiſta Concinellus Pamararius hîc iacet humatus, qui, cùm xxxvi. an. vixiſſet die vii. Auguſti, M. D. xLix. de vita deceſſit.

CAMILLO RICASOLI.

Bettini I. Florentino, qui ætatis ſuæ ann. obijt vi. iuu. opt. Octauianus frater mœrens poſ. M. D. xLv.

ALOYSII BARTHOLI.

Aloyſij Io. Baptiſtæ Barthol. Florent. hîc corpus requieſcit, & anima lætatur in cœlo. Vixit ann. xxxiii. obijt x. Decemb. M. D. xL. Laus Deo.

ANDREAE BAVHVMII.

Andream Bauhum. Florent. de ſe ob ſingularem animi virtutem ſpem pollicentem maximam florenti ætate liberis, aduerſo caſu obrutum, Lignorinus Florentinus inde ſua cura inuentum in teſtimonium amicitiæ & amoris mœrens hîc humari cur. Obijt die ii. Menſe Martij, M. D. xLiiii.

RIMBOTTI I. C.

Ioan. Mar. Rimbotto, de S. Anniate I. Conſulti, qui memor fidei, ſalutis immemor periculoſiſs. in tempore Romam veniſſet, Iun. Cardinalis cibo, ad quem miſſus erat, re benè geſta intempeſtiua cœli mutatione deceſſit. Obijt pridie Id. Iulij. Anno Domini M. D. xLiv. Vixit annos circiter xxxvii. amici benem. poſuerunt.

FELICI PVVINAE.

Florent. immatura morte præreptæ Franciſc. Sermanus à Lauiola ciuis Florentinus vxori dulciſſimæ multis cum lacrymis poſ. Vixit ann. xix. Dies ix. obijt xix. Calend. Sept. M. D. Lxv.

ALEXANDRO BARTHOLO.

Patricio Florentino B. f. cuius an maior fuit pietas in Deum ac parentes, amorue in cognatos, ſeu officium in amicos, adhuc dubium eſt, Vixit ann. Lviii. obijt vi. Calend. Decemb. M. D. Lx. ſalutis humanæ. Leon. fratri ſuauiſſimo mœrens poſuit.

IOAN. BAPTISTAE FLORENTIOLO.

Puerorum floſculo.

Ne dul-

Ne dulces ferres fructus mellite Ioannes,
Decuſsit flores mors inimica tuos.

Vixit annos vi. obijt x. Calend. Iulij, M. D. Lxxiii.

Simon & Lud. Florentini ciues, & eius parentes mœſtiſſimi amoribus & delitijs ſuis p. p.

NICOLAO CAROTINO.

Mercatori Florentino, viro frugi & integerrimo, qui vixit annos xLvi. & obijt die vi. Nouemb. M. D. xxxvii. filij mœſtiſs. poſ.

BARTHOLOMAEO.

Florentino, animi magnitudine, rei militaris vſu atq; virtute claro, præclaraque bellicæ dignitatis inſignia aſſecuto, poſt egregiam fortitudinis ſuæ apud omnes ſpem conceptam morte præuento, Carolus Oricellarius lacrymans amico cariſſimo poſuit. Vixit ann. xLiii. Menſ. x. Dies x. obijt die xii. Iulij, anno M. D. L.

MARIATTO IAMBONELLIO.

Honeſto loco Flor. nato, ſed & vrbis & Pontificiæ curiæ ſplendoris amore, virorum illuſtrium obſequio, & morum elegantia non obſcuro.

Franciſc. Puccius Sor. filius, cui viuens & nomen & facultates ſuas commendauit, poni curauit, obijt viii. Calend. April. Anno ætatis Lxviii. poſt Chriſti ort. anno M. D. Lxx.

BARTHOL. SERISTORIO.

Archiepiſcopo Tranenſi, vtriuſq; Signaturæ Referendario, ingenio, doctrina, moribusq; præſtanti. Vixit ann. xxxi. Menſ. x. Diem i.

Camillo Seriſtorio, optimæ ſpei iuueni, vixit ann. xxvii. Menſ. ii.

Auerardus Seriſtorius, apud Paulum III. Iulium III. Marcellum II. Paulum IIII. Coſmi Reipub. Florent. Ducis ſecundi Orator, filijs opt. F.

PHILIPPO THASINO.

Ciui Florent. integritate, prudentia, atq; morum ſuauitate claro, & ſingulari in ſuos pietate, mœſtiſs. hered. poſ. Vixit annos xLii. Menſ. x. Dies v. Obijt iiii. Id. Octobr. M. D. Lxx.

ROBERTO CALCANEO.

Ciui Florentino Rom. ciuitatem adepto Pauli IIII. Pontif. Max. à conficiend. ſacrarum veſtium ornamentis. Vixit ann. Lxxxii. obijt Non. Nouemb. M. D. Lx. Lucretia Bonacarta vxor & filij, marito & patri benè merito P. P.

GVICIARDINI.

Petrus Guiciardinus, patricius Florentinus xii. vir S. P. A. litibus iudicandis ſanctiſſimi Domini noſtri vtriuſq; Signaturæ Referendarius, atq; in Baſilica princip. Apoſtolorum Vicarius generalis, à Pio IIII. Pontif. Max. ad Maximilianum II. Romanorum Imperatorem legatus, prudentia, pietate, iuſtitia & comitate inſigni Laurentio fratre ponente H. I. E. Obijt anno Domini c I ɔ. I ɔ. Lxvii. iiii. Non. Auguſt. Vixit ann. xxxvii. Menſ. ix. Dies x.

PHILIPPO MARMORARIO.

Florentino Tenobij F. ſolertia, fide, prudentia præſtanti, integritate ac pietate, qui vixit annos xLiii. Obijt Calend. Auguſt. M. D. Lxxii.

Thomas Marmorarius, fratri cariſſimo ſingularis amoris & obſeruantiæ perpetuum monumentum, multis cum lacrymis poſuit.

GVIDANTONII ADIMANI.

Cùm Guidantonius Adimanus Don. F. Ioanni fratri vitam viuenti nihil prodeſſe præſens potuerit, mortem mortuo lep. hoc abſens cur. Vixit annos xLvii. Menſ. ix. Dies xiii. obijt xxii. Sept. Anno M. D. xLvii.

PHILIP. DE DONATIIS.

Ciui Florent. nobil. Mercatori integerrimo vita moribusq;. Obijt anno Domini M. D. xxix. ſocietas nationis Florentinorum ob B. M. PP.

RAPHAELIS GRISELLII.

Ciuis Florentini corpus hoc tegitur lapide, cuius ne fidei, integritatis, religionis, probitatisque memoria quoque tegeretur, Clementia caſtiſſima, poſtquam coniux cum eo annos xiiii. coniuncta vix. P. mœſtiſs. vix. ann. Lviii. Menſ. vi. obijt vi. Id. Febr. Anno ſalut. M. D. iii.

MAGDALENAE FANTORII.

Florent. ingenio ac morum honeſtate integ. quam ipſo ætatum flore heu mors inuida rapuit. Iacob. Montirapolus vxori dulciſs. mœſtiſs. poſuit xi. Calend. Iulij M. D. Lii. vixit annos Lvii. Dies xxiii.

ALEXANDRAE FVMANTIAE.

Florentinæ, non minùs venuſtate, quàm ingenio & moribus præſtanti, Antonius Benamontis de Brato cariſs. & benè mer. vxori P. C. vixit ann. xxxvi. Menſ. ix. Diem i. obijt xvi. Auguſti, M. D. Lxxiii.

S. IOANNES { DE FICOZA ſub Quirinali. / IN FONTE IN CAELIO. / IN LATERANO IN CAELIO. }

Pulcra Baſilica, in qua Romani Impp. auream Coronam ſolebant recipere, pauimentum eius marmoreum, laquearia inaurata, & olim Rom. Pontificum ſedes. In ea capita BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, & tunica S. Stephani maculis, cùm lapidaretur, infecta, & veſtigium cruentæ hoſtiæ, cum multis alijs reliquijs Sanctorum, de quibus plenè bulla Sixti IIII. pendens ad altare ſummum, marmor itidem inciſum, quod incipit: Gregorius Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſuper vniuerſas orbis Eccleſias Pontifex Romanus, &c. aſſeruari feruntur. Fuit plurimùm ornata à Nicolao IIII. Anno M. CC. XCI. quòd tituli opere Muſiuo in fornice chori teſtantur. Columnæ æneæ ſtriatæ in illa poſitæ, à Veſpaſiano Imp. Romam aduectæ ſunt ex Hieroſolymis. In ſacello Lauacri Conſtantini, vbi à Beato Sylueſtro baptizatus eſt, Capella, quam mulieres ingredi vetantur, propterea quòd D. Ioannes Baptiſta, prece fœminæ interemptus ſit. In illo columnæ Porphireticæ & Alabaſtrinæ pulcerrimæ, quæ cùm fricantur, odorem violarum reddunt, dicunt ex Palatio Pilati translatas. Theca plumbea eſt. In valuis æneis hæc:

In ho-

In honorem Beati Ioannis Baptiſtæ.
Hilarius Epiſc. Dei famulus fecit.

Cætera, quæ hic viſenda præcipuè proponuntur, ſunt: Porticus antiqua benedictionis. Columna, in qua Gallus cecinit, cùm Petrus Chriſtum negaret: Arca fœderis: Virga Aaronis: Longitudo Saluatoris: Menſa, in qua milites iecerunt ſortem ſupra Chriſti indumenta: Vna portarum ex atrio Pilati, qua egreſſus eſt Chriſtus, cùm patibulo crucis affigendus eſſet: Scala, in quam gutta ſanguinis Chriſti cecidit: & duæ ſellæ ſtercorariæ Pontificum, quibus imponuntur poſt Coronationem, vt reminiſcantur quotidiè, ſe homines eſſe, & in ſtercus, terram & puluerem, vti reliquos mortales, conuertendos, eoq; rectiùs agant, & officij ſui ſint memores.

IN PORTICV ANTIQVA MAIORIS PORTAE.

Dogmate Papali datur hoc mihi & Imperiali,
Quòd ſim cunctarum mater caput Eccleſiarum.
Hinc Saluatoris cœleſtia regna datoris
Nomine ſanxerunt, cum cuncta peracta fuerunt,
Sic ſumus ex toto conuerſi.

IN BASI ARÆ CVIVSDAM MARMOREAE.

Guilielmus de Pererijs auditor Deo & his ſanctis dedic. Anno M. CCCC. XCIII.

I. *IN TVMVLO AENEO MARTINI V.*

Martinus Papa V. ſedit PP. per annos XIII. Menſ. III. Dies XII. Obijt anno M. CCCC. XXXI. die XX. Febr. temporum ſuorum felicitas.

II. *ANONYMI.*

Vixi, quod volui, ſemper benè, pauper honeſtè:
Nullum fraudaui, quod iuuat oſſa mea.

III. Eſt Heliſabethæ Vrſinæ ducis Aſcoli & Arolæ Comitis coniugis.
Cæciorum cum ſacello mediocriter ornato.
Laurentij de Brunca ciuis Romani.
Lælij Nutij de Nigris Rom. ciuis.
Dominici Ram. Epiſcopi Portucen. S. R. E. Cardinalis Terraconienſ. obijt M. CCCC. XLV. Menſ. April. ætatis centeſimo.
Valerani Epiſcopi Tyburtini.
Laurentij Magi.
Guilielmi Golt Angli ſepulti, Anno M. CCC. LXXXIII. Videtur eques fuiſſe ex habitu & gladio, quo cingitur.
Ioannis Rubei Epiſcopi Aletrinatis.

Blaſij Corani Canonici Diui Petri, nati ann. Lxxx.
Ioannis Epiſcopi Parmenſis.
Domini Petri de Piperno, S. R. E. Diaconi Cardinalis Franciſci Torelli Vrbinatis.
Sebaſtiani Scarletti ædis æditui fideliſſimi.
Laurentij de Surdis Canonici.
Nicolai Anibaldi.
Dominæ Ritæ, vxoris Antonij Lelli.
Petri Pauli Cardelli, Canonici Lateranen.
Carilli Hiſpani Sacerdotis, peſte mortui.
Bartoli Oradini Peruſini Stroziorum.
Florentinorum alumni fideliſſimi.

LAVRENTIO VALLAE.

Laurens Valla iacet Romanæ gloria linguæ,
Primus enim docuit, qua decet arte loqui.

Harum ædium ſacrarum Canonico, Alphonſi Regis & Pontificis Max. Secretario, Apoſtolicoq; ſcriptori, qui ſua ætate omnes eloquentia ſuperauit, Catharina mater filio pientiſſimo poſ. Vixit annos L. obijt Anno M. CCCC. Lxv. Auguſti Calend.

ISABELLAE SPORZIAE.

Ioannis Piſaurenſium domini filiæ, fœminæ ſui temporis prudentia, ac pietate inſignis. Vixit ann. Lvii. Menſ. viii. Dies iii. Obijt M. D. Lxi. Calend. Febr. x.

D. ANTONII CARDINALIS.

Portugalenſis, qui obijt Romæ xi. Iulij, Anno M. CCCC. xLvii.

LAVRENTIAE.

Quondam vxoris Antonelli de Bucca planula Calabri.

IOAN. DE ANGVIRE HISPANI.

Da gemitus pia turba viro, lacrymasq; ſepulcro,
Cuius ab interitu ſæua ruina manet.
Heu pietas iacet, ipſa fides, probitasq;, pudorq;,
Relligio, grauitas, cum grauitate lepos.
Sed neq; flere licet ſuperos pulcerrima circum
Pars melior, terris candida fama viget.

SYLVESTRI II. PONTIF.

Iſte locus mundi Sylueſtri membra ſepulti,
Venturo Domino continet ad ſonitum.
Quem dederat mundo celebrem doctiſsima Virgo,
Atq; caput mundi culmina Romulea.
Primùm Gilbertus meruit Francigena ſede
Remenſis populi metropolin patriæ.
Inde Rauennatis meruit conſcendere ſummum
Eccleſiæ regimen, nobilitate potens.
Poſt annum Romam mutato nomine ſumpſit,
Vt toto paſtor fieret orbe nouus:
Cui nimiùm placuit ſociali mente fidelis,
Obtulit hæc Cæſar tertius Ottho ſibi.
Tempus vterq; comit clara virtute Sophiæ
Sæclum omne & gaudet, frangitur omne reum.

Claui-

Clauigeri inſtar erat cœlorum ſede potitus,
Terna ſuffectus cui vice paſtor erat.
Sed vicem Petri poſtquam ſuſcepit, abegit
Luſtri non ſpacium cum placidè moritur.
Obriguit mundus diſcuſſa pace triumphus
Eccleſiæ nutans dedidicit requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate ſacerdos,
Succeſſorq; ſuus compſit amore ſui.
Quiſquis ad hunc tumulum deuexa lumina vertis,
Tu Domine omnipotens dic miſerere ſui.

Obijt anno Dominicæ incarn. M. III. Indictione I. Menſis Maij die XII.

IN PORTA SANCTA.

Clementis VII. Pontif. Max. auctoritate Alexander Farneſius Cardinalis Epiſcopus Oſtienſ. Archipresbyter huius ſacroſanctæ Baſilicæ, hanc portam ob Iubilæum aperire ſolitam ineunte anno M. D. XXI. de more aperuit, exactoq; clauſit.

Julij III. Pontif. Max. auctoritate portam hanc diebus LXII. Iubilæi anni M. D. L. Pontificio interregno impediente elapſis, Ioannes Dominicus Cuppis Cardinalis Tranenſ. Epiſcop. Oſtienſ. huius Baſilicæ Archipresbyter, more maiorum inſtitutoq; aperuit, ac Iubilæo ad diem Epiphaniæ vſq; M. D. LI. prorogato, exactoque idem clauſit.

S. IOANNES { DE MALVA trans Tybrim.
IN DOLA IN CAELIO.
IN OLEO ante portam Latinam.
DE PINEA in regione Pineæ.
DE MERCATO in regione Campitolli.

S. IOANNES ET PAVLVS IN CAELIO.

CARDINALIS PASSII.

Presbyter Eccleſiæ Romanæ ritè Ioannes
Hæc animi voto dona vouendo dedit
Martyribus Chriſto Paulo pariterq; Ioanni,
Paſſio quos eadem contulit eſſe pares.

IN TABVLA MARMOREA HAEC:

Fundus Maurianus in integro, fundus Caſconis in integro, vbi ſupra, fundus Prætorianus in integro, vbi ſupra, fundus Caſacatelli in integro, vbi ſupra, Fundus Piorlis in integro via Appia M. L. XIII. fund. virg. in via Appia M. L. II. cum pantan. Fundus Capitonis via Ardeatina M. L. II. Fundus Fonteianus in integro via Sancta Mil. plm. XII. Fundus Lanslanus in integro via Sancta Imp. VIII. Fundus publicus in inte-

integro via Latina M. plm. XI. Fundus Caſaquinti in integro via Latina M. plm. XI. Fundus Lauditianus in integro via Lauirana M. XV. Fund. Sergan. in integro, vbi ſupra, Fundus Septiminis in integro via Præneſtina M. XXX. Fundus Stagnis in integro via Latina M. L. pt. M. XXX. Fundus Caſaluti in integro, vbi ſupra, Fundus Caſacilenſe via Appia M. L. XIII.

IN ALIA TABVLA.

Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, dilectiſſ. in Chriſto filijs dono dedit Cardinali & Ioan. Archipresbyt. titulo SStorum. Ioan. & Pauli, & pro nobis in eodem titulo ipp. Eruditæ ſpeculationis impellimur cura & ardore Chriſtianæ religionis, & ſtudio diuini cultus promouend. pro venerabiliorum piorumq; locorum præcogitare ſtabilitate, vt qui Deo ſeruiendi ſe cura, & huc proueniendi pio labore, & animæ Chriſto dicatæ, quiq; ſe illi diebus vitæ illorum ſeruire decreuerunt, perſeuerent, & imperturbatè in illa maneant, & ſeruentur firma, quæ à Chriſtianiſſ. in Dei laudem conſtructa ſunt. Quia igitur dilectio atq; religioſitas veſtra petit à nobis, quatenus hos fundos integros ſitos interritor. Bellitrinenſ. M. L. XXII. ac in alijs locis, veſtræ Eccleſiæ confirmemus: Et nos ita confirmamus, vt ſi quis temerator exiſtit, anathematis vinculo ſubiaceat I. PP.

Ante Templum duo Leones, quorum alter porcum, alter hominem vnguibus tenet: Et in templo Porphyreticum ſepulcrum quadratum politiſſ.

S. IOSEPHVS IN REGIONE PINEAE.
S. IVLIANVS IN ESQVILINO.
S. IVO IN CAMPO MARTIO.
S. LAVRENTIVS propè macellum coruorum.

S. LAVRENTIVS
- IN VIMINALI.
- IN IANICVLO.
- IVXTA TYBRIM.
- IN DAMASO in regione Pineæ, vnum ex vetuſtiſſimis & domui incluſum, in quo hodiè Pontificis Cancellaria.

ANNIBALI CARO.

Equiti Hieroſolymitano, omnis liberalis doctrinæ, poëticæ imprimìs Oratoriæq; facultatis præſtantia excellentiſſ. Petro Aloyſio Parmenſium Duci, & Alexandro Cardinali Farneſijs ob ſpectatam in conſilijs dandis fidem atq; prudentiam, ſuis verò alijſq; omnibus ob ſingularem probitatem atq; beneficentiam cariſſimo, Vixit annos LIX. Menſ. V. Dies II.

IOANNI PACINO.

Luccenſi Medico, iudicio, doctrina, fide ſingulari omnibus ſpectato, Petro Aloyſio, Rainutio & Alexandro Farneſijs Principibus diuturna familiaritate maximè probato, Romæ quaſi præcipuo communis ſalutis amiſſo præſidio pub. defleto chariſs. teſtamenti executores PP. Obijt M.D.LXVII.

CAMILLO QVINTIO.

Aromatario dalle Celle Marſicanæ dioc. iuueni probiſs. ac integerrimo. Vixit ann. XXVII. Obijt VII. Id. Nouemb. M.D.XVII.

IACOBO FABIO.

Parmenſi, plæriſq; liberalibus diſciplinis Græcè & Latinè erudito, probo viro ac diſerto, edito de beneficentia opere vita functo: Thomas Tilius Bononienſ. amico benemerenti de ſe meritò poſ. Id. Februarij, M.D.LVIII.

HELISABETHAE BORSANAE.

Inſubr. in qua fortunæ bona meritò cum forma certabant, Gens Baltet Mediomatrix PP. M.M. plonate cubiculo Archiſcript. Coniugi perpetui amoris memoria ergò P. XVII. Calend. Februarij M.D.XXXI.

ANTE CORPVS DOMINI.

Hic ad decedend. confr. ven. ſoc. Corporis Chriſti cadauera recipienda ſubord. eſt ſub. M.D.XXV.

IVLIAE.

Iulia dum vixti patri ſuſpiria, quæſtus
Indè ego ſæpè ergò pectore ſæpè animo.
Nunc verò ad tumulum quoties pia iuſta repono,
Do lacrymas cineri, fundo preces ſuperis.
Sic precibus lacrymas miſcens tua buſta reuiſo,
Dilecto quoniam non licet ore frui.

IOANNIS CONSOR.

D. Ioan. Conſor. Do. Nicolai Ariani Procuratoris de Parma, cum quatuor filijs præfunctis, M.CCCC.LXXXIII. A Matt. Baſ. Principis Apoſtolorum, de vrbe Canonico & minoris Iuſtitiæ Correctori filio V°.

HIERONYMO SACCO.

Sinenſ parentib. orto Ci. Brixien. de monte, claro & integerrimo viro, ab impenſis Alexand. Far. Cardinalis, Camillus Pancratius Saccus fratri benemer. poſ. x. Calend. Septemb. Anno ſalutis M.D.XLVI. Vix. ann. XXXV.

IMAGO I. CONSVLTVS.

Ioan. Mariæ Imago Iuris Conſulto celeberrimo, vixit ann. XLVI. Viuianus amico & populari, M.D.VIII.

BRIELLII.

Deſiderio Brielli, genere & moribus nobili Iur. Can. Doctori Ioan. Brielli I. V. D. vix. annos XXIX. obijt M.CCCC.XCIIII.

MARGARETAE MARIETTAE.

Vxori cariſſimæ, religioſè viuenti, caritatis erga pauperes eximiæ, domeſticarum rerum expertiſſimæ, & in partu immatura morte peremptæ, Magdalenæq; filiæ infantulæ, Io. Antonius coniugi non ſine lacrymis P. Vix. ann. XXIII. Dies III. Obijt Menſ. Iulio die XII. M.D.LXX. filia verò vix. menſ. VI. Dies VI. obijt die XXIX. Ianuarij, M.D.LXXI.

ANTONIO BLADO.

Aſulano Thirographiæ Romanæ inſtauratori, & per annos XL. Tirographo Pontificio, viro integerrimo, atq; in omnes ſummè officioſo. Vix. ann. LXXXVII. Paula coniux & filij P.C.

MARI-

MARAE DE MEDINA.

Dum à multis in connubium exoptaretur inuida morte raptæ,&Ferdinando Caſalic. Mariæ fratri, qui pari fato cum genitore & alijs fratribus obierunt, Anno M.D. xxvii. Vixit ann. vi. Illa ann. xii. Auger infeliciſſima viro & natis ſuo ære fac. curauit.

NICOLAO CASILIO.

Hiſpano Mercatori,ciui Romano, Proſpero & Pompeio Nicolaij filijs, vixit annos xLviii. Angel. vxor infel. poſuit.

Dum vehementer amans ſæuit fortuna, ſtuduit perpetuari in ſpeciem, omnes vno die periere xv. M. D. xvii.

ANTONIO VICCARO.

Pirionio Aromatario Viro ſumma tùm morum elegantia, tùm ingenij dexteritate incredibili, atq; emerendo ſibi principum virorum fauoribus, gratiæq; & conciliand. ac tum iuuandæ peritiſſimo, qui annum agens xxxvi. M. D. xLiii. non ſine omnium dolore obijt. Portia à Iudicibus coniux mœſtiſſima coniugi cariſſimo, & executores ex teſtamento poſuerunt.

RVBEORVM.

Familiæ Rubeæ monumentum.

TVLLIO SICIOLANTI.

Adoleſcenti diuino propè ingenio præſtanti, qui cum ſua ætate omnes mira pingendi arte ſuperaret, cæteros iam iam æquaret, morte immatura conſumptus exceſſit, Hieronymus Sicolanus Sermonetanus filio mœſtiſſimo fecit. Vix. ann. xx. Menſ. ii. Dies vi. Obijt iv. Calend. Auguſti, M. D. Lxxii.

PETRO MARSO.

Aedis huius D. Laurentij Canonico, viro doctiſſimo & integerrimo, bonorum omnium honeſtato, votiſq; expetito. Aſcanius Marſus patruo benemerenti poſ. Vix. ann. Lxx. Menſ. ii.

Quæ ſola eloquij ſuperabat gloria, & illam
Perdidimus, tecum vixit & interijt.

BOCCABELLAE.

Boccabellæ nobili Rom. Fam. monumentum hoc extat, Anno M. D. I.

PISAVREN.

Valerio & Marcantonio ſuauiſsimis pueris Tadæus & Syluester Piſauren. pater & patruus multa ſpe deſtituti, ſibi poſteriſq; hoc monumentum Q. H. S. M. B. P. Anno M. D. II.

VVIANI I.C.

Marianus Vuian. Ciu. Rom. Iuris vtriusq; Doctor, Apoſtol. Procurator, parentib. pijſs. ſibi ſuiſq, poſteris viuens, poſuit. Anno ſalutis M. D. II. Calend. Martij.

IVLII CORVINI.

Sarcophagum templi inſtaur. mut. iſt. transl. Iulius Coruinus parentib. ſibi poſteriſq; ſuis exfodi iuſſit, H. M. E. N. S.

CIRIACO SIGNORETTO.

Ciui Romano, ac mercatori prudenti, Iacob. filius admodum mœrens, patri facund. curauit. Vixit annos Lxv. tertiaq; Non. Ianuar. deceſſit, anno M. D. II.

IVLII SADOLETI.

D. IMM. S. pietati & memoriæ Iulij Sadoleti Sacerdotis Laurentiani de Collegio Canonicorum, Græcis & Latinis literis ſingulariter eruditi, omnibus optimis & diſciplinis & moribus ita ornati, vt eius ingenium, comitatem, liberalitatem, & ante annos prudentiam nulla ſatis æquare poſſit admiratio, Iacobus Sadoletus fratri concordiſſimo, & ſpe de eo maxima orbatus, multis cum lacrymis poſ. Vixit ann. xxvi.

FRAN-

FRANCISCI BENEDICTI.

Fraternæ quidquid fuerat pietatis ad vnguem
Actum eſt officio frater amande tuo.
Nec res, nec tumulum, nec ſacra piacula poſſe
Curari fateor candidiore fide.
At tu ſed ſenior dimenſis pluribus annis
Hoc opta, mecum marmore poſſe tegi.

PYRRHINI CITRARII.

Franciſc. Pyrrhino Citrario, Leonis X. P. M. familiari, Iulij Card. de Medicis à Secretis, homini & fide eximia, & literis ac moribus cultiſs. vſuq; rerum & nationum variarum in primis habito idoneo ad principium curas participandas, initió fortunæ ſecundioris ex humanis rebus erepto, Iacob. Sadoletus eiuſdem Pontificis à Secretis amico optimo benè merenti F. Vixit ann. xLviii. Neminem vnquam niſi mortem offendit.

LVDOVICO PATAVINO.

Patriarchæ Aquilegienſi Albanenſi Ponficij TIT. D. Laurentij in Damaſo Card. S. R. E. Cancellario, quod animi magnitudine & ſingulari præditus prudentia, cùm Rom. Remp. multitudine hoſtium laborantem legatus ab Eugenio IIII. in ſplendorem priſtinum armis & victorijs vendicaſſet, Nicolaum Picinium apud Anglariam Florentinæ Eccleſiæ ſocios infeſtantem ſignis collatis profligaſſet, agrum Picenum à Franc. Sfortiæ dominatu, in ditionem Rom. Eccleſiæ recuperaſſet, Turcas ſub Calixto III. naualibus prælijs contudiſſet, autoritatem Rom. Pontificatus longè & latè propagaſſet, domeſticis quoq; virtutibus, conſilio, grauitate, continentia, plurimis deniq; in omnes bonos liberalitatis & beneficentiæ monumentis, bellicas laudes ornatiores reddidiſſet, Henricus Brundius Archiepiſcopus Tarentinenſ. Summo Pontif. ſacroq; Senatui à Secretis, ærarij Apoſtolici præfectus, tantæ virtutis in lucem reuocandæ cauſſa, vtq; veterem ſuam in eum obſeruantiam hoc recenti pietatis officio teſtaretur, hoc illi monumentum xL. ab eius morte anno ſua pecunia faciund. locauit, Anno ſalutis M. D. v. xii. Calend. April. Vixit annos Lxiii. Menſ. iiii. Dies viii.

PAVLI GODDI.

Cùm nequeas fratris miſeras audire querelas,
Ad tumulum qui te terq; quaterq; vocat.
Accipe Paule nouo ſpumantia pocula lacte,
Quæq; tibi mittit triſtia dona domus.
Has lacrymas pater infelix effundere iuſsit,
Cui ſine te exoritur iam ſine luce dies.
Hoc miſeri fratres ferragineos hyacinthos
Dixerunt Hieron accumula tumulum.
Sic nos æternum in luctum, æternasq; tenebras
Non exſpectato conijcis exitio.
Hac ratione tamen caſum ſolamur amarum,
Quod nullum ob facinus ſors te inimica tulit.
Sed dum morte tua mortem propellis amico,
Exemplum ſanctæ linquis amicitiæ.

PAVLO GODDO.

Vincentino, Hieronymus frater penè dolore moriens, poni cur. M. D. xxxv. Menſ. April.

HIERONYMO FERRARIO.

Conigienſi in ipſo ætatis flore ex oculis hominum, non ex memoria, mors eripuit, amici & familiares in acerbo officio diligentes, hoc monumentum pro munere extremo cum lacrymis poſuerunt. Vixit ann. xLi. obijt iii. Calend. Octobris, Anno ſalutis M. D. xLii.

Fortuna vixi natisq; & coniuge felix,
Auctaq; eras blando læta nepote domus.
Ecce ferox nimium Lacheſis mea fila reſcidit,
Flebile, delitijs inſidioſa meis.
Spes tamen vna mihi melior, gaudete, reſurgam,
Et pergam ſpreto viuere ſarcophago.

PACVVII POETAE.

Adoleſcens etſi properas hoc te ſaxum rogat,
Vt ſe aſpicias, dein quod ſcriptum eſt legas:
Hîc ſunt Poëtæ Pacuuij Marci ſita oſſa,
Hoc volebam neſcius ne eſſes, abi. Vale. D. O. M.

CYRI.

Quiſquis es mortalium, & vndecunq; aduenis,
Aduenturum enim te ſcio, Cyrus ſum, qui Perſarum
Imperium quæſiui: Hoc igitur humi paululum
Quo meum corpus obtegitur, mihi ne inuideas.

MILITIS.

Tranſiui intrepidus per mille pericula Victor,
Non acies ferri, non fortia mœnia foßis
Conatus tenuêre meos, domat omnia virtus.

POETAE.

Quærite Pierides alium qui ploret amores,
Quærite qui regum fortia facta canat.
Me pater ille ingens hominum Sator atq; redemptor
Euocat, & ſedes donat adire pias.

IOANNIS VRSINI.

Hîc iacet Vrſina genitus de ſtirpe Ioannes,
Illuſtris genere & magnis virtutibus heros,
Romanos inter proceres memorabilis arma
Tractauit, vixitq; diu cum laude togatus,
Iuſtitiam ſine fraude colens protexit amicos,
Seq; dedit gratum populoq; benignum.

S. LAVRENTIVS EXTRA ESQVILINAM.

Pulcra ædis XXXVI. columnis marmoreis ſuſtentata, cum coniuncto monaſterio Monachorum, in quo criptæ ſubterraneæ ſimiles illis, quæ in S. Sebaſtiano & Fabiano in via Appia. Ingredienti ad dexteram vetuſta tumba pulcerrimis ſtatuis inciſa, quæ agnum ducunt ad victimam, inſcriptione addita.

Hîc requieſcit corpus Domini Guilielmi, S. Euſtachij Diaconi Cardinalis nepotis quondam felicis recordationis, Domini innocentij Papæ IIII. ex progenie Comitum Lauaniæ orti, cuius anima requieſcat in pace.

Siſte gradum, clama qui perlegis hoc Epigramma,
Guilhelmus plora, quem ſubtraxit breuis hora,
Nobis per funus de Cardinibus fuit vnus,
Prudens, veridicus, conſtans, & firmus amicus.

Certius illius mores imitans nec alius,
Roma Neapoli quos improba mors Phariſæat.
Rex veniæ des in requie ſedem ſibi Chriſte.
Anni ſunt rati domini ſuper aſtra regentis
Quinquaginta dati ſex & cum mille ducentis.

AD OSTIVM, IN QVO DESCENDITVR AD CRIPTAS SVBterraneas.

Hæc eſt tumba illa toto orbe terrarum celeberrima, ex cœmiterio Ceriace matronæ meritis Beati Laurentij reſerata, ianua Paradiſi animabus illis, pro quibus rem ſacram ſuper eius ara quiſpiam fecerit.

SVB TERRA, VBI MVLTI MARTYRES ET S. LAVRENTII CORPVS, ad Altare:

Hæc eſt æternò florens & grata iuuentus,
Sanguine quæ fuſo pulcra trophæa tulit.
Ibant vt ſererent, quæ ſemina pulcra ferebant:
At lacrymis flentes immaduère genæ.
Nunc demeſſa ſuis portantes farra maniplis,
Lætitia redeunt ſe comitante noua.
Orate pro nobis S. Dei Martyres.

In muro excauatum foramen, in quo vetulæ attendentes purgatorij bullientis ſtrepitum audire ſe dicunt.

Poſt aram ſummam lapis cancellis ferreis obductus, cui tabula appendet inſcripta:

Hic eſt lapis, ſuper quo poſitus fuit S. Laurentius, leuatus de craticula, aſſatus & mortuus.

Altera porta, qua ingreditur templum, tumbæ aliquot marmoreæ vetuſtæ, pulcræ, excauatæ, & varijs ſtatuis inciſæ. Vnà inſcripta ſic:

Hîc iacet Dominus Ioannes C. I. MVS. PP.

S. LAVRENTIVS
- IN LVCINA, olim Iunonis Lucinæ.
- IN FONTANA, in valle Eſquilina.
- IN MIRANDA ad forum Romanum, olim Caſtoris.
- IN PANISPERNA, in Viminali.

S. LEONARDVS, propè ædes Dominorum de Cruce.

S. LEONARDVS
- IN CARINIS.
- VLTRA PEREGRINVM.
- IN ORPHAEA.
- IN SEPTA SOLIS.
- IN SILICE, in Eſquilino.
- VETVS in Apothecis obſcuris.

S. LVCIA
- IN PALATIO, olim Apollinis Palatini.
- IN APOTHESIS, olim Herculis Muſarum.

S. LVDOVICVS PROPE CAMPVM AGONIVM. Gallorum.

FRANCISC. SCHIACTENSIS.

Iuris V. D. & Procurat. Saluſtiam filiolam ſuam dulciſs. quæ ſi deliquit, morte deliquit, hîc poni iuſſit. Vixit annos vII. Menſ. IIII. obijt anno ſalutis M. D. in Iunio.

PIERAE FOEMINAE.

Pieræ Viterbienſ. matronali ſudore, ſuprema quoq; caritate præter cæteras mulieres inſignitæ, hac vrna oſſula conduntur, cuius pietate Diui Antonij Sacellum hoc illibatæ Virginis de paſſione imaginis intuitu, ex deuotione domo pariter & oliueto dotatum fecit. Vixit annos xLvI.

MARINO OLIVATO.

Dardanio I. D. primùm Neapoli & Siciliæ, deindè Romæ cauſſarum patrono, Gallicæ nationis defenſori acerrimo, viro virtute frugi, & omnium artium ac ſuorum ſtudioſiſſimo, executores teſtamenti poſuer. Vixit ann. Lv. obijt die vIII. Aprilis, M. D. LxvIII.

GOIARDI PROTONOTARII.

Ioan. de Goiardo Protonotario Apoſtolico de Inſulis presbytero Lectorenſ. Dioc. ex benem. p. Anno Chriſti M. D. IIII. Viator quiſquis es mortuis dic æternam quietem.

IACOBVS DE VAVLZ.

Bellienſ. qui vineam cum Canneto & domum quas poſſidebat, poſt obitum eius vxoris huic Eccleſiæ dimiſit, hîc iacet.

ALOYSIAE SARASONI.

Quæ cum ingenio, virtute & nobilitate, pudicis caſtiſq; moribus cæteris, annum agens circiter decimum nonum è medio ſublata eſt, & dum hic viuens puellis virginibus fuiſſet exemplo, eam in cœlis inuitat ad gloriam. Hieronyma infelix mater mœrens non ſine lacrymis poſ. Obijt Anno M. D. LxII. Antonius eius frater vnà poſuit.

PETRI TEMINI D.

Egregio Decret. Doctori Domino Petro Temini Biſuntinæ & Lauſanenſ. Eccleſiarum Canonico, literarumq; Apoſtolicar. Abbreuiat. ac ſacræ pœnitent. ſcriptor. Ioannes Militis presbyter Antiſiodoren. dioc. auunculo ſuo de ſe benè mer. ſibiq; & poſteris poſuit, M. D. Lxxv.

CLAVDIO BALLANDINO.

Sabaud. in agend. cauſſis Romæ diu verſato, qui in aurora Miſſam audiendo, apoplexia tactus linguæ & corporis viribus extinctis priuatus, intra biduum deceſſit ab humanis, ægrè ferentibus amicis omnibus. Claudius de Iaſaulſaye amico benemerito poſuit, Calend. Decemb. M. D. LxII.

IOAN. VIARDI.

Archidiacon. Iulien. & Scholaſtico Virdunenſ. Breuium Apoſtolic. ſcript. & ſacræ pœnit. Procutatori, viro induſtria, ſolertia, ac multis naturæ dotibus commend. quem, dum Lotharingæ ac Barri Ducis negotia gereret, immatura mors ſuſtulit. Anno xLv. obijt III. Iunij.

Quem labor & virtus non longo tempore ab imo
Suſtulerat, rapuit mors tamen ante diem.
Hoſpes mortalis cùm ſis, terrena quid heus tu
Spectas? te virtus ſola beare poteſt.

LVDOVICO LIBRETO.

Genomanen. vtr. ſign. Referen. & maioris Præſiden. Abbreu. viro pietate inſigni,

gni, qui cùm calculi dolore cruciatus ſecari ſe paſſus eſſet, quatriduò moritur. Eccleſiæ huius, quam heredem fecit, Rectores poſuerunt, obijt M. D. LXIII.

VILLANI.

Dom. de Villanis Lotharing. curialis antiq. ſibi viuens poſ. Vixit annos LXXX. Menſ. VIII. Dies V. obijt M. D. XXI.

ANTONATII.

Eſt Antonatij manibus dum picta tabella,
Quæ ſpreto mortis viueret arbitrio.
Inuida mors dicens nihil eſt hac parte relictum,
O ſcelus! egregium ſuſtulit atra virum.

IOAN. FONTAINAE.

Belgico, nobili genere, qui dum ad vicum Varronis in Latio inter cohortes Gallicas auxiliares, pro Pont. Max. contra Hiſpanos, fortiter pugnat, & concuſſum tormentis oppidi murum tranſcendit, in ipſo irruptionis ardore plumbea traiectus glande, cum laude occubuit. Arcturus Fontaina fratri animoſiſſimo ſignis collacrymantib. poſ. Vixit annos XXV. obijt Calend. Aprilis M. D. LVII.

S. MANCILIANVS.
S. MARIA AEGYPTICA in regione Ripæ, olim Fortunæ virilis.
S. MARIA DE ANIMA in regione Parionis.

Germanorum & elegans, fores marmoreæ & altaria, cum ſtatua Deiparæ virginis, & ſequenti inſcriptione pulcerrima:

Virginitas, partus diſcordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

MELCHIORIS DRVCHSES.

R°. P. D. Melchioris Druchſes, Sed. Apoſt. Proton. Gangulphi, extra muros Bambergen. ac in Lindou Conſtantienſ. Diœceſ. Præpoſito, Cantori Spiren. & eiuſdem ac Mogunt. Eccleſiæ Can. Sanct. D. N. PP. Cubiculario, qui obijt XXVIII. Octobr. M. CCCC. XCIII. Ioannes Burchardus Argentin. Capellæ S. D. N. PP. magiſter Ceremoniarum, & Laurent. Druchſes Moguntinenſ. execut. teſt. amico & conſanguineo poſ.

IOANNES BORGERENIENS.

Burg. Saxoniæ municipio, qui cùm in hac vrbe ad XXXVI. ann. laudabiliter vixiſſet, ac ſumma cum integritate morum & induſtriæ laude literarum Apoſt. & Archiui Rom. cur. ſcript. ac Pontificiæ Rotæ Notarius extitiſſet, annum agens LXV. Id. Aprilis, M. D. XXXIII. ab hac luce migrauit.

CONRADO CLAETZ.

De Barrent S. Gangulphi Bambergæ Decano, & Canonico Præpoſito Columbarienſ. & Stephano VVſinger excellentiſs. Eccleſiarum in Angevvang & Protenkirchen paſtori, viris virtute morumq; integritate clariſs. qui deceſſerunt, ille III. Calend. Nouemb. M. D. II. hic XI. Calend. Ianuarij, M. D. XVIII. Caſpar VVirt Epiſcopalis Celbæ Conſtantienſ. præpoſit. amicis benè mer. poſuit.

Virtuti ſtudeas, bona nec differto viator,
Sic tua poſt cineres gloria maior erit.

IOACHIMO PLATTE.

Camin. Scholaſtico & Colbergenſ. Eccleſiæ Præpoſito Iur. interpreti, ac Rotæ Notario prudentia & fide probatiſſimo, agenti ætatis ſuæ annum XLIIII. cùm Chriſtianis ſepulcrum depoſuiſſet, die XII. M. D. XXVI. D. Tutpheldus & Ioan. Borger. ſcriptores Apoſtolici, & Dauid Brunſuich. Rotæ notar. executor. & amici faciundum curârunt.

Diſce meo exemplo templis dare munera magna,
Quando hoc pro paruis hæc monumenta dedit.
Atq; ſuis precibus cœli in regione locabit
Virgo parens animam, quis meliora dabit?

FREIBERG. KNORINGEN.

Anno M. D. Lxxi. die xi. Septemb. obijt ven. ac nob. D. Caſparus de Freiberg, Canonicus Eluacenſis Germanus, cuius anima requieſcat in pace.

CHRISTOPHORI IARSDORPF.

Nobili viro Iohan. Chriſtophoro Iarſdorpfe, equeſtri apud Sueuos genere nato, Illuſtriſſimi & Reuerendiſs. Principis ac Domini Erneſti, Adminiſtratoris Hildeshei-menſis & Friſingen. Comitis Palatini Rheni, & vtriuſq; Bauariæ Ducis Mareſcalco p. Mortuus eſt M. D. Lxxv. xxvi. Iulij, cuius anima requieſcat in pace.

IOANNI FERVER.

Pruteno, Iur. vtriuſq; Conſulto, Canonico Culmenſ. & Plebano Indantz conſulari familia oriundo, morum ſuauitate, omniq; virtute conſpicuo, in ætatis flore, de eo cum magna confiderentur, intempeſta morte erepto, mœrens pater, legem naturæ non ſeruari fruſtra exclamans, abſens filio pientiſs. poſ. Vixit annos xxviii. Menſ. viii. Dies v. obijt anno M. CCCC. xciiii. Die ix. Martij.

GVILIELMI KREITFISCH.

Nuſſia me genuit, rapuit Mauortia Roma,
Bis tria cum fuerant luſtra peracta mihi.
Et genere atq; bonis animi non vltimus: aſt hæc
Contra lanigeras nil potuêre Deas.

Obijt iiii. Non. Auguſt. M. D. xvii.

MICHAELIS MVLER.

Te tulit Offemburg Michaël doctiſsime Muler,
Tu patriæ ſplendor gentis honosq; tuæ.
Cauſſarum quàm fidus eras curator in vrbe,
Pauperis ac inopis tutor & altor eras.
Canonicus tu Brixienſis meritiſsimus vnus:
Te Deus æthereis ſedibus ergò locet.

Ex teſtamento fideles hoc ſtatuêre amici, D. CCCC. Lxxi. xv. Calend. Nouemb.

VVENDELINO VVALCHR.

De VVinpina, & Sebaſtianæ Queckels Germanis coniugib. concordiſſimis pectorib. obiêre, altera prid. no. Martij, M. D. xxxvi. alter verò xi. Calend. Mart. M. D. xxxviii.

IOAN. BVRCHARTS.

Argentinenſ. ſedis Apoſtolicæ Protonotarius S. Florentini Haſelacen. & Columbarienſ. & Grandis vallis Argent. & Baſilienſ. Diœceſ. Præpoſitus ac Decanus S. Thomæ Argentinæ Eccl. Capel. S. D. PP. Magiſter Ceremon.

Balthaſari Trantman Storer. Can. Saltzburgenſ. qui die xi. Ianuar. M. CCCC. Lxxxxiiii. Et Florentino Purger Argentinenſ. conſanguineo ſuo, qui die xxiiii. Septemb. M. CCCC. Lxxxxii. obierunt benem. poſ. hîc ſepulti requieſcant in pace.

IACOBO APOCELLO.

Abuſtat. Spirenſi, morum grauitate, rerum vſu, vitæq; integritate, & innocentia præſtantiſſimo, literis Græcis, Hebraicis & Latinis apprimè erudito, oppreſſorum ſtudioſorumq; fautori & adiutori pientiſſimo, heredes ex teſtamento Maria coniuge, & Adamo Holitapello ex ſorore nepote mœſtiſs. procurantibus b. m. p. Obijt Non. Calend. Maij Iubilæi, M. D. L. ætatis verò ſuæ ann. Lxvi.

HER-

HERMANNI BONCKARII.

VVeſtphalus hic iaceo Scoppus mihi patria tellus,
Hermannus Banckar lector amice vocor.
Anxia me miſerum multos poſt vita labores
Liquit, & immerito funere procubui.
Sic humana citò labuntur tempora motu,
Non redit, aufugit at quæ fuit hora ſemel.

DOROTHEA TRANSINNA.

De pulcro monte mater Ioan. Baſcali dulciſs. filio ſuo, Vixit ann. III. Menſ. V. Dies XIII. deceſſit prid. Calend. anno M. CCCC. LXXVI.

Care puer multis mihi parte laboribus, in quo
Spes erat, hanc matrem deſtituis miſeram.
Te ſine quod vitæ ſupereſt per tædia ducam,
Sed tu cælicolis aſſociate Vale.

IOAN. SANDER.

Northuſanæ Germanæ Herciniæ ſyluæ, proximus natus Turingus Erfurdiæ Moguntinenſ. Dioc. Canon. L. ac Curialis Rotæ Notar. primæ D. Hoſpit. Teutonicæ vrbis ſtructor, illiusq; & huius Capellæ Execut. conſiderans hominem vanitati ſimilem, fruſtraq; turbari, & fugere velut vmbram, priuſquam abiret, & amplius non eſſet XXVIII. ætat. ſuæ ann. viuens hoc monument. poſuit. Anno M. D. XXXIIII. Vixit ann. LXXXIX. Dies XXVII. obijt XI. Auguſti M. D. XLII.

ADOLPHO BEISCAPTA.

Hereſden. Colonienſ. Dioceſ. Clement. VII. ac Pauli III. Pontif. Eſculentorum diſpenſatori, Cathedralis Lubecenſ. ac Collegiat. S. Apoſtolor. Colonienſ. Eccleſiarum Canonico, viro moribus, fide, pietateq; conſpicuo, in amicorum obſequijs integerrimo. Vixit ann. LX. Menſ. IIII. Dies X. obijt prid. Id. Auguſti, M. D. XLIIII.

HENRICO DE SOYR.

Decano Eccleſiæ. S. Ioannis Euangeliſtæ Leodienſ. Adriani VI. Pontif. Max. ſcutifero, amici amico ob morum comitatem ſuauiſſimo poſuerunt. Obijt Id. Auguſti, M. D. XXVII. Quaſi fugiens calamitatem temporis infeliciſſimi.

AMBROSIO LAMBERTI.

Brabantino Eccleſ. S. Pauli Leodienſ. Cano. literarum Apoſt. ſollicitatori, & binis Archiuij Rom. Cur. tabellionatus officijs perfuncto, qui obijt Anno M. D. XXXIII. XIII. Septemb. ætat. ſuæ ann. XXXVI. executores & amici poſuer.

HENRICO A CAMPHVSEN.

Nobili iuueni Geldio, morum & vitæ laudatiſſimo, bonarum literarum cum Philoſophia exercitatiſſimo, Iuris ciuilis candidato, & magnæ ſuæ familiæ expectationis viro euaſuro. Gisbertus Lanſinec. & Ioan. Menſnick execut. Obijt die XXX. Nouemb. M. D. LXVIII. ætatis anno XXIX.

Æqua induſtriæ fides & pudor.

AVGVSTINI GINTZERI.

Ieſu Chriſto reſurrectionis & ſalutis autori: Auguſtino Gintzero Colmarien. Iuris ciuilis Pontificijq conſulto Alberti Bauariæ Ducis Conſiliario religionis integritate, morum probitate ac ſuauitate præſtanti. Obijt X. Calend. Octob. M. D. LXII.

CAROLI A CATZENSTEIN.

Care frater miſero quia tu valedicere fratri
Spreuiſti moriens, per Styga morte ſequar.

Hæc nobis D. Carolo à Katzenſtein, XXII. Iunij defuncto ætat. ann. XXVI. M. D. LXXIII.

CONIVGVM.

Digna probæ poſita hic extant monumenta Ioannæ,
Atq; Ioannis coniugis atq; viri.
Ergò fides, pietas, amor ac conſtantia, virtus
Conduntur lapide hoc, vir poſuit tumulum.

Coniux vixit annos xLv. obijt III. Non. Auguſti, M. D. xxII. Vixit vir annos LxxvIII. obijt Non. Auguſti, M. D. xL.

IOANNI OFFERMAN.

Dreiſano Colonienſ. Dioceſ. ſummæ probitatis ac pietatis viro, SStorum. Apoſtolorum Colon. Canonico, & Cur. Rom. Cam. ſollicitatori fideliſſimo, Sanctiſſimorumq; Pontif. Pij V. & Gregorij XIII. Oſtiario de virga rubea. Hermannus VVole de Metterinck ciu. Roman. exec. H. Anno Iubilæi Lxxv. ætat. ſuæ xLv. cuius anima Deo viuat.

FRANCISCI FOREST.

Hic quem florenti rapuerunt fata iuuenta,
Cuius inhumanus contegit oſſa lapis.
Heu procul à patria caris ereptus amicis,
Non indefeſſis fletur adhuc lacrymis.
Te Franciſce oculis mors abſtulit inuida noſtris,
Queîs tecum in vita viuere dulce fuit.
Verè in pectoribus ſemper durabile gratis,
Sicut inciſo marmore, nomen erit.

Franciſco Foreſt ex montibus Annoniæ oriundo præſtanti ingenio, qui viuens domum & capſam ærariam heredum quondam Guilielmi Petri fideliter guber. Vixit ann. xxx. obijt anno M. D. xxv. xxIx. Septemb.

IOACHIMVS A RECK.

Germanus, ex equeſtri ordine Metropolit. Eccleſiæ Moguntinenſ. & Xanten. Can. videns ſolam virtutem cenſeri, ſanguinis claritatem pro nihilo haberi, nihil acrius cauit, breuiq; omnium ferè literarum genere excellentiſſimo ſingulare gloriæ decus certa iam ſpe aſſecutus, annum agens xxxv. diuturna tabe conſumptus H.S.E. Anno Virginei partus M. D. LxvI. xIII. Calend. Nouemb. Maximiliano II. Imperat.

IOANNIS MINSCHE.

Collegtar. Mindenſ. Præpoſito & Decano à liter. Apoſt. ſollicitan. Rot. Notar. viro pietatis, caritatis & prudentiæ incomparabilis. Vixit ann. LxIII. Menſ. II. Dies xII. obijt x. Calend. Septemb. M. D. LvIIII.

ADOLPHO DANIELI SCHVZPHEIL.

Cognomento Milchingo Germano Mogunt. Spir. Eccleſ. Cano. Magni Prutenorum Magiſtri fratris filio, Pauli III. & Iulij III. Pontif. Max. cubiculario, amici mœſtiſs. PP. Vixit annos xxIIII. Menſ. IIII. Dies xxv. obijt anno M. D. LI. vII. Calend. Maij.

IOANNI LEMMEKEN.

Germano, Iure conſulto primario, & Lucretiæ Corbinæ Romear. optim. & Ioan. Bap. ac Victoriæ frat. dulciſs. hered. fecer. Vixit pat. ann. Lxx. mater xL. obijt hæc Ix. Calend. Octob. M. D. LII. Ille xII. Calend. Iulij M. D. LIIII.

CLAVDIO RVDVLAE.

Heluetio ex Illirtha vicinar. linguar. perito, mercaturæ gnaro fideliq;. Vixit annos LxIII. Dies v. obijt M. D. xx. xII. Iunij, Matthæus & Iohan Ehem fratres Executores ſodali benemerito poſ.

OTTHONI VVACTENDVNCK.

Geldrio, artium & V. I. D. ſupplicum libell. Iuſticiæ S. D. N. PP. Reuiſori Rot. Notario, nec non SS. Apoſt. Colon. S. Mariæ Aquen. & Bruxell. Eccleſ. Canonico,

ingens

ingens ſui deſiderium, tùm familiæ, tùm bonis omnibus relinquenti, Ia. & Arnold. VVachtendunck Geldrenſis parens ac filius fratri, nepos patruo b. m. mœſtiſs. poſuêre. Obijt prid. Non. Martij, M. D. LVI. vixit annos L.

MARTINO LVPI.

Bremenſ. Eccleſiæ S. Andreæ VVormat. præpoſito ſupplicum libell. Iuſticiæ Reuiſori Rotæ Notario, & huius ſac. ædis Præfecto ac Promotori. Godtſcalcus Lupi fratri benem. poſ. Vixit annos LII. Menſ. VII. Dies III. obijt Non. Calend. Iunij, M. D. xLIIII.

IOAN. GEORGIO A TAVFSCHIN.

Nobili viro Hocherem, equeſtri genere apud Bauaros nato, Illuſtriſs. ac Reuerendiſsimi Principis ac Domini D. Erneſti, Adminiſtratoris Hildesheimenſ. & Friſingenſ. Comitis Palatin. Rheni, ac vtriuſq; Bauariæ Ducis Conſiliario & Camerario, Guilielmus à Tauffſchin frat. poſ.

INNOCENTII CIBO.

Ianuenſ. Diacon. Card. Bonifac. IX. Domacelli Pontif. Max. agnato, Innocentij VIII. Pontif. Max. nepoti, Leonis X. Pontif. ſoror. germanæ frat. Clementis VII. Pontif. Max. ſor. patruelis fil. Vixit ann. LVIII. Menſ. VII. Dies XIX. Card. XXXVII. ann. fuit, deceſſit Idib. April. Anno M. D. L. ſui poſuêre.

Viuite vt morituri.

MELCHIORIS A FRONSBERG.

Melchiori à Fronsberg, Georgij eq. ſplendidiſſimi, Cæſarianiq; Germanici peditatus bello Italico Præfecti filio, qui dum honeſtiſſimos ordines duceret in vrbe Idib. Ianuar. M. D. XXVII. immatura morte interceptus eſt, XXI. ætatis ſuæ anno. Caſpar Sugler alumnus quæſtor exercitus, militum Trib. B. M. poſ.

VALERIO CORDO.

Valerio Cordo Simeſuſio Heſſo, Euricij medici, & Poëtæ filio, integritate, moribus, ingenio, comitate præſtantiſſimo, doctorum omnium admirationem merito, qui naturæ obſcuritatem & herbarum vires adhuc adoleſcens ſenibus explicauit, cum expleri cupiditate cognoſcendi non poſſet, perluſtrata Germania, Italiam adijt, Venetijs in honore habitus, & Romam vix ingreſſus crudeliſſima febre, inter amicorum lacrymas non recuperabili ſtudiorum iactura, florente æuo extinguitur, Anno ætatis ſuæ XXVIII. Homini optimè merito ſocij Germani pietatis ergò poſ. Anno ſalutis humanæ M. D. xLIIII. VII. Calend. Octobr.

Noſcere Pæonias herbas vireſq; medendi
Iam natura homini facta Nouerca negat.
Inuidioſa nimis rapuit monumenta vetuſtas,
Nunc etiam Cordum mors violenta tulit.
Hunc extinctum igitur vitæ florentibus annis
Tam procul à patria, crimen Apollo tuum eſt.
Lilia ſic violæq; cadunt, Abſynthia florent,
Quanta eheu rebus damna parata bonis.
Italia huic tumulum tribuit, Germania vitam,
Quî poterat naſci clarius atq; mori.

Obijt M. D. xLIII. VII. Calend. Octobr. hora V. noctis.

Ingenio ſupereſt Cordus, mens ipſa recepta eſt
Cœlo, quod terræ eſt maxima Roma tenet.

CAMILLO ELIAZARIO.

Patricio Bononienſi, ab ſcribendis Apoſtolicis literis Centumuiro magnis Rom. Pontif. ſacriq; Senatus negotijs præfecto, Pauloq; eius filio ſummæ ſpei puero Romæ nato, huic in agro Tyburtino, illi in Narnien. defunctis VV. Cardinalis Dertuſenſis

tuſenſis executor teſtamenti eius cura translatis in vrbem oſſibus B. M. P. Vixit pater ann. LIIII. filius XI.

GEORGIO SAVRMANNO.

Eq. Germano Vratislauienſ. præpoſito, internuncij procuratorisq; munere primùm apud Leon. X. mox apud Hadrian. VI. ac demùm Clementem VII. Pontif. Max. Diui Caroli V. Auguſti nomine magna fidei, integritatis ac ſapientiæ laude functo, cùm amicorum incuria pluribus annis ſine monumento fuiſſet, Valentinus Saurmannus ex fratre nepos patrui memoriæ, virtuti, pietatiq; dedicauit, Anno M. D. L.

IBIDEM.

Scis remeare datum nulli poſt buſta, daretur
Sed mihi defuncto ſi remeare velim.
Aetates omnes defunctum ſera vocauit
Mors, reliquum vitæ quid niſi pœna fuit?
Sanctè ſi Muſas colui fortaſſe ſepultus,
Vita inter viuos nunc meliore fruor.

BERNARDO SCVLTETI.

S. M. Stetinenſ. Caminenſ. & Ioan. Knibe, S. Crucis & S. Stephani in Hunefeldt Herbipolenſ. Dioceſ. Eccleſiarum Præpoſitis, viris probitate & religione præſtantiſſimis, quia ille viuens, hic moriens cuncta ſua Hoſpitali donauit, illius donum plenum, huius ſemiplenum habuit effectum, ſocietas Hoſpitalis beneficiorum memor piè poſuit, & his anniuerſariam & perpetuam Miſſam inſtituit, ille XXX. Iulij, hic VII. Mart. Anno M. D. XVIII. deceſſit.

Diſcite ab exemplo præſenti, diſcite fratres,
Vt benè pro votis ſæpè locentur opes.

MARCI FVGGER.

Hic iacet Venerabilis D. Marcus Fugger de Auguſta, Canonicus Anguſtenſ. B. Mariæ Ratisbonenſ. & S. Ioannis Friſingenſ. Eccleſiæ Præpoſit. Decret. Lic. Magiſt. Reg. ſupplic. ſcriptor, & huius hoſpitalis Prouiſor, qui ætatis XXX. annorum & XXIIII. Dierum, obijt XIX. Aprilis, Anno M. CCCC. LXXVIII.

IOANNI COPIS.

Terracinæ Epiſcopo, hoc & quod humi eſt monumentum prouiſores & fratres f. c. M. CCCC. LIX.

IOSEPHO CINCIO.

Agrippinenſi Phyſico, Medicoq; præſtantiſſimo, ob earundem artium præſtantiam, paremq; probitatem ciuitate Romana donato, ſummoq; in ea Magiſtratu functo Lauinia Bonacurſia Florentina Cincinnatus Carolusq; viro parentiq; optimo ætatis, anno L. ſalutis, M. D. LI. III. Calend. Maij poſ.

HADRIANO VI. PONT. MAX.

Ex Taiecto inſigni inferioris Germaniæ vrbe, qui dum rerum humanarum maximè auerſatur ſplendorem, vltrò à proceribus ob incomparabilem ſacrarum diſciplinarum ſcientiam, ac propè diuinam caſtiſſimi animi moderationem Carolo V. Cæſ. Auguſto præceptor, Eccleſiæ Dertuſenſis Antiſtes, Sacri ſenatus patribus collega, Hiſpaniarum Regis præſes, Reipub. deniq; Chriſtianæ diuinitus Pontifex abſens adſcitus. Vixit annos LXIIII. Menſ. VI. Dies XIII. Deceſſit XVIII. Calend. Octobr. Anno à partu Virginis M. D. XXIII. Pontificatus ſui anno II. VVilhelmus Enkenuort illius benignitate & auſpicijs tit. S. Ioannis & Pauli Presbyter Cardinalis Dertuſenſ. faciund. curau.

Prôh dolor, quantum refert, in quæ tempora optimi cuiuſq; virtus incidat!

CAROL.

CAROL. FRID. DVCIS CLIVENSIS ET IVLIAE.

Carolus Fridericus Iuliæ, Cliuiæ & Montium Dux, Marchiæ & Rauenſpergi Comes, Rauenſteini Dominus, ingenio, ac ſupra ætatem rerum & linguarum vſu, ſingulariq; in Deum pietate clarus, Gregorio XIII. Pont. Max. ad annum Iubilæum Chriſtiani orbis populos conuocante, poſt acceptos in auunculi ſui Maximiliani II. Cæſaris Auguſti aula, alijsq; in locis varios honores, religionis & optimarum diſciplinarum ſtudio Romam veniens, magnificentiſs. ab eodem Pontif. Max. excipitur, recluſa porta ſancta in ſolemnibus ſacris gladio pileoq; de more conſecratis ab eodem Pontifice honeſtatur, omnibus Chriſtianæ pietatis officijs perfunctus ſanctiſſimi Iubilæi beneficio expiatus, dùm ad ſuos redire cogitat, graui morbo correptus, in terris, vt cœlo frueretur, eſſe deſijt. Eius funus Pontif. Max. benigna voluntate, qua venientem exceperat, ægrotantem inuiſerat, cùm ingens omnium ordinum, collegiorum, ſodalitatum frequentia conueniſſet, ampliſſimis exequijs & pompa magnifica totius vrbis ſummo mœrore, ac incredibili deſiderio celebratum eſt. Conſummatus in breui expleuit tempora multa: Placita enim erat Deo anima illius. Guilielmus Dux Filio dulciſs. maiori natu fac. cur. Vixit ann. XIX. dies XII. Obijt anno M. D. LXXV. Id. Febr.

OTTHONI CARDINALI TRVCHSESIO.

Epiſcopo Auguſtano, Sac. Rom. Imperij Principi, integerrimo, & ab omnibus propter excelſas animi dotes, virtutem, clementiam, affabilitatem, ingenijq; & morum præſtantiam amabili. Obijt anno M. D. LXVII. Menſ. Laurent. Scradæus, donec dignum erigatur monumentum, gratitud. ergò adſcripſit.

ALIVD.

Si benedicta fui, benedicis & vndiq; ſi me,
Inter & electos ſum benedicta Deo.
Cur me fles fili? morimur non deniq; cuncti,
Non moribunda fui, non moriturus ades.
Fle, fle te miſerum fle, fle tua crimina, fle, fle,
Quòd procul à patria ſumq; ſepulta mea.
Improba ſed ſi mors nos corpore falce diremit,
Nos animo nunquam diſſociabit amor.

VVILHELMO ENCKENVVORTIO.

Brabantino S. R. E Presbytero Cardinali, pluribus Rom. Reipub. magiſtratibus, & Germaniæ procuratione integerr. functo, ab Adriano VI. Pontif. Max. cuius item res adminiſtrauerat libellis dandis, & Eccleſiæ Dertuſenſ. præfectus, & in Card. collegium claro beneuolentiæ iudicio, translatis in eum priſtinæ ſuæ dignitatis inſignibus, ſolus cooptatus: Deindè etiam à Clemente VII. Eccleſia Traiectenſ. honeſtatus eſt, Carolo V. Imp. libentiſs. cum ab illo coronam Imperij accipientem iniunxit, quiq; beneficiorum memor Hadriani cadauer è Petri Baſilica in hanc ædem, cuius conſtruend. & ornand. adiutor fuit, ſepulcro poſito transferri curauit, in egenos & in omnes homines beneficentiſs. Ioan. Dominicus Tranenſ. Antonius Sanſeuerinus Card. & P. Vœſtrius Epiſc. Aquen. Andr. Caſtillo ſcriptor Apoſtolicus ex teſtamento poſ. Vixit ann. LXX. obijt mortem, Anno M. D. XXXIIII.

IBIBEM.

Ioan.	Andiers Roſeti	Antuerpienſ. Bruxellenſ.		Pontif. Adriani VI. Germ.		Trincerius. Secretarius.
	hic alter	ætat. ann.	XXXIII. peſte XXII. febre		extinctus	M. D. XXVII. M. D. XXVI.

Ambo hîc quieſcunt, vt reſurgant ſimul cum beatis, Arnoldus Marbais Brabantius, S. D. N. PP. Adriani VI. familiaris hanc imaginem poſui, & ambo Ioan. amicorum memoria D. Virginis de anima DD.

BARTHOL. SALICETI.

En quò tandem.

Bartholomæo Saliceto Bononienſi, quem ob eius præſtantem in omni genere virtutis animum mirari magis, quàm laudare licet, in quo fides & religio cum doctrina certabant. Vixit ann. LXXVII. Dies X. Alexand. Farneſius & Andr. de Valle S. R. E. Cardd. ac Vianeſius Albergatus Bononienſis, amico incomparabili poſ. M. D. XXV.

D. IOANNI GROPPERO.

Religionis fideiq; Catholicæ propugnatori acerrimo, poſt incredibiles labores ſummis cum periculis pro Eccleſiæ ac religionis conſeruatione, magno ſemper & inuicto animo, exantlatos, multaq; præclara literarum monumenta edita, ob perpetuam fidei pietatisq; conſtantiam, incomparabilem doctrinam, ſummasq; virtutes abſenti, nec quidquam minùs cogitanti, in ſacrum R. S. E. Cardinalium collegium cooptato, præmatura adhuc morte, & quando ſui opera in primis deſiderabatur, ex humanis erepto, fratri pijſſimo atq; optimè merito Godefridus & Caſparus Gropperi fratres alumni mœſtiſſimi poſuêre. Vixit ann. LVIII. Dies XVIII. obijt III. Id. Martij, M. D. LVIIII.

IODOCO HOTTFILTERO.

Oſnabrug. Lubecenſi Epiſcopo Paulo III. & Iulio III. Pontif. Max. in vtraq; Signatura Relatori, & apud multos etiam principes gratioſo, ex humili loco ad ſummos honores, virtute, induſtria, & laboribus euecto, amici mœrentes poſ. Vixit ann. LI. Menſ. III. Dies XIIII. Obijt anno ſalutis M. D. LI. IIII. Calend. Maij.

Quid labor aſsiduus poßit dare? quid fera Parca
Demere? quo ſperes & metuas moneo.
Ille humili ſummos fuerat largitus honores,
Hæc ſimul & vitam mî ſubitò eripuit.

PAVLO ANTISTITI.

Foro Sempronienſ. à Middelburgo, inſigni inferioris Germaniæ oppido, viro liberalium artium diſciplinis, pietate, animiq; moderatione longè omnibus anteferendo ab Iulio II. & Leone X. Pontif. Max. ad præſiden. Lateranenſ. concilio electo & euocato vitæ ſuæ curriculo annor. LXXXVIII. in gloria exacto, reſtitutaq; Deo Romæ inter Ceremonias Eccleſiaſticas diuina ſui parte, Petrus Vœrſtius Epiſcop. Aquenſ. Referendarius, & Sacræ Rotæ locum tenens, & Fridericus Clanarius, Vtr. Cenſur. Doctor & eques, executores poſ. Obijt XIX. Calend. Ianuarij, Anno ſalut. M. D. XXXIV.

ALEXANDRO IVNIO.

Antuerpienſi, quod oppidum eſt in Belgis nobiliſſimum, honeſtiſs. parentib. nato, Romæ ob virtutem ad honores euecto, & auditoris ſacri Palatij munere integerrimè functo hered. poſ. Vixit annos XXX. Menſ. XI. obijt V. Calend. Octobr. Anno M. D. LVIII.

Roma peregrino magnos mandârat honores,
Quos immaturo funere mors rapuit.
Diſce meo exemplo virtuti præmia nunquam
Deêſſe, ſed & quouis tempore diſce mori.

IOANNIS FABRI.

De Fulda hîc ſepultus eſt, Præpoſitus Eccleſ. S. Cæciliæ in Raſtorff, & Canonicus & Scholaſticus Eccleſ. Sanctor. Petri & Alexandri Aſcaffenburgenſ. Deceſſit ab humanis, Anno ſalutis humanæ M. D. XVIII. Menſ. Iunij XVIIII.

EBERHARDO KADMER.

Iuriſconſulto S. Gangolphi Bamberg. Præpoſito, & Auguſtenſ. Eccleſiarum Canonico, à notandis geſtis, ſcribendisq; & dictandis literis Apoſtolicis, cui multum

Roma

Roma plus debet Noriberga, dolentes amici poſuêre. Vixit annos Lxv. Menſ. x. Dies xx. obijt M. D. vii.

IOANNI BVREN.

Fritzlarien. S. Ioan. Mogunt. Decano appon. proc. fide, modeſtia, ac diligentia in amicos eximia, quod ſac. germanic. hoſp. vrbanum heredis loco eſſe iuſſerit, curatores teſtamenti patriæ pietati monum. p. Exceſſit anno Domini M. D. xiiii. Calend. xv. Decemb.

HERMANNVS OVELSVTZ.

Germanus VVeſtphalus, ſcriptor Apoſtolicus, multis Curiæ Pontificiæ Magiſtratibus egregiè functus, ſacerdotijsq; in patria honorificentiſs. præpoſit. vtrobiq; ſummam modeſtiæ, fidei, religionis famam adeptus, hîc ſitus eſt. Vixit annos Lxx. eſſe deſijt ante xii. Calend. Septemb. M. D. viii.

IOANNI PAVIO.

Ioannis filio Antuerpiano, qui dum literarum cognitioni rerum experientiam miro virtutis ſtudio adiungere vellet, Romæ procul à patria immatura morte correptus eſt. Petrus Lopez & Rembold. Canallieri amico ſinceriſſimo, officij ergò ex teſtam. PP. Vixit annos xxx. obijt Anno M. D. Lx.

Dum Romæ moror, hinc totum contempler vt orbem
Exigua, ſperans maxima, condor humo.
Hoc tamen exemplum nolim te terreat hoſpes,
Eſt aliquid ſtudio vel perijſſe boni.
Nec neſcire nefas, quem diſcere fata volentem
Impediunt tandem iure ſcientis habet.

CONRADI LEBENTHER.

Primum clara diem tribuit Germania nobis,
Supremum tribuit Roma ſuperba diem.
Aetas, ingenium, mores, & forma fuêre,
Singula quæ fatis eſt violaſſe pudor.
Cur hæc tàm parui ternæ fecêre ſorores,
Vt ſortis poſſit quemq; pigere ſuæ.
Principium vitæ dolor eſt, dolor exitus ingens,
Et medium labor eſt, viuere quis cupiat?
At ſibi ſic facilem Lacheſis ſinat ire ſenectam,
Vt noſtris requiem manibus ore roges.

Conr. Lebenther Longitendino I. V. D. Vratislauienſi, S. Stephani Bamberg. Eccleſiarum Canonico, Romanæ curiæ cauſſarum Procuratori, qui obijt xxviii. Septemb. Anno ſalutis M. CCCC. Lxxxviii.

S. MARIA IN ARA COELI, olim Iouis Ferretrij.

ALEXANDRO CREBELLO.

Mediolanenſ. tit. S. Mariæ in ara cœli presbyt. Cardinalis.

A te vita, per te ſalus, in te quies.

Pour Sauuer li anto ſordida pello.

FRANCISCO BRACIO.

Florentin. nobili adoleſcenti, immatura morte ſurrepto, annum agenti xvi. M. D. xLii. Aloyſius Ricc. affini, & alumno dulciſs. poſ.

Inuida fata puer mihi te rapuêre, ſed ipſe
Do tumulum & lacrymas, cui dare debueras.

IBIDEM.

Spiritus ad Chriſtum pergat, qui condidit illum.

IACOBI SANCTII.

O factum Romanè.

A Bemburch Ro. Stephani Sanctij Rom. necatur pater, & is innocens hunc vt parentem vlciſcatur, militiam adit, vbi euaſit, ſtrenuus ad vindictam accingitur, ille rei ignarus ad Romanum accelerat, ſupplex vt obuolutum intueretur hominem, parcit liberè & amantiſs. complectitur, ac, quòd nobilius, non dimittit ſine munere. G. Virginius Vrſinus Regij exercitus & Ferdinandi Imperatoris, Iacobo Sanctio egregioq; facinori poſuit, qui vixit ann. LXVII. M. D. XV.

Neq; admirandum Viator,

Quod Romanus Romanè agat. Vale. Alex. VI. Pontifice An. II.

MARIVS DELPHINVS.

Ioan. Baptiſtæ f. ſacello Diui Hieronymi familiæ Delphiniæ patroni, in ampliorem formam reſtituto exornatoq;, monumentum, quo ipſe poſteriq; eius inferantur, extruit ætatis LIII. Salutis M. D. LXXIII.

MARCHIONIS SALVTIARVM.

Ex Impp. Saxonum familia, qui à Franciſco I. Galliarum Rege in Italiam cum exercitu miſſus, vt Romam à Carolo Borbonio Cæſ. copiarum præfecto captam, & Clementem VII. Pontificem in Adriani mole obſeſſum liberaret, ad hoſtes ab vrbe auertendos Neap. profectus, in expugnatione Auerſæ tormento bellico ictus. Obijt anno ſalutis M. D. XXVIII. ætatis ſuæ XL. Vincent. Parpalea S. Saluatoris Taurin. Abbas pietate & beneficiorum memoria adductus, oſſis translatis, ac pro totius familiæ ſalute anniuerſ. inſtituit, Anno Iubilæi ſalutisq; M. D. LXXV.

BLONDO FLAVIO.

Foroliuienſi hiſtorico celebri, multorum Pontif. Rom. Secretario fideliſſimo, Blondi quinq; filij patri benemerenti vnanimes poſuêre. Vixit ann. LXXV. obijt prid. Non. Iun. Anno ſalutis Chriſti, M. CCCC. LXIII. Pio Pontif. Max. ſibi natisq; fauente.

Fui non ſum: Eſtis non eritis. Nemo immortalis. Moriens vt viueret, vixit vt moriturus.

ANGELAE BLONDAE.

Franciſc. Blond. Blondi Flauij filius filiæ dilectiſſimæ poſ. Vixit an. III. Menſ. IIII. obijt prid. Calend. Ianuar. M. CCCC. LXXX.

BVCCABELLAE.

Ioan. Iacobo de Buccabellis ciui Rom. nobili Canonico Lateranenſi, Rhetori eximio, poëtæ celeberrimo, fratres heu benemerenti fecerunt. Hic pedum & ſyllabarum normam ita tenuit, vt nemo melius. Vixit annos LII. obijt ſub Pio Pontif. Max. M. CCCC. LXIIII. Non. Calend. Iulij, carus omnibus.

ANTONIO DE PERSONA.

Phyſico, patricio Romano, Gymnaſij Patauini olim XI. Rectori, qui dum inuidiæ morſus euitare non potuerit, multis honoribus functus, ann. ſuæ ætatis XXXVI. animam efflauit.

LVDOVICO GRATO.

Marganio Rom. iuueni opt. vtriusq; linguæ eruditiſſimo, aſtrorum ac totius rei Mathematicæ ſcientia doctiſſimo, eximia erga omnies pietate gratiſſimo, qui dum ſuper legitimam vitæ ſuæ ætatem hæc omnia optimè præſtat, morte ingrata bonorum deſiderio ſurripitur. Vixit ann. XX. Menſ. VIII. Dies XX. obijt Calend. April. M. D. XXXI. Chriſtophora Marganica mater pijſs. poſ.

PETRO FRANCISCO MAGALOCTO.

Filio dulciſſimo Albertus pater Vrbenetanus, dum Senatorio munere fungeretur, poni iuſſit. Vixit ann. V. Dies VII. obijt Anno M. CD. XCIII.

PETRO DE VINCENTIA.

Pontif. Læſenat. Cameræ Apoſtol. auditori, Iudicum doctiſſimo & integerrimo, cuius diuina atq; eximia virtus, quæ nullas ſibi inimicitias pro publica ſalute vitauit, diu oppreſſa, cùm tandem emerſiſſet, bonis omnibus, atq; vniuerſæ ciuitati indigniſs. eripitur. Vixit ann. L. Menſ. VII. Dies II. Margaretha ſoror infeliciſs. poſ. M. D. IIII.

VALLENSIVM.

PETRI.

Petro de Valle, I. V. D. Epiſcopo Aſculan. fratri B. M.

Dum tibi vita fuit, felicia tempora noui:
Me miſerum, verſa eſt ſors mea morte tua.
Nulla igitur requies oneroſa in luce moranti
Te ſine dulce nihil, te ſine vita dolor.
Occidis ante annos patriæ virtutis imago,
Sic tamen vt viuas in meliore loco.
Accipe ſupremos tumulî modò frater honores,
Quos potius nobis tu dare debueras.

RESPONSIO.

Parce precor lacrymis, fatum Germane quid vrges?
Omnibus hæc ſolido eſt ſcripta adamante dies.
Puluis & vmbra ſumus, tantum poſt funera virtus
Nomen inextinctum ſola ſuperſtes habet.
Nil aurum, nil pompa iuuat, nec ſanguis auorum:
Excipe Virtutem, cætera mortis erunt.
Hanc cole, & ante oculos imitanda exempla parentum
Pone, ſed interdum ſit tibi cura mei.

BARTHOLOMAEO DE VALLE.

Ob ingenium moreſq; ciuibus ac peregrinis æquè admirando, è maioriq; rerum expectatione erepto, Andr: Cardinal. de Valle fratri deſideratiſſimo, temporarium tumulum conſtituebat. Vixit annos LVIII. Menſ. II. Dies XX. obijt Idib. Nouemb. M. D. XXVI.

Currenti medium collem fortuna diremit,
Sic hominum ventis ocior aura perit.

NICOLAO DE VALLE.

Leg. D. Baſilicæ principis Apoſtolorum Canonico, Lælius in memoriam dulciſſimi filij poſuit. Hic in vita ſua nulli maledixit, ſine voluntate parentis nihil fecit, magno & excellenti claruit ingenio. Iliadem Homeri, & Heſiodum heroico carmine in Latinum vertit. Obijt primo iuuentutis flore, maxima omnium mœſtitia, M. CCCC. LXXIII. VI. Calend. Octobr.

PHILIPPO DE VALLE.

Patricio Rom. Philoſophiæ bonarumq; literarum gloria inclyto, cuius apud Rom. Pontifices, & Italiæ principes autoritas tantùm florentiſſimæ familiæ dignitatis contulit, quantùm ab illa nobilitatis accepit. Vixit ann. LXIII. Menſ. V. Dies IX. XIII. Calend. Martij, obijt M D. VI. Andreas Epiſc. Crotoniat. & Barthol. patri optimo poſ.

ANDREAE DE VALLE.

Cardin. Epiſcop. Præneſtini oſſa hîc ſita ſunt. Vixit annos LXX. Menſ. VIII. Dies V. III. Non. Sextil. eſſe inter nos deſijt.

Si tibi par auſis æuum natura dediſſet,
Nactum erat amiſſum Martia Roma decus.

BERNARD. BVCCAPADVLII.

Bernardinum Buccapadulium, Patricium Rom. nobilitate generis clarum, egregiam indolem præ ſe ferentem, mors, quæ ſemper optima eripit, in vitæ limine ſuſtulit. Euangel. pater contra votum. vixit ann. XXIII. Menſ. II. obijt VI. Iunij, M. D. XXXI.

Qui nato inferias miſit, qui condidit vrnam
Infelix genitor debuit ante mori.

DE IMAGINE CHRISTI.

Sanguine quæſiſti cœlum, nos tartara culpis,
Fac meritis cedant crimina noſtra tuis.

IOANNI BAPTISTAE MILITIO.

Patricio Rom: dum florebat iuuenta, virtute, honoribus, diuitijs, primiſq; hymenæis intercepto, Lucretia Maxima infeliciſſima mater poſ. Anno M. D. VII. III. Non. Februarij.

Debebas tumulum miſeræ mihi nate parenti,
Vertit at officium hoc iam tibi rapta dies.
Tu tamen ante oculos ſemper verſabere, non hoc
Mors quæ te rapuit, tollet iniqua mihi.
In te ego reddebar, poteram poſt funera dici
Viuere, ſeruaſſent ſi tibi fata modum.
A quibus excluſus medio de flore iuuentæ
Carpis iter ſine me nec rediturus abis.
Nunc tua quæ peperit genitrix dat membra ſepulcro.
Dat lacrymas, quales non dedit vlla parens.
Quamuis eſſe queant aliqua hæc ſolatia matri,
Quod præter cineres nil tegit vrna tuos.

IOAN: BAPTISTAE SABELL.

S. R. E. Diaconus Cardinalis temporum varietate atq; malignitate bis ad Cardinalatum electus, & in mole Hadriani detentus, ſemper tamen honorificè liberatus, ſub Paulo, Sixto, Innocentio, Alexandro ducatus Bononiæ, Marchiæ, Genuæ legationibus plenè & clarè functus, fragilitatem humani generis medit. monumentum viuens ſibi poſ. Vix: ann: LXXI. Dies XII.

GREGORIO ALBERTONIO.

Caræ indolis puero, Eunuphrius & Iulia parent: mœſtiſſimi filio vnico dulciſſimo ac benem: poſ: Vix: ann: XII.

Blandidulus, nitidus, dulciſſimus, vnicus infans
Matris delitiæ delitiæq; patris.
Hic tegitur raptus teneris Gregorius annis,
Vt roſa quæ ſubitis imbribus icta cadit.

LVCII MANCINI.

Lucia ſtrips claris olim lucebat alumnis,
Nunc huius geſtis & pietate viri.
Qui meritus magnos ſemper contemſit honores,
Mens bona pro titulis cui fuit vna ſatis.
Virtutem Alphonſus rex non ſine munere paſſus
Defunctum merito ſignat honore virum,
Nomine militiæ Mancinum ſignat equeſtri,
Qui virtutis opus dexter ad omne fuit.

Obijt Anno Domini M. CCCC. XLVII. I. Septembr:

IVLIANO LVCIO MANCINO.

Ciui Romano, generis nobilitate & virtute claro, qui dum maiorum ſuorum gloriam

gloriam pacis artibus æmulatur, ipſo iuuentutis flore intercipitur: Laurentio & Diana liberis adhuc infantibus afflictæ coniugi relictis Hieronyma Cadranica marito incomparabili mœrens fecit. Vix: ann: xxix. Obijt xv. Calend: Auguſti M. D. xxxvi.

IBIDEM.

En modò læta Venus, laniat modò mœſta capillos,
Et queritur culpans impia facta Ioui.
Atropos excuſans factum, deludimur inquit.
Neſtor mî iſte, tibi viſus Adonis erat.

SERAPHINO ODVCTIO STRANCIONIO.

Medico celeberrimo, vati ingenioſiſſimo, ac omninò omnium diſciplinarum doctrina prædito, vitæ autem integritate ac morum probitate omnibus gratiſſimo, qui vehementi febre correptus, præſcita, prædictaq; die & hora mortis conſtantiſſimè Obijt ix. Calend. Septemb. M. D. xxxviii. Theophilus fil: pientiſs: patri opt: poſ: Vix: ann: Liiii. Menſ: vii. Dies xxiii.

ANTONIO MANILIO.

Britanorio, Sixti IIII. & Iulij II. Pontiff. Max. à cubiculo, fatorum præſcio, vatiq; ſemper vero, Latinè Græceq; diſerto, Philoſopho, Iuriſperito, morumq; ſanctimonia inſigni Bapt: Fab: patruo ſuauiſs. vberib: cum lacrymis poſ: M. D. x. Vix: ann: Lxxix. Menſ. vii. Dies xv. Αντώνιος Μανίλιος ὁ Βριτανόριος ὁ μάντις ἀμυμων, πᾶν ἐπιςήμων, ὥπερ οὐκ ἀθάνατος ἐνθαδε κεῖται.

IOANNIS BAPTISTAE DE PONTE.

Patauini, Canonici Aquileienſis ſacram. deceſſit anno M. CCCC. Lxiiii. Calend. Septembr.

S. MARIA AVENTINA in Auentino, olim bonæ Deæ.

CONIVGIS A MARITO INTERFECTAE.

Immitis ferro ſecuit mea colla maritus,
Dum propero niuei ſoluere vincla pedis.
Non culpa meruiſſe necem pia numina teſtor,
Sed iaceo fati ſorte perempta mei.
Diſcite ab exemplo Chriſtianæ, diſcite patres
Ne nubat fatuo filia veſtra viro.

S. MARIA { DE CACABARIIS in regione Pineæ.
IN CAMPO SANCTO in valle Vaticani.

ALPHONSI BAENI.

Hic iacet Alphonſus præclarus miles in armis
Cui genus & nomen clara Baëna dedit.
Cui Planco cognomen erat, nouus aduena Romæ
Corpus humo iuuenis dans animamq; Deo.

IBIDEM.

Hei mihi dum dulcis ſupereſt pars optima vitæ,
Me miſerum duro funere fata premunt.

IBIDEM.

Iacob. VVolgemut aliàs Benecontent poſ.

IBIDEM.

Flandria mî patria eſt, prolem dedit Anglia coniux,
Roma habeat cineres, Spiritus aſtra petat.

ITEM.

Hic Petrus tegitur virtute & nomine magnus
Expertus medio Tybure Sardiniam.

S. MARIA
- IN CAPITOLIO, olim Apollinis Capitolini.
- IN CAPELLA trans Tybrim.
- IN CANDELORO reg: S. Angeli.
- DE CARMINI prope pontem AElium.
- DE COELIS in vico Flaminio.
- IN CRIPTA PICTA prope domum Vrſinorum, olim Veneris Victricis.
- DE CONCEPTIONA in monte Cælio.
- DE CONSOLATIONE ſub rupe Tarpeia.

SCELETOS ANTONIAE AD VIATOREM. IO: PFEIL.

Carnibus orba ſuis cur ſint hæc forte requiris,
Iuncta tamen iuſto corporis oſſa ſitu.
Sic mandata dedi viuens Antonia quondam,
Et moriens eadem iuſſa ſuprema dedi
Vt ſceletos fierem, Medici quo diſcere poſſent,
Quanta forent, & quot, quælibet apta loco.
Quod iuſſi fecit Gisbertus, gratia magna
Huic maneat, ſatis eſt lux mihi perpetua.

Quod hoc vides amice corpus ſine corpore, ne ſtupeas aut damnes, quiſquis es, teſtamento ſic ipſa caui, vt hoc quod cernis fierem, Philoſophis ac Medicis ſacrum, horum ſi es de numero ſacro legato vtitor, ſin profanus indoctus, hinc ocyus abſcedito.

SVB IMAGINE SALVATORIS.

Saluator mundo mentes miſeratus iniquas,
Te voco, te reuoco, te modo pœniteat.
En age, quid ceſſas, poteris non ſemper adire,
Non datur ad ſuperos vadere ſemper iter.

S. MARIA
- IN COSMEDIM in Velabro, olim Herculis in ara maxima.
- DE CVRTE infra Capitolium.
- IN DOMINICA in Cælio.
- IN EQVIRIO in Circo Flaminio, olim Iſidis in circo Flaminio.
- DE FEBRIBVS in Vaticano, olim Martis in Vaticano: In ea ſtatua marmorea Michaëlis Angeli inferius ad S. Petrum cui eſt contigua, relata.

SANCTI PAZILII.

Bis ſex luſtra Deo famulatus clauiger oſſa,
Condidit hic ſanctus feſſa dicata tibi.

Sanctus Romanus patria, Pazillus ſobole, per annos Lx. in principis Apoſtolorum Baſilica ſacris operatus, viuens hoc ſibi ſepulcrum.

S. MARIA AD FONTEM OLEI.

IOAN QVADRATI.

Hic ſua Quadratus reliquit membra Ioannes
Patria Sulmo fuit, ſtudium diuina poëſis.

DE GRA-

S. MARIA
- DE GRATIA intra Capitol. & Palatinum, olim Veſtæ.
- GROTTAPENTA in regione Parionis.
- IN HORTO trans Tyberim.
- DE INFERNO in foro Romano, olim Iouis Statoris.
- IN INSVLA.
- IN IVLIA in regione Harenulæ.
- DE LORETO piſtorum.
- MAIOR IN Eſquilino.

Templum hoc Muſiui operis habet in longitudine cccxii. ped. in latitud. cxii. ornatiſs. & vnum ex primis: Pauimentum teſſellato opere varium, & laquearia inaurata. Tabula altaris & altera vrna porphyretica, in qua Iohannes Paulus conditus fundator Baſilicæ. Turris thecam plumbeam habet, & pila inaurata lõga cccxii. ped. lata cxii. In ea præſepe Domini, & ſepulcra D. Hieronymi atq; Albenti Normandi monſtrantur.

IN EPISTILIIS Portæ magnæ.

Tertius Eugenius Romanus Papa benignus,
Obtulit hoc munus virgo Maria tibi.
Quæ mater Chriſti fieri meritò meruiſti,
Salua perpetua virginitate tibi.
Es via, vita, ſalus, totius gloria mundi,
Da veniam culpis virginitatis honos.

Sacellum Pij V. Pontif. à Sixto V. adeò magnificè erectum & ornatum eſt picturis, ſtatuis marmoreis, ornamentis, vt calamo vix poſſit exprimi. Tabulæ mediæ inſidet Pius V. & ad dexteram hæc leguntur.

Solymum Turcarum Tyrannum multis inſolentem victorijs ingenti parata claſſe Cyproq; expugnata, Chriſtianis extrema minitantem, Pius V. fœdere cum Philippo II. Hiſpan. Rege ac Republ. Veneta inito, M. Anth. Columnam Pontificiæ claſsi præficiens ad Echinadas hoſtibus XXX. mill. cœſis, X. mill. in poteſtatem redactis, triremibus CLXXX. captis, XI. demerſis, XV. mill. Chriſtianis à ſeruitute liberatis precibus & armis deuicit.

AD SINISTRAM.

Galliam Carolo IX. Rege perduellium hæreticorumq; nefarijs armis vexatam, vt de Regno deq; religione actum videretur, Pius V. Sfortiæ Comitis S. Floræ ductu, miſsis Equitum peditumq; auxiliaribus copijs periculo exemit, hoſtibusq; deletis victoriam reportauit, regi regnum cum religione reſtituit, ſigna de hoſtibus capta ad Lateranen. baſilicam ſuſpendit.

AD EFFIGIEM PII V. MEDIAE
Tabulæ inſidentis.

Pio V. Pontif. Max. ex ord. prædicat. Sixt. V. PP. Max. ex ordin. Minor. grati animi monument. poſuit.

INFRA.

Pius V. gente Giſleria Boſchi in Liguria natus Theolog: eximius à Paulo IIII. in Inſubria hæreticæ prauitatis Inquiſitor, à Iulio III. S^{tæ}. Inquiſitionis officij commiſſ: generalis, à Paulo IIII. Epiſcopus Sutrienſis, deinde S. R. E. tit. S. Mariæ ſupra Mineruam presbyter Cardinalis, & à Pio IIII. Eccleſiæ Montis regalis in Subalpinis Adminiſtrator factus: Eo vita functo, ſummo Cardinalium conſenſu Pont. Max. creatus, qui veteres SS. PP. æmulatus, Catholicam fidem propagauit, Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituit, & tandem geſtarum rerum gloria clarus, dum maiora molitur, totius Chriſtianæ Reip: damno nobis eripitur, Calend: Maij M.D.Lxxii. Pontific. ann: vii. ætatis Lxviii.

MVSICI CVIVSDAM.

Ille ego quem genuit cerealis Agonia felix,
Hic iaceo iuſti funeris ante diem.
Muſica quod fuerat mihi cum grauitate decori
Gratus eram populo, principibusq; viris.
Felix ante quidem, nunc verò infauſtus, amicos
Lugentes linquo triſtia fata meos.

BARTHOL. BALIONO I. C.

Parce queri, quicunq; legis poſt fata renaſci
Sors humana iubet Bartholomæus ait.
Soluitur in cinerem corpus, mens æthera lambit,
Vt queat æterna conditione frui.
Non moritur quiſquis benè vixerit, ille perîſſe
Dicitur, obſcœno cui ſtetit ore ſitis.

PLATINAE

SIXTI IIII. PONTIF. MAX. Secretario Anno VIII. Stephano, qui vix. ann. XXVII. Mens. VIIII. Dies XII, Platina fratri benemerenti pos. ſibiq; ac poſteris.
Quiſquis es, ſi pius es, Platinam & ſuos ne uexes, anguſtè iacent & ſoli uolunt eſſe. θάρσει ἄδελφε καλὸν θνήσκων πάλιμ φύεται.

EX OLYMPO ANTON. PETRILLO.

Diuæ Virginis de Niue ſacerdoti honeſto.
Molliter oſſa cubent dicat, rogo, quiſq; viator,
Sic tibi defuncto dicere Dÿ iubeant.

IVLIANO BLONDO.

Huius Baſilicæ Canonico Dominicus Blondus frater fratri poſ. M.cccc. Lxxxvi.

IOANNI. FRANC. BINO.

Florentino ciui Rom: huiꝰ ædis Sacerdoti Canonico, viro bono docto atq; vrbano, ob probatos mores puramq; orationem ſummorum trium Pontificium Iulij III. Marcelli II. Pauli IIII. ac ſacri Senatus ſcribæ, Margarita ſoror fratri optim.

BELO CARANZOLO.

Syngrapharum pœnitentiæ magiſtro, apoſtolicarumq; ſubſcriptori iuris Pontificij conſultiſſimo cuius fortunis mores non ceſſerunt.

ALBERTI NN.

Hic iacet Albertus Romano tegmine tectus,
Magnus proſapia clarus in hac patria.
Fundite ſuppliciter deuota precamina Chriſto,
Qui ſibi dignetur parcere fine carens.

IOAN. NORMANDI.

Nobilium ſpeculum, iuuenum flos, forma piorum

Norman-

Normandus genere genitus Stephani, ipſe bonorum
De numero iacet hic, cui nomen ineſſe Ioannis
Inſtituit genitor, ſacros dum contigit annos,
Iuſtus, veridicus, manſuetus, largus, amatus
Catholicus pius & miſeros refouere paratus,
Hunc genitrix, vxor, proles, cognatio plorat
Defunctum, ſed enim tibi virgo munera donat.
Ergo Maria tuum natum depoſce, reatus
Vt tollat, maneat tecum ſuper aſtra beatus.

PETRI CAPOCINI CARDINALIS.

Cardine prælatum, genitum de ſtipite claro
Quem rea mors rapuit, infima buſta tenent.
Cultor Iuſticiæ rigidus, ſeruator honeſti,
Quæq; dari voluit, pauca retenta tulit.
Gente Capocinus Petrus, datus eſt ſibi duplex
Enſis ab Eccleſia, quod tueatur eam.
Prætulit arma togæ. Fridericum ſchiſmate plenum
Belli iure fugat, vndiq; clarus ouat.
Donat opes largas, largo de pectore fuſas
Grandis in hac æde virgo Maria tibi.
Aurum veſtit opus, ſculpſit manus arte magiſtra
Mira columna leuat iſte miniſtrat opes.
Condit opus ſacrum, condas animam precor huius
AEdibus ætherijs intemerata parens.

CASSANDRAE MACIAE.

Perculanæ ex Vmbria, matronæ omnibus virtutibus, quas in lectiſſima fœmina eſſe oportet, cumulatiſſimè ornatæ, quæ cum virum integerrima ætate amiſiſſet, vnico filio rem familiarem ſumma prudentia ac diligentia, abſentiſq; deſiderium, dum is Philoſophiam ac medicinam modò diſcens, modò docens peregrinaretur, paterno potiùs quàm materno animo pertulit, mox cum cum nuru nepotibusq; paruulis duob Romam ſecuta quinto poſt menſe, cum annum ferè ageret ætatis ſuæ Lxxx. mitiſſima quiete quaſi conſopita. Deo vnico & ſempiterno mira cum pietate ac religione animam reddidit. Obijt Anno M.D.XLıx. Menſ: April:

OPECINI AVRIAE GENVENSIS.

Florentes annos tibi mors Opecine negauit
In patriam ad caros ſæua referre lares,
At Domini ſanctum propter præſepe iacenti,
Dignior in tota non erat vrbe locus.

LEONARDO SANVTO.

Martini filio Patricio, viro ingenio ac probitate claro, ad Sixtum ııı. Pontif. Max. Venetorum Senatus Oratori Romæ vita functo, patri filij poſ:

IBIDEM.

Hic de Pellatis ſitus eſt Hieronimus, vrbis,
Ni mors ante diem præripuiſſet, honos.

CONSALVI EPISCOPI ALBAN.

Hic depoſitus quondam fuit Dominus Conſaluus Epiſcopus Albanenſis Anno Domini M.CC.Lxxxxvııı.

IBIDEM

IBIDEM.

Petra Petrum tegit hæc, animamq́ fouet Petra Chriſtus,
Sic ſaluum retinet vtraq́ petra Petrum.

PHILIPPVS DE LEVIS.

Tituli Sanctorum Petri & Marcellini Cardinalis Arelatenſis, è Gallia ortus, illuſtris moribus, virtute illuſtrior, Romanis Pontificibus & Chriſtianiſſimis Francorum Regibus magno in precio habitus, in Senatum Apoſtolicum magna probitate adſcitus, obijt ſuo natali, magno ſui deſiderio relicto, quippe qui corporis & animi bonis prædítus, ſummaq; autoritate pollens, profuit quibus potuit, obfuit nemini. Vixit annos xL. obijt prid. non. Nouemb. Anno M. CCCC. Lxxv.

Duo fratres iacent hîc eodem clauſi ſepulcro,
Philippus & Euſtachius, primus Cardinalis
Fuit, ſed Archiepiſcopus Arelatenſis vterq́.

Sedente Innocentio VIII. Pontif. Max. Euſtachius natione Gallus, nobili Leuorum gente Arelattenſis Archiepiſcopus, hîc ſitus eſt. O quanta fuit in hoc Antiſtiti fides, pietas, religio, ſanctitas, ob quæ eum meritò Pontif. Max. inter Sacroſanctos ſibi diuinarum ceremoniarum Antiſtites connumerari voluerit, qui cùm fratrem Philippum S. R. E. Cardinalem, qui iuxta ſe cubat, vnicè dilexiſſet in vita, in morte quoq;, vt tumulo illi iungeretur, mandauit. Vixit annos xLII. obijt M. CCCC. Lxxxix. April. xxII.

LVCAE GAVRICO.

Geophonenſi, Epiſcopo Ciuitatenſi, obijt die vI. Martij, M. D. LvIIII. vixit annos LxxxII. Menſ. xI. Dies xxII. D. D. Sebaſtianus Bene, in caſa Geophonen. & Octauianus Canis Bonon. heredes ex teſtamento B. M. P.

Pauli Capiſucci Epiſcopi Neocaſtrenſ. Rotæ auditoris.
Cardinalis Landæ, marmoreum.
Ioannis Meſich.
Damiani Pinelli Politiani.
Alti de Archionibus.
Angeli de Bonfantis.
Petri de Monte Veneti, Epiſcopi Brixiani.
Caſpari Zacchij, Epiſcopi Anximiani.
Petri de Seris, Protonotarij Apoſtolici.
Ioannis Prioris Rotæ auditoris & templi Canonici.
Fantini Tragurini ex Dalmatia, IC. Rotæ auditoris.
Ioan. Præſulis Lubecen. & Strigonien.
Nazarei Epiſcopi.
Sabbæ Petrucioli Vulpicelli Canonici.
Paluzi de Iſola.
Petri Lamberti Allobrag. præſul.
Nicolai de Viuianis, Epiſcopi Theatini.
Hieronymi de Fuſcis.
Leonardi VValterini Canonici.
Iacobi Mancini Canonici.
Nicolai de Tongues Rothomagenſ.
Ioan. Theobaldi Canonici Cameracen.
Antonij de Bellis Canonici templi.
Maffei de Dragonibus Canonici.
Alphonſi de Villa Regali.
Dominici Capacij.

Liuiæ Mozatogliæ.
Duorum militiæ præfectorum.
Iuliani Bonſignorij.
Ricardi Milaneſij.
Chriſtophori Picinnini.
Franciſci Amidei I.C.
Cardinalis Sfortziæ in ſacello eius familiæ.

S. MARIA SVPRA MINERVAM, olim Mineruæ.

CANTACVSINAE CYPRIAE.

C. Cantacuſinæ floridi, Cypriæ nobiliſſimæ, priſcis matronis quouis laudis genere comparandæ, vxori concordiſſimæ & ſuauiſſimæ. Vixit annos VIII. Dies X. cum ea ſine lite, Hector Lengles Cypriæ nobilitatis tenues reliquiæ amiſſo vnico exilij ſolamento infelicisſ. & ſibi poſuit. Anno M. D. V. III. Non. Iul.

Nunc tumulo & lacrymis, mox mixtis oſsibus oſſa,
Vosq; per æthereas proſequar vmbra domos.

MARIAE BVRTOLLAE.

Conſtituit Mariæ tumulum Martinus, & ipſe
Coniugis vt coniux oſsibus oſſa tegat. D. O. M.

STANISLAO HOSIO.

Polono S. R. E. Presbytero, Cardinali VVarmienſi Epiſcopo, maiori pœnitentiario, vitæ ſanctitate, eruditionis & eloquentiæ gloria celeberr. Catholicæ fidei acerrimo propugnatori, qui cùm antiquæ probitatis, & Epiſcop. vigilantiæ præſtantiam in humilitate, caritate, caſtitate, beneficentia expreſſiſſet, hæreticas ſectas ſcriptis & conſilijs ſapientiſſimis feruenter oppugnaſſet, multos ab erroribus reduxiſſet. Cùm apud Carol. V. & Ferdinand. Cæſares, tùm præcipuè in S. Concilo Tridentino Pij IIII. Pontif. nomine felicisſ. perfunctus, Chriſtian. Reipub. plurimùm profuiſſet, omnium virtutum laudibus & exemplis ad imitandum abundans, obdormiuit in Domino Non. Auguſt. Anno M. D. LXXIX. ætatis ſuæ LXXVIII. Stanislaus patruo & Stanisla Veſcius. patrono beneficentisſ. executores teſtament poſ.

Hæc ſcripſi vobis, de ijs qui ſeducunt vos.

Catholicus non eſt, qui à Romana Eccleſia in fidei doctrina diſcordat.

ROBERTO PVVIO.

Tituli SS. IIII. Coronatorum presbyt. Card. M. pœnitent. ſumma fide atq; conſtantia prædito. Pandul. Puuius filius patri carisſ. atq; opt. merenti poſ. qui vixit an. LXXXII. Menſ. VII. Dies IX. deceſſit XVI. Calend. Febr. M. D. XLVII.

LAVRENTIO PVVIO.

Epiſcopo presbyt. Card. tituli IIII. Coronat. M. pœnitent. ſingularis probitatis ac amabilitatis, & in Apoſt. negotijs exper. qui vixit annos LXXII. Menſ. I. Dies IX. iuxta L. pp. X. vt mandauerat ſepulcrum, Robertus Puuius Cardinal. tit. IIII. M. pœn. fratri optimo & benem. f. mortuus ab anno M. D. XXIIII.

ANTONIO PVVIO.

Epiſcopo Sab. Card. tit. IIII. Cor. M. pœnitent. moribus & religione, ac in omnes probos liberalitate ſingularisſ. qui vixit annos LX. Dies IIII. Robertus Puuius Card. tit. IIII. M. pœnitent. fratris filio, iuxta Clement. PP. VII. à quo purpuram acceperat, ſepulcrum fieri cur. mortuus ab anno M. D. XLIIII.

VBALDINO BANDINELLO.

Patricio Florentino, Montis Fliſconis Epiſcopo, viro non minùs vita & moribus inte-

integerrimo, quàm multiplici rerum ſcientia ornatiſſimo, Franciſca ſoror mœſtiſſima optimo fratri poſ. Obijt VII. Martij, Anno à Chriſto nato M. D. LI. ætatis verò ſuæ LVII.

IOAN. MICHAELI BVCKE.

Papienſi, ex oppido Valentiæ, dum intimo Pij V. Pontif. Max. cubiculo aſſidua cura & diligentia aſſiſteret, immatura morte prærepto. Ferdinandus & Antonius Philippus fratres mœrentes poſuêre. Vixit annos XXXV. obijt XI. Calend. Auguſti, M. D. LXVI.

THOMAE CASSELLO.

Ruſſanenſi, patricio ordinis Prædicatorum, diuinarum literarum peritiſſimo, Catholicæ doctrinæ propugnatori acerrimo, Epiſcopo Cauenſi, qui pro ſancta Repub. Chriſtiana innumeros labores ſuſcepit, Marius Proto. nobiliſſimus, patricius Neapolitanus poni cur. Vixit ann. LX. obijt XIX. Martij, M. D. LXXI.

EQVITIS PETISLAVII.

Petislauio Neris filio, equiti Florent. viro integerrimo, qui domi foriſq; multa pro Repub. optimè geſſit, patriæ libertatem vehementer amauit, demùm inter fortunæ procellas ſumma cum laude vixit ann. LXXXI. Menſ. V. Dies XII. filij vnanimes patri pientiſſ. ac benè mer. poſ. Obijt Anno Chriſti M. CCCC. LXXXII. IIII. Calend. Auguſti.

φίλον ἔδαφος πατρίδος.
ἀλλὰ γῆ πᾶσα τάφος

ISABELLA GABRIELLIAE.

Eugubinæ fœminæ primariæ, pietatem coluit, hoſpitalitatem exercuit, manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperes, Hier. Lud. Sylu. Alex. & Iul. filij pientiſſ. patri benemer. poſ. Vixit annos LXXIII. obijt Calend. Ianuar. M. D. LXVII.

O Mors, ô Mors, ô Mors,
Ærumnarum portus & meta ſalutis.

SPECVLATORIS.

Hîc iacet egregius Doctor præſul Mimatenſis
Domui Durandi Guilelmus, regula morum,
Splendor honeſtatis, & caſti candor amoris,
Altum conſilijs ſpetioſum mente ſerenum.
Hunc inſignibant immotum turbine mentis
Mente pius ſermone grauis, geſtuq; modeſtus,
Extitit infeſtus ſuper hoſtes more Leonis,
Indomitus domuit populos, ferroq; rebelles
Impulit, Eccleſiæ iuſtos ſeruire coëgit.
Comprobat officijs, paruit Romania ſceptro.
Belligeri Comitis Martini tempore quarti
Condidit iſte in Iure librum, quo Ius reperitur,
Et Speculum Iuris & Patrum Pontificale,
Et rationale diuinorum patefecit.
Inſtruxit clerum ſcriptis monuitq; ſtatutis.
Gregorij dein Nicolai ſcita perenni
Gloſſa diffudit, populis ſenſuſq; profundos
Scire dedit, menteſq; coruſcat luce ſtudentum,
Quem memori laude genuit prouincia dignum,
Et dedit à Podio Nuſſone Dioceſis illum.
Inde Biſerrenſis præ ſignis Curia Papæ
Dum foret Eccleſiæ Mimatenſis ſede quietus,

Hunc

Hunc vocat Octauus Bonifacius; altius illum
Promouet, hic renuit Rauennæ Præſul haberi,
Fit comes inuitus, ſimul hinc & Marchio tandem
Et Romam rediјt Domini ſub mille trecentis
Quatuor amotis annis, tumulante Minerua
Surripit hunc feſtiua dies, & prima Nouembris
Gaudia cum ſanctis tenet omnibus inde ſacerdos.
Pro quo perpetua datur hac celebrare capella.

LAVRETO SYLLANO.

Spoletino, I.C. illuſtri ac diuerſarum ſcientiarum præſtantia inſigni, qui cum patriæ ſuæ apud Gregor. XIII. Pontif. Max. Oratorem ageret, inſperata morte eripitur. Emilia de Scellis cara vxor & filij mœſtiſſimi poſ. Vix. ann. Lv. Menſ. vi. Obijt Romæ die xxvii. Martij M. D. Lxxiii.

CAESARI COSTAZZIO.

Rom. adoleſcenti legum profeſſori ingenij acutiſſimi Nicolaus Coſtacius I.V.D. eius pater multis cum lacrymis poſ. Vix. ann. xvi. Menſ. vii. Obijt anno Domini M. D. Lxxi. Die xvi. Septemb.

HIERON. BVSIGELLAE.

Hic gemini Buſigella iacet præſtantia Iuris,
Cui dedit antiquum docta Papia genus.

Reliquum Hieron. Buſigellæ I. V. D. Equitiiſque.

BERNHARD. NICOLINO.

Flor. Leon. Nicolinus frater amantiſſimus multis cum lacrymis f. p. Vixit ann. xLvi. Menſ. x. dies xx.

Hic cum ob operam ſingulari fide atq; induſtria nauatam Clement. VII. Pont. Max. cariſſimus eſſet, omnia magna ex illius gratia ſibi proponeret, immatura morte ereptus ſpem ſuam ſuorumq; deſtituit.

ANTONIO VBERTINO.

Patricio Florentino, Gregorij filio, viro tùm publicis tùm priuatis rebus agendis optimo atque integerrimo Ioan. Baptiſta Vbertinus Nicolai filius patruo bene mer. poſ. Vix. annos Lxiii. Menſ. xi. Dies viii Obijt xvii. Calend. Septembr. M. D. Lxvi.

GENES BVLTETVS.

Lotharing. Pontificius cubicularius vxorq; Liuia Federica Rom. beat. ſpem expectantes diuinæ rei ad aram maximam primane perpet. faciund. ac ſacris literis hac in æde certis dieb. enodandis, nonnullos prouentus ann. Cenotaphiumq; ſibi & poſteris adhuc ſuperſtites ſtatuêre M. D. xLvii.

ALEXAND. SFORTIA.

S. R. E. Cardinalis Pauli III. Nepos Bonon. & Flaminiæ ſub Pio V. & Grægor. XIII. Legat. ſignaturæ Iuſtitiæ præfectus, huius Baſilicæ Archipresbyteri ſibi mortis memor poſuit Annum agens xLvii. Mortuus anno M. D. Lxxxii.

IVLIVS GALETTVS.

Piſanus, Epiſc. Alexanen. ætatis ſuæ Lxiiii. moritur Anno M. D. Lxiiii. Nicolaus eius frater f.

M. ANTONIO ELEPHANTVCIO.

Bononienſ. domi nobili, qui cum ob ſingularem probitatem, modeſtiam, fidem, à Gregorio XIII. Pontif. Max. in numerum quatuor intimorum cubiculariorum adlectus, eiq; vnicè carus magnam in ſpem ſuorum animos erexiſſet, immatura morte præreptus, eoſdem incredibili dolore perculſos reliquit, Io. Franciſc. Elephantucius in perpetuum luctum filio ſuperſtes relictus, quod ſibi ab illo præſtari ſperauerat, id

ipſe ei mœſtiſs. præſtitit. Vix. ann. xv. Menſ. vii. Dies xvi. Obijt xvi. Calend. Septē. M. D. Lxxiii. Pontificat. D. N. Gregorij xiii. anno ſecundo.

IOAN. LIPPIO.

Geminianenſi I. V. D. Margaritæ Auſtriæ Caroli V. Auguſt. f. quod eius in Italia negotia ſumma fide & prudentia gereret gratiſs. Vix. ann. xxvii. Obijt vii. Cal. Octob. M. D. Lxii. Nicolaus Lippius patrueli benemer. poſ.

IOAN. NICOLAO ANGELONIO.

De Monteleone Iur. Conſ. ſumma & integritate & rerum gerendarum peritia prædito, principibus ſuæ ætatis viris gratiſs. Diana vxor Tenolia Caſſindia & Hieronyma Caſtoreaq; filiæ benemer. curante Farneſio Bennato amico præcipuo pon. curau. Vixit ann. xLviii. Obijt Calend. Iunij Anno ſalutis M. D. L.

CASPARIS CABVRETTI.

A monte Calerio, qui dum probitatis, religionis & veræ fidei fructus deſiderans immatura morte præuentus incredibile deſiderium ſui reliquit. Quod reliquum erat Io. Baptiſta fratri & Io. Burginus amico bene mer. poſuerunt. Anno M. D. xLvi. Mēſ. Octob. Die xx. Obijt annum agens xxvi.

IVL. CAESARI ROSATO.

Viſſano, mercatori fideliſſimo & integerrimo Io. Hercules, Paulus Cynthius patri pientiſs. multis cum lacrymis poſuerunt. Vix. annos xLvi. Obijt iii. Id. Octob.

CONIVGVM.

Regnatori poſtquam placuit Olympi, & Iacobum de Machaionis fratrem & Ferdinandum de Gioffis ſuum quoq; virum hunc linquere mundum ipſorum corpora etiam de Machaionis ipſa Hieronyma hoc in tumulo honorificè humari fecit, Anno Domini M. D. xLviii.

FRANCISCO VALONO.

Patricio Florentino, qui vixit annos Lxiii. Obijt iii. Non. Auguſti M. D. Lv. ALBERIA ALEANdrina coniugi amantiſs. non ſine multis lacrymis poſuit.

GVIDONI MEDICI.

Patricio Florentino, primoq; Theatino Archiepiſcopo & ſub Clement. VII. Pontif. Max. Adriani molis præfecto fratres conuentus Mineruæ tanquam de ſe benemerenti poſ. Die xx. Iunij M. D. xxxvii.

CONIVGVM.

Martinus Fraſchetius Porrigienſis Mariæ Burollæ coniugi dulciſſimæ ſibiq; poſteriſq; ſuis poſ. Vix. ann. xxxvi. Menſ. vi. Dies xxiii. Obijt die x Februarij: Anno M. D. xxiiii.

CATHARINAE IMPERIALI.

Galeatius Glaſianus Mediolanenſ. coniugi optimæ & bene mer. cum qua vixit annos xvi. ſine vlla querela fecit, & dulciſs. filijs Domicilio & Benedicto filiæq; Aureliæ Candinæ Anno ſalutis M. CCCC. Lxxix.

LVDOVICO MILLANESIO.

Patricio Florentino I. V. D. Pauli ac Iulij III. Pontif. Max. XII. Viro Abbreuiatori ac Referendario vſu, prudentia, & integritate maximè probato, Franciſc. fratri Dominicus & Clemens. ex teſtamento heredes patruo cariſſimo poſ. Vix. ann. Lix. Menſ. ii. è vita exceſſit Anno Chriſti M. D. Liiii.

CHERVBINO BONANO.

Pitano, viro eminenti virtute fideq; & induſtria ſummi apud Principes loci, quorum commodis vitam ipſam poſthabuit. Vix. ann. xLv. Menſ. v. Dies xxi. Ludou. frater multis cum lacrymis benem. poſ. Obijt M. D. xLvi. viii. Calend. April. Humaniq; officij memor ſibi poſteriſq; ſuis.

HORA-

HORATIO GATTO.

Romano, præſtantiſſimi ingenij adoleſcenti, cuius inſignem prudentiam fides vna ſuperauit Vix. ann. xxvi. Menſ. vi. Obijt vii. Iulij M. D. Lvi. Iulius de Grandis Epiſcopus Aglonens. ac Ducis Ferrariæ apud ſummos Pontif. orator alumno cariſs. & à Secretis.

FRATER MICHAEL GISLERIVS.

Ex oppido Boſchi agri Alexandrini, Ordin. prædicat. Di. miſs. tit. S. Sabinæ S. R. E. presbyt. Card. noſcens terram terræ ſe redditurum, ob certam reſurrectionis ſpem in virginis Dei genitricis templo cuius & ſanctorum & piorum viuentium cupiens adiuuari ſuffragijs, locum hunc viuens ſibi ſtatuit. In quo cadauer cum ſuum obierit diem, poni curabit annum agens ætatis ſuæ Lx. & humanæ ſalutis Anno M. D. Lxiiii.

PAVLI IIII. PONTIF. MAX.

Iheſu Chriſto ſpei & vitæ fidelium.

PAVLO IIII. CARRAFAE PONT. MAX.

Eloquentia, doctrina, ſapientia ſingulari, innocentia, liberalitate animi magnitudine præſtantiſs. ſcelerum vindici integerrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori.

Pius V. Pontif. Max. grati & pij animi monumentum poſ. Vixit ann. Lxxxiii. Menſ. i. Dies xv. Obijt M. D. Lix. Calend. Septemb. Pontificatus ſui anno v.

SICINIO PEPVLO.

Compatricio Bononienſ. Venetarum cohortium ductori fortiſſimo clariſſimoq;, Iulia mater, Hieronymus & Annibal filij mœſtiſs. fecêre, Vixit ann. xxviii. Menſ. i. Dies xxvi. Obijt iiii. Calend. Ianuarij M. D. Lvi.

BENEDICTI PATRICII.

Viuite mortales, curæ quot viuitis annos
Non ſit, ſed vobis quàm benè vita fluat.

Benedicto Patricio Veneto ex vetuſta nobiliq; Superantiorum familia, Archiepiſcopo Nicoſienſ. Apoſt. Secretario Innocent. viii. & Alexand. vi. Rom. Pontiff. ſacris Ceremonijs aſſiſtenti, viro facundia ingenijq; acrimonia claro, patriæ cultu religioniſq; obſeruantia pientiſs. Victor fratri benem. poſ. Vix. annos xLviii. Menſ. vii. Dies xv. Obijt anno ſalutis M. CCCC. xcv. vi. Non. Iulij.

IOAN. DIDACI.

Ioannes Didaci de Cora Hiſpanus præſul Calagurritanus, vir integerrimus ſibi viuens poſ. Vix. ann. Lxxxvii. Menſ. viii. D. xvii..

Si pietas, ſi ſancta fides conſcendit Olympum,
Nos tegimus cineres, ſpiritus aſtra tenet.

BAPT. PORCIAE.

Pia ſocietas annunciationis virginis Mariæ ſupra Mineruam puellis tenuibus dotandis conſtituta, Cornelio Baptiſtæ filio, Porcia familia claro, qui huius rei cauſſa bona omnia teſtamento reliquit, monument. poſ. Vixit ann. xLvi. Menſes iii. Dies vii. Anno ſalutis M. CCCC. xcv.

CARDINALIS DE TVRRE CREMATA.

Hic quieſcit Ioan. de Turre Cremata, natione Hiſpanus, Epiſcopus Sabinenſ. S. R. E. Cardinalis S. Sixti qui obijt xxv. Septemb. Anno M. CCCC. Lxv. requieſcat in pace.

FRANCISCI NERI.

Qui nunquam in curis conſumpſit inanibus æuum,
Franciſcus Nerus clauditur hoc tumulo.

Hic ſummæ induſtriæ vir, patricius Florentinus, Quæſtor Clement. VII. Pontif. Max. fuit, cuius theſauros cum fide adminiſtrauit. Auguſtinus fratri optimè de ſe merito & grati animi oſtendendi cauſſa, & memoriæ ipſius colendæ multis cum lacrymis poſ. Vixit ann. LXXVI. Obijt IIII. Id. Iulij M. D. LXIII.

ANASTASIVS DE PEZZATIS.

Nobilis Aretinus de numero participantium Cubicularius Apoſt. SS. Petri & Pauli miles, ac bis præſidens annonæ, & ter portionarius Ripæ almæ vrbis, ſibi viuens ſua memoria hoc monumentum extruxit M. D. LVII. Anno ætatis ſuæ LXXII. & Menſ. VIII.

DARIO ROSARIO.

Spoletino, adoleſcenti honeſtiſſimo & prudentiſſimo, qui cum ætatis ſuæ ageret annum XIIII. Menſ. VII. & Di. XXVII. ac in ſtudijs multum proficeret. Obijt die IIII. Maij M. D. LXIIII.

Magnificus ac nobilis D. Anaſtaſius de Pezzatis Aretinus, miles SS. Petri & Pauli, ipſum æquè ac filium ob eius ſingulares virtutes diligens, non ſine lacrymis poſuit, & præſentem lapidem proprijs expenſis fieri curauit.

NICOLAVS CAFARELLVS.

Iunior Pulcer obijt annum XVII. agens: pulcrior reſurgam in nouiſſimo die.

CARDINALIS TARACONENSIS.

P. Card. Taraconenſis ordinis Prædicatorum protectori, Petro Ferricie citeriore Hiſpania oriundo tit. S. Sixti presbytero Cardinali Taraconenſi, quem vt ſingulare ætatis ſuæ integritatis, iuſtitiæ, doctrinæ, religionis & virtutum omnium exemplar principes & nationes omnes Chriſtianæ patrem & patronum, duo præcipuè clariſſimi Pontiff. Rom. Paul. II. & Sixtus IIII. in reſcribendo, & nauicula Petri regenda dexteram ſuam appellare dignabantur, cum de humano genere, & ab ſede ſummo cum labore & patientia benemeritus incredibili de ſe apud mortales omnes deſiderio relicto obijſſet, Anno ſalutis M. CCCC. LXXVIII. VII. Calend. Octobr. Dominicus Cardinalis S. Clement. Collegæ & Andreas Epiſcopus Taraconen. auunculo benè merito poſ. Vix. ann. LXIII. Menſ. V. Dies X.

ASTORGIAE AGNENSI.

Patria Neapol. tit. S. Euſebij presbyt. Card. Beneuentanenſ. cuius pro Rom. Eccleſia virtus & omnis vita ſemper in actione fuit, & qui rebus & legationibus maximis ſedentibus Martino, Eugenio & Nicolao Rom. Pontt. tunc geſtis, Romæ obijt Anno ſalutis M. CCCC. LI. & vixit ann. LX. Galeartus eiuſdem familiæ vir inſignis & Doctor patruo benemerenti conſtrui, & ſe propè poni mandauit.

ALOYSIO PENNAFIEL.

Natione Hiſpano, patria Legionenſi, literarum Apoſtolicarum Scribæ Breuiatorīq; ſummarum Magiſtro V. nobilitate, eloquio & iuſtitia claro, petito aulicorum teſtimonio Cardinalium Iudicio, Alex. VI. Pontif. Max. ſupplicibus libellis datandis deputato, Executores benem. poſ.

CONIVGVM.

Thomæ Lotto qui vixit annos II. dies XX.

Conſtantiæ quæ vixit annos XXIIII. filijs dulciſc. Nicolaus infeliciſſimus contra votum.

LATINAE BECCALVNAE.

Religionem ſeruare, liberos alere, rem tueri domeſticam peritiſſimæ, quæ cum Iuliano Lotto ad extremam ætatem ſine lite concors vxor vixit ann. LXXVII. Menſ. V. Dies III. Nicolaus Lottus matri ſantiſſ. mœrens poſ. M. CCCC.

ROBERTO VBALDINO.

Patricio Florentin. qui cum animi tum fortunæ bonis cumulatiſſimè ornatus omni genere officij tàm ſummis quàm infimis gratus fuit, qui etiam in Roman. curia

optima fide & fama verſatus eſt, maximiſq; eius negotijs præfuit, Magdalena Rodulpha vxor viro cariſſimo, & filij patri optimo mœſtiſs: poſuere. Vixit Lxii.

RVGERII BALNEI.

Indignum fortunæ facinus Viator.

Rugerius Balneus Mutiliani Comes Octoræ in progenitore adoleſcens Cæſarinam cum audiuiſſet militiam, illi ſe mox addidit eam ſpem pollicens, vt inclinata ſtrenuiſſima ex eo deinceps renaſceretur familia, Vale, vixit ann. xx. Bernardinus & Hieron. Maceraten. amici poſ. M. D.

VXORIS ALDOBRANDINI.

Leſædetæ vxori cariſs. cum qua coniunctiſs. vixit ann. xxxvii. Syluester Aldobrandinus Aduocat. Conſiſt. mœrens poſ. Vix. ann. Lxii. Menſ. ix. Dies xiiii. Obijt pridie Non. Martij Anno M. D. Lvii.

LACTANTIVS RONCIONVS.

Patricius Piſanus ab Antonio patre mortalem ſe genitum ſentiens, ſepulcrum hoc ſibi viuens poſteriſq; ſuis fieri curauit Anno Chriſti M. D. Lv.

VBERTO STROTIO.

Mantuano, ſuauiſſimis moribus & probitate incomparabili, Ludouicus Strotius fratri optimo mœſtiſs. fecit Vix ann. XLviii. Menſ. vi. Dies ix. Deceſſit prid. Calend. Martij Anno Domini M. D. Liii.

VIRGINIAE PVVIAE.

Florentinæ, fœminæ primariæ lectiſſimæq;, Ioan. Franciſc. Ridolfius coniugi cariſſimæ mœrens poni curauit, vixit annos xxvii. Menſ. vii. Obijt xiiii. Calend. Iun. M. D. Lxviii.

CARDINALIS ROSARII.

Virgilio Roſario Spoletino S. R. E. presbytero Card. Summi Pontif. perpetuo Vicario, Flauius Roſarius patruo opt. poſ. Vix. an. Lx. Obijt x. Calend. Iunij M. D. Lix.

HIERONYMO BVTIO.

Rom Patricio Abbreuiatori Apoſtolico Iul. Card. Medic. ViceCancelarij à Cubiculo, animi, corporis, fortunæq; bonis inſigni, in ipſo iuuentutis flore inexplebili fatorum inuidia erepto, Romanis cæteriſq; apprimè conlacrymantibus Vix. an. xxv. Menſ. x. Dies xv. Deceſſit Non. Auguſti M. D. xvii. Franciſcus Butius eques Pont. ſacrar. pœnit. ſcriptor, abbreuiatorq; Apoſtol. fratri vnanimi poſteriſq; mœrens poſ.

Exiguum vitæ curriculum mortalibus natura largita eſt, gloriam verò ſempiternam: Optanda ergò mors, quam immortalitas conſequatur.

IOAN. BAPTIST. GALETTO.

Patricio Piſano, viro integerrimo ingenio & prudentia inſigni Clem. VII. & Paul. III. Pontiff. Max. ob egregiam magnis in rebus operam nauatam in primis caro, Fiſci Apoſtol. aliquandiu Septemuiro, ac deinde Præſidi, deinde Iulij III. P. Oeconomo, qui annum agens Lxvi. v. Id. Iulij M. D. Liiii. feliciſs. in cœlum migrauit. Fabritius Galettus inconſolabiliter mœrens parenti ſuauiſs. poſ.

CINCIO RVSTICO.

Secretario Apoſtolico, Græcæ Latinæq; linguæ perito, quauis virtute decorato, & Marcello Ruſtico vrbis Cancellario, Secretario & ſcriptori Apoſtolico ac Breuiatori frugi literatoq;, Antonius Ruſticus auo & fratri benè merito poſuit, Anno à nat. Chriſti M. CCCC. Lxxxviii. Idib. Martijs.

AGAPITO RVSTICO.

Epiſcopo Camertino I. V. Conſulto, Latinæ linguæ peritiſſimo, integritate prudentiaque inſigni, & fratri Paulo Ruſtico probitate comitateque claro fratres VII. Pauli filij mœſti patruo & patri benemerito poſuerunt. Anno Domini M. CCCC. Lxxxii. Cal Iulijs.

CINCIO FRANGI PACRIO.

Antiqua generis claritate, rebuſq; præclarè geſtis in Romana nobilitate nobiliſſimo, anno ætatis Lx. ad cœleſte domicilium, vbi perpetuum vitæ innocenter actæ fructum caperet, euocato. Hortenſius f. amantiſſimi patris memoria & deſiderio mœrens poſ. M. D. Lxx.

IOAN. ALBERTINO.

Iacobi f. nobilitate prudentiaq; inſigni ac benemer. qui vixit ann. Lxxxv. Menſ. vi. Dies v. Iacobus Albertinus f. patri cariſſimo poſ. & ſuis & ſibi.

GVILIELMI DVRANTIS.

Hoc eſt ſepulcrum Domini Guilielmi Durantis Epiſcopi Mimatenſis.

ANDREAE BREGNO.

Ex Oſten. agri Comenſ. Statuario celeberrimo, cognomento Polydeto, qui primus celandi artem abolitam ad exemplar maiorum in vſum exercitationemq; reuocauit. Vixit annos Lxxv. Menſ. v. Dies vi. Bartholomæus Bollis Regiſtri Pont. Mag. executor, & Catharina vxor poſuerunt. M. D. vi.

LVCIO RVINO.

Patricio Bononienſi, Magni illius Caroli Ruini I. C. nepoti, iuueni in omnes bonos officioſo, & benefico, cui nihil vnquam niſi mors diſplicuit. Carolus frater bene mer. mœſtiſs. poſuit. Obijt xi. Calend. Febr. anno ætatis xxix. Salutis humanæ M. D. Lxvii.

RAPHAELIS SANCTII.

Raphaëli Sanctio pictori Vrbinati.

Hic ſitus eſt Raphaël timuit quo ſoſpite vinci
Rerum magna parens, & moriente mori.

IOAN. BAPTISTAE VENI.

Diomedis filio, domo Parma, ciui Romano, Alexandri Farneſij Cardinalis à cubiculo, vixit annos xLii. Dies xxvi. Obijt vi. Calendas Decembris M. D. Lxxii. Marcus Antonius fratri opt. mœrens poſuit.

HIERONYMO BVTIGELLAE.

Papienſ. diuini humaniq; iuris interpreti clariſs. cuius virtus illuſtris poſt varios aduerſæ fortunæ caſus à Leone x. & ſacro patrum Senatu recognita eſt, quemuè meriti honoris necdum ſede poſitum, vt terris indignum in medio ætatis ſuæ ac Romanæ ſpei flore cœlum rapuit, Romana Academia publico luctu & fratres lapide iſthoc benemerenti ſacrum dicarunt Anno Domini M. D. xv. Vix. ann. xLv.

AVGVSTINVS MAFFAEVS.

Plumbarij Fiſci alijſq; honoribus egregiè functus, bonarum literarum cuſtos, in quo fortunis non ceſſit virtus, hic ſitus eſt. Vixit annos Lxv. Menſ. vi. Dies xxv.
ὡς τεθνησόμενος ἀγαθῶν ἀπέλαυεν: ὡς βιωσόμενος ἐφείδετο.

BENEDICTI MAFFAEI.

Benedicto clara familia patriciorum Veron. Maffæa genito Apoſtol. literar. maioris præſ. dictan. Virtutis ergo ab Sixto IIII. Pontif. Max. xii. viro creato, qui vixit ann. Lxv. Menſ. xi. Dies xix. xv. Calend. Iulij.

IVLIAE MAFFAEAE VXORIS CAPOFERREI.

Fœminæ nobilitate, puerperij ſanctimonia clariſſimæ, quæ vixit ann. xxix. Raymundus Capoferreus vxori dulciſs. poſuit. Anno M. D. xvii. Die viii. Decembr.

IVLIAE MAFFAEAE VXOR. GOTTIFRIDI.

Pudicitia, fide, pietate, moribus & vitæ ſanctimonia inſigni, Nicolaus Antonius Gottifridus coniugi dulciſſimæ & benemerenti fecit, Vixit ann. xxiiii. Menſ. vii. Dies xi. M. CCCC. Lxxxii. prid. Calend. Septemb.

Quid

Quid gemis heu tanto felicia funera luctu?
Turbantur lacrymis gaudia noſtra tuis.
Parce precor triſtes queſtus effundere, vixi,
Non erat in fatis longior hora meis.
Immatura peri, ſed tu diuturnior annos
Viue meos, coniux optime, viue tuos.

ALIVD.

Viuite mortales, & vita & legibus æqui,
Hæc ſuperant læthum, cætera condit humus.

HALVISIVS MAFFAEVS.

Patricius Veron. Apoſt. bull. ſcriba & Abbreuiator, cuius vita nobilitati generis non ceſſit, hic ſitus eſt, obijt princeps Collegij ſcrib: annum agens LVI. Auguſtin. Maffæus patruo ex teſtamento.

LVCRETIAE MAFFAEAE.

Si cineres vitæ ſpecimen poſt fata reſeruant,
Hic proprio nulli cedet honore cinis.

Lucretiæ Maffeæ filiæ obſequentiſs. B. Maffæus mœrens poſ. Vix. ann. XXI. Obijt XI. Nouemb. M. CCCC. LXXXV.

BENEDICTI MAFFAEI.

Benedictus de Maffæis literarum Apoſtolicarum ſcriptor & Abbreuiator ſacrum viuens fecit & ſtatuit.

MAFFAEORVM GEMELL.

Vna dies animo ſimiles vultuq; gemellos,
Vna dies fecit funere diſſimiles.
Æmula ſed noſtræ fuerint cum fata iuuentæ,
Vna meos cineres condet & vrna tuos.

Ludouico Sebaſtiano Veronenſ. Can. Magiſtro domus R. Card. Agrienſ. Daniel Gemillus Gemillo fratri poſuit Ap. Maff. dulciſs. amiciſs. Vixit ann. XXXIIII. Calend. Octob. M. CCCC. LXXX. Sixto IIII. Pontif. Max.

IVLIO CAESARI BARNABEO.

Nobili Camerti iuueni maximæ ſpei, immatura morte prærepto, ob egregiam comitatem alienis æquè ac ſuis caro Hier. pater filio dulciſs. Vix. ann. XXVI. Menſ. VII. Dies V. Obijt III. Non. Octobr. M. D. LXVIII.

VESPASIANO FVSCONO.

Nurſino, fide & nobilitate præſtantiſſimo, Baptiſta Fuſcona patri optimo & benemerenti. Vixit annos LXX. Obijt VI. Calend. April. M. D. LXI.

FRANCISCO TORNABONO.

Nobili Florentino, Sixto IIII. Pontif. Max. cæteriſq; cariſs. acerba morte magnæ de ſe expectationi ſubtracto: Ioan. Patruelis poſ.

PORTIORVM.

BERNARDINI.

Portius hic puer eſt tota defletus ab vrbe,
Namq; fuit patriæ floſq; decuſq; ſuæ.
Alter Hylas nondum ter quinq; peregerat annos,
Funera cùm mœſtus curat vterq; parens.
O infelicem ſub iniquo ſydere natum,
Lapſus equo præceps, occidit ante diem.

IVLII.

Patria Roma fuit, gens Portia, nomen Iulus,
Mars puerum inſtituit, Mars iuuenem rapuit.

MARII.

Inſcribunt titulos & grandia verba ſepulcris,
Vix longa abſumpſit quos Libitina die.
Iſta nihil miſeræ præter ſuſpiria matris,
Et quas nunc lacrymas aſpicis vrna, gerit.
Terna ego Piſeæ numerabam præmia palmæ,
Iniecere ſuas cùm mihi fata manus.
Si qua tamen Marij nomen genus eſſe Catonis
Fama ſit, hoc vnum quod ſciat hoſpes habet.

GABRIELIS TRINISANI.

Luſtrandi ſtudio veterum decora alta Quiritum
Veni, pro hoſpitio Roma dedit tumulum.
Forma, anni, mores, patriæ genus, & pater, & res,
Æqua mihi mors hæc riſit & arripuit.

IOAN. PICTORIS FLORENT.

Non mihi ſit laudi quod eram velut alter Apelles,
Sed quod lucra tuis omnia Chriſte dabam.
Altera nam terris opera extant, altera cælo,
Vrbs me Ioannem flos tulit Etruriæ.

M. CCCC. Lv.

IACOBI BENECADVTI.
FAVSTINA VXOR.

Non licuit pro te coniux extrema ſubire,
Atq; tuam mortem morte piare mea.
Quod licuit feci, tumulus lacrymæq; ſecutæ,
Quidquid & vxoris continet alma fides.

ANTONIO CASTALIO.

Archiuij ſcriptori & Pontificis Scutifero, vitæ ac morum exemplo, Angelus Caſtalius miles S. Petri & ſcutifer poſuit non ſine lacrymis, qui Lxxx. annum agens obijt Idib. Nouemb. Ann. M. D. xxxiii.

Mors mihi vita fuit.

Carmen ſequens tenet puer in manu.

Naſcor ego vt moriar, viuens puer aſtra reuiſam.

DEIN.

Viuere vis ſemper cælumq; aſcendere lector,
Hic bona dum fueris vita ſit, atq; fides.

Quod morti rapui, vitæ dedi.

Time Deum & viues.

Ant. Caſtalius hoc ſibi viuens poſuit Epitaphium:

Grata cum Deo viuenti mors.

Quam viuens potui nunquam guſtare quietem,
Mortuus in ſolida iam ſtatione fruor.
Paſsio, cura, labor, mors tandem & pugna receſsit
Corporea, & ſolum mens quod auebat, habet.

Angel. Caſtalius & Paulus nepotes fieri curau. xi. Iulij M. D. xxxiv.

THOMASIAE BICINIAE SICVLAE.

Dum Siculis obſeſſa iugis te abſente ſenectam
Nate traho, in luctu ſemper & in lacrymis.

Vita

Vita mihi mors atra fuit, ſed viſere poſtquam
Te licuit, mors eſt vita mihi ac requies.

NICOLAVS A SCONBERG.

Theodorici filius, ex Sueuis Miſnenſibus Germaniæ populis oriund. S. R. E. T. S. Sixti presbyter Cardinalis, cognomento Capuanus Sac. ordinis prædicatorum Vix. ann. Lxv. Dies xxix. Obijt Anno Chriſti M.D. xxxvii. v. Id. Septembr.

IN ALIA SEPVLTVRA.

Non ſaluat ſuperbia ſed humilitas

CYNI CENVGII.

Clauditur hac Cynus tenui Cenugius vrna,
Qui meruit parco condier in tumulo.
Oſſa dedit terræ, nomen ſuper æthera fixit,
Quod patriam totis ſenſibus excoluit.

IN EADEM ECCLESIA AD VITANDAM MALAM VALETVDINEM ROMAE.

Supprimit inſolitos reſidentes peßimus aër,
Romanus ſolitos non benè gratus habet,
Hic tu vt viuas ſemper ſeptima dat medicinam,
Abſit odor fœdus, ſitq́ fatiga leuis.
Pelle famem, frigus, fructus femurq́ relinque,
Nec placeat gelido fonte leuare ſitim.

IN SACRISTIA TESTAMENTVM
Cardinalis Turris Crematæ pro puellis pauberib:

Ne malè patrandis ſtupris, quod auara merendo
Forma puellaris ſæpè coëgit inops,
Annua pauperibus ſtirps eſt hic penſa viritim,
Dosq́ maritandis condita virginibus.
Munus & officium ſancti celebrate Quirites,
Cum vicena venit Martia quinta dies.
Terreſtri vt ſenſu cœleſtia regna paretis,
Pollicita & vobis centupla meßis erit.

CANIS.

Parue canis, tibi parua domus,, & corpore paruus
Et breuis eſt tumulus, & breue carmen habe.

LVCRETIAE.

Noſcere ſi quæris quæ ſim, Lucretia nomen,
Patria Parthenope, dulcis & illa fui.
Cuncta habui, explicuiq́ animum ſine labe pudoris,
Vita fuit Romæ, mortuaq́ hic iaceo.

BARACTI.

Mutauit vitam triſti cum morte Baractus,
Cuius habet cineres frigidus iſte lapis.
Iure peritus erat, quo non vigilantior alter,
Nec melius cauſsis patrocinatus erat.
Gratus erat patriæ, peregrinis gratus honeſtis,
Cultor amicitiæ, verus amicus erat.
Ter denum iuuenis ætas impleuerat annum,
Egregium preßit cum leuis hora caput.

COMITIS DE ROARIO.

Obrutus hic iaceo ſceleris fex vltima Sexti,
Me rapuit Craſſi pernicioſa lues.
Sanguine turbabam populos, heu ſanguine tandem
Extinguit faſtus lumina terra meos.

EIVSDEM.

Qui populos, qui fraude duces, tot bella, tot hoſtes
Miſcuit, hunc tandem lima beata tenet.

EVRIPIDIS.

Siſte quid ipſe velim rogito cognoſce viator,
Euripides tragico carmine clarus humo
Hac iaceo, eſt iſtud quod te cognoſce volebam,
Ergo diu felix care viator abi.

S. MARIA DE MIRACVLIS.

IN TABVLA VOTIVA.

Dum fortis nimium Marcus conſurgit in hoſtem
Iam victum, inuictus victor & ipſe cadit.

S. MARIA.
- IN MONTE IORDANO.
- MONTERONIS in regione D. Euſtachij.
- IN MONTE SERATO poſt campum Floræ.
- MONTICAELI in regione Harenulæ.
- NAVICELLA in Cælio.
- NOVA in fine fori Romani, olim Solis & Lunæ.

ANTON. PATAVINO.

Sub Eugen. Pontif. Max. arcis Rom. præfecto ac Nicolai V. Copiarum duci, Ioannes Franciſc. filius ex teſtamento F. C.

S. MARIA DE PACE.

CIRCA CRVCIFIXVM.

Quiſquis ades matriſq; ſubis pia limina diuæ,
Huc oculos conuerte tuos pietatis amore.

IOAN. ANDREAE BOCCIACIO.

Ex Regio Lepidi Iuris Conſulto, Epiſcopo Mutinenſ. ad Ferdinand. Siciliæ Regem Sixti IIII. Pontificis Max. Legatus patrimonij Dioceti hæretic. noxæ quæſitori apud Saubaudum ſub Innocentio VIII. & Alexandro VI. Pontificib. Max. negoc. Herculis Ducis Ferrariæ Oratori, executores ex teſtamento benemer. poſuêre. Anno ſalutis M. CCCC. xcvii.

PONZETTORVM.

Vetuſtiſſimæ Ponzettorum familiæ Partenop. Roman. obiturus Ferdinandus quieti animarum proſpiciens hoc monum. poſ. ſolemneſq; luſtrationes inſtituit, Anno ſalutis M. D. Lviii.

PETROPAVL MIGNANELLIO.

Fabij S. R. E. presbyt. Card. ex legitimo matrimonio fil. omnibus animi corporiſq; dotibus ornato, qui cum in bello à Chriſtianis principibus contra Turcas communiter ſuſcepto naualib9 copijs præeſſet, Cretæ lethali morbo correptus fuit, Obijt anno M. D. Lxviiii. Fuluia Mignauella de Marchis coniux & Hieron. filius poſ. memoria cauſſà.

IOANNIS MARRAM.

Hæc ſibi Marrades poſuit monumenta Ioannes,
Vt videas ſuperis quæ ſit habenda fides.

Ver-

Verſus aquæ moriens patris ad pia vota reuixit,
Præſentis voluit ſic memor eſſe Dei.
Sacra Valentini Sexti mox ſigna ſecutus
Præſul Alexandri eſt, nec tulit aula parem.
Proh dolor hic rubrum potuit geſtare galerum,
Ruperunt ſæuæ candida fila Deæ.

ANTONIO PAVERONO.

Firmano, iuris vtriusq; peritiſſimo, integritate ſingulari, eximia prudentia viro, medio ætatis curſu non ſine maximo omnium mœrore extincto, Fab. & Cæſar Paueroni patris nomine fratri benemerito poſuêre. Obijt pridie Calendas Februarij xxxiii. ætatis anno M. D. Lxxiii.

BALTHASARI FLORENTIO.

Ilerden. viro integerrimo atq; innocentiſſimo, qui cum ingenij, virtutis, probitatis in familiam Alberti Carporum Principis clientela multa præclara documenta dediſſet, deq; maximis negotijs ad ſummos Reip. Chriſtianæ patres miſſus, Pontificum Max. Leonis, Adriani, Clementis PP. iudicijs mirificè reſpondiſſet, tranquill. iam vitæ compos ad potiorem multò commigrauit. Rudolphus Cardinal. Carpenſis integerrimo familiari ſuo, Martia Boſſia Rudolphus Florentius coniugi & parenti amabili poſuerunt, Vix. ann. Lxiii. Menſ. iii. Dies xxviii. Obijt Anno Chriſti M. D. xLviii.

SALIMANNI PATAVINI.

Salimanno ex Patauinorum patria familia, Iuris ciuilis & Pontificij conſultiſſimo VII. Viror. Pontificatum Herar. ingenio & fide probatiſſimo, qui Vix. ann. Lxvi. Menſ. iii. Dies ix. horas iii. Angelus Mapheus Veronenſis alumnus citra teſt. verecundi. ſua impenſa poſuit. Drachmas ille auri x. funeri, nihil tumulo reliquit. Anno ſalutis M. CCCC. Lxxxiiii.

THOMAE CAGNETTO.

Romano ſcriptori elegantiſſimo. Vix. ann. L. Menſ. xi. Io. mater filio cariſſimo poſuit M. D. Li. Die xix. Nouemb.

FRANCISCO MARMOTTAE.

Mercatori, amore, fide induſtriaq; inſigni, Martha & Bartholomæa ſorores pientiſſimæ mœrentes poſuere. Vixit annos xxxii. Obijt ſuæ iuuentutis flore, dum in acquirendis bonis ac honore inſudaſſet Anno ſalutis M. D. xL.

AVGVSTINO BENENATO.

Picolominæo, Protonotario Apoſtolico Caſſia oriundo, Pij III. Pontif. Max. ab Epiſtolis, ob inſignem in Pij memoriam poſteriſq; pietatem & in famil. aſcito, Qui Vix. annos Lxiii. Menſ. iii. Obijt vii. Martij M. D. xxii. Ioan. Picolominæus Cardinalis Senenſ. amico de ſe benemerenti p.

HIERONYMI IVSTINI.

Hic Iacet Hieronymus de Iuſtinis de Caſtello Aduocatus Conſiſtorialis Vix. an. Lv. Menſ. ix. Dies xxvii. Obijt die xix. Aprilis M. D. xLviii.

FRANC. CALERATIO.

Equeſtris ordinis viro, virtutum atq; honorum titulis atq; inſignibus ornatiſs. Antonina Neronis fil. H. M. fidiſſimo atq; mœſtiſs. coniugi ſibiq; M. H. R. F. C.

IVLII SATVRNI.

Patris erat quondam ſpes & ſolamen Iulus,
Nunc deſiderium mortuus & lacrymæ.

MARCI MVSVRI CRETENSIS.

Muſure ô manſure parum, properata tuliſti
Præmia: namq; citò tradita, rapta citò.

Anton.

Anton. Amiternus Marca Muſuro Cretenſi exactæ diligentiæ Grammatico, & raræ felicitatis poëtæ poſuit.

FRANCISCI LIGNAMINEI EPISCOPI FELTRENS. ET FERRARIENS.

Franciſco extincto Patauino Antiſtite Feltri,
Et quondam mæſtæ præſule Ferrariæ.
Extinctum humano eſt quantum virtutis in vno
Corpore, non totus orbis habere queat.

Anno Domini M. CCCC. LXIIII. Id. Febr. repoſitus.

MATRIS AENEAE.

Caieta Iliacas inter pulcerrima matres,
AEneæ nutrix, hac requieſcit humo.

S. MARIA.
- DE PALMA in via Appia.
- IN PALLARA prope Veliam.
- IN PORTICV in regione Ripæ, olim Saturni & Opis.
- DE POPVLO ſub colle hortulorum.

Paul. IIII. P. M. monaſterium S. Mariæ de Populo deiecit, & eam partem campi Martij, quæ mœnibus incluſa eſt, firmiori vallo muniuit.

STEPHANO SPADIO.

Vincentij fil. patricio Lucenſ. inter magnas opes optimis morib. ingenio & literis claro, in adoleſcentiæ flore extincto, Catharina Viniſia mater nuper viuo, nunc vnico & tali orbata filio P. C. Vix. ann. XXIIII. Menſ. IX. Obijt XVIII. Calend. Iulij M. D. LXIII.

Clauſiſti velox oculos mors improba lætos,
Abſumptos differs claudere cur lacrymis?

CARDINALIS RVVERE.

Marmor: cum ſacello.

Concordes animas piasq́ mentes
Vt dicas licet vnicam fuiſſe,
Commiſti cineres ſequentur, & ſe
Credi corporis vnius iuuabit.

Chriſtophoro Ruuereo tit. S^ti. Vital. presbyt. Cardinal. doctrina moribus ac pietate inſigni Dominicus Sixti IIII. Pontif. Max. beneficio, mox tituli ſucceſſor ac muneris, fratri benemerito & ſibi P. Vixit annos XLIII. Menſ. VII. Dies XIX. Obijt anno VIII. Pontificat. Sixti. Calend. Febr.

Dominus Ruuere Card. S. Clementis Capellam Mariæ virgini genitrici Dei ac Hieron. dic.

LAVRENTIVS CIBVS.

Marmor cum ſacello.

Genuenſis Epiſcop. Præneſtinus S. Marci Cardinalis Beneuentanus Innocent. VIII. Pontif. Max. nepos, religionis cultor ita ſe inter viuos conſtantiſs. geſſit, vt ampliſſimæ dignitatis memor à iuſtitia, fide, & pietate nunquam deſciuerit, qui tertium & quinquageſimum agens annum ſanctiſſimè, vt vixit, moritur. R. Executores G. Portuenſ. à Præneſtin. Epiſcopi & N. de Fliſco presbyt. Cardinales pientiſs. poſ. Anno ſalutis M. D. III.

IN ARA.

Diuo Laurentio Martyri S. Laurentius Epiſcop. Albanenſ. Card. Beneuentanus, ne mors deuotinis affectum præueniret, ſacellum hoc dicauit, ditauitque.

EDOARDO CICADAE.

Patricio Genuenſi, Epiſcop. Saonenſi, ob religionem, pietatem, innocentiam & vitæ

vitæ integritatem vniuerſæ Rom. Curiæ cariſs. qui quòd diu cum Laurent. Cardinale conſanguineo è regione ſepulto coniunctiſſimè vixerat, aſſentientib. eius heredibus in eodem ſacello, aucto illius cenſu, humari iuſſit Ioan. Baptiſta Cicada Epiſcop. Albingarienſ. Pontificijs & fiſcalibus cauſſis audiendis præfectus, patruo benemer. poſ. Vixit annos LXXII. Obijt Anno ſalutis M. D. XLV. v. Calend. Decemb.

IOANNI DE RVFERE.

Ciui Saonen. eq. & Sixti IIII. Pontif. nepoti. Vix. ann. LXXX. Menſ. VII. Dies X. Obijt M. CCCC. LXXXIII.

GEORGIVS LVSITAN.

Epiſcopus Portuenſ. S. R. E. Cardinalis Vlixbonen. virtutis doctrinæque ergò in regiam aſcitus, ac multis domi foriſq; præclaris facinoribus editis, ad regni procurationem prouectus, à Sixto IIII. in Senatum adlectus, Romamq; aſcitus, magnam ingenij, pietatis, prudentiæque laudem adeptus, ſub Iulio II. Pontif. Max. quem vnicè dilexit & obſeruauit, annum ſecundum ſupra centeſimum Obijt M. D. VIII. Georgius Epiſcopus Albanenſ. Card. Vlixbonen. dum ſe mortalem animo voluit, ſibi poſuit.

LVDOVICO PRODOCATHARO.

Cyprio, presbytero tit. S. Agathæ Cardinali Caputaquenſi, philoſophorum noſtræ tempeſtatis doctiſs. & eloquentiſs. in re Eccleſiaſtica gubernanda multos annos difficillimis temporibus ſumma prudentiæ, iudicij, integritatis laude verſato, cuiuſq; ergò ampliſſimæ dignitatis præmia optimis patrum quibuſq; expoſtulantib9 adepto, dignoq; omniũ ſententia maiora accipere, qui maxima eſſet conſecutus. Vix. an. LXXV.

Ieſu Chriſto Seruatori Domino Deoq; noſtro, Ludouicus Prodocatharus Card. Caputaquenſis aram dicauit, dotem dedit, quotidie ſacrificium in ea offerri iuſsit.

PETRO GVILIELMO ROCCA.

Valentino, Salerni Archiepiſcopo V. Iuris Conſultiſſimo, Sixti IIII. Pont. Max. Referendario primati, qui obijt anno ſalutis M. CCCC. LXXXII. Die XXVIII. Octobr.

LAVRENTII CELSI.

Ioannes Celſus Laurentio fil. cùm è ſublimi domus faſtigio lapſus eſſet, incolumi beatæ virginis ope ſeruato, Deo votum ſoluit.

IOAN. ORTEGAE GOMIELLI.

Ne quæſo lacrymis tuis viator,
Æternam inuideas mihi quietem,
Vixi vt nil me obijſſe pœnitendum.

Ioan. Ortegæ Gomielli Burgen. Epiſcopo potent. ab Alexand. VI. ob fidem, integritatem, ac iuris peritiam ſupplicibus libellis ſubnotandis (datarium vocant) præfecto, nec non literis Apoſtolicis maioribus præſ. dictand. XII. viro, Secretario ac Subdiacono Ap. & Summarum Magiſtro, alijsque honeſtiſſimis muneribus egregiè functo, cuius mors immatura totius Hiſpaniæ ſpem maximam fefellit. Franciſciſc. Gomelius pietatis memor fratr. optim. poſ. Vix. ann. XLI. Menſ. II. Dies XXIIII. I nunc viator & humanis rebus tantillum fide.

ALBERTONVM.

Marci Antonij filij, equitis Romani filij ex familia Albertonum.

HIERON. BASSO.

Sauonenſi, Sixti IIII. Pontif. Max. ſororis filio, Epiſcopo Sabinenſ. Cardinali Ricinatenſi in omni vita conſtanti, integro, religioſo, Iulius II. Pontif. Max. amitino ſuo benem. poſ. M. D. VII.

ANTONII MARIAE.

Vicecomitis marmoreum pulcerrimum à Iulio II. ei poſitum.

Speculum ſumus viuentium.

PETRI.

Cardinalis Foſcari, Veneti æneum.

HIERONYMI.

Foſcari Epiſcopi Torcellarum.

IOAN. BAPTISTAE ROTAE.

Pædemontan. ob eius animi candorem & eximiam Iuriſprudentiam à Pio IIII. Pontif. Max. inter ſacræ Rotæ patres adnumerato Petrus & Ioan. fratri poſ. Vix. LIII. M. D. LXIIII. III. Cal. Oct. Ob.

BERNARDINI HELVINI.

Epiſcopi Anglon. Pauli III. Theſaurarij Marmoreum cum Capella ab eo ornata & dotata.

BERNARDINO LONATI.

S. Ciriaci in thermis Diacono Cardinali, cui fortuna generoſos natales, natura corporis dignitatem, animiq; ſolertiam, virtus verò, vt in patrum honoratiſſimorum collegium cooptaretur, indulſerat, qui cùm indies & foris & domi egregiam pro S. Rom. Eccleſia nauando operam, prudentia, conſtantia, fide maior inſurgeret, ætatis ſuæ XXXXV. ſacerdotij verò IIII. anno, è tanta rerum expectatione immatura morte ſurripitur.

HERMOLAI BARBARI.

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,
Barbarus heîc ſitus eſt, vtraq; lingua gemit.
Vrbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma,
Non potuit naſci clarius atq; mori.

Obijt ann. M. CCCC. XCIIII. Maij XXI. Vix. ann. XLI.

IOAN. BAPTIST. MILLINO.

Vtriuſq; Iuris Conſulto, quem ob eius religionem, prudentiam, iuſtitiam, meritaq; erga ſedem Apoſtolicam Sixtus IIII. Pontif. Max. congratulantibus omnibus in numerum Cardinalium retulit, Petr. Millinus fratri benemer. poſ.

PETRO MILLINO.

I. C. Comiti Palatino omnibus honoribus vrbis ex ordine ac pluribus legationibus ſumma felicitate & ſapientia functo Celſus & Marius piè parenti benem. poſ. Hic patriæ, amicis, naturæ, ac ſuperis, quæ habuit & debuit, ad extremum vſq; perſoluit, Vix. ann. LXX. Menſ. II. Dies XXI. Obijt M. CCCC. LXXXIII.

CHRISTOPHORO IOANNIS.

Aſtenſi, Protonotario Apoſtolico, qui cùm vitæ probitate ac fide morumq; ſuauitate omnes in ſui amorem accendiſſet, tùm quòd Max. Pontiff. longa ſerie à Paulo III. vſque ad Pium IIII. familiariter & honorificè verſatus, Subaudienſium Montiſq; Ferrati Regulos continuis obſequijs proſecutus fuerit, vti vbiq; ſumma ſemper omnium beneuolentia vixit, ita eorundem pari deſiderio Romæ ſenex ſupra LXXXII. Obijt.

IOAN. DE CASTRO.

Illuſtri Citerioris Hiſpaniæ familiæ S. Priſcæ presbyt: Cardinali Agrigentino ab Alex. VI. Pontif. Max. ob conſilium, humanitatem, innocentiamq; in Senatum aſcito, & in eo annos X. integerrimè verſato, qui Vix. ann. LXXV. Menſ. VI. Dies VIII. Oliuer. Carafa & Anton. Sabinenſ. Epiſcop. Card. ex teſtamento Iulio II. Pontif. Max.

NICOLETTAE CATANEAE.

Genuenſi, Petri Franciſci filiæ ſpectatiſs. virtutis & pudicitiæ, Antonius Palauicinus, coniugi vnanimæ ac dulciſs. multis cum lacrymis poſ. Vix. ann. XXVII. Obijt XII. Febr. M. D. XLIII.

IOAN-

IOANNIS SCHADE.

S. Petri Traiectenſis & Aiſteten. Præpoſiti Dauentrienſis S. Seruatij Traiecti ſuperioris. S. Ioannis Traiecti inferioris Canonici, Ducis Burgundiæ in curia Procuratoris Obijt M. CCCC. LIIII.

LVCRETIAE BETICAE.

Betica quingenos Lucretia vixerat annos,
Oſſa tenet tumulus, ſpiritus alta petit.

FERDINANDO FLORES.

Hiſpano, Protonotario Apoſt. literis eruditiſs. optimis moribus inſtituto, & multiplici linguarum vſu præclaro, Raphaël Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis S. Georgij, ſuo à Secretis intimo poſ.

IOANNI CONSTANTINO.

Protonotario Apoſtolico.

Vis tibi poſt mortem firmas promittere ſedes,
Ante oculos ſemper fulmina mortis habe.

INICVS PICOLOMINAEVS.

Aragonus Amalfitanorum Dux, Marchio Capiſtrani, Zelani Comes, ac in regno Neapolitano magnus Iuſticiarius, Vir eximia pietate ac religione hic teſtamento ſe condi iuſſit. Vix. annos XLIII. Obijt M. D. LXVI. Calend. Septembr. IIII.

CAROLI TRAVERSARII.

Signinorum Pontif. oſſa ſub hoc lapide ad diem vſq; nouiſſimum molliter cubāt, anima interim ab huius ædis ſacerdotibus in ara maxima ſemel in hebdomada re diuina expiatur, pro eoq; heredes ære ex aſſe dempto ſuper monte fidei almæ vrbis trecent. aur. prouentus, quod ipſe viuus inſtituerat, eiſdem ad eum vſq; piè aſſignant. Vix. ann. LX. Eadem dies & ortum præbuit & occaſum.

FELIS MORSV MORTVI.

Hoſpes diſce nouum mortis genus, improba feles
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

IBIDEM.

Liquit quod terræ eſt Philippus Luna ſepulcro,
Quod cœli celſo reddidit ille Deo.
Florentinus enim patria, tum corpore & ipſis
Moribus æquales floruit ante ſuos.

IACOBVS DELLA CERQVA.

Ex Audenardo Flandriæ mercator integerr.

MARTINI MILLERI.

Archidiaconi Gerundin. Vrgelen. Elnen. & Oſcen. Eccleſiarum.

BARISELLI.

Hic iaceo, qui dum Bariſellatus almæ vrbis fungor officio, à cruenta morte eripior, noli mihi mortuo maledicere, nequeo in tenebris reſpondere. Vix. annos L. Marſiola de Capriolis viro, Fauſtina & Virgilia patri opt. multis cum lacrymis poſ.

GEORGII CASTANEAE.

I, benè fac, medius: Dum iratis vulnera amicis
Eſſe veto, adſciui per mea damna necem.

REGINALDI DE CRVCE.

Proh dolor officijs iunxiſti vt amicus amicis
Occidis, vrbs recipit te iuuenem & tumulat.

 Nos vi-

Nos vitæ exiguâ merita ampla rependimus vrnâ
Et lacrymis, aliud non potes accipere.

THOMAE AND. PVCINI.

Caue viator, ne pedem ſepulcro optimi viri Thomæ Andreæ Pucini mercatoris Florentini offendas, qui vixit ann. LII. Obijt M. D. XII.

LEONELLI TROTTI.

Gente Trottus, patria Ferrarienſis, bullarum Magiſter, Secretarius & Protonotarius Apoſtol. Leonellus contegor hoc tumulo.

MONTINI FLORIANI.

Vixit ann. LIII. Menſ. IIII. Dies VIII.

Cui Ferraria patria, & fides
Et virtus omnis amica,
Qui Britannos Germanosq; adijt,
Simul ferocem & viſit Pannona,
Barbarasq; gentes ergo religionis,
Hoc ſepulcrum Montini tenet oſſa Floriani.

PAVLA BIRECTI VXOR.

Hoc in tumulo placidè quieſcit Paula Remedij Birecti Mediolanenſis vxor venuſta, Hieronymi Bononienſ. filia chara, quæ vita peracta pudicè XXXV. anno ad ſuperos abijt IIII. Non. Decemb. M. D. XLIIII.

AVGVSTINI GVISII.

Inſignis & prædiuitis mercatoris. AEneum eſt abſq; inſcriptione cum ſacello pulcrè depicto.

LVDOVICO LVCENAE.

Hiſpano, qui præter cæteras virtutes, quibus longè alijs excelluit, hanc maximè coluit, vt omnib. aſſiduè benefaceret, & neminem ob id ſibi deuinctum eſſe vellet.

Aloyſij Capræ I. V. Doctoris Mediolanenſis.
Alphonſi Solaris I. C. Hiſpani.
Ioannis Lupi I. C. Decani Segobienſ.
Alphonſi Acræ XLIIII. annis Curialis & Protonotarij.
Alexandri Zambacharij Bononienſ.
Gundi Salui de Heredia.
Andreæ Pintaſſi Florentini mercatoris.
Ioannis Sinodi Biſuntinenſ. & Cameracenſ. Canonici.
Petri de Ricaſolis mercatoris Florentini.
Marij Theodorici D. Medicinæ.
Franciſci Philippini Epiſcopi Ferentinatis.
Caſpari Cauallieri mercatoris Antuerpienſ.
Petri Perſij Rom. ciuis & mercatoris Flandri.
Ioannis Ingevvinkel Præpoſiti Xantenſis.
Petri de Medina Referendarij.
Ioannis Verdeſoti Valleoletani.
Andreæ Nichi Genuenſis.
Michaëlis de Caſtello ſcriptoris Apoſtolici.
Dominici Albertini Metenſis.
Pauli Burſeni Cantoris egregij.
Nicolai in Alpib. Coccij Epiſcopi.
Virgilij Abotonij Sabini.
Caſpari Toxici Canonici Ferrarienſ.
Petri Turchi Nouarienſ. Rotæ Notarij.
Petri Cordo Veſij Aurienſ. Eccleſiæ Theſaurarij.

Antonij de Cruciarijs.
Ioannis Kardei.
Bernardini Pacci.
Petri Burgeſij Aleanici.
Theſei Beſſarionis & Marci, Maluetiorum.
Petri de Medina.

HORTENSIAE MELINAE.

Hortenſiæ Agazariæ Melinæ vxori vnanimi, concordi, dulciſſimæ, Petrus Melinus coniux deſolatiſſimus mœroris ſui monumentum poſ. Vixit ann. xix. Menſ. II.

Me ne fugis nec cara ſequor te Hortenſia, plus te
Pecco ego, te cogit fatum, ego lege vetor.
Hoc rumpi non poſſe Dei docuere, ſed illam
Si qua via eſt frangi poſſe docebit amor.

ALFONSINAE.

Pro lactis dono, pro totq; laboribus vrnam,
Alfonſina tibi filia grata dedit.
Filia quæ tecum hoc ſub marmore claudier optat,
Et Lacheſin duram, ſæuaq; fata vocat.
Tu colis Elyſios cum nato & coniuge campos,
Ipſa ego in humanis ſola relicta malis.
Sed non longa mihi dabitur mora, rumpere fatum
Si renuet, rumpet triſtia fila dolor.

IN SEPVLCRO DVORVM NOTARIORVM.

Nec claris Ledæ, geminis nec cedet Atridis
Quod par coniuncti funeris vrna tegit.

IBIDEM.

Viuite mortales & vitæ & legibus æquis,
Hæc ſuperat lethum, cætera condet humus.
Quod thalami, quod iura Deûm, quod iuſta peregi
Sorte mea inferni iudicis vrna vacat.
Te ſolare inopem coniux, ſolare nepotes,
Si terras liquit Spiritus, aſtra tenet.

S. MARIA {
DE PORTVGALLO in fine Suburræ.
IN POSTERVLA in regione Pontis.
IN PVBLICOLIS propè Palat DD. de Cruce.
AD PRAESEPE.
ROTVNDA olim Pantheon.
}

Inter celebriora & magnificentiſſima numeratur: Eſt enim ex ſolido lapide Tyburtino æquali cùm altitudine tùm latitudine. Tectũ eſt plũbeũ & circulare, & vnicũ foramẽ habet, ꝙ lucẽ prębet. Porticus ingens, valuæ & trabes æneæ, altare ſummum ianuæ reſpondet, olim omnibus Dijs ſacrum, nunc omnibus Sanctis. In pariete caput Matris Deorum cernitur. Teſtudo per quam ad tectum aſcenditur habet gradus CL. Ad foramen tecti alij gradus plumbei XL. Ante templum vas elegantiſſ. ex Numidico marmore ſupernè quadratum, ventrem ad aluei ſimilitudinem habens. Itidem duo Leones ex Marmaridum lapide & cum notis AEgyptiacis. Similiter vas orbiculare ex Numidico lapide.

AVRELIO RVFFINO.

Dextera & animo præſtanti, qui cum è bello Germanico, vbi fortiter ſe geſſerat, reuerſus eſſet, immatura morte præreptus eſt. Marius Ruffinus Pontif. Melphienſ.

 fratris

fratris filio & Alex. Ruffinus fratri cariſſimo ad acerbam doloris eorum memoriam poſ. xv. Calend. Octobr. M. D. xLviii. qui vix. ann. xxxii. Menſ. viii. Dies xv.

MARIVS RVFINVS.

Pon. Melphien. Romanus, AEliæ arcis præfectus, ſacellum hoc Ieſu Diuoq; Syl-ueſtro dicatum, vetuſtate penè collapſum in ſpecioſiorem formam reſtituit, bonis auxit, antiquiſſimæq; ſuæ familiæ monumentum, quod hoc in templo fuerat, vnà cum maiorum oſs. in hunc locum tranſtulit, ſibiq; Ruffiniſq; ſuis gentile ſepulcrum viuens extruxit Paulo III. Pontif. Max. M. D. xLviii.

BARTHOL. BARONINO.

Cæſalen. Montis ferrati Architecto celeberrimo, impia morte præuento, Anno ætatis ſuæ xLiii. Die vi. Septemb. M. D. Liiii. Bartholinus & Ioan. Franc. fratres poſuerunt.

THADAEI SVCCARI DVCTORIS, RAPHAELI VRBINATIS ſimillimi.

Magna quod in magno timuit Raphaële, peræquè
Thadæo in magno pertimuit genitrix.

PERINO BONACVRTIO.

Vaceæ Florent. qui ingenio & arte clariſſimus egregios permultos pictores, plaſtas fere omnes ſuperauit, Catherina Penna coniugi, Lauinia Bonacurtia patri, Ioſephus Cincius Belica ſocero cariſſimo & optimo poſuerunt, Vixit annos xLvi. Menſ. iii. Dies xxi. Obijt xiii. Calend. Nouembr. Anno Chriſti M. D. xLvii.

Certantem cum te ſecum natura videret,
Irata in tenebras miſit & ad tumulum.
At tumulus ſi te tegit, & Perine tenebræ,
Et tenebræ & tumulus non tua facta tegunt.

ASCANIO VLGAMINEO.

Nobili Rom. minori annis ſupra ætatem animi vigore præclaro, Martia Bocauia mater Iulij Octauiani ac Ioan. Baptiſt. & dulciſs. filiorum, ac Ioan. Auguſt. Vlgaminei coniugis cariſs. prædefunctorum oſſibus huc translatis, ac vnà poſitis reliquo ſenectutis ſuæ præſidio orbata H. M. P. Vixit ann. xxii. Menſ. viii. Dies xix. Obijt Calend. April. M. D. xxx.

S. MARIA {
SCALA COELI Extra portam Oſtienſ.
DE SOLE SVB TARPEIO.
SPOLIA CHRISTO in foro Traiani.
DE STRADA intra Porticum Corinthiam & Capitolium.
TRANSTYBERINA.

Dum tenet emeritus miles, dum magna caterua,
Sed dum virgo tenet me, maior nuncupor & ſum,
Tum oleum fluo ſignans magnificam pietatem
Chriſti naſcentis, nunc do poſcentibus ipſum.

IN FORIBVS TEMPLI.

Roma vetus veteres dum te rexêre Quirites,
Nec bonus alumnus nec malus vllus erat.
Defunctis patribus ſucceſſit praua iuuentus,
Quorum conſilio præcipitata iaces.

FRANCISCI ARMELLINI CARDIN.

Franciſcus Armellinus Medices Peruſinus, tit. S. Calixti & S. Mariæ trans Tyberim Cardinalis S. R. E. Camerarius, Piceni Legat. Peruſiæ Vmbriæ Prolegatus ac Ci-

racen.

racen. & Oppidenſ. Epiſcopus, ac Tarentin. Archiepiſcop. Leonis X. & Clement. VII. Pontt. Medicorum fratrum munificentia, fortunis, & dignitatum titulis auctus, fluxam vitæ mortalium imbecillitatem & rerum incertas vices intuitus, ne non parato Dominus ſuperueniret, viuens & vigilans domum hanc ſibi muniuit Anno M. D. II.

Certè homo bulla eſt.

CARDINAL. ARMELLINI PATRIS.

Epitaphium patris Benuegnati Armellini Peruſini Cardinalis, parenti ſummæ virtutis, gratriæ, & probitatis viro, cui ingens vitæ præmium mors intercepit, ne cariſſimi & pientiſſimi filij progreſs. . . . .

IBIDEM.

Francorum genitus Regis de ſtirpe Philippus,
Alencomades Hoſtiæ titulatus ab vrbe,
Eccleſiæ cardo tanta virtute reluxit,
Vt ſua ſupplicibus cumulentur marmora votis.
Anno milleno cum C. quater, adde ſed I. ter.
Occubuit qua luce Dei pia virgoq́; mater &c.

Gisberti Horſtij Amſterodami Medici. Obijt M. D. LVI.
Bentodi Stephanis.
Cardinalis cuiuſdam.
Antonij Fucij Canonici.

S. MARIA TRANSPONTINA in regione Burgi, olim Hadriani.

Hic locus Hebrææ Dominæ matriſq́; Tonantis,
Proſpice ſit quanto dignus honore ſacer.
Hic ſunt lucentes Petri Pauliq́; columnæ,
Sanguine tantorum nunc monumenta virûm.
Hic Saluatoris facies, ibi fertur imago,
Hæc oſtenſa oculis, illa locuta diu.
Hic quæ ſparſa viæ fuerant altaria ſanctæ,
Sunt manibus ſummi nempe ſacrata Patris.
Ipſe ouium paſtor poſt Chriſti funera Petrus,
Hic cruce ſuſtinuit fata nefanda libens.
Plurimus hic martyr ſitus eſt: Polyandrion vnde
Sanctorum fertur ſanguine quippe ſacrum.
Hic ſua monſtrauit crebro miracula virgo,
Huicq́; loco Mariæ nomina ſancta dedit.

PETRI MARES.

I. V. D. Barchinonenſ.

S. MARIA. { DE VINCIS in deſcenſu Tarpeij.
IN VIA LATA. }

CYNTHIAE SEMPERVIVAE.

Aſſyrios tumulus non hic ſibi poſcit odores,
Florida non multo preſſa caniſtra croco.
Ipſa etenim raros ſpirant hæc oſſa liquores,
Vrnaq́; perpetuo vere beata nitet.
Fleuit amor, mœſtæ Charites, & Cynthia fleuit,
Pulcra Venus molles ſubſecuitq́; comas.

Vixit annos XXII. Obijt V. Decemb. M. D. XL.

POCCII POSTHVMI.

M. Antonio Poccio Poſthumo ingenuæ indolis puero, Coronatus patruus nepoti dilectiſſimo piè poſuit xi. Calend. Septemb. Vixit annos xi. Menſ. x. Dies iiii.

Infans vt miſeræ naſcens ſum gaudia matri,
Poſthumus & patruo ſic dolor ecce cadens.

DOMINICI MONTII FAVENTINI:
ET VINCENTII CORONAE VINCENTINI.

Vt rerum nouit cauſſas, vt vterq; per illas
Gonzagæ duxit Herculis ingenium:
Sic vno in tumulo requieſcit vterq;, magiſtris
Inuitus dedit hæc munera diſcipulus.

SANCTORI RAPHAELIS.

Sanctorus Raphaël parcarum ex flore iuuentæ
Raptus ab inſidijs, hoc ſitus eſt tumulo.

S. MARIA.
- DE VIRGINIBVS propè porticum Antonini.
- VALLICELLA in regione Parionis.
- MAGDALENA infra collem hortulorum & Tybrim.
- MAGDALENA in regione columnæ.

S. MACHVTVS, propè plateam Ciarrhæ.
S. MARCELLINVS in Cælio.
S. MARCELLVS in via Salaria.

IOANNI CARVAILI.

Genere Ibero, Pont. Parmenſi S. R. E. Cardinali patrum ſplendori, virtutum decori, de religione atq; omni Republ. benemerito, qui vixit annos Lxxx. Beſſario Cardinalis Nicenus collegæ præſtantiſſimo.

AENEAE SYLVII VEL PII PAPAE.

Pontificum ſplendor iacet hic ſacriq; Senatus,
Nam animo Petrus, pectore Cæſar erat.
Hunc genuit Betis, rapuit ſed Roma tenetq;,
Corpora velat humus, ſpiritus aſtra colit.
Imputat hunc Betis Latio cui fama perennis,
Puniceus ſacro vertice fulſit apex.
Virtus honor meritis contemptæ munera vitæ,
At meliore ſui viuere parte cupit.
Ingenio tentaſſe Pius ſeſe omnia cernens,
Nunc repetenda inquit ſydera, terra vale.

IOANNIS CORVAIL.

Aetherei qui magna fuit tutela Senatus
Ioannes iacet hic Caruail gentis Iberæ,
Anglis in titulo princeps & Epiſcopus olim,
Portus cuius habet meritis iam ſpiritus aſtra.

CAETERORVM SVNT.

Ioannis Michæli Patricij Veneti.
Antonij Vrſi Veneti Secretarij Apoſtolici.
Friderici Clanarij I. C.
Curtij Fregapaui.
Antonij Fregapaui.

MARIO FRANGIPANIO.

Antonini filio, vrbis Cancellario, probitate, animi magnitudine cum antiq.cõferendo, qui Vix. ann. Lxiii. Obijt M. D. Lxviii.

IBI-

IBIDEM TASCI.

Si pia Roma vnquam ciues plorauit ademptos,
In quibus antiquæ laudis imago fuit:
Sciſſis illa genis circumfleat anxia Taſcum,
Huius præſidium qui regionis erat.

Vixit ann. xxc. Obijt M. CCCC. xc. Stephanus filius patri benemer. P.

PETRO GYLLIO.

Viro probo, vtriuſq; linguæ doctiſſimo, ex agro Albienſi apud Gallos nato, ob ſingulares animi doles, & indefatigabilem in inueſtigandis antiquorum monumentis, componendis interpretandiſq; omnium diſciplinarum libris, totius orbis luſtrandis indagandiſq; locis, ob naturã, ſolertiam, & diligentiam publicè priuatimq; laudatiſſimo, poſt longas annorum plus xL. peregrinationes terra mariq;, peragratus Galliam, Italiam, Græciam & Aſiam vtramq; ac Africæ partem, ac miraculoſam è manibus & carceribus Pyratarum Gerbeorum liberationem Romam quaſi poſtliminio reuerſo, & in recolligendis ornandiſq; rerum celebrium narrationibus, dies noctéſq; occupato, febre violentiſſima per dies xi. vexato, diem ſummum à Chriſto Ieſu obeunti: Georgius Card. Arminiacus patronus pientiſs. clienti gratiſs. in ſpem reſurrectionis mortuorum benemerenti mœſtiſſimus, Non. Ianuar. M. D. Lv. po. cur. Vix. ann. Lxv. Menſ. v. Dies v. horas IIII.

S. MARCELLVS in via lata, olim Iſidis iuxta ouilia.

DIONYSII LAVRERII BENEVENTANI.

Non pia libertas, tibi non prudentia rerum,
Sed ſperata bonis vita negata fuit.

S. MARCVS IN INSVLA.
S. MARCVS IN PALATVRA.

ANGELO EPISCOPO FELTENS.

Veneto, ex nobili gente Phaſiolorum foſſæ Clodiæ, Iuris ciuilis & Pontificij Conſulto, Pij II. Pontif. Max. in Epiro & Myſia pro fide Catholica legato, Pauli II. à Secretis, Referendarius Fiſci Apoſtolici præf. Marcus Barbus Cardinalis S. Marci Epiſcop. Præneſtinus ab ſimilitudine morum beneuolentia ſingulari monumentum cum ſuo coniunctiſſimo viuus benem. poſ. Vixit ann. LXIII. Menſ. x. Dies III. Oliferius Caraſa Card. Neapol. & Franciſc. Picolominæus Senenſ. Executores abſolui curar.

PAVLO ARCHIEPISCOPO.

Beneuentano è Capranica oriundo, qui ob morum clementiam & præclaras animi dotes, Martino V. Pont. Max. in primis carus, dignuſq; cuius fidei ſecreta ſua & Cardinalis & Pontif. crederet, ac ad ſummos honores eueheret, maioribus ſuis eximia virtute præluxit, & ſacellum hoc moriens è ſuo dotatum familiæ ſuæ Capranicẽſ. reliquit. Et Nicolao Epiſcopo Firmano Antonij fr. filio inſignibus virtutibus conſpicuo, honoribusq; ampliſſimis à ſummis Pontificibus ornato, Angelus Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem fratri & nepotibus benè merentibus ob pietatem poſ. Anno Chriſti M. CCCC. Lxxvi. Sixt. IIII. Pont. Max.

IBIDEM.

M. Card. S. Marci, Patriarcha Aquilegienſ. M. CCCC. Lxxxvii.
Sepulturæ illorum de Nigris.
S. MARTINVS in Eſquilino.
S. MARTINA iuxta forum Rom. olim Martis Vltoris.
S. MARGARETA in radice Eſquilini.
S. MATTHAEVS in Eſquilino.
S. MAVTVS.

IMPE-

IMPERIAE INSIGNIS CORTESANAE.

Imperia imperio cum res hominesq; tenerem,
Hoc volui iuuenis condier in tumulo.

S. MICHAEL { IN REGIONE BVRGI.
IN MONTE OLIVETI.

SS. NEREVS ET ACHILLEVS propè thermas Antonini, olim Iſidis in via Appia.

S. NICANDER in via Labicana.

S. NICOLAVS. { AGONIS in regione pontis.
IN ARCHEMONIIS.
DE ARCIONIBVS ſupra triuij regionem.
IN CARCERE in regione Ripæ.

IN TVMVLO IGNOTO.

Diſcite mortales, & fati neſcia turba,
Si vitam æternis voluitis auſpitijs.
Vnà viximus inter nos, nunc viuimus vnà
Inter nos, lacrymas & pia vota date.

IBIDEM.

Si pro te proprium peccator fundo cruorem,
Te ſaltem lacrymas fundere ne pigeat.

S. NICOLAVS IN CALCARIA.

MARITI ET VXORIS.

Hic iaceo ſanctum dederat cui gratia nomen,
Oſſibus eſt vxor contumulata meis.
Vita duos olim tenuit concorditer vna,
Vna quoq; extinctos occulit vrna duos.

S. NICOLAVS. { DE FORTITORIBVS in regione Triuij.
DE FVNARIIS in radice Tarpeij.
IN MACELLO CORVORVM ad columnam Traiani.
IN MENTVZA, olim Iunonis Matutæ.
IN PALATIO.
DE PERFECTIS in campo Martio.
DE PORCILIBVS ad radices Quirinales.
IN STATERA.

S. ONVFRIVS in Ianiculo.

IOANNI SACCO.

Anconitano, Archiepiſcopo Raguſino, Epiſcopo Anconitano, Pontiff. Max. Innocentij VIII. & Alexandri VI. Datario Referendarioq;, & Adſiſtenti Pontificiæ legat. honorificentiſſimè ad Francorum Regem miſſæ principi, morte Alexandri VI. illo tumultu formidabili, ad vrbem Romam, quam antea diu rexerat, communi patrum decreto cum valido præſidio gubernandum præfecto, togata bello ardente, imminenteq; hoſte potentiſſimo, à Iulio II. Bononiæ & omni Romandiolæ gubernat: præpoſito plæriſq; ciuitatibus receptis, prouincia pacata, honorum pleno, probato populo, patribuſq; caro, in ſumma licentia moderationis doct. abſtinent. integrit: q; ingentē laudem adepto bonorum omnium magno mœrore, ſumma curiæ Pontificiæ iactura, extincto. Vix. ann. LVI. Menſ. IX. Dies III. Ant. Epiſc. Præneſtin. Card. S. Praxidis, Et Ioan. Epiſc. Tuſculanus Card. Alexand. cum fratre Cherubino Ferrarienſi huius cœnobij Priore. executores P. C. M. D. V.

Labor & gloria vita fuit: Mors requies.

IOAN-

IOANNI XERITIO.

Hiſpalo, ſcript. abbreu. & Cancell. Apoſt. Hoſtiario amicorum amic. opt. duo alumni alumno benemer. P.

MARIAE BAENAE.

Corduben. Virgini Sexagenariæ relig. D. Dominici dicatæ, optimis artibus, ſanctiſſimis moribus inſtitutæ, hæc ad feſtum ſuauiſſimum Futuri Iubilæi IIII. Non. Auguſt. M.D. Romam veniens, in Diuæ Mariæ Maioris æde, dum eius aſſumptio celebraretur, thalamum imaginis Saluatoris ſubintrans, confertiſs. fidelium turba colliſa, quinta pòſt luce interijt, quippe quam pictam in terris Chriſti vidit faciem recognitura.

CAROLO ZERLOI.

Veronenſi patricio, viro vtiq; facundo, domi foriſq; in rebus agendis admodùm apto, ac principis contubernio & obſequio, quibus gratus fuit, expertiſs. M.D.XVI.

LACTANTIO FVSCO.

Iuris V.D. Archipresbytero Marc. Flor. Ariminenſ. Canonico Hebraicis Latiniſq; literis erudito, pietate, probitate, comitate, omni deniq; virtute clariſſimo, ætatis flore morte ſurrepto, Placidus Fuſcus orbatus tanta ſpe fratri cariſſimo poſ. Obijt M.D.IX. Vix. ann. XLVIII.

Hic vicit ſortem, potuit non vincere mortem,
Dum ſortem vicit, mortuus occubuit.

ALPHENIAE TIGLIAMOCHI.

Alpheniam lepidiſs. infantem acerbo fato, cùm vix menſes VI. & dies VII. attigiſſet, præreptam Vincentius Tigliamochi & Pentheſilea mœſtiſs. parentes, ſuas ipſorum delitias, marmoreo lapide, quod licuit ſibi, reponi curarunt.

FRANCISCI PVCCII.

γνῶθι σεαυτόν.

Florentini Cardinalis Aragon. Secretarij, cui importuna mors honores maioreſq; titulos præripuit.

Inueni portum, ſpes & fortuna valete,
Nil mihi vobiſcum, ludite nunc alios.

FRANC. DE BVLIONIB.

Statuarij Florentini perfectiſs.

Nil vixiſſe iuuat quenquam poſt fata, ſed illud
Et ſtabile & gratum eſt, viuere cum ſuperis.

IN MARMORE.

Vox patris humanos in virgine veſtiet artus.
Gaudia, ſupplicium, mortem, lux reddita penſat.
Sola dedit virtus ſuperis conſiſtere regnis.
Iudicio repetet Chriſtus, quos morte redemit.

LEONARDO FRANCO.

Septempedano Philoſopho ac medico illuſtri & poëtæ ſuauiſſimo, morum elegantia inſigni, Hieron. Francus eq. ordinis fratri dilectiſſimo poſ.

ROLANDO TRISTANO.

Mantuano, gemmarum ſculptori, fratri & commilitoni dulciſſimo, dum Pont. Max. Alex. VI. à cuſtodia in itinere diligentius adſiſtit, immatura morte rapto, Carolus infeliciſs. poſ. Vixit annos XXVIII.

IBIDEM.

Si fructus proprio ſubdit de germine tellus,
Si reparat ſparſis debita ſeminibus.

Naſcen-

Naſcentur tumulo formæ, noua meßis, honores,
Et lepor & ſuauis germina nequitiæ.
Vel pro Caſtalio ſurget fons alter in hauſtum,
Quo veniant celeres ex Helicone Deæ.
Talia de viduo traxit ſecum orbe . . . . .
Semina quæ largo ſemine . . . . .

Iacobi Saracinelli equitis.
Thomæ Melignini.
Philippi Botati Leonis X. Pontif. Secretarij.
Octauiani Scoti Cardinalis Cæſij Secretarij.
Iacobi Geneloti Verdunenſis.
Michaelis Lopis eq. Hieroſolymitan.
Vaſini Gambariæ Leonis X. Pontif. Cubicularij.
Nicolai Toſſani primicerij Metenſis.
Petri Franciſci de Gerardis I. C.
Ioan. Baptiſtæ Garzoni Veneti Epiſcopi Abcorenſ.
Andreæ Lafranchini nobilis Veronenſ.
Petri Pintori Alex. VI. Pontif. Medici.
Ludouici de Hozozſeo Cordubenſ.
Alexandri Vrſi nobilis Bononienſ.

S. OZANNA in monte Lælio.

S. PANCRATIVS in Ianiculo: habet ſuggeſtum ex nitido & Porphyretico marmore, cum teſſulis fului, viridis, & purpurei coloris: Item criptas ſubterraneas Martyrum.

IOAN. PAVLO ECCLESIO.

Dertonenſi S. R. E. & tit. S. Pancratij presbytero Cardinali, viro ingenio, memoria, facundia, & probitate ſingulari I. C. eximio, à Pio V. Pontif. Max. ſignat. Iuſti. præfecto Ludouic. Vicecomes affini opt. & amantiſs. poſ. Vixit annos LIIII. Obijt Idib. Ian. anno Iub. M. D. LXXV.

CRESCENTII NOMENTANI.

Vermis homo, putredo, cinis, laquearia quæris,
His arctandus eris ſed breuibus gyaris.
Qui tenuit totam felici tempore Romam,
His latebris tegitur pauper & exiguus.
Pulcer in aſpectu dominus Creſcentius ille,
Inclyta progenies quem peperit ſobolem.
Tempore ſub cuius valuit Tyberinaq; tellus,
Ius ad Apoſtolicum valde quieta ſtetit.
Nunc fortuna ſuos conuertit luſibus annos,
Et dedit extremum finis habere diem.
Sorte ſub hac quiſquis vitæ ſpiramina carpis,
Da vel huic gemitum te recolens ſocium.

S. PANTHALEON IN SVBVRRA olim Telluris.
S. PAVLVS AD AQVAS SALVIAS.

IN CAPELLA SCALA COELI.

Alexand. Farneſius S. R. E. Vicecancellarius fecit M. D. LXXXII.

In ſacrario reliquiæ: Columna in qua S. Paulus decapitatus. Lapis Eculeus qui Martyribus fuit alligatus pedibus.

In Ca-

In Capella di porta Cœli 2203. corpora tempore Neronis martyrio coronata.

Viſio Bernardi animam liberatam eſſe ex purgatorio.

Vbi ſunt tres fontes, ibi locus Martyrij S. Pauli.

ORATIO.

Domine Deus omnipotens, qui pro gentium ſaluti Apoſtolum tuum S. Paulum ad aquas Saluias mortem ſubire voluiſti, concede propitius, vt eius meritis & interceſsione, quotquot hanc trium fontium vndam deuoti guſtauerint, aquam ſalientem in vitam æternam bibiſſe lætentur, per D. N. Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Sancti Spiritus. Amen.

S. PAVLVS. { IN REGVLA in regione Harenulæ. IN VIA OSTIENSI. }

Amplum & pulcrum eſt templum à Conſtantino Magno ædificatum, longum paſs. cxx. latum Lxxxv. & columnis marmoreis ſtriatis xL. alijſq; totidem rotundis & paulò minoribus fulcitum, ita vt in vniuerſum ſint cxiiii. Pauimentum marmoreum, in quo multa ſaxa antiqua inciſa, prout in antiquitatum libro. Altare ſummum iiii. marmoreis porphyreticis columnis ſuſtentatur, ad quod imago Saluatoris, quæ locuta dicitur S. Brigidæ ſtanti in oratione, vt docet inſcriptio, & appenſa tabula: Ante ſuggeſta duo marmora pulcerrima, in quibus ſub ſacro Euangelium & Epiſtola decantatur. In medio ſuggeſtorum candelabrum marmoreum, cum ſtatuis & inſcription.

Arbor poma gerit, arborq; ego lumina geſto,
Porto libamina, nuncio gaudia, ſed die feſto
Surrexit Chriſtus, nam talia munera præſto.

In fornice maioris Capellæ Saluator muſiuo opere expreſſus librum tenet, in cuius folijs:

Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt.

AD DEXTRAM:

S. Paulus. In nomine Ieſu omne genu flectatur. Item S. Lucas. Saulus autem conualeſcebat & confundebat Iudæos, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.

AD SINISTRAM.

S. Petrus & Andreas cum duobus ramis palmarum, dicentes: Tu es Chriſtus filius Dei viui.

Sub Chriſto crux, ſpongia, claui, lancea, corona, Apoſtoli, Angeli cantantes: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominib9.

TVMVLVS PONTIFICIS IOAN.

Pontificis ſummi hic clauduntur membra Ioannis,
Qui prudens paſtor perſoluens debita mortis,
Iſthic præmonuit moriens ſua membra locari,
Quò pietate Dei reſolutus nexibus atris,
Egregij Pauli meritis conſcendat in aſtra,
Inter Apoſtolicos cœlorum gaudia metat,
Gaudeat, exultet ſociatus cœtibus almis.
Dicite corde pio relegentes carmina cuncti,
Chriſte tui famuli miſertus ſcelera purga,
Sanguine qui ſancto redemiſti crimine mundum.

Hic verò ſummus Pontifex Ioannes in Apoſtolica ſede ſedit annos VII. Depoſitionis eius dies VIII. Idus Septembris ab incarnatione Domini Anno D CCCC. LXXII.

In portis æneis varijs hiſtorijs ſacrarum literarum infuſis, cum earum declaratione, Latinè & Græcè inciſa.

Anno Milleſimo Septuageſimo ab incarnatione Domini Alexandri S. Papæ IIII. & Domini Ildebrandi venerabilis Monachi & Archidiaconi conſtructæ ſunt portæ iſtæ, adiuuante Domino Panthaleone conſule, qui illas fieri fecit.

Paule beate preces domino ne fundere ceſſes,
Conſule Malfigeno pro Panthaleone rogando,
Ductus amore tui, qui portas has tibi ſtruxit,
Ergo ſibi per te reſeratur ianua vitæ.
Supplex ergo petit Domino qui ſemper adeſtis,
Huic precibus veſtris Deus annuat eſſe quod eſtis.

D. O. M.

Bonifacius IX. Pontif. Max. ſtirpe Thomacellus genere Cibo.

IN PORTA SANCTA.

Iulij III. Pontif. Max. optim. præceptis & auſpicijs porta hæc ab ortu Iubilæi anni M. D. L. patefacta eſt, ac eo exacto rurſus pariete obſtructa, ſacras Ceremonias Ioan. Card. de Saluiati Epiſcopo Portuenſi de more agente.

S. D. N.

Gregor. XIII. Pontif. Max. feliciter ſedente atq; mandante portam hanc ſub Iulio III. tempore Iubilæi apertam & clauſam, D. Ioannes Moronus Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, atq; huius congregat. protector & pater, ſolemniter aperuit, Anno Domini M. D. LXXII. die XXIII. Decemb. Et ſub eodem die iterum anno elapſo D. Alex. Farneſius Card. & Epiſcopus Tuſculanus feliciſc. clauſit.

EPITAPHIVM IBIDEM ABBATIS.

Viuere quem decuit quid prodeſt? marmore ſpectant
Vmbra ſub cuius Abbatis per iret viuus
Corpus Auaſtaſij S. Pauli
Hic ſpes multorum limen decus & Monachorum
Sponſam ditant quæ ſplendet
Pauperis hic cultor, vitiorum maximus vltor,
Nunc retinet Sanctus ſuper fontibus cæſus
Limina Sanctorum repetentes Apoſtolorum.
Oro procedentis tumuli quicunq; tenetis,
Et rex cœlorum perducat ad alta piorum.

PETRI

PETRI LEONIS.

Præterit vt ventus Princeps ſeu Rex opulentus,
Et nos, vt fumus, puluis & vmbra ſumus,
Tot tantisq; bonis pollens Petrus ecce Leonis,
Reſpice quam modico nunc tegitur tumulo.
Vir fuit immenſus, quem proles, gloria, cenſus,
Suſtulit in vita, non ſit vt alter ita.
Legum ſeruator, patriæ decus, vrbis amator,
Extruxit celſi turribus aſtra poli.
Omnia præclara hæc mors obtenebrauit amara,
Nominis ergo Dei gratia parcat ei.
Iulius in mundo fulgebat ſole ſecundo,
Hunc ſeruat nobis nunc polus atq; lapis.
Te Petrus & Paulus ſeruent ô Petre Leonis,
Dent animam cœlo, quos tàm deuotus amaſti,
Et quibus eſt idem tumulus, ſit gloria tecum.

S. PETRVS ET MARCELLINVS, olim Quietis.

S. PETRVS. { IN CARCERE, vbi olim carcer Tullianus. DEO DATVS in via Portuenſi. MONTORIVS in Ianiculo.

Paruum ſed elegans picturis & ſculpturis ſacellum, rotundum, à quadam Regina Hiſpaniæ conditum eſt.

ANTONIO MASSAE.

Galeſio ciui Romano, IurisConſulto clariſſimo, æquitatis & concordiæ patrono, integritatis & beneficentiæ laude inſigni, ómniq; liberali doctrina politiſſimo, Clementia de Danis coniugi cariſſimo, filij patri opt: mœſtiſſimi poſuerunt. Vixit annos LXVII. Dies IX. Obijt XVII: Calend. Iunij M. D. LXVIII.

LVDOVICO ZEPHIRO.

Eccleſiæ Teranenſ. Canonico, ac Alexandro Farneſio Cardinali à Secretis, Egidius frater & Syluius nepos non ſine lacrymis poſuêre Vix. ann. LXIII. Obijt prid. Calend. Maij M. D. XXIX.

IOAN. MEDRANO.

Patricio Calacuritanenſ. clariſſimis parentibus orto, peditatus Hiſpani præfecto, acri ingenio, corporisq; ac animi viribus prædito, mira erga Cæſarem fide, eaq; erga Deum immortalem pietate, vt contra Mauritanos Chriſtiani nominis hoſtes acerrimè pugnarit. Vix. ann. XXXVIII. Aluarus Medrano fratri cariſſimo mœrens monumentum poſuit M. D. XXVII. pridie Non. Maij.

VICTORIO CATANEO.

Nobili Mediolanenſ. bello Subalpino Alphonſo Dauolo Duce iter: peditum præfecto, qui vixit annos XXXIX. Obijt pridie Calend. Maij M. D. LXIIII. Iulius Cataneus fratri fecit.

IVLIO POGIANO.

Nauarienſi, honeſtis moribus, ingenio & eloquentia præſtanti, Pont. Max. Piorum IIII. & V. ab Epiſtolis Latinis, Ioan. Anton. & Bart. fratri cariſſimo fecerunt. Vixit annos XLVI. Menſ. I. Dies XXIII. Deceſſit Non. Nouemb. M. D. LXVIII.

CARDINALIS DE MONTE.

Antonio Fabiani de Monte S. R. E. Epiſcopus Card. Portuenſ. qui ob ſingularem Cæſ. & Pontif. Iuris peritiam vrbanis ferè omnibus ob id Magiſtratibus Innocentio VIII. & Iulio II. Pontificibus Max. ſanctiſs. geſtis ab eodem Iulio per omnes digni-

tatis gradus in Card. ordinem adſcitus eſt, multisq; inde Reipub. muneribus domi forisq; præfectus, ac in Vmbria ſemel Leonis x. & Clementis vii. in vrbe iterum legatus, eam ſemper præ ſe integritatem, prudentiam, pietatem tulit, vt Romana & Catholica Eccleſia non iam fratrem ac membrum nobile, ſed caput ipſum & patrem eius morte amiſiſſe viſa ſit. Vix. annos Lxxii. E vita exceſſit Anno Chriſti M. D. xxxiii. Iulius iii. Pontif. Max. patruo cariſſimo ac de ſe & Balduino fratre ſuo optimò mer. fecit.

FRANCISC. MATRAPERLA

Veneto, viro ſumma fide ac pietate inſigni, & in negotijs mercaturæ agendis eruditiſſimo ac integerrimo, qui ſuæ ætatis annum quadrageſimum agens, ex hac vita raptus eſt. Anno M. D. Lxxi. die xxvi. Decembr. Valerius frater & Flaminia Critta coniux mœſtiſſ. poſ.

NICOLAO BILIO.

Nouariens: conſpicuo ac probo viro, Martha Carlinea amantiſs. & Io. Ant. ac Paulus de Iaſſinis fratres, executores teſtamenti dolentes poſuerunt. Obijt ſeptuagenarius, viii. Calend. Decemb. M. D. Lxxi. Hanc eiſdem Marthæ & Io. Antonio poſteriſq; eorum deinceps perpetuam voluêre eſſe vrnam.

ASCANIO CASTVCIO.

Pædemontano à monte Regali, morum ſuauitate & generis nobilitate præclaro, ſummę ſpei adoleſcenti Margarita Bigliona mater inconſolabilis dulciſſimo filio Ioan. Ant. alijq; fratres mœſtiſſ. cariſſimo fratri immatura morte ſublato poſt multas lacrymas poni curar. vixit ann. xviii. Menſ. vi. Dies xv. Obijt xi. Calend. Decemb. M. D. Lxxiii.

ANDREAE FAVZONIO.

Vrbe monti regali, cui genus paternum clarum, maternum à Regulis Linguiliæ Ligurib. qui à Proculo Rom. Imp. originem ducunt Vix. ann. xxvi. Obijt M. D. xxxi.

Rurſus circumdabor pelle mea

LAVRA DE TOCHAGINIS.

Dominico Palutio de Fruſolone Proſenet. integerrimo eius viro ætat. ann. Lxx. Obiens verò die xi. Decemb. M. D. Lxx. non ſine lacrymis maximis poſ. capellamq; huiuſmodi pro eis eorumq; heredum execut. dotauit, neceſſarijsq; ad cultum diuinum in perpetuum muniri heredem iuſſit anno M. D. Lix.

AMADEO STOPERIO.

A monte Regali, Pij v. Papæ Sanctiſſ. ſubcubiculario à ceruo cicure, dum amatam ceruam inſequitur, in vivario Palatino interempto, Nicolaus Stoi, ab eodem Pio honoribus & muneribus auctus, fratri ob morum ſuauitatem omnibus grato poſ. anno ab orbe redempto M. D. Lxx. Vix. ann. xxvii.

Et in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum.

RAINERO LEMO.

Pitano, Proton. Apoſtolico ac R. Card. Senogalliens. magiſtro domus perpetuæ fidei & obſequij memoriam Vigerius electus Senogalliens. ob amicitiam dolens P. Vixit ann. xxxvii. Menſ. ix Dies xxvii. Obijt iii. Id. Octobr. M. D. xiii.

NICOLAI GALIGANI.

Heu caueas Sophiæ gemitum renouare viator,
Sat Sophia eſt gemitu concomitata pio.

Nicolao Galigano Præpoſito Tiphernati, ingenio, moribus, facundia, ac ſumma rerum cognitione claro, qui nondum trigeſimum primum ætatis annum attigerat, vt aduerſam vitæ fortunam conſtanti animo tulit, ita mortem inuicto ſuſtinuit A. M. I. B. M. Poſ.

SEBA-

SEBASTIANVS COLEINE.

Patr. Rom. militia ſtrenuus, & in præturis præclarus, capitis regionis ſuæ præfecti officio fungens ab humanis deceſſit, Vix. ann. LXI Obijt ann. poſt Chriſtum natum M. D. LVII. Die XXI. Martij. P. Paulus Marcellus, & Colas fratres non ſine lacrymis poſuerunt.

CARDINAL. NOBILIS.

Jeſu Chriſto reſurrectionis & ſalutis autori.

Roberto Nobili Politiano, S. R. E. Diacono Cardinali, qui XIII. ann. natus ob egregiam virtutis indolem ab Iulio III. Pontif. Maximo eius magno auunculo patribus vniuerſis approbantibus in ampliſſimum collegium cooptatus, ardentiſſimo cum eſſet religionis & literarum ſtudio, ſemeſtri tabe ſumma patientia confectus, dum ſe iucundiſſimam mortem ſentire affirmaret, ſuosq; extremo ſpiritu mirificè conſolaretur, in cœleſtem vitam, quam aſſiduè meditabatur, commigrauit XVI. Calend. Febr. M. D. LIX. Vixit annos XVII. Menſ. IIII. Dies XIII. horas XVI. Vincentius pater filio optimo ac dulciſſimo poſuit.

CARDINALIS POLITIANI.

Ioan. Riccius Politianus, S. R. E. presbyt. Cardinalis S. Vitalis, memor officij ſui ſacellum hoc dicauit. Quo moneantur omnes inter humana negotia antiquiſs. Dei curam haben. pon. curauit Anno ſalutis M. D. LXIIII.

ANTONIO DE CERVATTIS.

Cæſar Auguſtano R. Innocentij Cardinalis Cibo elegantiſſimo Architriclino, ingenio, induſtria & fide ad honeſtum gradum euecto, multis iam laboribus fatigato, qui dum quietiorem vitam quærit, immatura morte præuentus, quam viuens non inuenit, hic requiem ducit Vix. ann. XL. Obijt M. D. XXI.

VELIAE FAMILIAE ROM.

Marcellus Velius decus Quiritum,
Vir frugi & probitate ſingularis,
Hanc aram ſtatuens ſuo ære ditem,
Sepulcrum ſibi poſteriſq; cunctis
Hoc ſub marmore integer dicauit.
Defuncto bona verba dic viator.

SAVO NARDOLINO.

Ciui Rom. Vix. ann. LV. Obijt M. D. XXVI. Calend. Nouembr.

Proh dolor illacrymans tumulo ſuper oſſa parentis,
Virgilius voluit Pario hos in marmore verſus
Artificis ſculpſiſſe manu, ſolamen adempti
Tam cari capitis, cum nil niſi planctus & horror,
Nil niſi ſingultus ſupereſt poſt funera patris:
Abſentem quem flere licet ſic corporis artus,
Pronus humi ſaltem lacrymis in puluere adoret.

BARTHOL. IVLIATO.

Canonico pientiſſimo, moribus & literis ornatiſſimo, religione & pietate conſpicuo, qui dum ſanctiſſimè ad XLIII. annum vixiſſet, III. Non. April. Anno M. D. XVIII. non minus religioſè quam intrepidè defunctus eſt. Hieron. & Anton. fratres flentes poſ.

IVLIANO MVNICIPI.

Volaterrano, Archiepiſcopo Raguſino, ex ordine Minorum, cui publica vtilitas vita carior fuit aſſumpto philoſopho Theologoq; clariſſimo Beſſarioni Cardinali Niceno ſtudiorum adiutor à Sixto IIII. & Iulio II. Pontiff. Max. quibus cum coniunctiſſimè vixit, dignitatibus honeſtato, Pœnitentiariæ Apoſtolicæ ann. XXV. Regenti. *Marmoreum eſt monumẽt.*

Vix. ann. LXXIII. Menſ. VIII Marcus Vegerius Samenſis Cardinalis Senogallienſ. amico fratri & contubernali iucundiſſimo, ſacello communicato ex teſtamento poſ. M. D. X.

IACOBO BONACOSSO.

Ferrarienſi, Pauli III. Pontif. Max. medico primario Ioannes Baptiſta Bonacaſſus, Ex^mi^. Ducis Ferrarienſis Scriba, heres poſ. Anno M. D. LIIII. Vix. ann. LXVIII. Obijt LIII.

PAVLO TVBA.

Rom. Apoſt. literarum ſcriptori, ac plumbi magiſtro Nicolaus Tuba ex teſtamento Vix. ann. LVI. Menſ. IX. eſſe deſijt M.D.

D. O. M.

Fuluius Corneus Epiſcopus Portnenſis, Cardinalis Peruſinus ſacellum hoc ab Anton. Card. de Monte erectum, & à Iulio III. Pontif. Max. auunculo exornatum, in ſui corporis ſepulturam eligens, annuo perpetuo reditu pro ornamentis altari ſubminiſtrandis duobus anniverſarijs pro ſua ac eiuſdem Antonij de Monte anima celebrandis locupletauit, Obijt M. D. LXXXIII. ætatis ſuæ LXVI.

ANTE INGRESSVM TEMPLI.

Paulus III. Pontif. Max. omnibus ſacerdotibus, qui in ſacello hoc vel ſuo vel alieno arbitrio ſacrificauerint, vnam animam ex purgatorio, quoties id fecerint, inſtar indulgentiæ Diuorum Gregorij intra vrbem, Sebaſtiani ac Laurentij extra vrbis mœnia liberandi facultatem conceſſit.

Omnibus autem, qui ſacellum ipſum à Dominica paſſionis vſq; ad totam diem VIII. Paſcatis ritè viſitauerint, omnium peccatorum remiſſionem iuxta Rom. Eccleſiæ morem perpetuò indulſit, Anno pontificatus ſui III.

Cætera monumenta ſunt:

Iulij III. Pontif. Max. magnificum & pulcerrimum ex niueo marmore cum ſtatuis abſq; inſcriptione tamen.

Antonij Guaijta I. C.
Antonij Caræ.
Andreæ Fantzonij.
Alexandri de Philippo.
Gemetij Luſitani Aretinenſ. Epiſcopi.
Galcerandi Epiſcopi Biſarcenſ.
Ludouici Bezerilli Hiſpani.
Iacobi Oſſagi Pontif. Cubicularij.

Ad altare magnum tabula picta aſcenſionem Saluatoris exprimens eximiæ picturæ, addita inſcriptione:

Diuo Petro principi Apoſtolorum, Illuſtriſs. Medices Cardinalis Vicecancellarius DD. Anno Domini M. D. XXIII.

Locus Martyrij Beati Petri Apoſtoli ſacello rotundo ornatus eſt, & tabula indulgentiarum, piè locum viſitantium.

IN SEPVLTVRA IVLIANI PRINCIPIS VOLATERRAni Archiepiſcopi Raguſini inciſum.

Bonis & mors & vita dulcis eſt.

S. PETRVS QVO VADIS, in via Appia.

Sacellum eſt rotundum XII, ped. latum cum duabus portis, & ara, ſic dictum propterea, quod Diuo Petro martyrium pro Chriſto fugere volenti, Saluator hic apparuerit, quem Petrus agno-

ſcens,

ſcens, ſtatim allocutus eſt, Domine quo vadis? Reſpondit Chriſtus: Romam, vt iterum crucifigar. Iis verbis monitus Apoſtolus Romam reuertitur, & lubens patitur, cruciq; affigitur, eo loco quo dictum eſt.

S. PETRVS IN VATICANO.

Noua hæc baſilica anno Chriſti M.D.VII. die XVI. Aprilis cœpta eſt, à Iulio II. Pontif. qui primum lapidem marmoreum poſuit cum aureis nummis præſentibus XXXV. Cardinalibus cum tota Curia & populo Rom. literis lapidi inciſis hiſce:

IVLIVS II. PONTIF. MAX. ædem D. Petro dicatam vetuſtate collabentem in digniorem ampliorem'q; formam vt erigat, fundamenta iecit Anno Chriſti M.D.VII. Veterem Conſtantinus Imperator ædificauit.

IN SACRISTIA.

Memoriæ æternæ Pauli IIII. Pontif. Max. Chriſtianæ legis Antiſtitis, religionis vindicis, libertatis aſſertoris. Sanctiſsimi & pijſsimi principis, patris patriæ D. N. Clementiſsimi.

Quod iuſtiſsima eius ſententia, antiquitatis ſuperiorum principum decretis Vaticanæ Baſilicæ veteris patrimonij prædia, quæ temporum iniuria iniuſto imperio detinebantur, ſunt reſtituta. Princeps vero Canonicorum omnibus in conſilio idem decernentibus decreto in tabulas relato, ac votis communiter ſuſceptis, communiq; ære collat. ad augendam loci gratiam ſtatuam collocauit.

Quotannis X. Calend. Iunij Chriſtiano more ritu'q; ſacrificium fieri curauit. Eoq; facto à Baſilicæ Vectigalium Quæſtore pecunia parata Baſilianis, qui ſacris præſto fuerint, pro ſacerdotij gradibus viritim dari conſtituit.

IN PORTA SANCTA.

Iulius III. Pontif. Max. portam hanc aperuit & clauſit anno Iubilæi M.D.L. apertam prius ab Alexand. VI. Anno Domini D. & à Clemente VII. Anno D. XXV.

IN PORTA AENEA.

Sub Chriſto:	*Saluator mundi.*
Sub Virgine Maria:	*Aue gratia plena Dominus tecum.*

Vt Græci, Armenij, AEthiopes hic aſpice vt ipſa
Romanam amplexa eſt gens Iacobina fidem.
Sunt hæc Eugenij monumenta inſignia Quarti.
Excelſa hæc animi ſunt monumenta ſui.

Eugenius IIII. Pontif. Max.	*Opus Antonij de Florentia.*

In iiſdem portis Beatæ Virginis, & ſub ea S. Petri ſtantis & claues Eugenio iuxta ſe geniculanti tradentis, imago. Dein Saluatoris in cruce pendentis, & Pauli ſtantis cum gladio, & gentilium cõuerſio ad fidem.

Facies Chriſti linteo Veronicæ repræſentata hac in baſilica quotannis exhibetur. In ſacello ferè contiguo S. Mariæ de febribus ſtatua marmorea Beatæ Virginis filium mortuum in ſinu tenẽtis lacrymanti ſimilis, opus egregium Michaëlis Angeli.

Ottho II. Imperator hic conditus fuit porphyretico ſepulcro. Anno DCCCC. Lxxxix. id ante fores templi humi poſitum & apertum, cloaca mendicorum eſt. Pinus ænea huic vicina fertur de ſepulcro Scipionis eſſe.

INNOCENTII VIII. PONTIFICIS.

Tumulus æneus eſt inauratus, ſedet Pontifex habitu Pontificali, dextra ad benedictionem dandam eleuata, cum inſcriptione nulla alia, quàm: *Innocentia mea ingreſſus ſum, redime me Domine & miſerere mei.*

PETRO BALBO.

Epiſcopo Tropienſ. qui ob ſingularem eruditionem, vtriuſq; linguæ multa è Græco in Latinum tranſtulit eleganter, quiq; ob ſanctitatem vitæ & modeſtiam octogeſimum annum attigit B. Marci antiſtes Caſtellanus almæ Vrbis Vicecamerarius Sixti IIII. Pontif. Max. iuſſu benemerenti faciundum curauit.

PII IIII. PONTIF.

Pius IIII. Pontif. Max. Medices Mediolanenſ. Anno M. D. Lxv.

PAVLI II. VENETI.

Paulus II. Venetus Pontif. Max. è vetuſta Barbarorum familia, præclaris naturæ dotibus auunculo Eugenio IIII. non inferior, iuſtitiæ, pietatis, diuinarumq; ceremoniarum cultori religioſiſſimo, Eccleſiaſticæ libertatis maieſtatiſq; defenſori conſtantiſſ. præcipuo pacis ſeruandæ ſtudio, & ſingulari omnis generis munerum abſtinentia, formidanda etiam lege magiſtratibus indicta, clariſſimus in principes munificentia, in pauperes miſericordia inſignis, patrio amore annonæ copiam vrbi dedit, patrimonium beati Petri erratis populorum indulgentiſſ. parentis affectu emendatis, & conſeruauit & auxit, furentes armis hæreticos repreſſit, & quod per difficilem rerum temporumuè conditionem effici cum dignitate non poterat, matura cunctatione ſaluberrimè diſpoſuit. Vixit ann. Liii. Menſ. v. Dies iii. Sed. ann. vi. Menſ. x. Dies xxvi. Marcus Barbus Cardinalis S. Marci Patriarcha Aquilegienſ. conſanguineo benemer. poſ. Anno ſalutis M. CCCC. Lxxvii.

NICOLAI V. PONTIF.

Hic ſita ſunt Quinti Nicolai antiſtitis oſſa,
Aurea qui dederat ſæcula Roma tibi.
Conſilio illuſtris, virtute illuſtrior omni,
Excoluit doctos, doctior ipſe, viros.
Abſtulit errorem, quo Schiſma infecerat orbem,
Reſtituit mores, mœnia, templa, domus.
Tum Bernardino ſtatuit ſua ſacra Senenſi,
Sancta Iubilæi tempora dum celebrat.

Cinxit

Cinxit honore caput Friderici & coniugis aureo,
Res Italas icto fœdere compoſuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit: en tumulo fundite thura ſacro.

Sedit ann. VIII. Dieb. XX. Vix. ann. LXII. Menſ. IIII. Dies IX. Philip. Cardin. Bonon. fratri Sanctiſſimo.

MARCELLI II. PONTIF.

Marcellus II. Pontif. Max.

VRBANI VI.

Hac animo magnus, ſapiens, iuſtusq; Monarcha,
Parthenopæus adeſt Vrbanus Sextus in vrna,
Feruebat fidei latebras conferre magiſtris,
O Decus, his fretus ſemper poſt prandia ſiſtris
Schiſmatibus magnis animo maiora regebat.
Omne ſimoniacum tanto ſub patre tremebat.
Quid iuuat hunc terris mortali tollere laudem?
Pro meritis cœli ſplendet ſibi gloria valde.

ADRIANI I. PONTIFICIS.

Hic pater Eccleſiæ Romæ decus inclytus autor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet,
Vir cui vita, Deus, pietas, lex, gloria Chriſtus,
Paſtor Apoſtolicus promptus in omne bonum.
Nobilis & magna genitus de ſtirpe parentum,
Sed ſacris longe nobilior ſtudijs.
Exornare ſtudens deuoto pectore paſtor,
Semper vbiq; ſuo templa ſacrata Deo.
Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus,
Et pro plebe ſacris peruigil in precibus.
Doctrinas opibus muris erexerat arces
Vrbs caput orbis honor inclyta Roma tuas.
Mors cui nil nocuit, Chriſti qua morte perempta eſt
Ianua ſed vitæ mox melioris erat.
Poſt patrem lacrymans Carolus pia carmina ſcripſi,
Tu mihi dulcis amor te modo plango pater.
Tu memor eſto mei, ſequitur te mens mea ſemper,
Cum Chriſto teneas regna beata poli.
Te clerus, populus, magno dilexit amore,
Omnibus vnus amor optime præſul eras.
Nomina iungo ſimul titulis clariſsima noſtris
Hadrianus Carolus Rex ego, tuq; Pater.
Qui legis hos verſus deuoto pectore ſupplex,
Amborum mitis dic miſerere Deus.
Hæc tua nunc teneat requies cariſsime membra,
Cum ſanctis anima at gaudeat alma poli.
Vltima quippe tuas donec tuba clamet in aures
Principe cum Petro ſurge videre Deum.
Auditurus eris vocem ſcio iudicis almam,
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tunc memor eſto tui gnati pater optime poſco,
Cum patre dic gnatus pergat & iſte meus.

O pete regna pater felix cœleſtia Chriſti,
Inde tuo precibus auxiliare gregi.
Dum ſol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab axe,
Laus tua Sancte pater ſemper in orbe manet.

Sedit beatæ memoriæ Hadrianus Papa, annos XXIII. Menſ. X. Dies XVII. Obijt VII. Calend. Ianuar.

SIXTI IIII. PONTIF.

AEneum eſt, in medio imago Pontificis dormienti ſimilis, à dextera Fides, Spes, Caritas: à ſiniſtra, Fortitudo, Temperantia, Iuſtitia.

A CAPITE.

THEOLOGIA. In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſsi. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.

PHILOSOPHIA. Intelligere quidem & ſcire contingit circa omnes ſcientias, quarum ſunt principia & cauſſæ aut elementa.

Omnes homines natura ſcire deſiderant.

A PEDIBVS.

GRAMMATICA. Diuerſorum idiomatum homines doceo, vt vno duntaxat idiomate omnes loquantur.

RHETHORICA. Aperta & ampla oratione ex qualibet diſciplina pro tempore aſſumo, aptè dico, perſuadeo & diſſuadeo.

A LATERE DEXTRO.

DIALECTICA. Ars artium, & ſcientia ſcientiarum ego ſum, in omnibus doctrinis principia pono, quia ratiocinandi doceo modum, ideoque verum & falſum vnicuiq; eligo.

ASTRONOMIA. Qui ad rem aliquam aptus eſt, habebit omnino ſtellam eius rei ſignificatricem in natiuitate ſua potentem.

Animus qui ad intelligentiam rerum aptus eſt, magis aſſequitur veritatem, quàm qui ad ſummum ſe in ſcientia exercuit.

Amor & odium accipiuntur ex conuenientia tùm luminarium tùm etiam aſcendentiæ vtriusq; natiuitatis: ſigna verò quæ obœdientia dicuntur, intendunt amicitiam.

Animus ſapiens cœleſti poteſtati cooperatur, ſicut optimus quoq; agricola in vndando arandoq; naturæ ipſius agri cooperatur.

ARITHMETICA. Numerorum ſeriem in infinitum procedere. Numerus eſt multitudo ex vnitate compoſita.

A LATERE SINISTRO.

PROSPECTIVA. Sine luce nihil videtur. Viſio fit per lineas radioſas rectè ſuper oculum innitentes. Radius lucis in rectum ſemper porrigitur, niſi curuetur diuerſitate medij incidentiæ & reflectionis. Anguli ſunt æquales.

MVSI-

MVSICA. Varia Muſicorum Inſtrumentorum genera exſculpta habebat.

GEOMETRIA. Dato angulo, dato circulo æquum angulum capientem portionem abſcindere. A dato puncto ad datum circulum lineam contingentẽ deſcendere. Corporum Iſoperimetrorum capaciſsimum eſt ſphæricum. Corpus eſt quod habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Opus Ant. Palilolí arg. aur. pict. ære clari Anno Domini M. CCCC. xcii.

SIXTO IIII. Pontif. Max. ex ordine minorum, doctrina & magnitudine animi omnis memoriæ principi, Turcis Italia ſubmotis, autoritate ſedis aucta, vrbe inſtaurata, templis, ponte, foro, vijs, Bibliotheca in Vaticano publicata, Iubilæo celebrato, Liguria ſeruitute liberata, cum modicè ac plano ſolo condi ſe mandauiſſet, Iulianus Cardinalis patruo benemer. maiore pietate, quàm impenſa fieri curauit Obijt Idib. Sextilis hora ab occaſu quinta Anno Christi M. CCCC. Lxxxiiii. Vixit annos Lxx. dies xxii. horas xii.

PII. II. PONTIF. MAX.

Pius II. Pont. Max. natione Tuſcus, patria Senenſ. gente Picolominæa, ſedit annos VI. Breuis Pontificatus ingens fuit gloria. Conuentum Chriſtianorum Mantuæ pro fide habuit, oppugnatoribus Rom. ſedis intra atq; extra Italiam reſtitit, Catharinam Senenſem inter Sanctas Chriſti retulit, pragmaticam in Gallia abrogauit. Ferdinandum Arragonenſem in regnum Siciliæ cis fretum reſtituit, rem Eccleſiæ auxit, cultor iuſtitiæ & religionis, admirabilis eloquio, vadens in bellum quod Turcis indixerat, Anconæ deceſſit, ibi & claſſem paratam & ducem Venetorum cum ſuo Senatu commilitones Chriſti habuit, relatus in vrbem eſt patrum decreto, & hic conditus, vbi caput Andreæ Apoſtoli ad ſe ex Peloponeſo aduectum collocari iuſſerat. Vix annos Lix. Menſ. ix. Dies xxviii. Franciſc. Cardinal. Senenſ. auunculo S^{mo}. fecit. Anno Domini M. CCCC. Lxiiii.

PII III. PONT. MAX.

Pius III. Pontif. Max. à Pio II. auunculo vigeſimum & ſecundum annum natus in Card. Collegium adſcitus, Vrbis ac Piceni Legationibus integerrimè functus, à Paulo II. ad Fridericum III. miſſus, vt Germanorum arma in Turcas concitaret, conuentum frequentiſſimum Pontificis morte diſſolutum habuit. Sub Innocentio VIII. Vmbros diſſidentes pacauit. Carolo Gallorum Regi Italiam irrumpenti, ab Alexand. VI. ſerò admodum obuiam miſſus, eo mortuo II. & XL. patrum ſuffragijs Pontif. creatus, dum de reſtituenda in priſtinam maieſtatem Chriſtiana Repub. ac vrbe agit VI. & XX. die è tanta expectatione rerum omnium luctu deceſſit, eloquio, prudentia, religione, innocentia & grauitate domi foriſque inſignis, in dicendis in Senatu ſentẽtijs liber & grauiſ. Vixit annos Lxiiii. Menſ. v. Dies x. Obijt anno ſalutis M.D. iii. xv. Calend. Nouemb. Iacob & Andræas fratres ſanctiſſ. P.P.

IVLII III. PONT. MAX.

Humile eſt, cum nulla Inſcriptione, niſi quam Paſquill. addiderat. *Hic iacet impius inter Pios.* Eſt enim inter Pium III. & II. depoſitus. In S. Petro Montorio eſt eius monumentum inſigne, armoreum, ſupra relatum.

PAVLI III. PONTIF. MAX.

In noua Baſilica eſt æneum cum inſcriptione.

Diſcite mortales fluxa vt ſit gloria mundi,
Vt terrena breui tempore regna ruant.
Qui Petri nuper ſacrata in ſede ſedebam,
Dum tegeret noſtrum ſacra Tiara caput.

Qui

Qui potui dudum populis dare iura ſubactis,
Ante meos Reges procubuere pedes.
Maximus & Cæſar pedibus dedit oſcula noſtris,
Numen vt in terris iam veneratus eram.
Tertius hic gelido condor ſub marmore Paulus,
Continet hæc cineres nunc breuis vrna meos.
Pontificem geſſi ſummum ter quinq; per annos,
Tempeſtiua ſenem me Libitina rapit.
Funera non lacrymis mea ſunt ſpargenda, peregi
Naturæ curſum, mors noua vita fuit.

LEONIS X. PONT. MAX.

Leonis x. Pont. Max. depoſitum.

GREGORII V. PONT. MAX.

Quem tegit hæc tellus oculis vultuq; decorum,
Papa fuit Quintus nomine Gregorius.
Ante tamen Benno Francorum regia proles,
Filius Otthonis de genetrice Iudith.
Lingua Teutonicus Vangia doctus in vrbe,
Sed iuuenis Cathedram ſedit Apoſtolicam.
At binos annos & menſes circiter octo,
Ter ſenos Februo connumerante dies.
Pauperibus diues per ſingula Sabbatha veſtes
Diuiſit numero cautus Apoſtolico.
Vſus Franciſco vulgari, & voce Latina,
Inſtituit populos eloquio triplici.
Tertius Ottho ſibi Petri commiſit ouile,
Cognatis manibus vnctus in Imperium.
Exuit & poſtquam terrenæ vincula carnis,
AEquiuori dextro ſubſtituit lateri.

Deceſſit XII. Calend. Martij.

GREGORII IIII. PONT. MAX.

Gregorius quartus iacet hic Bonifacius almus,
Huius qui ſedis fuit æquus rector & ædis,
Tempore qui Phocæ cernens templum fore Romæ,
Delubra cunctorum fuerunt quæ Dæmoniorum
Hoc expurgauit, ſanctis cunctisq; dicauit.
Eius natalis ſolemnia qui celebratis,
Primis Septembris fert hæc lux quarta Calendis.
Octauus titulo hoc Bonifacius oſſa reperta,
Hæc locat erecta Bonifacij nominis ara.

CLEMENTIS VII. PONTIF.

Clementis VII. Pontif. Max. cuius inuicta virtus ſola clementia ſuperata eſt.

ARDICINI DELLA PORTA.

Hic Della Porta iacet Adricinus vtroq;
Iure tenens primum doctor in vrbe locum.
Primus & orabat per Conſiſtoria cauſſas,
Iuſtitiam ſumma relligione colens.
Poſt ad Cardineum merito exaltatus honorem,
Inter Apoſtolicos ſedit & ipſe patres.
Talem Roma tibi Lombarda Nouaria miſit,
Inſignem generis nobilitate virum.

Obijt

Obijt Anno M. D. xxxIIII, April. IX.

Æqua induſtria fides & pudor

LAVRENTII FLORENTINI.
Sculptoris.

Roma mihi tumulum tribuit, Florentia vitam,
Nemo alio vellet naſci & obire loco.

VRSINO.

Adol. lingua vtraq; docto, ſpe magna, nobilitate & indole grato, cui ob hæc Innocent. VIII. Pontif. Max. Ioannes Lanfredicius Florentinorum Legatus P. F.

Quando ita ſors voluit, de te ſperata rependo
Gaudia nate breui (me miſerum) tumulo.

CAROLAE CYPRI REGINAE.

Carola Hieruſalem Cypri & Armeniæ Regina.

BONIFACIVS IX NEAPOLIT.

Flete ſuper pugilem claues, crux alma, tiara,
Eccleſia es viduata viro, ſimul inclyta Roma.
En Petra parua patrem ſub cælica ſydera primum
Claudit, Apoſtolica ſolium qui rexit habena
Catholicamq; fidem, ſeruans à turbine ſanctum
Remigium Chriſti, victis virtute Tyrannis,
Orthodoxus erat ſuper omnes, arca ſuperni
Conſilij ſua iura tuens, & grandia tractans,
Cæſaris ex animo fidei clypeatus honore,
Corpore conſpicuus, roſeus flos, flamine conſtans,
Auditorq; placens, miſeris miſerator opimus.
Oſſa iacent, mens alta polum felicibus alis
Aſcendens, micat ante Deum noua lucis origo
Glorius Antiſtes: quiſnam Bonifacius alter
Nonus vt iſte fuit? quæ Chronica ſcripſerit vnquàm
Quoduè genus parilem dedit æuo? nomen & omnes
De Tomacellis fulget, fulgebit in annos.
Parthenope luſtrans tulit hunc genus omne Latinum,
Quidquid alit tellus & quod tegit omnia cœlum.

Obijt M. CCCC. IIII. Die I. Octobr. Pontif. Anno XV.

INNOCENTIO VII. PONT. MAX.

Cum neglecti eius ſepulcri memoria penè interiiſſet, Nicolaus V. Pontif. inſtaurandum hic curauit.

EVGENII IIII,

Eugenius iacet hic Quartus, cor nobile cuius
Teſtantur vitæ ſplendida facta ſuæ.
Iſtius ante ſacros ſe præbuit alter ab ortu
Alter ab occaſu Cæſar vterq; pedes.
Alter vt accipiat fidei documenta Latinæ,
Alter vt aurato cingat honore caput.
Quo duce & Armeni Graiorum exempla ſecuti,
Romanam agnôrunt AEthiopesq; fidem.
Inde Syri ac Arabes mundi ſe finibus inde,
Magna ſed hæc animo cuncta minora ſuo.

Nam valida rurſum Turcas iam claſſe petebat,
Dum petit aſt illum ſuſtulit atra dies.
Qui ſemper vanos tumuli contempſit honores
Atq; hac impreſſa condite, dixit, humo.
Sed non quem rubro decorauerat ille galero,
Non hoc Franciſci ſtirps ſua clara tulit.
Suſceptiq; memor meriti tam nobile quod nunc
Cernis tam præſtans ſurgere iuſſit opus.

BENARDI HERVLI EPISCOPI NARNIENS. S.R.E. CARDINALIS.

S. PETRVS. { AD VINEAM. AD VINCVLA.

Habet altare pulcerrimum & valuas æneas, cui paſſio Petri efficta: Catenam in qua S. Petrus ſeruatus. Palma arbor pulcerrima in medio Cœnobij. In hortis vero reliquiæ Thermarum Titi & Ameæ. Domus Neronis. Auxit hoc monaſterium & ornauit mirificè tẽplũ R^mus^. Ill^mus^. Cardinalis Albertus Marchio Brandenborgen. Archiepiſcopus Moguntinus & Magdeburgenſ. Primas Germaniæ, Adminiſtrator Halberſtadenſis.

IN MVRO.

SANCTO SEBASTIANO MARTYRI DEPVLſori peſtilitatis.

Anno ſalutis DC. LXXII. vrbem Romam pernitioſa & grauis peſtis inuaſit, trimeſtre malum fuit, Iulio, Auguſto & Septembre, tanta acceſsit multitudo pereuntium, vt eodem feretro parentes cum liberis, viri cum vxoribus, fratres cum fratribus & ſororibus efferrentur, loca vndiq; repleta cadaueribus vix ſuppetebant. Ad hæc nocturna miracula terruerunt; Nam duo Angeli, bonus alter, contra alter malus vrbem peregrabant, & hic ferul. manu ferens, quot pulſibus oſtia tetigiſſet, totidem in illis domibus cadebant mortales, tamdiu lues vagata, donec cuidam viro ſancto nunciatum fuerat, finem calamitatis fore, ſi in æde S. Petri ad Vincula altare Sebaſtiano martyri conſecraretur: Re perfecta ilicò peſtis velut manu pulſa ceſſare viſa eſt.

IBIDEM ET ITALICE.

L'anno del S. DC. LXXII. per tre meſi continoi fù peſte in Roma graue di ſorte che li morti nô capeuano per le chieſe ſi vedeuano ire miraculoſa mente dui Spiriti, bnono vno, & l'altero cattiuo, il quale per commandamento del bono battendo le porte con un acte cauſana la more à tanti quante percoſſe dauo Coſi ſi riuelo ad vn Santo homo, che ceſſaria la peſte, ſe nella chieſa di San Pietro in Vincula ſi dedicaſſe vn altare ad honore di Sancto Sebaſtiano. V che inteſo da Papa Agathone l'eſſe qui ponendoui

ſupra

ſupra l' imagine de Santo Sebaſtiano in Muſaico come ſi vede al Siniſtro lato di detto Altare, ch' à mano manca della porta d. S. Pietro in vincula, & la peſte di ſubito ceſſò.

CARDINALIS DE CVSA.

Nicolaus de Cuſa Treuc. S. Petri ad Vincula Cardinalis Brixien. Epiſcopus Tudertinus Obijt M. CCCC. Lxiiii. xi. Auguſti ob deuotionem catenarum S. Petri hic ſepeliri voluit.

Dilexit Dominum, timuit & veneratus eſt, ac illi ſoli ſeruiuit, promiſſio retributionis non fefellit eum. Vix. ann. Lxiii.

SIMONI VVELEN.

Decretorum D. PP. Eccleſiæ Manaſterie. Meinferd. Domini N. Subdiacono, ac bon. me. Domini Nicolai de Cuſa tituli huius Baſilicæ S. Petri ad Vincula presbyt. Card. Nepot. ex teſt. Vix. ann. xLiii. depos. Id. Octobr. Anno ſalutis M. CCCC. Lxviii.

M. ANTONIO DE ZAMIIS.

Bononienſi qui ob eximias animi dotes reiq; maritimæ peritiam à Gregorio XIII. Pontif. Max. in vicem præfecti creatus, quo ad vixit claſſem maritimam ſtrenuè & fideliter gubernauit. Barthol. & Ioan. Paulus fratres Io. Alex. & Angelus filij M. P. Vix. ann. Lviii. Obijt Id. Febr. Anno M. D. Lxxxi.

PORTENSI.

Infanti dulciſſimo, ac per hoc alumno cariſſimo qui propter immaturam mortē altum fructum meritorum ſuorum reportare non potuit.

EVSTACHIVS IVVENALS VRSINVS.

Pariſienſ. nobilis è vetuſta gente ortus Remen. Eccleſiæ Vice Dominus, Ludouici Chriſtiani Francorum Regis Conſiliarius, hic iacet. Obijt Anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. Lxxxiii. xi. Ianuarij.

EPISCOPI ALERIENSIS.

Io. Anton. Epiſcopo Alerienſi genere de Buxis patria Vigleuonen. Sixti IIII. Pōtif. Max. Referend. Bibliothecar. Secretarioq; Venerando, Senatui ac toti Eccleſiæ caro, qui fuit pietate, fide, literis inſignis, de patria, parentibus, amicis ac omnibus benemeritus, Io: fratri Germano pientiſſimo Vix. annos Lvii. Menſ. vi. Dies xii. Obijt Anno ſalutis & Iubilæi M. CCCC. Lxxv. prid. Non. Febr.

IACOBO BVXIO.

Volgenſ. eruditiſs. ſtudijs eminentiſs. Sixti IIII. Pontif. Max. famil. Io. Ant. Epiſcopi nuper Alerien. frater qui vix. annis xLv. Menſ. i. Dies x. Gerardus Buxio fratri cariſſimo poſuit. Obijt Anno Domini M. CCCC. Lxxi. Die vi. Auguſti.

CARDINALIS SIXTI.

Sixtus Iulij ſecundi Nepos, Sixti IIII. Pontif. Max. pronepos S. Petri ad Vincula è familia Roborea, quart. presbyt. Cardinal. S. R. E. ViceCancellarius Sepul. in templo à familia ſua dato inſtaurat. ornato viuens ſibi elegit. Obijt viii. Mart. M. D. xvii. annum agens xLiiii.

IVLII II. Pont. Max. marmoreum & ſplendidiſſimum ſine inſcriptione.

IACOBI SADOLETI CARDINALIS.

D. O. M.

Iacobo Sadoleto Epiſcopo Carpentoractis S. R. E. presbytero Cardinali, viro morum grauitate, prudentia, & vitæ integritate præſtantiſſimo, doctrina & eloquentia, cum ijs, quos mirata eſt antiquitas, comparando. Paulus Sadoletus Epiſcopus Carpentoractis, & Camillus Sadoletus fratrum filij mœſtiſſimi multis cum lacrymis patruo B. M. pro tempore poſuerunt.

IN MVRO.

L. Lempio. L. Tampin. LL. Papæ primæ.

IBIDEM.

Martio L.L. Theodoro & fratri eius & Martiæ I. L. Philomniæ vxori ex teſtam: ccLↄↄ. ccLↄı. *arbitratus.*

Mariæ LL. Philominæ vxori reliq. pecuniam de ſuo adiecit. Haue tibi Vale.

ITEM.

Claudius Hermogenianus Olymbrius V.C. Præfectus vrbis curauit.

ITEM.

Io. Lotto Senen. qui, cum eius animi magnitudinem vrbs vna non caperet, literarum orbem longè lateq; peragratus, totum hunc vniuerſum ambitum pro patria ſibi conſtituit. amici viro laborioſiſſimo atq; amantiſſimo M. P. Vix. ann. Lxxvii. Menſ. iiii. Dies xxvi. Obijt M. D. Lxiii.

ANTONIVS PALLARIVS.

Patria Florentinus, pictor inſignis, qui duorum Pontificum Sixti & Innocentij ænea monumenta miro artificio expreſſit, re familiari compoſita, ex teſtamento hic ſe cum Petro fratre condi voluit. Vix. ann. Lxxii. Obijt Anno M. IID.

NICOLAI PICTORIS.

Qui iacet ante tuas Nicolaus Petre catenas,
Hoc opus erexit cætera marmor habet. M. CCCC. Lxv.

S. PEREGRINVS poſt portam pertuſam.

S. PETRONELLA in Vaticano, olim Apollinis Vaticani.

S. PHILIPPVS ET IACOBVS.

S. PRAXEDIS in Eſquilino, à Paſcali I. extructum, in qua columna ad quam Chriſtus cæſus, & circa altare VI. columnæ prophyreticæ, & duæ aliæ pulcerrimæ nigricantes cum albis maculis.

ALEXANDRO BRAXIO.

Ciui Florentino, Senatusq; Florentini Secretario, Græcè & Latinè maximè erudito, qui cum pluribus pro ſua Repub. legationib. egregiè functus eſſet, demum apud Alexand. VI. Pontif. Max. idem munus pariter & diem obijt. Angel. Florentiola ædis huius Abbas auo materno, & Lucretia mater parenti bene mer. p.

S. PRISCA in Auentino, olim Herculis.

S. PRVDENTIANA in Viminâli. Huic templo omnia ornamenta detracta. Etiamſi in eo Diuus Petrus primum ſuum ſacrum peregerit: In eo tamen lapis & cornu altaris cruentæ hoſtiæ ſpecie, ad memoriam Sacerdotis de Tranſſubſtantiacione dubitantis, & hoc miraculo confirmati.

SS. QVADRAGINTA MARTYRES in regione Pineæ.

SS. QVATVOR CORONATI in Cælio.

SS. QVIRICVS ET IVLICTA in Suburra.

S. ROCHVS in valle Martia.

S. ROSA in circo Flaminio.

S. RVFINA trans Tyberim.

S. SABINA in Auentino, olim Dianæ Auentinæ, & prima Pontificum Rom. ſedes. In medio templo lapis ingens rotundus ſuſpenſus, quo S. Dominicus fruſtrà à Diabolo petitus fuit. Ante portam vrna lapidea tantæ magnitudinis, quantæ aliàs nullibi reperitur.

SVPRA PORTAM IN MVSAICO OPERE, aureis literis:

Culmen Apoſtolicum cum Celeſtinus haberet,
Primus & in toto fulgeret Epiſcopus orbe,
Hæc quæ miraris fundauit presbyter Vrbis
Illyrica de gente Petrus, vir nomine tanto
Dignus, ab exortu Chriſti nutritus in aula
Pauperibus locuples, ſibi pauper, qui bona vitæ
Præſentis fugiens meruit ſperare futuram.

IBIDEM.

Alexandri Pont. Euentij & Theodoli martyrum corpora, cum Sabina Seraphaq; Eugenius ſecundus, qui ſalutis anno DCCC. XXII. ſedit hic, piè collocauit, omnes Hadriani temporibus martyrio coronati Anno Chriſti CXXXIII.

SVB CANCELLO AD SEPVLCRVM.

Summa Papatus Eugenius arce locatus,
Corpus Alexandri præſulis egregij.
Nec non Theodoli ſimul & te martyr Euenti,
Iuxta Sabinam Seraphiamq; piam
AEde ſub hac poſuit, quas Petrus presbyter edit
Sub Celeſtino præſule Roma tuo.
Illis & cunctis ſacro baptiſmate lotis.
Vos ſancti Dominum prece rogate pium.

IN FORNICE SVPERIORIS SACELLI.

Ottho Truchſes de VValtburg S. R. E. presbyt. Cardinalis Auguſtanus bapſidem vetuſtate collapſum reſtituit & exornauit M. D. LX.

HVBERTI LOCATI EPISCOPI PLACENTINI.

Quem humilioris fortunæ parentes genuêre, aluit edocuitq; diu paupertas, Pij V. Pontif. Max. munificentia euexit, dum in vrbe generalem S. officij Com. ageret, deſideratiſſima morte ſolutus hic humari voluit.

CAESARI DELPHINO.

Parmenſi, Medico Philoſopho, in omni ſcientia peritiſſimo, Ferdinand. Imp. & poſtmodum Pij V. Pontif. Max. familiari, annum agenti LXXII. Iaſon & Tiberius filij etiam Medici patri benemerenti Romæ defuncto faciundum curauere IX. Calend. Auguſt. M. D. LXVI.

SIMONI PASQVA.

Patricio Genuenſi S. R. E. presbyt. Cardinal. tit. S. Sabinæ, Theologo & Philoſopho clariſſimo, religione, doctrina, ac maximarum rerum vſu præſtanti à Pio IIII. Pontif. Max. in Card. Collegium cooptato, annum agens LXXII. Menſ. X. Di. VII. prid. Non. Septemb. M. D. LXV. magno apud omnes bonos ſui relicto deſiderio, ad

meliorem vitam commigrauit, Genuam poſt annum cum maioribus ſuis ſepeliendus translatus, Stephanus frater fratri gemino faciundum curauit.

BARTHOL. ODESCALCO.

Petri Mariæ filio Nouocom. fide integerrima mercat. qui ex Germania Romam religionis ergo profectus, vt ibi reſiduum vitæ ſanctè perageret, tandem cum Chriſto nobis relinq. exempl. mœſtitia magna propinq. annum agens xL. Calend. April. M.D. Lxvi. è vita migrauit, Cæſar Odeſcalcus fratri optim. cur.

AVSIAE VALENTINO.

Patria Secubenſi, Card. Montis Regalis nobili Podiorum familia orto, vitæ ſanctimonia, ſacrarum literarum cognitione, & omni virtutum genere exornato, qui varijs Hiſpanorum Regum legationibus functus, vrbem prudenter gubernauit. Deinde à Sixto IV. Pontif. Max. in ſacrum collegium aſſcriptus, Tuſco feruente bello in Germaniam Legatus Apoſtolicæ ſedis profectus eſt, Cæſarem alloquio demulſit, nationem in Turcas animauit, rediens Diuæ Sabinæ tituli ſui ædem Sacerdotibus & ædificio auxit. Compoſitis poſtremò rebus familiaribus mortalitatem exuit, Anno ætatis Lx. ſalutis Chriſtianæ M.CCCC. Lxxxiii. vii. Id. Septemb.

Par vitæ religioſius exitus pecuniam egenis alimentum, amici teſtamentarij integra fide diſtribui curauer.

Vt moriens viueret, vixit vt moriturus.

BEONVLETI DECANI.

Verduenſis Guilielmi Cardinalis Metenſis Nepotis M.CCCC. Lxviii.
Vgonis Guilielmi Cardinalis Verdunenſis.
Petri Bertani Cardinalis Mutinenſ. ordinis prædicatorum.
Pernæ vxoris Lucæ de Sabellis M. CC. poſ.
Dn. Petri Leonis de Perleonib. nobilis Rom. Obijt M. CCC. Lxxv.

S. SABAS in Auentino. In hoc templo ingens ſepulcrum, quod Titi Veſpaſiani fuiſſe ferunt.

S. SABINVS in Quirinali.

S. SALVATOR.
- TRANS TYBRIM ad pontem.
- IN AERARIO.
- DE CABARIIS in regione Pineæ.
- DE CVPELLIS in regione Columnæ.
- IN CAMPO in regione Harenulæ.
- DE CVRTIBVS trans Tyberim.
- IN IVLIA in regione Harenulæ.
- DE LATERANO in Cœlio.
- DE LAVRO prope montem Iordanum.

ANDREAE ARCIANO.

Patricio Spoletino, filj meritò mœſtiſſimi poſ. Vix. ann. Lxii. Menſ. iii. Dies xi. Obijt die i. Ianuar. M.D. Lxxii.

Qui tuba cecinit voce terribili: Surgite mortui, venite ad iudicium.

D. O. M.

Magdalena Vrſina pudicitiæ exemplum.

FLAMINIO PONTANO.

Canonico Lateranenſi, adoleſcenti ornatiſſimo, ſumma morum grauitate, comitateq; inſigni in ipſo ætatis flore immatura morte erepto, Vix. ann. xxii. Menſ. iii. Di. xxv. Obijt xiii. Cal. Nouemb. M.D.Lxix. Ioan. Baptiſta Pontanus Aduocatus Rom. pater filio dulciſ. poſ.

Cadauer.

Prius ſperma fœtidum.
Vixi domus ſtercorum,
Paratus eſca vermium.

ANNI-

ANNIBALI PALAEOTTO.

Senatori, & Camillo fratribus Bonon. Vincentij I.C. filijs nobilitate, doctrina & moribus illuſtrib. Obiere anno M. D. XVI. Heredes in ſalutis ſuffragium duas miſſas ſingulis hebdomadis in hac Eccleſia perpetuò celebrandas, dote conſtituta, curarunt.

RANALIVS VRSINVS.

Archiepiſcopus Florentinus parenti B. M. pientiſs. poſ.

ALEXANDRO DETI.

Nobili Florent. F. Bartholina vxor dulciſs. & filij non ſine lacrymis poſuêre. Anno Domini M. D. XLIIII. Vix. ann. XLVII. Menſ. IV. Dies XVII.

IOAN. BAPTIST. AMALTHAEO.

Opitergino, Equiti militiæ Ieſu Chriſti, â Secretis Cardinalium Tridentini Concilij interpretum, eloquentia & omni genere liberalis doctrinæ excellenti, expectatæq; animi integritatis & Chriſtianæ religionis viro, Attilius Amalthæus fratris filius & ex teſtamento heres P. Vixit ann. XLV. Obijt Id. Febr. M. D. LXXV.

FRANCISC. DE SPRATIS.

Ex Aureola citerioris Hiſpaniæ, tituli SS. Sergij & Bacchi presbytero Cardinali Legionenſ. nobili genere, integritate vitæ, doctrina ſingulari, & rerum gerendarum prudentia Alex. VI. Pont. Max. & Ferdinando Eliſabethq; Catholicis Hiſpaniarum Regib. gratiſſimo, de Repub. Chriſtiana optimè merito, qui obijt IIII. Idus Septem. M. D. IIII. Vix. ann. L. F. Coſentinenſ. & I. Salernitan. S.R.E. Card. ex teſt. poſuerũt.

ALEXAND. SPANIOLVS.

Vnus ex fratribus qui licet auita origine Cordubenſ. Mantuæ tamen clariſſimis parentib. ort. omnes omnium ſcientiarum doctrina & moribus inſignes, à Pontificibus, Imperatoribus, Regibus & Ducibus dignitatibus ac priuilegijs decorati fuêre, hic autem Iur. Doct. archipresb. in patria, poſt multaq; temporali & Spirituali Iuſtitia & in Romana curia integerr. adminiſtrata officia, vices Epiſcoporum & principum ſæcularium gerens, ſtudio bonarum artium & legum continuè vacans, audientia humaniſs. conſilio fidelis, iudicio integer & conſtans animi, tandem à Leone X. adſcitus Referendarius creatur & Protonotar. ad annum Iubilæi & pœnitentiarijs præſidens commiſs. Apoſtolicus deputatur. Demûm abſque vlla ambitione & auaritia à Deo velut Aaron voce Epiſcopus Tricaricenſ. per Clem. VII. Conſecrat. Chriſtianiſſimè vita functus animam Deo reddidit, & corpus in hoc ſepulcro deponi mandauit.

BERNARDO SAL.

Cæſar Auguſtano III. Max. Pontif. ac Catholici Regis Capellano & Cantori, qui perpetuam Miſſam ad altare Crucifixi per huius Cœnobij Canonicos quotidie dicẽdam inſtituit dotauitq; Vix. ann. LXV. Obijt prid. Id. Ianuar. M. D. LII.

FAVSTINAE SARDAE.

Neapolitan. mulieri caſtiſſimæ, probitate, in Deum religione, atq; in omnes pietate. Io. Anton. Ionus bene mer. poſ. Vix. ann. LX. M. D. L.

ALOYSII GVERRERII.

Hoc fac & viues. Probata fama eſt maximus heres.

Anno ſalut. M. D. XX. Aloyſio Guerrerio de Campania honorificæ vitæ probitate.

ALVAROTTO.

Ex Aluarottorum familia Patauini nobiliſs. humani diuinique Iuris Conſultiſſimo, & dictandis literis Apoſtolicis Abbreuiatori, maioris præſidentiæ, viro ornatiſſimo Patauino, ac Romano Apoſtolorum principis Canonico digniſſimo, mœſtiſs.

fratres Iacob. & Franciſc. poſ. Vix. ann. xLvII. Menſ. x. Obijt Anno M. D. xvIII. v. Calend. Octobr.

S. SALVATOR.
- IN MAXIMIS, olim Iouis, Mineruæ & Iunonis quod m. Puluillus dicauit.
- IN MILITIIS.
- DE PAEDEMONTIS.
- IN PIETATE, olim Pietatis.
- DE PORTICV ſub rupe Tarpeij.
- IN STATERA, olim Saturni in Capitolio.
- IN THERMIS prope Agonem.
- IN REGVLA.

CERRINORVM FRATRVM.

Moribus ingenioq; pares conduntur eodem,
Cerrinus fratres & Gabriel, tumulo.
Illum cum raperet mors immatura priorem,
Mox alter lacrymis atq; dolore perit.
Vna domus fuerat viuis, eſtq; vna ſepultis:
Hic cineres habitant, Spiritus aſtra colit.

ALIVD.

Cerrinum genus & matris nos clara propago
Iunxit amor, virtus, & patria, & tumulus.

ANNAE DE SPINA.

Humani diuiniq; Iuris ſupra fœminam vireſq; ætatis conſultiſſimæ, quæ tertia huius memoriæ Corynna. Vix. ann. xv. pientiſſimus Hugo pater ad iucundiſſimam filiam nocteſq; ſuſpirans commune hoc monumentum, quod generoſi her. ſeq. bene mer. poſ. Anno ſalutis M. D.

ROBERTI VRSINI.

Robertus iacet hic Vrſinæ gloria gentis,
Roboris inuicti, militiæq; decus.
Da lacrymas legis hæc quicunq; viriliter illi,
Non licuit tanto quod cecidiſſe viro.
Nam non pugnando iugulauit Martius ardor
Heroëm, in medijs millibus atq; acie.
Degeneri fraude ſed circumuentus ab hoſte
Prô facinus, media foſſus in vrbe perit.
Cui tumulum hanc vxor poſuit mæſtiſſima, ſaltem
Leniat vt caſus hac pietate ſuos.

F. D. V. C. M. CCCC. xx.

S. SALVATOR trium Imaginum in Suburra.

IN PORTA.

Alexander VI. Pontif. Max. ædiculam Saluatoris trium Imaginum Suburrani ambitus reg. Montenſium ne memoria interiret, Stephanus Coppus Geminianenſis S. impenſa in cultiorem formam redegit, æditquoq; annuos ſumptus perpetuò confirmauit.

S. SATVRNINVS in Quirinali.
SEPVLCRVM SANCTVM.
SPIRITVS SANCTVS trans Tyberim.

IASIO MARTINETTO.

Corporis animiq; dotibus præclaro, qui dum amicorum obſequijs nimis amanter indulget, in Tyberi ſubmerſus, ſpem ſuorum ac iuuentutis annos infeliciter minuit. Sarra mater miſerrima vnico filio deſtituta poſ. Vix. ann. XXIIII. Obijt M. D. XXXIX.

IOANNI DOMINICO ZOILO.

Rom. viro frugi ac religioſo, ob rerum forenſium domeſticarumq; peritiam ad omnes Oeconomiæ laudes nato, qui cum huius domus familiæq; per multos annos magiſter Cornetum vrbem ad conficiendum muneris ſui negotium profectus eſſet, morbo correptus ibi moritur, hoſpitali herede inſtituto, anno ætatis ſuæ XLV. ſalutis humanæ M. D. LXXVI. Annibal Zoilus fratris oſſa Romam transferri, & hic condi curauit.

IVLIO CAESARI GONZAGAE.

Nouellariæ Comiti, Patriarchæ Alexand. & Cameræ Apoſtolicæ Decano, Franciſc. Camillus & Alphonſus ex fratre nepotes poſ. Vix. ann. XLVIII. Obijt M. D. L.

CARDINAL. REOMANI.

Iheſu Chriſto Spei vitæ futuræ.

Ioannes Suauis Romanus Gall. tituli S. Priſcæ presbyt. Cardinalis, ob animi candorem, & eximiam iuriſprudentiam, XII. Viratui litibus iudicandis adſcitus, ac propter humanitatem & innocentiam Pauli IIII. Pontif. Max. beneficentia patrum Senatui meritò cooptatus, LXIII. agens annum, ſanctiſſimè vt vixerat, ita chriſtianiſſimè deceſſit Die XXIX. April. Anno M. D. LXVI.

ALEX. GVIDICCIONVS.

Præſul Xenodochij huius, vir in omni vita clarus, legationibus ad Reges, ac curiæ muneribus aliquot honorificè functus, communis ſortis & humanæ inconſtantiæ memor ſepulcrum in ſacello hoc, dote per ipſum aucta, ſibi viuens poſuit M. D. LI.

ANTON. FODERATO.

Sauonenſ. patricio, militi S. Iacobi de Spacha, viro affabili & mirè omnibus grato, Sixti IIII. Iulij II. Pontiff. propinquo, laudem omnem merito, Alexand. Guidiccionus Epiſcopus adiacent: S. Spiritus in Saxia commend. amico incomparabili Vix. ann. L. Obijt die XI. Nouemb. M. D. XLVIII.

IN ORGANO.

Pauli III. Pontif. Max. principatu Alexand. Guidiccionus præſul Xenodochij atq; Orphanotrophij huius commendator, Muſicum organum diuinis hymnis extruxit M. D. LVII.

S. SEBASTIANVS { IN REGIONE EVSTACHII. / IN CAELIO. / ET FABIANVS in via Appia. }

SS. SERGIVS ET BACCHVS ſub Capitolio olim Concordiæ.

S. SIMEON in regione Pontis.

S. SIXTVS ad infirmam piſcinam, in via Appia, olim Honoris & Virtutis.

SVB QVODAM ALTARI.

Collatinus Tarquinius dulciſſimæ meæ coniugi & incomparabili Lucretiæ, pudicitiæ, decori, & mulierum gloriæ, quæ vixit ann XXIII. Menſ. V. Dies VI. poſuit.

Dolor quantus fuit cariſsimæ.

S. STANISLAVS iuxta pontem AElium.

S. STEPHANVS { VNGARORVM templum. / IN AEGYPTO in Vaticano. }

T. EZFA-

T. EZFAZIOR MABBAZO.

Eremita AEthiops, cognomento Petrus, vltra Capricorni circulum nobiliſſimo parente natus, multarum linguarum gnarus, in ſacris literis eruditus, Europæis omnis ordinis gratus, inauditæ in cuiuſq; nationis homines caritatis hic ſitus eſt. Is Hieroſolymis in ſepulcro Chriſti aliquot annis manſit, Romam deinde venit vbi gratia, qua apud omnes valebat, locum hic commodum ſuæ nationi peregrinæ parauit. Teſtamentum nouum lingua AEthiopica nec non ordinem quo AEthiopes in Baptiſmo vtuntur, & miſſam AEthiopicam in latinum conuerſam multo labore atq; magna impenſa imprimi curauit, dum magno animo volueret vniuerſæ AEthiopiæ ſalutaria perfectura ſi vixiſſet, longo morbo confectus, Tybure quo ob morbum conceſſerat obijt XXVII. Auguſti. Anno ſalutis M. D. L. vitæ ſuæ XLII.

S. STEPHANVS { DE CACABO. / ROTVNDVS, in Cælio, olim Fauni.

IN MVRO ANTE CHORVM.

Altare chori propè Sacrarium ad Orientem iam olim priuilegiatum, pro animabus fidelium defunctorũ conſecratum eſt ad honorem Dei, & in memoriam Beatorum Martyrum Primi & Feliciani, quorum ſacra corpora in eo condita requieſcunt.

IBIDEM.

Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.

En virgo tibi purpureæ Rex ipſe cohortis,
Martyrij egregium donat habere decus.
Ille cor & corpus confoſſus vulnere multo,
Sanguinea lacerum de cruce pendet onus.
Tu ſeptemgemino tenerum cor ſaucia telo,
Ah nati genitrix concidis ante crucem.
Hinc te præcipuo Natus cumulauit honore,
Sis vt martyrij Mater, vt ille Pater.
Ah terebrata nouo toties quid vulnere pectus,
Pro totidem recipis vulnera muneribus.
An ſunt quina tui virgo veſtigia Nati,
Propria ſunt cordis vulnera bina tui?
Agnoſco: impreßit moriens veſtigia Chriſtus,
Hinc transfixit amor pectora, & inde dolor.
I, meritò heroum Virgo præcede triumphos,
Altera purpurei gloria ſumma chori.

AB ALTERA PARTE CHORI.

In muro.

Syncera animulæ, candidi puelluli,
Vix nata nato dant Deo corpuſcula,
Pugnantq; inermes, & relicta parmula
Vincunt cohortes, quas ferire neſciunt.
Iam pulcriores illis & gemmulis,
Iam clariores igneis ſcintillulis,
Beata mulcent voculis ſedilia.
Ferox Tyrannus, ferreiq; pectoris,
Qui parricidas intulit vobis manus,
Ferrumq; ſacris polluit ceruicibus.
Heu ſic auicula tollitur de nidulis,
Matriſq; rapitur ſic papillis hinnulus,
Recenſq; nati ſic leguntur floſculi.

IN

IN CHORO.

SS. Primus & Felicianus in cauea vrſis obijciuntur.
SS. Primus & Felicianus verberibus conciduntur.
SS. Primus & Felicianus Leonibus exponuntur.
SS. Primus & Felicianus ab Angelo vinculis liberantur.
S. Primo liquatum igne plumbum in os infunditur.
SS. Primus & Felicianus capite plectuntur.
S. Primus crudelem in modum viuus comburitur.
S. Felicianus ad ſtipitem clauis affigitur.
SS. Primus & Felicianus honorificè in arenaria ſepeliuntur.

IBIDEM.

Aſpice multiplici gaudentem turbine rerum
Virtutem, quantas ſuſtinet vna vices.
Conſpirant flammæ, crux ardua, verbera, ferrum,
Terribili geminos perdere cæde viros.
Inconcuſſa tamen frangit patientia quidquid
Mens hominum inuentrix promit iniqua mali.
Rara quidem è raro certamine gloria vinci
Hæc feriendo poteſt, illa ferendo nequit.

ITEM.

Stamina mortalis nequicquam abrumpitis æui,
Mors fuerat nobis viuere, vita mori eſt.
Monſtra, cruces, gladios fruſtrà glomeratis & ignes,
Plus gladio, igne, feris, & cruce fortis Amor.
Felices ambo PRIMI, virtutibus ambo
Quos eadem fecit pugna decorâq; pares.
Nobile par fratrum, æternùm iam viuite, quando
Vna dies Chriſto vos parit, vna fides.

IBIDEM.

Sic ſolum orans meretur, ſi quod ore precatur, mente meditatur.

E REGIONE IBIDEM.

Pſallite Domino in timore & exultate eicumtremore. Pſal.

IN TERRA.

Hic requieſcit corpus R. patris Clementis ordinis S. Pauli.

ITEM.

Cemiterium fratrum Eremitarum I. G. II.

IN COLVMNA.

Altare è regione poſitum conſecratum eſt ad honorem S. Crucis, & in memoriam SS. XII. Apoſtolorum & Euangeliſtarum & SS. Martyrum Eraſmi, Acatij, Nerei, Archillei, Pergentini & Laurentij & SS. Doctorum Auguſtini, Hieronymi, & Ambroſij, & SS. Confeſſorum Antonij & Benedicti, & SS. Virginum, Catharinæ, Margaritæ, Barbaræ, Dorotheæ, Ceciliæ, Apolloniæ, Brigidæ atq; Vrſulæ, & SS. Mulierum Helenæ & Heliſabethæ, Mariæ Magdalenæ, & Sophiæ.

IN ALIA

IN ALIA COLVMNA.

Vicinum altare ad Aquilonem conſecratum eſt ad honorem Dei, & memoriã SS. Confeſſorum, Franciſci & Alexij & SS. Virginum, Agnetis, Agathæ & Praxedis, & SS. Mulierum, Mariæ AEgyptiacæ & Annæ matrisglorioſiſſimæ virginis Mariæ.

In medio templo chorus rotundus & tabula marmorea, in qua hæc:

1. *Elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu Sancto, & orantes impoſuerunt ei manus.*

2. *Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo.*

3 *Concurrentes rapuerunt Stephanum & adduxerunt in concilium.*

4. *Diſputantes cum Stephano non poterant reſiſtere ſapientiæ & Spiritui, qui loquebatur.*

5 *Qui ſedebant in concilio, viderunt faciem Stephani tanquam faciem Angeli.*

6 *Diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum.*

7. *Impetum fecerunt vnanimiter in eum.*

8. *Eijcientes Stephanum extra ciuitatem lapidabant eum.*

9. *Intendens in cœlum vidit gloriam Dei.*

10 *Poſitis genibus clamauit: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.*

11 *Obdormiuit in Domino.*

Curauerunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.

IN II. TABVLA.

1. *B. Stephanus S. Stephani Hungarorum Regis prædicit ortum.*

2. *Beat: Stephanus templum ſuum prohibet ab incendio.*

3. *Gamaliel Luciano Presbytero B. Stephani abditum corpus indicat.*

4. *Reperto B: Stephani corpore & terra contremiſcit, & ſuauiſſimus odor diffunditur.*

5. *Ad B. Stephani repertum corpus LXXIII. ſanantur ægroti.*

6. *Ad reliquias B Stephani oculis orbata mulier illuminatur.*

7. *Veſtis quæ B. Stephani reliquias attigerat, mortuum excitat.*

8. *Eucharius B. Stephani meritis ad vitam reuocatur.*

9. *Sacrum B. Stephani corpus Hieroſolyma transfertur.*

10. *Oleo B. Stephani mortua puella reuiuiſcit.*

11. *Paulus & Palladia membrorum omnium terrore correpti ad reliquias B. Stephani liberantur.*

12. *Puer agitatione currus obtritus, ad altare B. Stephani viuus atq; integer reſtituitur.*

Adſis

ADSIS ET LEGITO HAEC NOTATA.

Vitæ ne fidas, licet iuuenta ſis fati atq; animo potens
Eundum eſt, nec qua ſcire licet via,
Venit mors clam per mille modos.
En ipſe florens equi calce feri peremptus
Hic ſum, quare viuito iàm benè ac paratus.

MORTVO NON OBTRACTANDVM.

Larua meum quæ poſt fatum maledicere gaudes
In faciem mitis cur tua lingua fuit?

ALIVD.

Vixi quod volui ſatis bene pauper honeſtè,
Nullum fraudaui, quod iuuat oſſa mea.

ALIVD.

Mors voluit mundum ſub certa lege teneri,
Nam cinis eſt hodie, qui fuit ignis heri.

Cætera Epitaphia ſunt,
Io: Lazi Archidis Tranſyluani
Nicolai Auertemote
Benedict. Archipræsbyteri.

IN EADEM ECCLESIA.

TRIVMPHVS. I.

I. N. R. I.

Ad Sanctiſsimæ crucis vexillum ſub quo generoſiſsimi Chriſti martyres militârunt.

Rex glorioſe Martyrum,

Crux victrix veneranda Polo, terraq; mariq;
Crux Domini ſacro tincta cruore mei.
Sceptra tibi ſeſe & Regum diademata ſubdunt,
Subditur & cœlum, Tartareiq; lacus.
Hoc pia ſub ſigno meruerunt agmina, quotquot
Felici calcant ſidera celſa pede.
Hoc fortes bellare viri ſub tegmine ſueti;
Fœmineos eadem texit & vmbra choros,
Tu via martyribus, ſpecimenq; & cauſa ſalutis,
Tu decus, & noſtris vna medela malis.

Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, pro eo quòd laborauit anima eius videbit & ſaturabitur, ideò diſpertiam & plurimos et fortium diuidet ſpolia, Iſaiæ LIII.

TRIVMPHVS II.

De D. Stephano, qui primus martyrij pro Chriſti nomine coronam retulit.

Effuderunt ſanguinem ſanct: ſuorum in circuitu Hieruſalem. Pſ. 78.

Dux pugilum Chriſti dum myſtica ſacra tuetur,
Et reſererat veterum ſpemq́, fidemq́ patrum.
Diuina quamuis in imagine fulgeat oris,
Sæuitiam duræ non ſuperat patriæ.
Pellitur è cœtu medio, lapidumq́ ruente
Cogitur immeritam grandine ferre necem.
Interea innixus genibus, dum panditur æther
Immani veniam pro feritate rogat.
Audit vota Deus, precibusq́ acquiritur illis.
Paulus: & hinc Pietas, Relligioq́ viget.

Iudæi eccleſiam Dei perſequuntur.

TRIVMPHVS III.

In DD. Petrum ac Paulum, qui ſub Nerone Rom. Eccleſiam ſanguine ſuo fundarunt.

Plantauerunt Eccleſiam ſanguine ſuo.

Aſpice Romani imperij duo ſidera, vt ambos
Vna fides cœlo reddit & vna dies.
Ille crucem renouans imitatur morte magiſtrum,
Auerſus quamvis brachia tendat humo:
Sacratam gladio ceruicem porrigit alter,
Excutit & fontes ter ſalientis aquæ.
O geminum decus, ô columen, quem protulit ætas
Aut ſimilem vobis, aut feret vlla parem?

Nero perſequitur Eccleſiam Dei.

TRIVMPHVS IIII.

In. S. Vitalem qui in altiſsimâm foueam iniectus lapidibus obrutus eſt.

Deſcendit cum illo in foueam. Sap. x.

Te foueam venerande ſenex demitteris altam,
Et ſuper ingenti vi obrueris lapidum:
Sic cœco inferris viuusq́, vidensq́ ſepulchro,
Vnde tibi ad vitam morte paratur iter.
Viua fides celſo Vitalem adſcribit olympo,
Aeternis animis ipſe vbi vita Deus.

Nero Imperator.

TRIVMPHVS V.

De Chriſtianis qui ſub Nerone in circo Vaticano, vt Tacitus refert, ferarum pellibus induti canibus obijciebantur.

Carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ. Pſ. LVII.

Hos tygres

Hos Tygres, vrſosq; putes, rabidosq; leones,
Pelle ſub externa quos latitare vides.
Ipſæ tam varia fallantur imagine ſiluæ:
Quid mirum oblatrat ſi canis, atq; premit?
Tantum auſus patrare Nero? tu perfide monſtris
Tu canibus diris dilaniandus eras.

Nero Imperator.

TRIVMPHVS VI.

De D. Ioa. Apoſtolo & Euangeliſtæ, qui ſub Domitiano in feruentis olei dolium miſsus, purior & vegetior inde exiuit.

Odor ignis non erit in te:

Sancte ſenex dum feruenti cruciaris oliuo
Fundis & accenſo cinctus ab igne preces,
Integer emergis Chriſti teſtatus amorem,
Teſtatus quantum poſsit in igne fides.
Non moriare licet flammis viuasq; ſuperſtes
Et vitæ, & mortis præmia vita refert.

Domitianus perſequitur Eccleſiam Dei.

TRIVMPHVS VII.

In D. Dionyſium Areopagitam, qui ſecuri percuſſus ſuis vlnis caput abſciſſum ad duo mill: paſs: detuliſse proditur.

Condemnat iuſtus mortuus viuos impios. Pſ. 4.

Cecropidum ſublime decus, Graiijq; Senatus,
Auulſum in manibus fert caput ipſe ſuum,
Stat tamen, & gradit, placideq; ad culmina tendit,
Qua Regum cineres nobilis vrna tegit.
Hinc animus cœlo ſeſe intulit, vnde beatus
Quæ docuit, propius, nobiliusq; videt.

Domitiano Imperatore.

TRIVMPHVS VIII.

De D. Ignatio qui Traiano imperante damnatus ad beſtias leonum dentibus præfocatus eſt.

Dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar.

Accurrit diffuſa cohors hinc inde Quiritum.
Et ſeptem reſonant plena Theatra iugis:
Mitteris in fuluam fortis cum miles arenam
Vt fias Lybicis nobilis eſca feris.
Ipſe quidem dum non refugis, ſed appetis vltrò
Optata lethi conditione cadis.
At cauea è plena ſpectat ſtupefacta leones
Exanimi linguis lambere Roma pedes.

Sub Traiano Imperatore.

TRIVMPHVS IX.

De Euſtachio & alijs qui æneo tauro incluſi ſubiecto igne crudeliſsimè cremati ſunt.

Tanquam aurum in fornace probauit illos.

Ne tam immane nefas alto ſol ſpectet olympo,
Cedat & horrendus ſtet ſine luce dies.
Aerati bouis in latebris heu condere quemquam,
Suppoſito inſontes vrere & igne viros?
Vt primum obrueret fidei ſurgentis honorem,
Quid non conata eſt ſæua ſuperſtitio.

Adriano Imperatore.

TRIVMPHVS X.

In D. Felicitatem, quæ vnà cum ſeptem, quos Chriſto genuerat filios martyrio coronata eſt.

In paucis vexati in multis bene. diſpon: Sap. II.

Das vtero ſeptem fortunatiſsima natos,
Et totidem cœlo reſtituis gladio:
Hortaris, præſensq; vrges pietatis amore
Aeternum vitæ morte praire decus.
Tuq; cadis ſeptem poſt vulnera læta triumpho
Natorum, duplici nomine facta parens.

Antonino Pio & M. Ant. Vero Impp.

TRIVMPHVS XI.

De D. Polycarpo Ioannis Apoſtoli diſcipulo, qui pop: in Amphiteatro perſonante, igni traditus liber euaſit.

In medio ignis non ſum æſtuatus Eccl: II.

Phœnicem ſi quis medio miretur in igne
Emori, & extructo ſe reparare rogo.
Obſtupeat Polycarpe auidas tibi parcere flammas,
Non auſas ſacra te violare face.
Mille nitent tædæ, rutilantq; hinc inde fauillis,
Atque in te Dominum, quem colis ipſe, colunt.
Præmia nunc maiora tibi ſed reddit olympus,
Ignea qui pedibus ſubijcit aſtra tuis.

M. Antonino Vero Imp.

TRIVMPHVS XII.

In D. Blandinam, quæ poſt dira tormenta retibus concluſa tauri cornibus iactata eſt.

Æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Pſ. XXXXIII.

Excita viſendi ſtudio Romana iuuentus
Feſtinat plenis vndiq; fuſa vijs.
Emicat è cauea taurus, paſtusq; furensque:
Roma theatrali conſonuit fremitu:
Stat concluſa plagis Virgo generoſa pudico
Curua genu, & ſuperos in ſua vota vocat.
Quid petis? huic decori ſunt vulnera, ſuntq; ſaluti,
Hoſtibus effuſæ candido ab ore preces.

M. Anto-

M. Antonino Vero Imp.

TRIVMPHVS XIII.

De martyribus feris obiectis, qui ſœuiſsimè laniati glorioſiſs. triumphum retulerunt.

Firmamentum eſt Dominus timentibus eum.

Aſpicio, paueoq́; ſimul tot ſæua ferarum
Agmina, quæ inſontes circumiêre choros.
Hic nati patrum caris complexibus hærent,
Continet hic matrem filia caſta ſinu.
Dum vorat vrſa patrem, natum petit aſpera Tygris,
Sæuit & in matris dira leæna caput.
Omnes vna dies pariter laniatq́; rapitque,
Diſtinguunt artus oſſa relicta feris.
In ludos heu Roma hominum tot funera vertis,
Quorum es terrarum ſanguine facta caput.

Septimio Seuero & Caracalla Imp.

TRIVMPHVS XIIII.

De Caliſto. Pont. Max. qui in regione Tranſtyberina ex ſublimi loco in puteum deiectus eſt.

Viſi ſunt oculis inſipientium mori: Sap. III.

Stat pia trans Tyberim ſedes, vbi Roma Caliſtum
Aeterno vidit ſacra litare Deo.
Hic puteus, cæcæq́; vndæ, quis merſus, & alta
Atria, priſcorum ſtant monumenta patrum.
Stant et parietibus cænacula nixa vetuſtis,
Claraq́; vigineo nomine templa nitent.
Oſſa ſenis, fontemq́; olei veneratur & aræ,
Romanus ſupplex flectit vtrumq́; genu.
Nimirum impietas conata extinguere nomen
Chriſti, auxit noſtræ relligionis opes.

Alexandro Seue. Mammæ F. Imp.

TRIVMPHVS XV.

De Cæcilia virg. Rom. quæ in balneo comburi iuſſa, cum illæſa euaſiſſet, poſtmodum ſecuri percuſſa eſt.

Per ignem & aquam in refrigerium. Pſ. Lxv.

Romano eloquio Virgo facunda, calenti
E labro verum prædicat ore Deum
Eſt corpus tenerum, ſed mens adamantina, Chriſto
Auſpice feruentes quæ ſuperauit aquas.
Cæleſtis quanta eſt diuina potentia dextræ,
Pſallat vt in medio caſta puella rogo.

Alexandro Seuero Mammææ: F. Imp.

TRIVMPHVS XVI.

De D. Agatha Virg. clariſs. cui poſt varios, diroſq; cruciatus mamillæ obtruncatæ ſunt.

Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis. Rom. VIII.

Quæ tibi crudeles admorunt vbera Tygres?
Pabula ſiluestri quæ dedit vrſa ſinu?
Florida non ætas, non te inclyta forma, decusq;
Non tenero mouit pectore fixa fides?
Auſus virgineas ferro truncare papillas,
Materni indignus munere lactis eras.

Decio Valeriano & Galieno Impp.

TRIVMPHVS XVII.

De D. Apollonia Virg. inuicta, quæ excuſſis dentibus igni addicta eſt.

Custodit Dominus omnia oſſa eorum. Pſ. XXXIII.

Dentibus excuſsis virgo pro laude pudoris
Dimicat, accenſas proſilit inque faces.
Magni animi viciſse hoſtes, ſed gloria maior
Illecebras animi vincere poſſe ſui.
Vtraq; palma tua eſt: & victo ex hoſte triumphas,
Inuictæq; nites fronde pudicitiæ.

Decio Valeriano & Galieno Impp.

TRIVMPHVS XVIII.

De D. Laurentio Diacono, qui in crate ferrea ad ignem torreri iuſſus, lauream martyrij eſt conſecutus.

Adheſit anima mea poſt te, quia caro mea igne cremata.

Intrepidus medio Laurentius ardet in igne;
At Decius mentis fluctuat igne magis.
Ille vrit, tantumque artus, paſcitq; medullas:
Hic animi irrepens interiora vorat.
Dicite quæ maior flagret ſub pectore flamma,
Hanc diræ Eumenides, hanc pius afflat amor.

Decio Valeriano & Galieno Impp.

TRIVMPHVS XIX.

De CCC. martyribus, qui in calcis fornacem pro fide coniecti ſunt.

Igne nos examinaſti ſicut examinatur argentum. Pſ. LV.

Ignea ſtat fornax, flammarumq; alta vorago,
Non ſecus ac rapidas euomit Aethna faces.
Tercenti huc acti, medios merguntur in ignes:
Magnanima inſontum pectora flamma vorat.
Additur igni ignis: creſcunt alimenta, ſed inter
Sulphureos reſonant agmina ſancta globos.

Hoſtia

Hoſtia grata Deo, & ſuperis, vereq; holocauſtum,
Corpora quo in cineres oſſaq; dura abeunt.

Valeriano Galieno & Claudio Impp.

TRIVMPHVS XX.

De Mario & Martha coniugibus, qui cum filijs ſuis ſuauiſs: martyrium adepti ſunt.

Bonorum laborum glorioſus eſt fructus. Sap. II.

Coniugis ante oculos coniux, nati ante parentum,
Torquentur rabie ſæue Tyranne tua.
Hic ligno appenſus trahitur ſub pondere ſaxi:
Hi varia, nullo crimine, morte iacent.
Scilicet haud præcepta ſatis violaſſe Tonantis,
Fas & naturæ frangere iura putas.

C. Claudio Imp.

TRIVMPHVS XXI.

De D. Agapito qui Præneſte annum natus XV. fumo, atq; igne pro fide necatus eſt.

Properauit illum educere de medio iniquitatum. Sap. IIII.

Nondum prima genas veſtibat flore iuuenta,
Veridicam eſt iuſſus cum violare fidem.
Ille ſed audacter renuit, Chriſtumq; fatetur,
Abnegat & veterum numina falſa Deûm.
Stat rogus, appenſus pedibus, fumoque tepenti
Obruitur: manat corporis igne liquor.
Aurea cæſaries flammis crepitantibus ardet,
Aſtantum lacrymas ebibit ipſe rogus.
Vis maior teneris, mirandum, regnat in annis,
Quàm vigeat duro pectore ſæuities.

Valeriano & Numeriano Impp.

TRIVMPHVS XXII.

De D. Agnete Virg: nobiliſs. cui in medio rogo flammæ ceſſerunt.

Fortitudo & laus mea Dominus. Pſ. CX.

Agnes Romuleas inter pulcherrima virgo,
Inter cæleſtes & numeranda choros.
Arctius vt ſponſi complexibus hæreat, ignes
Non metuit rapidos, ſe iacit inque rogum.
Ad flammam hac illac videas diſcedere, tanta
Vis fidei, tantus virginitatis honos.

Diocletiano & Maximiano Impp.

TRIVMPHVS XXIII.

De D. Blaſio, qui in equuleo ferreis pectinibus dilaniatus illuſtre fidei teſtimonium poſteritati reliquit.

Secundum multitudinem dolorum conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Pſ. XCIII.

Inſora conſpicio inſoliti tormenta doloris,
Efferrique noui præmia ſupplicij.
Pecten adeſt, & mille nocentis acumina ferri,
Deſcribunt totidem membra cruenta notis.
Cui roſeus membris color enitet, aurea veſtis
Cœlo illum æterno murice tincta manet.

Diocletiano & Maximiano Impp.

TRIVMPHVS XXIIII.

In Chriſtianos Iuuenes, qui ſponte pro religione manus, prunis ardentibus impoſuerunt.

Conſecratis manus veſtras Domino vt detur vobis benedictio. Exod. xxxII.

Sponte manus iuuenes ambas imponere flammis,
Teſtarique auream proſpicis igne fidem.
Sed cedunt flammæ, ſacras nec lambere palmas
Audent, quas Chriſti cælicus vrget amor.
Quid non ille poteſt? ignes ſua pabula linquunt,
Natura & fidei ſubditur imperio.

Diocletiano & Maximiano Impp.

TRIVMPHVS XXV.

In D. Luciam, quæ ignibus ſuperatis tandem gladio iugulata obdormiuit in Domino.

Exultabunt oſſa humiliata. Pſ. L.

Candida virginitas niuei in proſcenia cœtus
Prodit, odoratis fumet acerra focis.
En quæ mortales thalamos contemſit, vt aſtris
Intacto inferret flore pudicitiam.
Reſtitit illecebris mundi, ceu ſaxea rupes,
Quam fruſtra inſani verberat vnda freti.
Nec metuit flammas, quamuis ceruice recepto
Enſe cadat ſummo victima grata Deo.
Felix multiplices cui tot peperêre coronas,
Excepta inuicto pectore ſupplicia.

Diocletiano & Maximiano Impp.

TRIVMPHVS XXVI.

De D. Sebaſtiano, qui ad palum alligatus, atque à militibus ſuis ſagittis confixus glorioſo martyrio animam Deo reddidit.

Torrentem pertranſiuit anima noſtra. Pſ. xxxxIII.

Alta Palatino ſurgunt quà culmina colle,
Aurea vbi quondam tecta Neronis erant.
Dux à militibus trunco religatur eisdem,
Queis ſæpe ornarat fronde virente comas:

Expedit

Expedit hic arcus, promit ferus ille ſagittas:
Tela volant: hærent corpore fixa Ducis.
Quem tegere oppoſito decuiſſet corpore, in illum
Crudeli torquent ſpicula dira manu
At tibi tot ſtellis pectus præfulgeat aureis,
Vulnera ab infido facta quot hoſte tulit.

Diocletiano & Maximiano Impp.

TRIVMPHVS XXVII.

De D. Catharina, quæ rotis diuinitus confractis victisque Philoſophis dato capite ad virginitatis ac martyrij præmium euolauit.

Fortitudo & decor indumentum eius. Pro: xxxi.

Siſteris ante rotas Catharina interrita acutas,
Siſteris & doctos ante puella viros.
Axe rotæ cedunt fracto, ceduntq; magiſtri,
Et cedunt fidei ſceptra ſuperba tuæ.
At dum te ſubdis ferro pro ſanguinis vnda
Lacteus aſpergit fortia colla liquor.
Quid mirum aligeros corpus vexiſſe per auras,
Cui nihil humanæ conditionis obeſt.

Mauentio Imperatore.

TRIVMPHVS XXVIII.

In quadraginta martyres, quorum cum vnus à fide defeciſſet, ianitor coronam relictam intuens in frigidũ ſtagnum proſiliuit.

Ridebit in die nouiſsimo. Prouerb. xxxi.

Dena quater cernis glacie conſtricta rigenti
Corpora, quæ fluuij lubrica teſta ſecet.
Hic totidem nitida collucent nocte coronæ,
Quas chorus inſignis texuit Aligerum.
Effugit impatiens vnus, ſociosque relinquit,
Linquitur & medio clara corona lacu.
Accurrit cuſtos, ſtagno ſeque inijcit alto,
Vt cingant crines ſerta relicta ſuos.
Inſignem numerum, claros augere triumphos
Cui datur, atq; hoſti nectere fronde comas.

Maximiano & Licinio Impp.

TRIVMPHVS XXIX.

In Io. & Paulum F. Rom. ac Bibianam, qui ſub Iuliano coronati ſunt.

Cum mortale hoc induerit immortalitatem tunc vbi eſt mors victoria tua. Ioel. xv.

Hæc tria quæ ſpectas pallentia corpora, victrix
Relligio illuſtri compoſuit tumulo,
Pro nigris violis, pro funereisque hyacinthis
Sparſit purpureis lilia miſta roſis.

Addidit

Addidit exuuias ſuper inſcripſitque ſepulchro:
En queis dulce fuit pro pietate mori.
Tu quoq; da flores tumulis, cineresq; ſaluta,
Quos clari exornat laurea martyrij.

Iuliano Apoſtata Imper:

TRIVMPHVS XXX.

De martyribus, quibus pro veræ fidei confeſsione manus, ac linguæ exſectæ ſunt.

Lætati ſumus pro diebus quibus hoc humiliaſti annis, quibus vidimus mala. Pſ. Lxxx.

Quas truncare manus auſa eſt vis ſæua Tyranni
Conſecrat ante aras candida relligio.
Et quotquot ſacro reſonabant gutture linguæ,
Accenſis rutilant pro pietate focis.
Cum fari hæ nequeant, ne ſeſe attollere palmæ,
Talia ſub tacito pectore dicta ferunt:
Sancte Pater manuum quando eſt opus omne tuarum
Reddimus & linguas, reddimus atq; manus.

Hunerico Rege Hæretico.

TRIVMPHVS XXXI.

In D. Vrſulam eiusque comites, quæ pro Chriſtiana religione, ac virginitatis conſtantia ab Hunnis interfectæ martires celebrantur.

Laudabit te populus fortis. Ciuitas gentium robuſtarum. Iſa. xxII.

Tu tandem innumeræ ductrix Regina phalangis
Virginibus claudes carmina noſtra tuis.
Te teneræ patrio comitantur ab axe cateruæ,
Candida queis roſeus contegit ora pudor.
Fit ſonitus ſpumante ſalo, dant vela carinæ,
Anchora Agrippinum ſiſtitur ante ſolum.
Diſsipat hic Hunnus turmas furialibus armis,
Magnanimumq; gregem ceu lupus enſe vorat.
Fœlix quæ terris ducebas agmina inermis,
Laurigeros ducis ſidera ad alta choros.

In Germania quidem Vrſula cum maximo virginum comitatu. Bonifacius & Adalbertus, Archiepiſcopi. Chilianus Epiſcopus in Vngaria, Gerardus in Boſna ſeu Ruſsia, Bonifacius in Suetia, Enricus Epiſcopus et Ericus Rex in Anglia, Thomas Epiſcopus & Edmundus Rex & alijs ex omnibus Chriſtianorum ordinibus ſanguine vitaq; profuſa catholicæ Eccleſiæ nomen illuſtrarunt.

TRIVMPHVS XXXII.

De D. Gabino Romano ciue è nobiliſsima Sabellorum gente,

tè, qui turribus in Sardinia illuſtrem martyrij palmam reportauit.

Et capillus de capite veſtro non peribit. Lucæ xxi.

Clare Sabellorum decus immortale Sabine,
Maiori & meritò concelebrande lyra.
Mille tibi cantus, tibi vota, & munera mille
Reddit Sardoi littus vtrunq; maris.
Templa tuo ſacrata ſonant ſub nomine, & altis
Turribus accendunt maſcula thura focis:
Omnes Romana celebrant te ſtirpe creatum,
Et veterum numerant, ſtemmata longa Patrum.
Mater at æterna pro Religione profuſus
Sanguis honos, maius mors tibi & ipſa decus.
Sis felix patriosque lares, clarosq; Nepotes
Aſpice, præſidio & Diue tuere tuo.

Diocletiano & Maximiano Impp.

S. STEPHANVS IN FORO BOARIO, olim Veſtæ.

✠ *Salb: Papæ N. Ioanne cognomento Mercurio ex ſanctæ Eccleſiæ Rom: præsbyteris, ordinis E.K. tituli Sancti Clementis ad gloriam Pontificalem promoto beato Petro Apoſtolo patrono ſuo vinculis eius ſeuerus Pater Fr: et IT.P.C. Lampadi et Oreſtis VV.CC. vrbi ✠ dus cedrimus.*

S. STEPHANVS { IN VIA IVLIA. / IN SILICE. / DE DRVGLIO propè porticum Antonini.

S. SVSANNA in Quirinali, habet pulcram ciſternam, & vas æneum aquæ luſtralis.

IN ARA MAIORI.

Olim præsbyternij Gabini filia felix
Hic Suſanna iacet in pace patri ſociata.

IOAN: BAPTIST: SCANDIANO.

Iacob.: Sadoletus Tituli Sancti Calixti S.R.E. presbyt: Cardinalis ſuo à cubiculo omnium fidiſsimo & diligentiſsimo, non modica in ea parte domeſticæ tranquillitatis amiſſa benè merenti mœſtus poſuit Vix: anno xxxii.

S. SYLVESTER { IN REGIONE COLVMNAE. / IN AVENTINO. / IN MONTIBVS. / TRANS TYBERIM. / PROPE ARCVM DOMITIANI. / IN QVIRINALI.

IN PORTA.

Diuo Syluestro Pontifici, qui Conſtantino Cæſare ad Chriſti cultum traducto maieſtatem Eccleſiaſticam fundauit, ſacrum hoc in Quirinali ſub Clement: vii. Opt: Max: ſapientiſsimoq; erectum M.D.xxiiii.

IN REGI-

S.THOMAS.
- IN REGIONE HARENVLAE.
- IN CAELIO.
- PROPE CVRIAM SABELLAM.
- IN VICO IVLIO.
- IN PARIONI.

S.THEODORVS ſub monte Palatino, olim Romuli & Remi, vel vt alij Panos Lycæi.

S.TRINITATIS IN HORTVLORVM COLLE.

Exſtructum eſt à quodam Galliæ Rege IIII. In eo ſacella partim coloratis, partim aureis picturis ornata egregiè, & monumenta egregij operis, quorum præcipuum:

CARDINALIS CARPENS.

Rudolpho Pio Cardinali Carpenſi Principi, Senatus ampliſsimis Eccleſiæ Dei muneribus ſingulari prudentia perfuncto, Iuris Eccleſiaſtici defenſori, à gratia, terrore, voluptatum illecebris & aduerſis æquè inuicto, ad beneficentiam nato, in ſumma grauitate iucundiſsimo. Pius V. Pontif: Max: ſalutaris officij in cuſtodia Catholicæ veritatis conſorti perpetuis de Chriſtiana Repub: ſenſibus, ſtudijsq; coniunctiſsimo, hoc amoris & iudicij ſui monumentum poſuit Anno ſalutis M. D. LXVIII. Pontificat: ſui III. VI. Non: Maias. Vix: ann: LXIII. Mens: II. Dies VIII.

Qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt.

LVCRETIAE RVERAE.

Iulij II. Pontif: Max: ſororis filiæ M: Antonij Columnæ vxori Vixit annos LXVII. filiæ matri dulciſsimæ fecere Anno ſalut: M. D. LII.

VXORIS BELLADRINI.

Lionoræ honeſtiſsimæ dilectiſsimæq; coniugi, Angelus Bellardini de Porzatis de Ferraria eius maritus mœſtiſs: pos: quæ vixit annos XLV. Mens: V. Dies VI. Obijt Menſe Martio die X. M. D. LXXII.

Pulcra bonis, fœda malis.

DARIAE AVGVSTAE.

Signorettæ lepidi Lepidiſsimæ puellæ forma atq; indole virtutis mira, Proſper Signorettus filius Regienſis ciui ſuæ dilectæ non minus quàm parenti natæ, in delitijsq; habitæ pos: Deceſsit XVI. Cal: Decemb. M.D. LXXV. annum agens. IIII.

PYRRHO SOLDATO.

Farfenſi, nobili Sabino, viro frugi & induſtrio, ac ſpectatæ fidei, peſtilenti febre immaturaq; morte prærepto, Vix: ann: XXXVI. Mens: V. Dies IIII. obijt VII. Calend: Martij M. D. LXXIII. Ioan: Bernardinus & Belicarius mœſtiſsimi fratri germano cariſsimo poſterisq; poſuêre.

IOHAN: LASIO.

Laſtore, quæ Illuſtriſs: Comitum Armagnaciorum Regia eſt, Archidiacono, intimis Cubicularijs & Cimelio cum honeſtis antè domi foriſq; muneribus functus eſſet, præfecto, ſingularis pietatis atq; integritatis viro, & Guilielmo Subrano, fido ac ſolerti tonſori acutiſsima febre per comitia Pontificia, dum ſedes Pauli IIII. vacat, ſublatis, Illuſtriſ: & Reuerentiſs: Georgius Cardinalis Armigiacus gratus patronus ponend: curauit X. Calend: Octob: M. D. LIX.

ANTONIO LOMELINO.

I. V. C. Protonotario Apoſtolico, ordinario tabularij Pontificij cuſtodi, vtriuſq; ſignaturæ Referendario, cuius præter cæteras virtutes eximio quodam ergo pauperes ſtudio vita excelluit, vt & viuo quæ ad pauperum procurationem pertinerent ei

potiſsimum

potiſſimum in vrbe à Pontificibus omnia committerentur, & moriens bonorum ſuorum ſemiſſem pauperibus legauerit, viro genere, honoribus, probitate, liberis, religione & beneficentia clariſſimo, Ioan. Lomelinus fratris filius & heres poſ. Vixit ann. x. Menſ. v. Dies xv. Obijt IIII. Non. Maij M.D.LXIX.

IOAN. CHEMINARDO.

Gallo Andio orto nobili, Scriptori Apoſtolico, Equiti Regio, Pontif. gratiſs. Catharina vxor mœſtiſs. liberiq; duo pientiſs. poſ. Vixit ann. L. Obijt II. Maij M.D.XVII.

IOAN. ALIMENTO.

De Nigris Nouarienſi, Pauli à correcto Cadurcorum Præſuli à Secretis, ac Ioannis Finarij Marchionis fratris alumno, fide, morũ integritate, ingenioq; mirum modum perſpicaci, qui dum ann. circiter L. ageret morte præuentus occubuit M.D.L. Idib. Decembris.

SIMONIS LESBII.

Lesbius hic pauſat Diui bonus ille Leonis,
Promus & hæ comites cura, fides, pietas.

Simoni Lesbio Saluo Comenſi, Ioannes Baptiſta Saluus pronepos patruo optimo benemer. poſ. Vixit ann. LXXI. M.D. XXI.

INNOCENTIO IORDANELLO.

Iuueni V. I. D. iudicio ac fide integerrimo, Petrus Ferracinenſis vnico ac ſummæ ſpei filio flens poſ. Vix. ann. XXVII. Menſ. v. Dies XII.

Inuida proh fatum gemini dum gloria iuris
Creſco, mors patri me rapit & patriæ.

HIERONYMVS FIAMBERTVS.

Picinenſ. Cubicul. Apoſtolic. ſibi poſterisq; ſuis fecit, ſtatuam marmoream virgini Deiparæ deuotus numini maieſtatiq eius dedicauit. Pecuniæ largitus quantum pro ſua ſuorumq; ſalute bis hebdom: ſacro in perpetuum faciundo ſatis eſſet.

IOANNIS DE CECCHINIS.

Qui viuens laboribus non pepercit, nugacemq; ſuam fortunam dinoſcens, ſæculiq; huius omnia vana videns, ad perpetuam laborum ſuorum memoriam hunc viuens ſibi poſterisq; ſuis rogum extruxit fe. re. Leonis X. Cubicularius Eleemoſynarumq; elargitor Ioan. de Cecchinis Florent.

PAVLVS RICCIVS.

Hoc Cœnobium munere pio affecit pro loco ſepulturæ, & vt ſingulis hebdom: pro perenni eius ſuorumq; ſalute in perpetuum bis ſacrum fiat, & preces effundantur anniuerſariæ.

FRANCISCO FRANCHINO.

Coſentino Maſſæ Populoniæ Epiſcopo, prũdẽti acriq; viro atq; venuſto poetæ.

FERDINANDO DE VEROSPE.

Cæſar Auguſtano ſummæ fidei innocentiæ & pietatis viro probatiſs.

RAYMVNDO SACCHETTAE.

De Traiecto Rom. Ciu. militi S. Pauli, viro prudentiſſimo, & patriæ ſplendori animam ſuam omnipotenti Deo committenti ſub perpetuo anniuerſario in die VI. Decembris celebrando, & hoc monumentum ſibi poſteriſq; ſuis conſtrui iubenti. Io. Paulus f. obſequentiſs. non ſine lacrymis optata patris benemer. perficere curauit, eumq; ex hac vita migratum ann. ætatis ſuæ LX. Sup^{ta}. die labente ſalutis Anno Domini M.D. LX ſub hoc lapideo tegmine pientiſſimè poſuit.

DOMINICO MASCI.

Rom. patricio plurib. decorato præturis, liberalitate munifico, virtutibus inter claros inſignito, patriæ amicis iucundo, Franciſco ſuo benemer. coniugi, cuius oſſa moriens ſeq. ſtatuit, Marcus Maſcus nepos non ſine lacrymis contra votum poſuere. M.D. XXVII.

ANTONIO LOPEZ.

Luſitano I.V.D. cauſſarum negotiorumq; Luſitaniæ Regis in vrbe procuratori, eximiæ virtutis ergò ciuitate donato, conſulatu varijſq; muneribus ob Rempub. benè geſtam à S.P.Q.R. mandatis præclarè functo Pio IIII. Pontif. Max. approbante, eodemq; mittente iam iamq; in Hiſpanias ituro.

MATTHAEO SARASONIO.

Panormitano, ob egregias virtutes in Romanam ciuitatem ſuſcepto, Vix. ann. Lx. deceſſit anno M. D. xxxvi.

IACOBO BVCCAE.

Cur Buccam triſtes Iacobum fletis amici?
Quidquid ſub hoc cœlo eſt mors violenta necat.
Cauſſarum hic praxin cultam moreſq; reliquit,
Nunc fruitur cœlo ſydereiſq; choris.
Pantaſilea viro mœrens Baptiſtaq; patri
Mente ſuo tumulum compoſuêre pia.

Vixit ann. Lxxiiii. Obijt M. C. Lvii.

CATHARINAE BRVNAE.

Fœminæ caritate in filios inſigni, & in rerum domeſticarum curatione probatiſſimæ.

Guilielmus Ferrius vxori dulciſſimæ, & Fabius matri cariſſimæ multis cum lacrymis poſ. Vix. ann. L. Obijt xvii. Calend. Ianuarij M. D. Lxviii.

IOAN. RIVETIO.

De Cotis Foreſienſi Gallo, viro ſumma morum modeſtia ingenijq; præſtantia prædito, Secretariatu Apoſtol. de numero participant: alijsq; plurimis Rom. cum officijs honeſtato, Claudius Riuetius fratris filius, & Andreas Gabaneus ſororis filius heredes ex teſtamento mœſtiſs. poſ. Obijt die xxii. Febr. M. D. Lxxii.

IOAN. MAHE.

Script. & Cubicul. Ingrandiæ ad Ligerimandum ortus ſumma erga ſuam, maiorum, poſterorumq; ſuorum animam pietate ductus, ad proximum Diuæ Helenæ, inuentioniſq; ſalutiferæ crucis altare Miſſam vnam quotidiè perpetuò celebrari ab huius templi S. Trinitatis Sacerdotibus, annuis reditibus, quibus id fieri poſſit, attributis, autoritate S. D. N. Pauli IIII. Pontif. Max. Non. Decemb. Pontificatus ſui anno primo inſtituit, huiusq; rei monumentum Apoſtolicæ Cameræ tabullar. teſtator, ſuamq; poſtremo voluntatem hac in tabula marmorea æternæ memoriæ cauſſa poni & incidi curauit.

IACOBO DE CARDELLO.

Ex Cardellorum nobili Forocornelienſi familia, à Secretis, à breuibus, à bullatis literis Apoſtolicis ſcribend. R. Riarij Card. S. R. E. Camera, ob eius & corporis & animi rebus in agendis innumerabiles dotes ſedulo, alumnusq; à Deo grato, vt quis alter illorum altero plus indiguerit incertum ſit.

HIERON. MATTHEAE CECINNAE.

Hieronymæ Mattheæ fœminæ primariæ atq; ſanctiſſimæ, cuius mortem non tàm ætas, quæ illi acta iam erat, quàm prudentia, qua ſumma omnium ſuorum concordia rem familiarem adminiſtrabat immaturam fecit. Domit. & Ioan. Bapt. Cecchimi parenti opt. poſ. Vix. ann. fere Lx. Obijt xi. Cal. Martij M. D. xxxvii.

S. TRYPHO apud S. Auguſtinum.
S. VALENTINVS in circo Flaminio.
S. VALENTINIANVS in via Flaminia.
S. VITVS in regione Pontis.
S. VITALIS in valle Quirinali.
S. VIVIANA.
S. SIXTVS.

TVMV-

TVMVLI ET INSCRIPTIONES QVAEDAM elegantes, quorum locus ignoratur.

ALOYSII CARDINALIS ESTENSIS. Galliæ Protectoris. I.

Cur voluit Princeps Romæ ſua viſcera condi?
An quia viſceribus condita Roma ſuis?
Cur voluit magnum Gallis cor vt eſſet in oris?
An quoniam cordi Gallia magna fuit?
Cur voluit pulcro ſepeliri Tybure corpus?
Anne in delitijs quod ſibi Tybur erat?
Fallor? habet magnum cor Gallia magna, quod excors
Audito patris funere facta fuit.
Viſcera Roma tenet, tam caro Principe rapto
Quod ſua viſa ſibi viſcera Roma rapi.
Corpora Tybur habet, quod propria corpora cenſet
In partes ſeſe diſſociare ſuas.
Gallus, Romanus, Tyburs, cor, viſcera, corpus,
Senſere auferri, reſtituiq́ ſibi.

II.

Eſtenſis properæ cum morti occumberet Heros
Sæcula Cumææ viuere dignus auus.
Lætum animum dixit cor Gallia, viſcera Roma,
Tu mea Tybur habe corpora, frater opes.

III.

Qui non ante ſibi, verùm tibi Gallia vixit,
Heu tibi nunc moritur, viuat vt inde ſibi.
Sed tibi nec moritur, ſummi nam munere patris,
Protector cœli fiet in arce tuus.

IIII.

Qui fuit, eſt, non eſt, nec erit: ſed mentior, immò
Qui fuit, eſt velut eſt, ſic quoq́ ſemper erit.
Viuus in orbe fuit, nunc eſt defunctus in aula
Empyrea, atq́ Dei munere ſemper erit.
Ergo eſt, eſt & erit, ſicut fuit ante: ſed illi
Nec par eſt, nec erat, nec fuit, & nec erit.

CARDINALIS STEPHANESCI.

Cui ſua pro meritis radiantem flore galerum
Cardineum tribuit virtus ætate virenti,
Aſpice cum lacrymis lector quo marmore clauſus
Impia mors rapuit, formam natura nitentem
Angelicam dederat, ſapiens & doctus in omni
Præfuit eloquio, titulum cui ſancte dediſti
Angele, Petrus erat nomen, ſat ſtemmate clarus
De Stephaneſcis materno ſanguine natus,
Fabius ab Hannibale tam longi tramitis æuo.
Oſſa terit tellus, animæ ſtet gloria cælo.

BVRGESII DE BVRGVNDIA.

Cuius in hoc tumulo requieſcant membra, viator
Scire cupis forſan: vndiq́ geſta canunt.
Qui princeps Equitum, qui gloria ſumma Senatus
Quiq́ fuit Canonum conditor ecce iacet.

SEVERI.

Heus bone Viator compatiare, Seuerus licet, nimium nouerca mihi natura eſt, blandis orbatus parentibus, fato vel malo vitam vixi adoleſcens hanc virtutem ignarus, proh fati iniquitas, diem obij immaturam, quieſco tamen, vitam condoleo, mortem ærumnarum requiem congratulare. Flens lege, lætus recede, Vale, Valeo.

SVMMI IVSTITIAE ADMINISTRATORIS.

Qui propter nos homines,
Et propter noſtram ſalutem
Deſcendit ad inferos.

PVLCRAE MVLIERIS ANGLICANAE.

Quam pulcram alliciam luſtris mihi ter tribus actis,
Dicerem olim equidem pulcra puella fui.
Sed formam ac reliquas mors dotes corporis aufert,
En qua tot placuit, nunc caro putret humo.
Felix quæ nunquam blando oblectamine victa eſt;
Sedula ſed cœlum cogitat atq; erebum.
Angla fui, Romæ morior, Deus ô miſerere,
O peccatrici tu pie parce mihi.

MVLIERIS.

Elizabeth iacet hic, cur non iacet ipſe maritus
Corpore, ſi ingenio ſpiritus vnus erat?
Ipſe iaceret item, ſinerent ſi fata, vel illa
Viueret inuito numine. Hic illa iacet.

PVELLAE.

Par mortis tenebris vixiſſet clara, ſed atræ
Conceſſit morti, quando biennis erat.

ALIVD.

Conſtituor cœlo propria virtute, valete
Irrita qui teritis ſæcula poſt obitum.

PORTIAE.

Patria Roma fuit, gens Portia, nomen Iulus,
Mars puerum inſtituit, Mars puerum rapuit.

MIRAE MERVLAE MATRONAE.

Inter Dalmaticas iacet hic celeberrima matres,
Exemplum miræ Mira pudicitiæ.
Cui frons, vox, geſtus, totoq; in corpore motus,
Omnia maturi plena decoris erant.
Cuius tanta fuit cautæ prudentia mentis,
Quantum ſollicitè prouida rebus erat.
Tantum conſilio, quantum pietate valebat,
Teſtata eſt Merula non quod inepta domus.
Parcere debueras ſeries duriſſima fati,
Digna erat æterna fœmina tanta mora.

SIMONAE VXORIS PAVLI.

Hic Simona iacet Paulo tàm cara marito,
Vt cuperet nuptæ non ſupereſſe ſuæ.
Heu tam dilectam crudelia fata puellam
Flentis ab amplexu diripuêre viri.

FRATRVM.

N. cum tali N. frater fraterno nomini proſpiciens æquo animo hoc monumentum.

DIONYSIAE PVELLAE.

Hic iacet exutis Dionyſia flebilis annis,
Extremum tenui quæ pede rupit iter.
Cuius in octaua laſciuia ſurgere meſſe
Cœperat, & dulces fingere nequitias.
Et ſi longa tuæ manſiſſent tempora vitæ,
Doctior in terris nulla puella foret.
Vix. ann. VII. Menſ. XI. Dies XV.

SVLPITII PVERI.

Si iuuenis, ſi vir peccat, ſi numina temnunt,
Et claudunt fatum ſæpius ante diem.
Arbiter hic æui rectè diſpenſat, & vrna hæc
Sulpitij pueri mœſta tegit cineres.
Vix. ann. V. Menſ. III. Dies X.

PAPINIANI I. C.

AEmilio P. Papiniano Præf. Prætorio I. C. qui vixit ann. XXXVI. Menſ. IIII. Dies X. Papinianus Hoſtilius, Eugenia Gracilis parentes heu turbato ordine fil. opt. poſ.

D. M. S.

M. Arcutius Salutaris fecit ſibi & Tertullæ coniugi ſuæ: Benè valeas religiosè qui hoc legis, benè ſit filijs filiabusq; meis qui me coluerunt.

ALIVD.

Vis tibi poſt mortem certas promittere ſedes,
Ante oculos ſemper fulmina mortis habe.

MICHAELIS TVCH.

Parce hoſpes cineresq; pios ne læde profanè,
Si neſcis, caſtis hæc loco ſola patent.
Nec te priuata moueat quod claudor in vrna,
Nec quoq; fortunæ non mea cura fuit.
Longè hoſpes longè tamen erras, ſi mea credis
Nomina in exiguo tota repoſta ſolo.
Quæq; tot ob patriam pugnando vulnera paſſus,
In cineres mecum verſa abijſſe leues.
Atq; vtinam ob patriam tantùm, nec diceret hoſpes,
Cum patria & natis oppetijſſe tribus.
Quos ego ſuprema comites hortatus in hora,
Vincere dum nequeo cum patria perij.

IVLII ARSINII.

Quam benè pro patria Iuli cadis inclyte, ſi non
Tecum arma & pietas, & caderet patria.

LEONIS.

Forma cui fuerat genitor Conſtantius, auo
Flebilis in viridi mortuus hic Leo ſum.
Ni mî immaturè truncaſſent fila Sorores,
Qui mihi certaret nullus in orbe foret.
Deniq; quid fuerim, quid ſim modò cernite, noſtra hæc
Vita breuis, mors eſt vltima cura viris.

PANTAGATHI.

Pantagathus iacet hic ingrati ſeruus amoris,
Pantagathus durus quem tumulauit amor.
Sanus in externis vixi regionibus, at me
Dum volui patriæ viuere mors rapuit

CAMILLAE.

Qui ſunt hi gemitus? Charitum: quæ pompa? Camillæ:
Vnde odor hic? cineri thura miniſtrat amor.
Vnde pira? ex Pharetra? quid ve ardet in igne? lepôres:
Quid ſatis illacrymans, quis legit oſſa? Venus.
Heu fatum infelix, quid formæ gloria prodeſt,
Si faſtus hominum parua fauilla tegit.

CINOEDI.

Hic tegitur pathicus cui culus latior omni
Flumine, fœtorem parte ab vtraq; vomit.
I procul hinc quicunq; venis, diſcede viator,
Inficit hic morbo concaua ſaxa graui.

ROSATAE PVELLAE.

Dulciſsimæ, ætate, forma, decore, puellari induſtria commendabili, fides & gratitudo benemer: pos:

ALIVD.

Quot lachrymas moriens liquiſti filia patri,
Tot tibi dent ſuperi gaudia perpetua.

ALIVD.

Hic iacet arte Plato, Cato moribus, Tullius ore,
Corpus alit vermes, Spiritus aſtra petit.

ALIVD.

Diſce meo exemplo fragilem contemnere vitam,
Quicunq; hæc tumuli triſtia verba legis.

FILIVS AD MATREM MORIENTEM.

Deſeris infantem ſic me dulciſsima mater,
Oſcula nec pateris vltima ferre tibi.
Nec poteris natum pereuntem viſere mater,
Et potes inuiſo pignore abire tuo.
Non licuit ſaltem ſanctæ dare baſia dextræ
Et dixiſſe mihi, nate miſelle, Vale.
Crudeles parcas, crudelia fata diesq;,
Subtrahitur matri ſic puer ipſe ſuæ.

Reſponſ: Matris.

Nate magis cruciant verba hæc quàm funus acerbum,
At pro me tibi ſit & pater & patruus.
Deſine parue puer miſeram deflere parentem,
Eugenius Iacobo dulcis alumnus erit.

ALEX. CINNVTII.

Moſcus olor cantu, forma naſciſſus, Iacchus
Crinibus, Amphion pectine, Apollo lyra
Tuſcus Alexander fueram, Cinnucia proles:
Sena ſolum, Lacheſis vix tria luſtra dedit.

HEIDVIGIS PVELLAE.

Tinctia mî patria eſt, Heiduigis nomen habebam,
Flos erat ætatis, virgineumq; decus,
Pieridas poteram forma ſuperare puellas,
Hic ſita ſum, ad ſuperos heu cito rapta fui.

MELLINI.

Cur tibi tàm dulces manant è fonte liquores?
Qui dedit hunc dominus nomina mellis habet.

D. M.

Perpetuò vixi, vt volui, quare mortuus ſim neſcio.

D. M.

Viuite qui legitis, cœleſtia quærite, noſtra hæc
In cineres tandem gloria tota redit.

Hoſpes quid ſim vides,
Quid fuerim noſti,
Futurus ipſe quid ſis cogita.

ALIVD PVLCRVM.

Vide quid ſim, fui quod eſtis, eritis quod ſum.
Bullam ſe eſſe qui exiſtimat, is demum ſapit,
Et qui ſtruendam locat oſſibus domum.

DVCIS VALENTINI.

A qui yaze en pora tiera
El que toda la temia
El que la pazzy la guerra
Per todo el mendo Gazia
O tù que vas á buſcar
Dignos coſas da loar
Si tu loas lomas dino
A qui pare tu camino
Non cures de mas buſcar.

MILITIS.

A qui yaze Campozano
Cuia anima leuo il demonio
Yla roba yl S^or. Anthonio.

ALTERIVS MILITIS.

A qui yaze horozco il ſargento
Yl qual biuio iugando
Y murio beuiendo.

MILITIS PAVPERIS.

A qui yaze horazo il ſargente
Villandrano el qual biuio iugando
Iuogo lo que tenia
Y mando loque tenir.

CAIVS IVLIVS CAESAR CVM VIDISSET PVERVM *ludentem in glacie ea dirupta, & puero à flumine abſorpto, hoc poſ. Epitaph.*

Thrax puer aſtricto glacie dum luderet, atro
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumq́ imæ partes rapido traherentur ab amne,
Abſcidit tenerum lubrica teſta caput.
Orba quod inuentum mater dum conderet vrna,
Hoc flammis peperi cætera, dixit, aquis.

LVCII ET FLAVII GERMANORVM.

Vrna breuis geminum quamuis tenet iſta cadauer,
Attamen in cœlo Spiritus vnus adeſt.
Viximus vnanimes Luciusq́ & Flauius, idem
Senſus, amor, ſtudium, vita duobus erat.

APICII.

Qui primas conſumpſit opes ventriq́ dicauit,
Hic ſitus ignauæ gloria prima gulæ.

Quiq́; ſibi iugulum ſoluit in paupere menſa,
Factus inops triſtes duceret vnde dies.
Sparge mero dapibusq́; igitur non thure ſepulcrum,
Hoc capiti redeat priſcus in oſſa calor.

ANONYMI.

Tu pede qui ſtricto vadis per ſancta Viator,
Siſte rogo titulumq́; meum ne ſpreueris oro.
Bis quinos annos menſesq́; duos ego natus
Ad ſuperos feci greſſus, nutritus amato
Dogmate Pythagoræ, ſenſusq́; meaui Sophorum,
Et Lyricos legi, legi pia carmina Homeri,
Ciui quæ Euclides abaco præſcripta tuliſſet,
Delicias habui pariter luſusq́; procaces,
Hoc hilaris mihi contulerat pater ipſe patronus
Si non infelix contraria fata habuiſſem,
Non modo ad infernas ſedes Acherontis ad vndas,
Tetraq́; Tartarei ſidera poßideo.
Effugi vitam, ſpes & fortuna valete,
Nil mihi vobiſcum eſt alios deducite quæſo.
Hæc domus æterna, hic ſitus, hic ero ſemper.

PONTIAE.

Pontia Titi Pontij filia hic ſum, quæ duobus natis veneno abſumptis auaritiæ opus ipſa mihi mortem conſciui. Tu quiſquis es, qui huc tranſis, ſi pius es, à me oculos auerte.

DE HERMAPHRODITO.

Cum mea me genitrix grauido geſtaret in aluo,
Quid pariat, fertur conſuluiſſe Deos.
Mas ſibi Phœbus ait, Mars fœmina, Iunoq́; neutrum,
Cumq́; forem natus Hermaphroditus eram.
Querenti lethum, Iuno ait, occidat armis,
Mars cruce, Phœbus aquis: ſors rata quæq́; tulit.
Arbor obumbrat aquas, conſcendo, decidit enſis
Quem tuleram caſu, labor & ipſe ſuper.
Pes hæſit, ramus ſubijt, caput amne, tuliq́;
Fœmina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

ATHEI.

C. F. de gran Roba & gran Gouerno,
Laſcio il Carpo qua & l' anima al inferno.

EIVSDEM.

Vixi & vltra vitam nil credidi, quo vadam neſcio, inuitus morior. Valete poſteri.

NAEVII POETAE.

Immortales mortales ſi foret fas flere,
Flerent Diuæ Camœnæ Næuium Poëtam
Itaq́; poſtquam eſt orchio traditus theſauro,
Obliti ſunt Romæ Latina lingua loquier.

ENNII.

Aſpicite ô ciues ſenis Ennij imaginis formam,
Heîc voſtrum panxit maxima facta patrum.
Nemo mè lacrumis decoret, neq́; funera fletu
Faxit, cur? volito viuus per ora virûm.

DEIPHO-

DEIPHOBES.

Deiphobe iacet hic prima intercepta iuuenta,
Et ſæcli & ſexus gloria rara ſui.
Quæ dum vita fuit ſuperos ipſumq́; Tonantem
Torſerat, inferno nunc mouet arma Ioui.

HERCVLIS.

Alcides acri generis decus, hoc tibi Prætor
Et Iouis antiſtes dedico perpetuus.

VOTVM HERCVLI SOLVTVM.

Te precor Alcide ſacris inuicte peractis,
Ritè tuis lætus dona ferens meritis.
Hæc tenuis potis eſt tibi noſtra referre Camæna,
Nam grates dignas tu potes efficere.

PLVTONIS.

Plutonis ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc quod in orbe latet.
Namq́; Elementa graui clauſit digeſta labore
Vaſe ſub hoc modico maximus Olibius
Adſit facundo cuſtos ſibi copia cornu,
Ne precium tanti depereat laticis.

ALIVD.

Tit: Clauoio fortunato erepto fatis iniquis:

VITVLI ET ASELLAE.

Murena vitulus atq́; aſella coniuges,
Quod morte præuenti mula nec ille, bos
Nec illa quiuit emori, amici hoc & ſuis
Sibi donis ſumpſêre quod vides ſoli.

AENIGMA.

Herſibus hic iaceo, mecum Marulla quieſcit
Hæc ſoror hæc coniunx, hæc mihi ſponſa fuit

IBIDEM

Dat tibi Bubo genus, buſtum lapis iſte Ioannes,
Das matri gemitus te moriente tuæ.

CANIS

Longo ac fido amore probatus Domino,
Senio confectus, ſeruata ſtirpe hic iaceo.
Hoc me ſepulcri honore dignatus eſt herus.

CLODIAE COECAE.

Mors mea cui doluit, poſuit mihi hunc titulum,

SVB TRVNCO MARCIDO ET FLORIDO SIMVL

Aſpice quam ſubito marcet quod floruit ante
Aſpice quam ſubito quod fuit ante cadit,

GENITORIS.

Quam doleo mihi dum genitor dulciſsimus heu heu
Antiquæ exemplar ſimplicitatis obis
Viuis adhuc quamuis defunctam oſtendat imago
Diſcat quiſq; ſuam viuere poſt tumulum

CATELLAE.

Quod potui tibi, fida Catella ſepulchrum
Digna magis cæli munere quam famuli

Candenti è lapide hæc tibi vrna conuenit, fuiſti
Candida tota pilo, candida tota fide:
Si cœlum vt quondam canibus patêret, haud
Incendet, ſed ver ſtella perenne dabit.

Titæ Catellæ blandiſſimæ Anthonius Thebaldæus.

SIXTI.

Non hic quem lacrymans quæris, quem viuere malles
Sixtus, ſed tegitur rara ſepulta fides.

TITAE.

Hic Tita tecta iacet, cultos qui maluit hortos
Franciſci, Elyſium quàm coluiſſe nemus.

INFANTIS.

Rapta ſinu matris, iacet hic miſerabilis infans,
Ante nouem plenos Lunæ quàm viueret orbes.
Hanc pater & mater mœſti fleuêre iacentem,
Paruaq; marmoreo clauſerunt membra ſepulchro.

FILII.

Formoſus, frugi, doctus, pius, à patre mœſto
Accepit tumulos, quos dare debuerat.

VXORIS.

Hunc tibi perpetuò titulum gratiſſima coniunx
Corporis extincti dedicat ipſa fides.
Vixiſti mecum iuuenis, charosq; per annos
Quos vita exegi dulciter ipſe mea:
Opto ſi qua fides remanet telluris amicæ,
Sit tibi perpetuo terra leuis tumulus.

MEIAE.

Meia fui felix ſeptem circundata natis,
Dum vixi aſtabat turba tenella mihi.
Vt mihi grata vicem natorum turba referret,
Hoc mihi de Pario marmore ſtruxit opus.
Manibus atq; meis nati pia vota dedêre,
Perſoluêre meis manibus inferias.
Poſtquam nulla mei ſuperum vos cura fatigat,
Natorum memores eſſe precor ſuperi.

FLAVIAE DYONISIAE.

Hic iacet exiguis Dyoniſia flebilis annis,
Extremum tenui quæ pede rupit iter.
Huius in octaua laſciuia ſurgere meſſe
Cœperat, & dulces fingere nequitias.
Quod ſi longa tuæ manſiſſent tempora vitæ,
Doctior in terris nulla puella foret.

Vixit annos VII. M. XI. D. XV. Anna Iſias vernæ ſuæ benemeritæ fecit.

TELEPHI.

Nomine quo genitor mihi dicitur, hoc ego vixi,
Telephus eſt genitor, Telephus ipſe fui.
Auguſtina parens, quarto me flebilis anno,
Tredecimoq; die perdidit orba ſatum.
Non igitur ſector lacrymas, decepit vtroſq;,
Maxima mendacis fama Mathematici.

LVCRETIAE VXORIS TARQVINII.

Dum foderet caſtum gladio Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egrederetur, ait.
Teſtes procedant me non fauiſſe Tyranno,
Ante virum corpus, Spiritus ante Deos.
Quam benè producti de me poſt fata loquntur,
Alter apud manes, alter apud ſuperos.

Collatinus Tarquinius dulciſs. meæ coniugi.
Lucretiæ pudor & mulierum gloriæ, Vix. ano. XXII. Dies XVI.

CONIVGVM.

Quid ſibi vult quæris tellus congeſta viator?
Oſsibus hic vxor miſcuit oſſa meis.
Nobilis Euphroſine, facilis, formoſa puella,
Docta, opulenta, pia, caſta, pudica, proba.
Fortunam mirare meam, verum exitus hic eſt,
Omnia mecum vno hoc compoſui tumulo.
I nunc & quicquam votis melioribus opta,
Abſumit tecum ſingula ſarcophagus.

ALIVD.

Viuite victuri moneo, mors omnibus inſtat.

ITEM SEPVLCRVM MARIAE.

Reginæ Hieruſalem Siciliæ & Vngariæ.

IN COLLEGIO GREGORIANO.

SVB INSIGNI. PONTIFICIS.

Gregorio XIII. Pontif. Max. religioni ac bonis artibus M. D. LXXXIII.

AD DEPICTAM TABVLAM IN COLLEGIO, VBI GREgorius PP. præſidet, Card. aſsident, fratres Societatis Ieſu ſupplicant.

Gregorio XIII. Pont. Max. huius Collegij fundatori, ſocietas Jeſu ampliſs. ab eo priuilegijs munita, & ingentibus aucta beneficijs vniuerſa in hoc totius ordinis Seminario parentis optimi memoriam tanquam grati animi monumentum poſ.

Deſertis ſemina terris.

COLLEGII ROMANI ALVMNI AD Gregorium XIII. Pont. Max.

Bella mouere iubes, tribuiſq; ad prælia vires,
Et fortes qui nos diligis, ipſe facis.
Quid dubitas Stygium pedibus calcare Tyrannum,
Si dux eſt belli, ſi mouet arma Deus?
Nos licet imbelles tanto duce & auſpice pugnam
Optamus, vitæ nulla pericla mouent.
Te monſtrante viam curremus ad ardua, nullum
Si iubeas ceruix noſtra recuſet onus.
Viue diu, felix duce te victoria certa eſt,
Atq; æterna tuum fama ſequetur opus.

GREGOR. XIII. AD COLLEGII ROM. ALVMNOS.

Præbet non prohibet.

Fortia tartareis indicite prælia monſtris,
Nam vos tanta iubet bella mouere Deus.

Ingemit oppreſſus varijs erroribus orbis,
Arctoaq́; carent relligione plagæ.
Innumeræ ſitiunt fidei ſacra flumina gentes,
Et tendit duplices Indus vterq́; manus.
Ardua res: faueat cœleſtis dextera Regis,
Et cœptum læto fine ſecundet opus.
Ite alacres, dat ſigna Deus, præcedit Ieſus,
Voſq́; operis ſocios aduocat, ite alacres.

DE COLLEGIO GERMANICO.

ANNO PONTIFICAT. II.

Gregorius Romæ florentia germina nutrit,
Doctrinisq́; rigat, quæ pietate fouet.
Auctori cultæ generant poma aurea plantæ,
Et Germana ſacer pectora fructus alit.
Quid facies verſute tuis Caluine labruſcis?
Quis comedet glandes praue Luthere tuas?
Veſcitur en miti felix Germania fructu,
Quem benè culta ferunt germina Gregorij.
Inclyta Gregorio nimium Germania debes,
Syncera fidei qui tibi germen alit.

DE SEMINARIO NEOPHYTORVM.

AD NEOPHYTICOS Anno Pontif. V.

Flos veluti candens graueolenti è germine ſurgit,
Et teneras gignit ſpinea planta roſas.
Sic vos, quos Orco praui genuere parentes,
Innocuos cælo parturit alma fides.
Felices cœli cognoſcite dona, iuuabit
Pro Chriſto veteres deſeruiſſe patres.
Fit pater in terris largo cum fœnore vobis
Gregorius, cælo fit Deus ipſe parens.
Creſcite Gregorius vos plantat & irrigat ipſe,
Incrementa dabit ſed meliora Deus.

DE COLLEGIO ANGLICANO.

Pontific. Ann. V.

Quid Caluine furis? quid gaudes viuere raptu?
Horrida pugnanti belua cede Deo.
Non tua, ſed Petri, ſed Chriſti eſt Anglia, latro
Anglica redde Petro pectora, redde Deo.
Hoc cruor effuſus, pietas hoc poſtulat: an tu
Tale aliquid cauſſam quo tuearis habes?
Carnifices profers? friges. incendia iactas?
Feruet amor. perdis corpora morte? beas.
Reſtat adhuc rabies ſæua, fruſtra omnia tentas
Anglia nam Petri eſt, Anglia Gregorij eſt.

IN COLLEGIO GRAECORVM.

Gregorius XIII. Pontif. Max. Catholicæ fidei propagand. ſtudio colleg. Græcorum inſtituit, donum dedit, cenſum attribuit, Pont. ſui anno VI. Templum *eſt erectum in memoriam S. Ambroſij Alexandrini.*

DE SE-

DE SEMINARIO GRAECORVM.

Heroum fœcunda olim doctiſsima rerum,
Indigno premeris Græcia docta iugo.
Hoc vigil vt vidit ne pondere preſſa iaceres,
Prouidit patrio pectore Gregorius.
Namq; tuam ſobolem ſacra ſuſcepit in vrbe,
Et veræ fructu relligionis alit.
Græcia ne dubita Romano credita cœlo,
Nam tibi reſtituet Graia iuuenta decus.
Grates ergo refer, Romanum agnoſce parentem,
Qui verum factis ſe probat eſſe patrem.

DE SEMINAR: MARONITARVM.

Mons Libanus ad Gregorium XII. *Pont: Max:*

Cum fieret Solymi moles celeberrima templi,
Eſt miſta è noſtris cedrina ſylua iugis.
Corruit hoc, veteres optas reparare ruinas,
Officijs renouans aurea ſæcla tuis.
Illuſtres toto lapides conquiris ab orbe,
Diues vt è vario marmore ſurgat opus.
Mittimus ecce rudes, poliat tua dextera cedros,
Materies operi fiat vt apta tuo.
Saxea conſtruxit Salomon, tua gloria maior
Nam ſummo ædificas templa animata Deo.

DE SEMINARIO ILLYRICO LAVRETI.

Ad Beat: Virg: Lauretanam Pontif. anno VIII.

Ornaras noſtram præclaro munere gentem,
Illyrico ſtarent cum tua tecta ſolo.
Liquiſti priſcas ſedes virgo inclyta, noſtri
Virgineo tamen in pectore manſit amor.
Gregorio Illyricos commendas, prouidus ille
In Lauretana nos iubet eſſe domo.
Commoda ne deſint nato nos tradit Ieſu
Adiuuet vt nos hinc filius, inde parens.
Diuinum ingenium prope te nos virgo locauit,
Complexu vt foueas pignora cara tuo.

DE SEMINAR: VIENNEN: AD AVSTRIAM.

Pontific: ann: IX.

Romani decus Imperij Latijq; ſecures
Auxerunt titulos Auſtria clara tuos.
Hæreſis inuidit, Stygioq; inſana furore
Iecit in immeritum tela cruenta caput.
Ne dubita, vt valeas doctos tibi miſit alumnos
Gregorius, morbi qui tua damna leuent
Auſtria Gregorij cognoſcito dona, valebis
Atq; tuum lato creſcet in orbe decus
Nam ſi clara dedit Romanum inſignia ſceptrum
Mox Romana dabit nobiliora fides.

DE SEMINARIO PRAGENSI AD BOHEMIAM.

Pontif: ann: IX.

Nobilis imperio flores & nobilis armis,
Arctoas decoras nobilitate plagas
Vis firmare tuum generoſa Bohemia ſceptrum,
Aeternùm populis & dare iura tuis.
Sis pia, & hæreſeos tollas monſtra horrida, regnum
Impietate ruit, ſtat pietate diu.
Hoc cupit inſignis virtute armiſq; Rudolphus,
Hoc tua qui curat commoda Gregorius.
His munita cades nunquam, armis roborat ille,
Hic pietate facit firmius Imperium.

DE SEMINARIO GRACENSI STYRIAE.

Pontif: ann: IX.

Lutheri infelix iacuiſſem merſa lacunis,
Ni tua Sancte Parens dextra tuliſſet opem.
Dignum opus eſt cœlo, ſeruat tibi præmia cœlum,
Nil tua facta orbis quod mereantur habet.
Ipſe opifex rerum, quando eſt mihi nulla poteſtas,
Digna precor tanto munere dona ferat.
Cum tibi muneribus cœleſtia præmia creſcant,
Augeri vt poſſint præmia viue diu.
Seruata agnoſcet ſemper dilectaq; patrem
Et ſeruatorem Styria Gregorium.

DE SEMINARIO OLMVCEN: MORAVIAE

Pontific: ann: IX.

Gregorij lætis ſurgebant tecta Morauis,
Hæreſis hoc vidit, fleuit & indoluit.
Ergo ait, è manibus dilecta Morauia noſtris
Excidet? & tanto parta labore ruent?
Affer opem, Caluine, Luthere, perimus, alumnis,
Nos parat ecce ſuis perdere Gregorius.
Arcibus extructis toto me pellit ab orbe,
Vobiſcum & Stygios cogit adire lares.
Ni ſuccurratis ſpem regni amiſimus, eheu
Totus Gregorio ſubditus orbis erit.

DE SEMINARIO BRANSPERGENS: PRVSSIAE.

Pontif. anno IX.

Cur indigna meis tranctantur vincula palmis?
Cur premit infeſtum libera colla iugum?
Pruſſia vipereo Lutheri ſeruit alumno,
Pruſſia nunquid erit tam malè ſana diu?
Agnoſco infelix Caluini retia ſerò,
Vt videam præfert lumina Gregorius.
Prouidus ille mihi meliores ſeruat alumnos,
Detegit & vera relligione dolos.
Ite procul Stygias minitantia retia fraudes,
Libera nam paret Pruſſia Gregorio.

DE SEMINAR: MVSSIPONTANO LOTTRINGIAE.

Pontif: anno IX.

Clara Palæſtinis olim Lottringia bellis;
Contra hoſtes fidei docta mouere manus.

Mouiſti

Mouiſti ſacra bella, fuit victricibus armis.
Dux virtus, finis gloria, palma comes.
Quid ceſſas ſimili virtutem extendere facto,
Nonne mouent animos prælia ſacra tuos?
Hoſtem viciſti, ſuperandus transfuga Chriſti eſt,
Hæc eſt materies viribus apta tuis.
En te Gregorius ſacrata inuitat ad arma,
Perge, nouum priſcis laudibus adde decus.

DE SEMINAR: VILNENSI LITVANIAE.
Pontificat: anno XI.

Senſerat illuſtris minus Lituania pondus
Lutheri infauſtæ quod poſuêre manus.
Addiderat noua res animos, & colla moleſto
Fecerat excuſſo liberiora iugo.
Rem mirata diu, quis me mihi reddidit? inquit,
Ergonè libera ſum quæ modò ſerua fui?
Cum tamen in claram vertit ſua lumina Vilnam
Atq; domum vidit ſurgere Gregorij,
Agnoſco, agnoſco quæ ſint hæc robora, dixit,
Hæc eſt inuicti dextera Gregorij.

DE SEMINARIO CLAVDIOPOLITANO.
Tranſyluaniæ, Pontif: anno XI.

Dum quereris ſteriles exortis ſentibus agros,
Frigore & obſcuram nubibus eſſe diem.
Gregorium tua damna mouent, tibi commoda quærit,
Firmaq; muneribus gaudia ferre parat.
Parce inquit lacrymis, ô Tranſyluania, namq;
Poſt obſcura venit nubila clara dies.
Quot tibi nutrimus veræ pietatis alumnos,
Tot fidei accenſas tradimus igne faces,
Lucebunt, ſpinas comburent, frigora pellent,
Et Tranſyluanus lilia gignet ager.

DE COLLEGIO FVNAENSI IN IAPONE.
Pontificat: Ann: XI.

Ingenijs armiſq; potens Iaponia tellus,
Tartareo ſeruis cur miſeranda Duci?
Quid Xacem colis? & fictæ pietatis Amydam,
Sollicitans multa marmora ſurda prece?
Erige velatos tetra caligine vultus,
Et miſſas Chriſti munere cerne faces.
En clarum fidei præfert tibi lumen Ieſus,
Ignotamq; tuis monſtrat ad aſtra viam.
O te felicem fueras quæ clara triumphis,
Incipies Chriſti clarior eſſe fide.

DE DOMO PROBATIONIS SOCIETAT: *IESV VSVQVIEN: IN IAPONE.*
In malum Dæmonem.

Perfide iam propera malè partas linquere ſedes,
Et nigra monſtroſum conde ſub aſtra caput.

Debetur Chriſto tellus Iaponia, fures,
I fuge, nam furto debita pœna tuo eſt.
Quid ceſſas? iuſta indicit tibi prælia Chriſti
Gregorius, toto qui gerit orbe vices.
Aſpice nam validam pugnantibus extruit arcem,
Belligeroſq; ſacra mittit ab vrbe viros.
Anne times? miles pugnat ſub nomine Ieſu,
Fallor? an audito hoc nomine in antra fugis.

DE SEMINAR: ARIMAEN. IN IAPONE.

Pontificat: Anno XI.

Gregorij dum tecta animæ fauſto omine ſurgunt,
Cumq; ætate bibunt corda tenella fidem.
Exultat victrix pietas, fremit ore cruento,
Qui rapuit Stygijs Indica regno dolis.
Dumq; Fides ſacro teneros fouet vbere natos
Tartareus prædo rumpitur inuidia.
Impie facta times? longè maiora videbis,
Cùm Domino fructus ſemina iacta ferent.
O miſera & nimiùm infelicia tartara, felix
Si multos habeas India Gregorios.

DE SEMINAR: ANZVCHIXAMENE

In Iapone, Anno Pontif: XI.

Dum natas inuiſit oues Iaponis in aruis,
Atq; nouos fœtus geſtit habere Fides,
Innumeras vidit vaſtari ad tartara prædas,
Proh dolor, & tenero paſcua deêſſe gregi.
Ergo fames inquit perdet? prædabitur hoſtis
Quas Deus immiti morte redemit oues?
Tum ſic Gregorio exoritur grex paſcua poſcit,
Paſtor es, ergò gregi nam potes, affer opem.
Inde tuum gemino nomen celebrabitur orbe,
Et mox maioris paſtor ouilis eris.

DE SEMINAR: FVLDENS: IN HASSIA.

Pontificat: Ann: XIII.

Seruatoris honor primum tibi Fulda decorem
Attulit, & clarum nomen habere dedit.
Inuida quæ cœpit fieret ne gloria maior,
Hæreſis eſt ſacris inſidiata tuis.
Fraude fidem ſimulans cœlum promiſit, & aſtu
Deceptam Stygijs te propè merſit aquis.
Non tulit hoc ſed dat primos ſeruator honores,
Idem perficiat qui benè cœpit opus,
Gaude Fulda decus quod perdidit hæreſis, eccè
Relligione parat reddere Gregorius.

INSCRIPTIONES BIBLIOTHECARVM.

IN PALATINA D. PETRI IN VATICANO, DE NICOLAO V. PONTIF: MAX:

Templa domum expoſitis, vicos, fora, mœnia, pontes
Virgineam Triuij quod repararis aquam.

Priſca licet nautis ſtudeas dare commoda portus.
Et Vaticanum cingere Sixte iugum.
Plus tamen vrbs debet: nam quæ ſqualore latebat,
Cernitur in celebri Bibliotheca loco.

IN PRIVATA IVLII III. AD AVLAM CONSTANTINI.

Iulius III. *Pontif: Max: ad honeſtam ab ingentibus curis animi relaxationem, literarij ocij fructum & iucunditatem Bibliothecam priuatam fieri & exornarij iuſsit, Pontificat: ſui anno primo.*

IN NOVA XYSTI QVINTI IN PORTA.

Sixti V. *P. M. Bibliotheca Vaticana.*

INTERIVS.

Sixtus V. *P. M. Bibliothecam hanc Vaticanam ædificauit exornauitq; anno M. D. Lxxxviii. Pontif:* IIII.

IN PORTICV, IN LAPIDE PORPHYRETICO MVRO INFIXO.

Sixtus V. PP. M. Bibliothecam Apoſtolicam, S.^mis Prioribus illis Pontificibus, qui B. Petri vocem audierunt, in ipſis adhuc ſurgentis Eccleſiæ primordijs inchoatam, pace Eccleſiæ reddita, Laterani inſtitutam, à poſterioribus deinde in Vaticanum, vt ad vſus Pontificios paratior eſſet tranſlatam, ibiq; à Nicolao V. *auctam, à Sixto* IIII. *inſigniter excultam, quò fidei noſtræ & veterum Eccleſiaſticæ diſciplinæ rituum documenta omnibus linguis expreſſa, & aliorum multiplex ſacrorum copia librorum conſeruaretur, ad puram & incorruptam fidei & doctrinæ veritatem, perpetua ſucceſsione in nos deriuandam toto terrarum orbe celeberrimam cum loco depreſſo, obſcuro, & inſalubri ſita eſſet, aula perampla, veſtibulo, cubiculis circum & infra, ſcalis, porticibus, totoq; ædificio à fundamentis extructo, ſubſellijs, pluteisq; directis, libris diſpoſitis, in hunc editum, perlucidum, ſalubrem magis oportunum locum extulit, picturis illuſtribus vndiq; ornauit, liberalibusq; doctrinis, & publicæ ſtudiorum vtilitati dicauit anno M. D. Lxxxviii. Pontificatus ſui* IIII.

IBIDEM IN ALIO LAPIDE.

Sixti V. *PP. M. perpetuo hoc decreto de libris Vaticanæ Bibliothecæ conſeruandis, quæ infra ſunt ſcripta hunc in modum ſancita ſunto, inuiolateq; obſeruantor. Nemini libros, codices, volumina huius Vaticanæ Bibliothecæ ex ea auferendi, extrahendi, alioue aſportandi non Bibliothecario neq; cuſtodibus ſcribiſq;, neq; quibuſuis alijs cuiuſuis ordinis & dignitatis, niſi de licentia ſummi Rom: Pontificis ſcripta manu facultas eſto. Si quis ſecus fecerit libros partemue aliquam abſtulerit, extraxerit,*

xerit, clepſerit, rapſeritq́ue, concerpſerit, corruperit dolo malo, illico à fidelium communione eiectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus eſto, à quoquam præterquàm Rom: PP. ne abſoluitor.

IN PARIETIBVS, AD IPSIVS GESTA in XVIIII. Tabulis expreſſa picturis artificioſiſs:

AD I. TABVLAM

Ad templum Antipodes Sixtum comitantur euntem,
Iamq́ue nouus paſtor paſcit ouile nouum.

AD II. TAB.

Alcides partem Italiæ prædone redemit,
Sed totam Sixtus: dic mihi maior vter?

AD III. TAB.

Dum ſtabit motus nullis obeliſcus ab Euris,
Sixte tuum ſtabit nomen, honoſq́ue tuus.

AD IIII. TAB.

Temporibus Sixti redeunt Saturnia regna,
Et pleno cornu copia fundit opes.

AD V. TAB.

Vt vinclis tenuit Petrum ſic alta columna,
Suſtinet hinc decus & dedecus vnde fuit.

AD VI. TAB.

Sixtus regnum iniens indicit publica vota,
Ponderis ô quanti vota fuiſſe vides.

AD VII. TAB.

Quintus reſtituit Laterana Palatia Sixtus,
Atq́ue obelum medias tranſtulit ante fores.

AD VIII. TAB.

Fons Felix celebri notus ſuper æthera verſu,
Romulea paſſim iugis in vrbe fuit.

AD IX. TAB:

Dum rectas ad templa vias ſanctiſsima pandit
Ipſe ſibi Sixtus pandit ad aſtra viam.

AD X. TAB.

Virgo intacta manet, nec viuit adultera coniux,
Caſtaq́ue nunc Roma eſt quæ fuit ante ſalax.

AD XI. TAB.

Virginis abſiſtit mirari templa Dianæ,
Qui fanum hoc intrat virgo Maria tuum.

AD XII. TAB.

Maximus eſt obelus circus quem maximus olim
Condidit & Sixtus maximus inde trahit.

AD XIII. TAB.

Quæris cur tota non ſit mendicus in vrbe,
Tecta parat Sixtus ſuppeditatq́ue cibos.

AD XIIII. TAB.

Iure Antoninum Paulo vis Sixte ſubeſſe,
Nam verè hic pius eſt, impius ille pius.

AD XV.

AD XV. TAB.

Transfers Sixte Pium, transferre an dignior alter,
Transferri an verò dignior alter erat.

AD XVI. TAB.

Qui Regum tumulis obeliſcus ſeruijt olim,
Ad curas Chriſti tu pie Sixte locas.

AD XVII. TAB.

Inſtruit hic Sixtus claſſes quibus æquora purget,
Et Solymos victos ſub ſua iura trahat.

AD XVIII. TAB.

Hæc tua Sixte tuo capiti diademata dantur,
Sed quartum in cœlis te diadema manet.

IN TABVLA VNIVERSALI CONGRATVLAtionem ad Pontif: & laudes eius continente.

CASTORIS DVRANTIS DISTICHA XX.

AD PONTIFICEM.

Munera dant nato Reges hoc tempore Chriſto,
Tu pro muneribus carmina Sixte cape.
Altiſonis numeris tua facta excelſa canemus,
Sydere ſi faueas optime Sixte tuo.

IN CREATIONEM SIXTI.

Dum Felix vrbem felicem reddis & orbem,
Quàm benè Felicis nomen & omen habes.

IN CORONATIONEM.

Nubila dum ſcelerum pendent, dumq́ ingruit error,
Vndiq́ Sixte tuo ſydere ſiſte ratem.

IN NAVEM PETRI SERVATAM.

Dum rapidis ventis vndisq́ agitata ruebat
Sacra ratis, Sixti ſydere ſurgit ouans.

IN GRASSATORVM EXTERMINATIONEM.

Sicarios Sixtus Zelo auſpice perdidit, inde
Vbertas campis reddita, paxq́ gregi.

IN HOMICIDAS ET ADVLTEROS.

Compeſcit Sixtus Veneris Martisq́ furores,
Sint vt ab vrbe ſacra Marsq́ Venusq́ procul.

IN RESTITVTAM SECVRITATEM.

Omnia tuta vides, caput orbis, præſide Sixto,
Aſtræa eſt terris reddita, paxq́ mari.

IN VIAS STRATAS.

In rectas patefacta vias Roma hoſpita rectos
Allicit, atq́ hoſtes pellit agitq́ malos.

IN THESAVRVM ECCLESIAE COLLECTVM.

Quò præſis cœlo tibi vis data cœlica Sixte,
Quò terris præſis prouidus æra paras.

IN OBELISCI TRANSLATIONEM.

Dum transfers montes Mont' alte è monte reciſos,
Illud Sixte facis quod facit ipſa fides.

DE CRVCE IN OBELISCI VERTICE POSITAE.

Ecce cruci excelſæ nunc ſubijciuntur honores
Induperatorum munere Sixte tuo.

IN PIETATEM ET CARITATEM ERGA POPVLOS.

Ponderibus librata ſuis ſtat pyramis alta,
Vt Sixti in populos ſtat pietatis amor.

IN COLVMNAS D. PETRI STATVIS DECORATAS.

Diuorum ſignis docoras bone Sixte columnas,
Vt ſapere hinc populus diſcat & alta ſequi.

IN SACELLVM PIO V. ERECTVM.

Pauper adhuc Sixtus ſtruxit regale ſacellum,
Tantum animi potuit mens generoſa Pij.

IN SOLLICITVDINEM PRO GREGE SVO.

Pro grege Sixte tibi quæ curæ? paſcua lympha,
Pyramis, æs, pacis commoda, honorq; crucis.

IN PRIMAM CARD.lium CLARISS.morū CREATIONEM.

Quos virtus aluit, quos euehit æther amicus,
Hos tu Sixte ſacro cingis honore Patres.

IN INSIGNIA SIXTI V.

Sunt alti montes, altus leo, ſydus & altum,
Corde tamen Sixti Mons, Leo, Stella, minor.

IN EADEM ALIVD.

Viuat & excubitor pellat genus omne luporum
Hic Leo, vt illæſum ſeruet ouile Dei.
Sixte vale, vt multos valeas dominarier annos,
Si tibi non curas viuere, viue gregi.

IN CREATIONEM XYSTI V.

IACOB STRVELLVS.

Tertius à Decimo vt guſtavit funera Paſtor
Gregorius, Xyſtus Quintus ouile regit.
Dùm hic ouile regit Chriſti populoſq; fideles
Exorent Xyſto proſpera cuncta ſient.
Aſſiſtat Chriſtus Xyſto, vt ſuperentur ab ipſo
Pagani hæretici, viuere detq; diu.

ALIVD.

Felix arca Dei iam tandem exiſtit in alto
Monte, nec vlterius æquora vaſta timet.

. . . .

Gregorij Xyſto eſt credita cura gregis
Non ſine numine Diuum.

MONS ALTVS.

Septem inter montes Felix Mons prominet Altus,
Vertice cui cedas maxime olympe tuo.
Mons ille eſt de quo cecinit Ieſſëia Muſa,
Mons in quo placuit ſummo habitare Deo.
Eſt etiam cum iam ſtillant dulcedine montes,
Et niueo lacte & melle liquente fluunt.
O felix Roma dudum celebranda per æuum
Tu verè es Solyme ſanctus & ille Sion.

LEO.

Sis Leo ſupplicibus clemens, vitijſq; ſolutus,
Nec ceſſes nobis conciliare Deum.
O bone paſtor oues quæ te nouêre tuamq;
Vocem, duc ſummi ad paſcua læta Dei.

STELLA

STELLA.

Stella ſuo radios exæquans lumina Solis,
Cedere iam fecit nubila cuncta loco.
Candida de nigris fient, & tempore noſtro
Non vltra addentur crimina criminibus.

PARVA PYRVS.

Parua pyrus creuit patulaq; ſub arbore felix,
Nunc fruitur longa Roma quiete pyri.
Creuit, & extremos ramus peruenit ad Indos,
Vmbraq; cum reliquis eſt quot in orbe locis.

SISTVS.

Orcus te metuit, mundus colit, aſtra coronant,
Et decorant patriæ perpete laude chori.
Paſce gregem reprimens hoſtem, benedicito Paſtor,
Vt pateant ouibus ſydera clara tuis.
Felix ille dies qua te genuêre parentes,
Felix ſemper eris fulgida gemma micans,
Te Deus omnipotens multos conſeruet ad annos,
O pater & patriæ fulgida Stella tuæ.

OBOEDIENTIA.

Sixte humilis tua Roma tibi ſe tradit habendam,
Dant Reges tenſas Cæſar vt ipſe manus.
Indica te tellus agnoſcit & vltima Thule,
Et fidei repetit naufraga turba iugum.
Cæſar habet miſſum, qui ſe tibi dedat, & ipſa
Gallia quam penes eſt & fuit alma fides,
Miſſum habet & fidei minor haud athleta Philippus
Rex, quo ſancta fides ſoſpite ſoſpes erit.
Miſſos ipſa ſuos tellus habet vltima Reges:
Sed tua tunc longè gloria maior erit,
Dum venient Cæſar, Rex Gallus, Rexq; Philippus
Vnanimes, quibus eſt maxima cura tui.
Et ſenio longæq; viæ diſcrimine ſpretis
Quod venient Reges vltimus orbis habet.
Siue nouos Reges addent & Cæſar honores,
Quisq; noua mittet cum tibi Paſtor aue.

HOSPES ET MANCINVS

HOSP: Innumero cur igne micat telluris, olympum
Vt referat, noctu cur magis aſtra micant?
Aëra per vacuum tot cur incendia bombæ
Terribiles? cur nunc fulmina mille tonant?
Iupiter eſt forſan cœlo demiſſus ab alto,
Incolat vt terras ſydera deſpiciens?
MANCIN: Iupiter alter adeſt terris, non ſegnior illo
Viribus, ingenio, nec deitate minor,
Qui cœlum terramq; regit, qui nomen ab alto
Felici felix omine monte trahit.
Innumeri hic ignes, hinc vaſta tonitrua facta,
Hinc cœlo tellus æmula contiguo.
HOSP: Proh. Terris igitur quid præſtant ſydera, bombos
Si nunc ipſa ſuos terra habet aſtra Iouem?

GRATVLATIO.

Roma tibi pleno gratatur copia cornu,
Sis felix, Sixtus Quintus egere vetat.
Eia agè Roma, bonis auibus, Pater optime, clama,
Procede, & regna latus in vrbe tua.
Te duce Iuſticiæ locus eſt, furijsq; reuinctis
Eſt paci tutus factus in orbe locus.
Te poſita feritate Leo pater ambit amicus,
Nunc hominis parua geſtit in vrbe pyro,
Protege nos alti vigilans in culmine montis,
Et tandem ſtella duc ſuper aſtra duce.
Paſtor aue & Princeps, vicinia læta reclamans
Te fieri felix Sixte fauente poteſt.

IMPERIVM.

Sydera quod poſſent brutis animantibus olim
Iura dare, atq; homini tantum parere dederunt:
Nunc mihi felici aſtrorum curſu omnia parent,
Sydera, homo, bruta, atq; etiam regna impia Ditis.

AD PICTVRAM BIBLIOTHECAE BABILONICAE.

Daniel & Socij linguam ſcientiamq; Chaldæorum ediſcunt.
Cyri decretum de templi inſtauratione Darij iuſſu perquiritur.

AD PICTVRAM BIBLIOTH: ATHENIENSIS.

Piſiſtratus primus apud Græcos publicam bibliothecam inſtituit.
Seleucus bibliothecam à Xerxe aſportatam referendam curat.

AD PICTVRAM BIBLIOTH: ALEXANDRINAE.

Ptolomæus ingenti bibliotheca inſtructa Hebræorum libros concupiſcit. Lxx. Interpretes ab Eleazaro miſſi ſacros libros Ptolomæo reddunt.

AD PICTVRAM BIBLIOTH. ROMANORVM.

Tarquinius Superbus libros Sibyllinos tres, alijs à muliere incenſis, tandem emit.

Auguſtus Cæſar Palatina bibliotheca magnificè ornata viros literatos fouet.

AD PICTVRAM BIBLIOTH: HEBRAEAE.

Eſdras ſacerdos & ſcriba bibliothecam ſacram reſtituit.

Moyſes librum legis Leuitis in tabernaculo reponendum tradit.

AD PICTVRAM BIBLIOTHECAE CAESARIENS:

S. Pamphilus Presbyter & Martyr admirandæ ſanctitatis & doctrinæ Cæſariæ ſacram Bibliothecam conficit, multos libros ſua manu deſcribit.

AD PICTVRAM BIBLIOTH: HIEROSOLYMITANAE.

S. Alexander Epiſcopus & Martyr Decio Imp. in magna temporum acerbitate ſacrorum ſcriptorum libros Hieroſolymis congregat.

AD PICTVRAM BIBLIOTH: APOSTOLORVM.

S. Petrus ſacrorum librorum theſaurum in Romana Eccleſia perpetuò ſeruari iubet.

AD PICTV-

AD PICTVRAM BIBLIOTH. PONTIFICVM.

Romani Pontifices Apoſtolicam bibliothecam magno ſtudio amplificant atq; illuſtrant.

IN ALIIS TABVLIS.

AD PICTVRAM CONCILII NICAENI I.

S. Sylueſtro PP. Fl. Conſtantino Magno Imp: Chriſtus Dei filius Patri conſubſtantialis declaratur: Arrij impietas condemnatur.

AD PICTVRAM CONCILII CONSTANTINOPOL: I.

S. Damaſo PP. & Theodoſio Sen: Imp: Spiritus Sancti diuinitas propugnatur, nefaria Macedonij hæreſis extinguitur.

AD PICTVRAM CONCILII EPHESINI.

S. Celeſtino PP. & Theodoſio Iun: Imp: Neſtorius Chriſtum diuidens damnatur. B. Maria virgo Dei genitrix prædicatur.

AD PICTVRAM CONCILII CHALCEDONENS:

S. Leone Magno PP. & Martiano Imp: infelix Eutyches vnam tantùm in Chriſto poſt incarnationem naturam aſſerens confutatur.

AD PICTVRAM CONCILII CONSTANTINOPOL: II.

Vigilio PP. & Iuſtiniano Imp: contentiones de tribus capitibus ſedantur: Origenis errores refelluntur.

AD PICTVRAM CONCILII NICAENI II.

Hadriano PP. Conſtantino Irenæi F. Imp: impij Iconomachi reijciuntur, ſacrarum imaginum veneratio confirmatur.

AD PICTARAM CONCILII CONSTANTINOPOL: III.

S. Agathone PP. Conſtantino Pogonato Imp: Monotelitæ hæretici vnam tantùm in Chriſto voluntatem docentes, exploduntur.

AD PICTVRAM CONCILII CONSTANTINOP. IIII.

Hadriano PP. & Baſilio Imp: S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſuam ſedem, pulſo Phocio, reſtituitur.

AD PICTVRAM CONCILII VIENNENSIS.

Clemente V. PP. Clementinarum Decretalium conſtitutionum codex promulgatur; proceſſio ſolemnitatis corporis Domini inſtituitur, Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ & Græcæ linguarum ſtudium propagandæ fidei ergò in nobiliſſimis quatuor Europæ Academiis inſtituitur.

IN ALIA TABVLA.

Eugenio IIII. PP. Græci, Armeni, Æthiopes ad fidei vnitatẽ redeunt.

AD PICTVRAM CONCILII LATERANENSIS

Iulio II. & Leone X. PP. MM. bellum contra Turcam, qui Syriam & Ægyptum proximè Sultano victo occupauerat, decernitur.

Maximilianus Cæſar & Franciſcus Rex Galliæ bello Turcico Duces præficiuntur

AD PICTV-

AD PICTVR: CONCIL: TRIDENT: OECVMENICI.

Paulo III. *Iulio* III. *Pio* IIII. *PP^9 Lutherani & alij hæretici damnantur. Cleri populiq; diſciplina ad priſtinos mores reſtituitur.*

AD PICTVRAM CONCILII LVGDVNENS: I.

Innocentio IIII. *PP. Federico* II. *Imp: Federicus* II. *hoſtis Eccleſiæ declaratur, imperioq; priuatur; de Terræ Sanctæ recuperatione conſtituitur: Hieroſolymitanæ expeditionis Dux Ludouicus Francorum Rex deſignatur: galero rubro, & purpura Cardinales donantur.*

AD PICTVRAM CONCILII LVGDVNENS: II.

Gregorio x. *PP. Græci ad Eccleſiæ Rom: vnionem redeunt.*

In hoc Concilio S. Bonauentura egregia virtutum officia Eccleſiæ Dei præſtitit.

Tartarorum Rex A. F. Hieronymo ordinis Minor: ad Concilium perducitur.

Rex Tartarorum ſolemniter baptizatur.

AD PICTVRAM CONCILII LATERANENSIS GENERALIS.

Alexandro III. *Pontif: Frederico* I. *Imp: Valdenſes & Cathari hæretici damnantur: bellum ſacrum de Hieroſolyma recuperanda decernitur, cruce ſignati inſtituuntur.*

Innocentio III. *Pont: per quietem S. Franciſcus Eccleſiam Lateranenſem humeris ſuſtinere viſus eſt.*

S. Dominico ſuadente contra Albigen: hæreticos Simon Comes Montiforten: pugnam ſuſcipit egregièq; conficit.

IBIDEM IN OCTO COLVMNIS QVADRATIS.

IN PRIMA COLVMNA.

Ad Effigiem Chriſti.

A & Ω

In libro quem tenet Chriſtus.

Ego ſum α & ω Principium & finis.

Ieſus Chriſtus ſummus Magiſter, cœleſtis doctrinæ autor.

A DEXTRIS SVB PICTVRA PONTIFICIS.


Chriſti Domini Vicarius.

A SINISTRIS SVB PICTVRA IMP.


Eccleſiæ defenſor.

IN SECVNDA COLVMNA.

IN I. LATERE SVPRA EFFIGIEM CHRYSOSTOMI.




IN LIBRO QVEM TENET MANIBVS.




S. Ioan. Chryſoſtomus literarum Armenicarum autor.

IN II. LATERE SVPRA EFFIGIEM PHILAE EPISCOPI.




V. Philas Epiſcopus Gothorum literas inuenit.

IN III. LAT. SVPRA EFFIGIEM S. HIERONYMI.



S. Hieronymus literarum Illyricarum inuentor.

IN IV. LAT. SVP. EFFIG. S. CYRILLI.



S. Cyrillus aliarum literarum Illyricarum autor.

IN TERTIA COLVMNA.

IN I. LAT. SVPRA PICTVRAM NICOST: CARMEN.

A B C D E G H I L M N O P Q R S T V.

Nicoſtrata Carmenta Latinarum literarum inuentrix

IN II. LAT. SVP: PICT: IMP:

F. reliquæ duæ vſu obliteratæ ſunt.

Claudius Imp: tres nouas literas adinuenit.

IN III. LAT. AD EFFIG. EVANDRI.

H. K Q X. Y Z.

Euander Carment. F. Aborigines literas docuit.

IN IV. LAT. AD EFFIG. DEMARAT.



IN QVARTA COLVMNA.

IN I. LAT. AD EFFIG. PITHAGORAE.

Y.

Pithagoras Y *literam ad humanæ vitæ exemplum inueuit.*

IN II. LAT. AD EFFIG. EPICHARMI.

Θ. X.

Epicharmus Siculus duas Græcas addidit literas.

IN III. LAT. AD EFFIG. SIMONIDIS.

Z. H. Υ. Ω.

Simonides Melicus quatuor Græcarum literarum inuentor.


IN IV. LAT. AD EFFIG. PALAMEDIS.

Θ. Ξ. Φ. X.

Palamedes bello Troiano Græcis literis quatuor adiecit.

IN QVINTA COLVMNA.

IN I. LAT. AD EFFIG. PHOENICIS.



Phœnix literas Phœnicibus tradidit.

IN II. LAT. AD EFFIG. CADMI.

Α Β Γ Δ Ε Ι Κ Λ Ν Ν Ξ Ο Π Ρ Σ Τ Φ.

Cadmus Phœnicis frater literas XVI. in Græciam intulit.

IN III. LAT. AD EFFIG. LINI.

Α Β Τ Δ Ε Ι Κ Λ Μ Ν Ξ Ο Π Ρ Σ Τ Φ.

Linus Thebanus literarum Græcarum inuentor.


IN IV. LAT. AD EFFIG. CECROPIS.

Α Β Γ Δ Ε Ι Κ Λ Μ Ν Ξ Ο Π Ρ Σ Τ Φ.

Cecrops Diphyes primus Athenienſis Rex Græcarum literarũ autor.


IN SEXTA COLVMNA.

IN PRIMO LAT. AD EFFIGIEM MENONIS.




Menon Phoroneo æqualis literas in Ægypto inuenit.

IN II. LAT. AD EFFIG. ISIDIS.




Iſis Regina Ægyptiarum literarum inuentrix.

IN III. LAT. AD EFFIG. HERCVLIS.



Hercules Ægyptius Phrygias literas conſcripſit.


IN IV. LAT. AD EFFIG. MERCVRII.



Mercurius Thoyt: Ægyptijs ſacras literas conſcripſit.


IN SEPTIMA COLVMNA.

IN I. LAT. AD EFFIG. MOYSIS.




Moyſes antiquas Hebraicas literas inuenit.

IN II. LAT. AD EFFIG. ESDRAE.




Eſdras nouas Hebræorum literas inuenit.

IN III. LAT. AD EFFIG. ABRAHAMI.



Abraham Syras & Chaldaicas literas inuenit.

IN IV. LATERE.



Filij Seth columnis duabus rerum cœleſtium diſciplinam inſcribunt.

IN OCTA-

IN OCTAVA COLVMNA IN MVRO.

AD EFFIGIEM ADAMI.



Adam diuinitus edoctus ſcientiarum & literarum inuentor.

SISTVS.

Sydereas Imitans Summo Ter Vertice Sedes.

Iuſtitia. Abundantia. Pax.

Nec me ſpes vana fefellit.

INSCRIPTIONES OBELISCORVM.

IN AREA SANCTI PETRI, IN OBELISCO TIBERII CAESARIS.

IN SVPREMITATE.

Sanctiſsimæ Cruci ſacrauit Xyſtus V. PP. M. è priore ſede auulſum, & Cæſaribus Auguſto & Tiberio oblatum.

VERSVS MERIDIEM.

Xyſtus V. PP. M. Obeliſcum Vaticanum Dis gentium impio cultui dicatum, ad Apoſtolorum limina operoſo labore tranſtulit, Anno M. D. LXXXVI. Pont. ann. II.

VERSVS OCCIDENTEM.

Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, Chriſtus ab omni malo plebem ſuam defendit.

VERSVS ORIENTEM.

Ecce Crux Domini, fugite partes aduerſæ: Vicit Leo de tribu Iuda

VERSVS AQVILONEM.

Xyſtus V. P. M. cruci inuictæ Obeliſcum Vaticanum ab impura ſuperſtitione expiatum, iuſtius ac felicius conſecrauit. Anno Domini M D L XXXVI Pontif. Anno II.

IN INFERIORI PARTE.

Diuo Cæſari Diui Iulii F. Auguſti Cæſ. Diui Auguſti F. Auguſto ſacrum.

IN PEDE.

Dominicus Fontana, ex pago Mili agri Nouocomenſis tranſtulit & erexit. Pridem huic obeliſco inſcriptum legebatur:

Si lapis eſt unus, dic qua ſit arte leuatus?
Quod ſi ſunt plures, dic ubi congeries?

VRBS ROMA AD PONTIFICEM inchoato opere

SIXTO V. PONTIF: MAX:

Quod ſingulari pietate & magnificentia obeliſcum mirandæ magnitudinis ex Ægypto olim ab Octauiano Auguſto in vrbem aduectum, & in circo dein Vaticano collocatum, ac progreſſu temporum ruderibus ſemiſepultum ex neglecto & infrequenti illuſtriorem in locum ante limina Baſilicæ Sancti Petri, quo cunctis patêre, adeoq; ingens moles conſpicua eſſe poſſet, transferendum, erigendum, in eiuſdemq; ſummitate ſalutarem Chriſti crucem affigendam decreuit, vt qui Tiberio Imp: quondam dicatus, gentilium ſuperſtitioni inſeruierat, diuino nunc cultui addicendus Chriſti de vtroq; Cæſare, Auguſto ſub quo natus eſt, ac Tiberio, ſub quo paſſus, atq; adeò inuictæ crucis de omni Idololatria clariſsimã victoriam loco celeberrimo demonſtret. Ob rem igitur præclariſsimè tentatam, felicemq; propediem exitum ſortituram, tot ſumptus erogari, tot difficultates ſuperari cœptas, vrbs votis conceptis publica acclamatione Magnificentiſsimum principem proſecuta lubens gratulatur.

Natalis Bonifacius Sebenicenſis in ære incidebat.

AD SANCTAM MARIAM MAIOREM
IN OBELISCO AVGVSTI CAESARIS,
huc è via S.ti Rochi translato.

IN I. LATERE.

Chriſtum Dominum, quem Auguſtus de virgine naſciturum viuens adorauit, ſeq; deinceps Dominum dici vetuit, adoro.

IN II. LATERE.

Chriſti Dei in æternum viuentis cunabula lætiſsimè colo, qui mortui Auguſti ſepulcro triſtis ſeruiebam.

IN III. LATERE

Chriſtus per inuictam crucem populo pacem præbeat, qui Auguſti pace in præſepe naſci voluit.

IN IIII. LATERE.

Sixtus V. PP. M. obeliſcum Ægypto aduectum Auguſto in eius Mauſoleo dicatum, euerſum deinde, & in plures confractum partes in via ad S. Rochum *iacentem, in priſtinam faciem reſtitutum ſalutiferæ cruci felicius hîc erigi iuſsit Anno M. D. Lxxxiix. Pontif: III,*

AD SANCTVM IOANNEM LATERANVM
IN OBELISCO SOLIS EX CIRCO MAX:o
huc translato & erecto.

Flauius Conſtanſtinus Maximus Aug: Chriſtianæ fidei vindex & aſſertor, obeliſcum ab Ægyptio Rege impuro voto Soli dedicatum, ſedibus auulſum

auulſum ſuis, per Nilum transferri Alexandriam iuſsit, vt nouam Romam à ſe tunc conditam, eo decoraret monumento.

IN LATERE VERSVS BOREAM.

Regi impuro voto Soli dedicatū ſedibus auulſum ſuis, per Nilum transferri Alexandriam iuſsit, vt nouam Romam abs ſe tunc conditam eo decoraret monumento.

AD MERIDIEM.

Conſtantinus per crucem victor, à S. Sylueſtro hic baptizatus, eius gloriam propagauit.

AD ORIENTEM.

Flauius Conſtantinus Aug: Conſtantini Aug: Obeliſcum à patre loco ſuo motum, diuq; Alexandriæ iacentem, trecentorum remigum impoſitum naui mirandæ vaſtitatis per mare Tyberimq; magnis molibus Romam aduectum in circo maximo ponendum S. P. Q. R. A. D. D.

AD OCCIDENTEM.

Sixtus V. PP. M. Obeliſcum hunc ſpecie eximia temporum calamitate fractum, circi maximi ruinis humo limoq; altè demerſum, multa impenſa extraxit hunc in locum magno labore tranſtulit, formæq; priſtinæ accuratè reſtitutum cruci inuictiſsimæ dicauit, Anno Dn. M. D. Lxxxviii. Pont: iii

DE EODEM IMP:re IN QVODAM PALATIO.

Imp: Flauio Val: Conſtantino Magno, benefico, pacis fundatori, publicæ libertatis auctori, Maieſtatis Rom: Eccleſiæ Chriſtianæ Religionis propugnatori in ſalutifero crucis ſigno victori Triumphatori ſemper Auguſto.

AD PORTAM FLAMINIAM IN OBELISCO.

Imp: Cæſar Diui F. Auguſtus Pont: Max: Imp. xii. Cæſ. xi. trib. xLv. Auguſto Ægypto in poteſtatem pop: Rom: redacta Soli donum dedit.

AD ALIVD LATVS.

Sixtus V. PP. M. obeliſcum hunc à Cæſ. Auguſto Soli in circo maximo ritu dicatum impio, miſeranda ruina fractum obrutumq; erui, transferri, formæ ſuæ reddi, cruciq; inuictiſsimæ dedicari iuſsit Anno Domini M. D. Lxxxix. Pont: iiii.

AD ALIVD LATVS.

Ante ſacram illius ædem auguſtior lætiorq; ſurgo, cuius ex vtero virginali Aug: Imp: antè Sol iuſtitiæ exortus eſt.

INSCRIPTIONES AEQVAEDVCTVVM, Fontium, & de Tyberis auctu.

IN FONTE DI CAPO LVPI IN CAMP. MART.

Lac pueris Lupa dulce dedit non ſæua gemellis,
Sic vicine Lupus dat tibi fontis aquam.
Quæ fluit aſſiduè, quæ lacte eſt dulcior ipſo,
Purior electro, frigidiorq́; niue.
Hinc igitur lymphas benè terſa ſedulus vrna,
Et puer & iuuenis portet onuſq́; domum.
Fonticulo prohibentur equi, prohibentur aſelli,
Nec canis hinc, fœdo nec caper ore bibat.

Anno M. D. LXXIIII.

IN FONTE AD LEONEM VIA IVLIA.

Quod Pius huc oculos ad me iam flexit amicos,
Qui mihi Phœbeæ lampadis inſtar erant.
Do modo quas ciuis Romæ, quas aduena ſumat,
Seu ſit frigus iners, ſeu calor acer aquas.
Sic quoq; cum Solis radios complector acutos,
Plenior AEgypti temperat vnda ſitim.
Sed tamen hoc differt, illic nam ſubſidet amnis,
Hîc eadem ſemper copia iugis aquæ eſt.

IN FONTE MONTIS IORDANI.

Vt lupus in Martis campo manſuetior agno,
Virgineo populo ritè miniſtrat aquas:
Sic quoq; perſpicuam cui Virgo præſidet undam,
Mitior hic hædo fundit ab ore Leo.
Nec mirum Draco qui toti Pius imperat orbi,
Exemplo placidos reddit vtroſq́; ſuo.

M. D. LXXVIII.

IN ALIO FONTE.

Fundit aquam Eridanus, Phaëton ruit æthere ab alto,
Temperat iſte ſitim, temperat iſte animum.

IN FONTE FELICI SIXTI V. VBI TRINO *gurgite aqua effunditur.*

Sixtus V. PP. M. Picenus, aquam ex agro Columnæ via Præneſtina ſiniſtrorſus multarum collectione venarum ductu ſinuoſo receptaculo milliaria XX. à capite XXII. adduxit, Felicemq; de nomine ante Pontificatum dixit.

IN EO LOCO VBI A MOENIBVS DIGREDITVR.

Sixtus V. P. M. ductum aquæ Felicis viuo ſubterraneo mill. paſſ. XIII. ſubſtructione arcuata VII. ſuo ſumptu exſtruxit.

IN FONTE ANTE S. MARIAM TRASTIBER:

Quod blando facilem producit marmore ſomnum,
Quæ cadit & tremulos efficit vnda lacus.
Quod ſumis puros hauſtus, nitideq́; lauaris,
Inſtauratori gratia habenda Lupo.
Res animumq́; ſuum ſpectans dic Romule verum,
An minus hic pater eſt; quàm Lupa mater erat.

Alexander VI. PP. M. felici auſpicio Joannis Lupis Valentiniani S.

ni S. Mariæ Tranſtiburinæ Cardinalis Peruſini, fontem vetuſtate informem, ad commoditatem Populi Rom. reſtituit.

IN GVTTVRNIO APVD S. STEPHANVM.

Prius ablue mentem.

IN CISTERNA QVADAM IN DOMO CONSERVAT.

Antonius Miltius, Stephanus Teulus, Sanus Lorona Coſs. ciſternam hanc vetuſtate deformem, in meliorem formam reſtituerunt.

Nos vas condidimus, pluuia tu Iupiter imple,
Præſidibusq; tuæ rupis adeſſe velis.

IMAGO GRATIARVM AD FONTEM QVENDAM.

Par tribus eſt facies, qualem decet eſſe ſororum,
Par tribus eſt ætas, par quoq; forma tribus.
Grata Thalia tamen geminæ conuerſa ſorori,
Implicat alterius brachia blanda ſoror.
Euphroſynam dextra ſtupeo, Aglaiamq; ſiniſtra
Miror, & implicitis brachia nexa modis.
Iuppiter eſt genitor, peperit de ſemine cœli
Hæmonia, & Veneris turba miniſtra fuit.
Inde alitur nudus placida ſub matre Cupido,
Inde voluptates, inde alimenta Dei.

AD AQVAM VIRGINIS ANTIQ. INSCRIP.

Tib. Claudius Druſi F. Cæſar Aug. ductus aquæ Virginis deſtinatos per Cæſarem fundamentis nouos refecit & reſtituit.

MODERNA INSCRIP.

Nicolaus V. PP. M. poſt illuſtratam inſignibus monumentis vrbem, ductum aquæ Virginis vetuſtate collapſum, ſua impenſa in ſplendidiorem cultum reſtitui ornariq; mandauit Anno Domini Ieſu Chriſti M.D. LIIII. Pontif. VII.

DE AVCTV TIBERIS, AD S. MARIAM MINER.

M. CCC. Lxxix. die ix. menſis Nouemb.

Flumen creuit vſq; huc in die Saluatoris ad duos cubitus.

M. CCCC. XXII.

In die S. Andreæ creuit aqua Tyberis ad ſummitatem vſq; iſtius lapidis, tempore Martini V. anno VI. cubito ſeſquialtero altius.

M. CCCC. Lxxvi. Sedente Sixto IIII.

Creuit ad hoc ſignum tranſcendens limina Tybris,
Octaua Iani quæ memoranda dies.
Territa Roma, Noæ redeunt nunc tempora, dixit,
Diluuio atq; iterum corruet omne genus,
Hunc annum verſu longum eſt deſcribere, verum
Quæ numeros ſignat hic nota iuncta docet.

M. CCCC. XCV.

Campos, templa, domos, Tyberis ſpirantibus Auſtris
Sparſit, & hoc ſignum contegit auctus aquæ.

Men: Decemb: Alexand: VI. Pontif: Max:

Sedente Leone X.

Auctus in immenſum Tyberis, dum profluit alueo,
Extulit huc tumidas turbidus amnis aquas

M. D. XXX.

VIII. Id Octob: Pontif: Clement: VII. anno VII.

Huc Tybur aſcendit, iamq́ obruta tota fuiſſet
Roma, niſi huic celerem virgo tuliſſet opem.

Altitud: XIIII. ped: á terra.

AD S. EVSTACHIVM.

VIII. Id: Octobr: Clem: VII. Max: Pont: Tyberis amnis proprium alueum exiens huc usq́ ſuas vndas aduexit.

Altitud: XXIIII. ped:

IN DOMO SIMONETTAE.

Bis denos menſes decimo peragrante Leone
Idibus huc Tybris vnda Nouembris adeſt.

IN S. MARIA POPVLI.

M. D. V.

Tyberis ſereno aëre ad hoc ſignum creuit.
Non: Decemb: Alex: VI. Pontif: Max: anno III.

Altitud: XI. ped:

IBIDEM.

Septimus auratum Clemens geſtabat Hetruſcus,
Sorte pedum, huc ſalijt cum vagus vſq́ Tyber.
Quippe memor campi quem non coluere priores
Amnibus epotis in noua tecta ruit.
Vt foret ſpacij implacabilis vltor adempti
Et Cererem, Bacchum, ſuſtulit usq́ lares.

Reſtagnauit VIII. Id. Octobr: M. D. XXX.

IN CASTRO S. ANGELI

Inuſitati auctus Tyberis amnis ad hoc ſignum, quo Roma ſereno tempore facta eſt tota nauigabilis VIII. Idib: Octobr: Clement: VII. Pontif: Max: anno VII.

Guido Medices arcis præfectus poſuit.

M. D. XLII.

Auctus aquis, rapidoq́ trahens ſe gurgite, ciues
Terrebat canis Albula verticibus
Et ſuperos mæſtis obtundens vocibus aras.
Cingebat ſertis Martia Roma nouis
Illam cum tumido arridens pater almus ab amne
Talia ſublato pectore dicta dedit:
Pone metum nec te veſano trade dolori,
Tuta tibi an Paulo es præſide viſa parum?
Qui potuit Regum toties componere motus,
Frena idem inijciet fluctibus apta meis.

Fr. Marij mulſæ.

INSCRIPTIONES PONTIVM

IN PONTE AELII, VVLGO CASTELLI.

Clemens VII: Pont: Max: Petro & Paulo Apoſtolis, vrbis Patronis Anno ſalutis Chriſtianæ M. D. XXXIIII. Pontif: ſui ann: X. Binis hoc loco ſacellis bellica vi, & parte pontis impetu fluminis diſiectis, ad retinendam loci religionem ornatumq́ has ſtatuas ſubſtituit.

IN PON-

IN PONTE SENATORIO.

Benedictus almæ vrbis Senator Illuſtris, fecit reſtaurari hunc pontem ferè diruptum.

IN PONTE SIXTO.

Sixtus IIII. Pont: Max: ad vtlitatem populi Rom: peregrinæq; multitudinis ad Iubilæum venturæ, pontem hunc, quem meritò ruptum vocabant, à fundamentis magna cura & impenſa reſtituit, Sixtumq; ſuo de nomine appellari voluit M. CCCC. LXXV.

Qui tranſis Sixti IIII. beneficio, Deum roga, vt Pontif: O. M. diu nobis ſaluet ac ſoſpitet. Benè vale, quisquis es, vbi hæc precatus fueris.

IN PONTE FABRITII, NVNC IIII. CAPITVM.

L. Fabritius C. F. Cur. viar. faciund: curauit Q. Lepidus M. F. M. Lollius. M. F. Coſs: probauerunt.

IN PONTE CESTIO, HODIE BARTHOLOMAEI.

Domini noſtri Impp: Cæſares Fl: Valentianus pius, felix, maximus, Victor ac Triumphator, ſemper Auguſtus, Pontif: Max: Germanic. Max: Aleman: Max: Franc: Max: Trib: poteſt: VII. Imp. V. Cos: II. Pater patriæ. Et Flauius Valens, pius, felix, Max: victor ac Triumphator, ſemper Auguſt: Pont: Max: Franc: Max: Gothic: Max: Trib: pot: VII. Imp. VI. Coſ: II. P. patriæ. Et Gratianus pius, felix, Max: victor ac triumphator, ſemper Auguſt. P. Max: Francic: Max: Goth: Max: Trib: pot: III. Imp: II. Cos: I. P. patriæ pontem felicis nominis Gratiani in vſum Senatus ac populi conſtitui dedicariq; iuſſerunt.

IN PONTE SALARIO ANIENIS.

Quàm benè curuati directa eſt ſemita Pontis,
 Atq; interruptum continuatur iter.
Miramur rapidas ſubiecti gurgitis vndas,
 Et lubet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia noſtra Quirites,
 Et Narſin reſonans plauſus vbiq; canat.
Qui potuit rigidas Gothorum ſubdere mentes,
 Hic docuit durum flumina ferre iugum.

INSCRIPTIONES PORTARVM ET VIARVM

PORTAE PIAE VEL NOMENTANAE.

Pius IIII. Pontif: Max: portam Piam, ſublata Nomentana extruxit viam Piam æquata alta ſemita duxit.

PORTAE CAPENAE.

Numæ Pompilij imago.	Quirini patris	Tullij Hoſtilij.

Carolo V. Imp: ſemper Auguſto tertio Africano.

Africanus Maior. Africanus minor.

Terenti-

Terentio Cyleo Senatore.

Q. Fuluius Flaccus Capena illatus Afros domuit.

Deo pro nobis ſtante Afri repulſi.

PORTAE AVRELIAE

SVB LILIIS PONTIFICIIS.

Parcite mî violæ, mihi parcite læta roſeta,
Voſq; alij flores, lilia ſola placent.

PORTAE PORTVENSIS.

Impp: Cæſſ: DD. NN. inuictiſsimis principibus Harcadio & Honorio Victoribus ac Triumphatoribus ſemper Augg. ob inſtauratos vrbis æternæ muros portas & turres, egeſtis immenſis ruderibus ex ſuggeſtionibus V. G. & Illuſtris militis & Magiſtris vtriuſq; militiæ ad perpetuitatem nominis eorum ſimulacra conſtituit.

PORTAE S. PETRI.

Alexand: vi. Pontif: Max: Calixti iii. Pontif: M. Nepos, natione Hiſpanus, patria Valentinus, gente Borgia, portas & propugnacula à Vaticano ad Hadriani molem vetuſtate confecta tutiora reſtituit Anno ſalutis M. cccc. Lxxxxii.

ALTERIVS QVAE DVCIT AD PALATIVM.

Iul: ii. P. M. Ligurum vi. patria Saonenſis, Sixti VI. Nepos.

INTRA VIMINALEM ET ESQVILINAM IN MVRO.

Iulio ii. Pontif: Max: Bernardinus Miltius proſper Mutus mœniũ curat: dicauerunt, muris alibi inſtauratis, alibi reſartis M. D. xii.

IN VIA SIXTI IIII.

Sixti iiii. Pont: Max: iuſſu opt: ac pijſs:

Quam benè Sixtina hæc quæ propter fluminis vndas
Auctoris meruit nomen habere ſui.
Hæc Mariæ quo templa dedit via tramite recto
Fecit vt Petri ſedibus eſſet iter.
Xyſte tuum munus, iam nunc Xyſtina vocari
Roma potes: minus eſt condere quàm colere.

IN PLATEA IVDAEORVM.

Iulij ii. P. M. auſpicijs Iacobus Albertinus & Hieron. Picus ædiles anguſtia viæ ad forum Iud: offenſi coactis regredi domibus ampliand: curauer: idemq; probauerunt Ann: Chriſti M. cccc. viii.

INSCRIPTIONES COLVMNARVM, ARcuum & Porticuum.

IN COLVMNA ANTONINI IN VERTICE.

Sancto Paulo Apoſtolo Sixtus v. anno iiii.

IN I. LA-

IN I. LATERE.

M. Aurelius Imperator Armenis, Parthis, Germaniſq; bello maximo deuictis, triumphalem hanc columnam rebus geſtis inſignem Imp. Antonino Pio patri dedicauit.

IN II. LATERE.

Triumphalis & ſacra nunc ſum Chriſti verè pium diſcipulum ferens, qui per crucis prædicationem de Romanis barbariſq; triumphauit.

IN III. LATERE.

Sixtus V. PP. M. columnam hanc ab omni impietate expurgatam, Sancto Paulo Apoſtolo ænea eius ſtatua inaurata in ſummo vertice poſita DD. M.D.LXXXIX. Anno Pontif. IV.

IN IIII LATERE.

Sixtus V. PP. M. columnam hanc Cochlidem Imp. Antonino dicatam miſerè laceram ruinoſamq; prima forma reſtituit Anno M.D. LXXXIX. Pontif. IV.

Eques Dominicus Fontana Architectus inſtaurabat

IN COLVMNA TRAIANI.

S.P.Q.R Imp. Cæſari Diui Neruæ F. Neruæ Traiano Aug. Germ. Dacico. Pontif. Maximo, Trib. poteſt: XVII. Coſ. VI. Imp. VI. P. P. ad declarandum, quantæ altitudinis mons & locus tantis --- ibi ſit egeſtus.

IN ARCV CONSTANTINI IMP.

Imp. Cæſ. Fl. Conſtantino Max. P. F. Auguſto S. P, Q. R. quòd inſtinctu diuinitatis mentis magnitudine cum exercitu ſuo tam de Tyranno quàm de omni eius factione vno tempore iuſtis Rempubl. vltus eſt armis, arcum triumphis inſignem dicauit.

Liberatori vrbis *Fundatori quietis*
Votis X. *Votis XX.*

IN ARCV VESPASIANI.

S.P.Q.R.. Diuo Tito D. Veſpaſiani F. Veſpaſiano Auguſto
Iudæa capta. *Hieroſolyma extincta.*

IN ARCV CAMILLI.

AEdibus his Tybris ſimulacrum immane repertum,
Et Lupa quæ profert vbera Marte ſatis.

IN ARCV SEPTIMII SEVERI.

Imp. Cæſ. Lucio Septimio M. F. Seuero, Pio, Pertinaci Aug. P. P. Parthico, Arabico, & Parthico Adiabenico Pont. Max. Trib. pot. XI. Imp. XI. Coſ. III. procoſ. & Imp. Cæſari Marco Aurelio Lucij F. Antonino Aug. Pio fel. trib. pot. VI. Coſ. procoſ: PP. optimis fortiſsimisq; principibus ob Rempubl. reſtitutam, imperiumq; populi Rom. propagatum inſignibus virtutibus eorum domi foriſq; S.P.Q.R.

IN ARCV BOARIO.

Imp.

Imp. Caeſ. L. Septimio Seuero Pio Per. Aug. Arabic. Adiabenic. Parth. Max. fortiſs. feliciſsimoq; P. M. trib. pot. XII. Imp. XI. Coſ. III. P. P. & Imp. Caeſ. M. Aurelio Antonino Pio, fel. aug. trib. pot. VII. Coſ. III. P. P. procos: fortiſs. feliciſsimoq; principi, & Iuliae Auguſt. matri Aug. N. & caſtrum & Senatus & patriae & Imp. Caeſ. M. Aurelij Antonini Pij fel. aug. Parthici, Maximi, Britannici Maximi, argentarij & negotiantes boarij huius loci qui inuenent. deuoti numini eorum.

IN ARCV DOMITIANI.

Paulo III. P. M ſapientiſsimoq; Principi, quod reconciliatis Max. Regum animis, pace terra mariq; parta, Remp. Chriſtianam reſtituerit, S. P. Q. R.

Stat ſacer & domitis gentibus arcus ouans.

IN ARCV GALIENI.

Galieno Clementiſs. principi, cuius inuicta virtus ſola pietate ſuperata eſt: & Saloninae Sanctiſs. Auguſtae M. Aurelius Victor dedicatiſs. numini maieſtatiq; eorum.

IN ARCV FABII CENSORIS.

P. Lentulus Cn. F. Scipio T. Quintius Criſpinus Valerianus Coſs. ex SCto. faciund. curauer: ijdem probauerunt.

IN PORTICV MERCVRII VEL SEVERI.

Imp. Caeſar. Lucius Septimius Seuerus, Pius, Pertinax, Aug. Arabic. Adiabenic. Parthic. Maximus Trib. pot. XI. Coſ. III. Imp XI. P P & Imp. Caeſari M. Aurelius Antoninus Pius, felix, aug. P. M. trib pot. VI. Coſ. procoſ. incendio conſumptum reſtituerunt.

IN PORTICV CONCORDIAE.

S. P. Q. R. incendio conſumptum reſtituit.

IN PORTICV FAVSTINAE.

D. Antonino & D. Fauſtinae ex Senatuſconſulto.

IN PORTICV SYLVANI.

Syluano Sancto L. Vallius Solon porticum ex voto fecit dedicauitque Calend. April. Piſone & Bolano Coſs.

AD EQVOS MARMOREOS PHIDIAE ET PRAXITEL.

Heus tu qui praeteris morare paulúlum ac inſpice,
In Quirinali hi ſunt equi marmorei, mutili atq; grandes.
Arte victa natura parens ſpiritum cur eripit,
Quod Praxitelus & Phidias effluxere aemulamur
Sat dixei, abei, vale, ſalue, miſce, bibe, da mihi.

AD I.

AD I. EQVVM A SIXTO V. TRANSLATVM.

Phidia nobilis ſculptor, ad artificij præſtantiam declarandam Alexandri Bucephalum domantis effigiem è marmore expreſsit.

Sixtus V. PP. M. ſigna Alexandri Magni, celebriſq; eius Bucephali ex antiquitatis teſtimonio, Phidiæ & Praxitelis æmulatione hoc marmore ad viuam effigiem expreſſa, à Fl: Conſtantino Maximo è Græcia aduecta, eiuſq; in Thermis in hoc Quirinali monte collocata, temporis vi deformata laceraq; ad eiuſdem Imperatoris memoriam, vrbiſq; decorem in priſtinam formam reſtituta, hic reponi iuſsit M. D. Lxxxix.

AD II. EQVVM.

Praxiteles ſculptor ad Phidiæ æmulationem ſui monumenta ingenij poſteris relinquere cupiens, eiuſdem Alexandri Bucephaliq; ſigna felici contentione perfecit.

IN BASI EQVESTRIS STATVAE ANTE IO: LATER:

Sixtus IIII. Pont: Max: equum hunc æneum vetuſtate quaſſum & iam collabentem cum ſeſſore reſtituit.

INSCRIPTIONES PALATIORVM & Capitolij.

IN AREA CAPITOLINA.

AD ANTONINI PII IMP. STATVM EQVESTREM IN DEXTRO LATERE.

Paulus III. Pontif: Max: ſtatuam æneam equeſtrem à S. P. Q. R. M. Antonino Pio etiam tum viuenti ſtatutam, varijs deinde vrbis caſibus euerſam, & à Sixto IIII. Pontif: Max: ad Lateranens: Baſilicam repoſitam, vt memoriæ optimi principis conſuleret, patriæq; decora atq; ornamenta reſtitueret, ex humiliori loco in aream Capitolinã tranſtulit atq; dicauit. M. D. xxxviii.

Auguſtin: Trincius — *Iacobus Buccabella*
Cæſar de Magiſtris. — *Conſeruatores cur:*

IN SINISTRO.

Imp: Cæſari Diui Antonini F. Diui Hadriani nepoti, Diui Traiani Parthici pronepoti. D. Neruæ abnepoti, M. Aurelio Antonino Pio Augus: Germ: Sarmat: Pont: Max: Trib: Poteſt: xxvii. Imp: vi. Coſ: iii. S. P. Q. R.

AD STATVAM MINERVAE IBIDEM.

Paulo III. Pont: Max: Gregorius Serlapius, Iulius Bonauentura, Baptiſta Marganus Coſs: ſignum Mineruæ è parietenis vrbis veteris erutum in Capitol: ponend: cur:

IN BASI.

Signum Mineruæ de parietinis vrbis erutum, & in Capitolium à

Paulo III. Pontif: Max: tranſlatum in illuſtriori areæ loco Gregor: XIII. Pontif: Max: poſuit & reſtituit.

SVPRA SCALIS CAPITOLINIS.

AD II. EQVOS MARMOREOS.

S. P. Q. R. ſimulacra caſtrorum, ruderibus in Theatro Pompei egeſtis reperta, reſtituit, et in Capitol: poſuit: Gomeſio Quadrochio, Aſcanio Bubalo Cancellario conſeruatoribus Anno ſalut: CIↃ. IↃ. LXXXII.

ANTE INGRESSVM.

S. P. Q. R. Capitolium præcipuè Ioui olim commendatum nunc Deo vero cunctorum donatori auctori Ieſu Chriſto cum ſalute communi ſupplex tuendum tradit, anno poſt ſalutis initium M. D. LXVIII.

E REGIONE IN MVRI PARTE.

S. P. Q. R. maiorum ſuorum præſtantiam vt animo, ſic re, quantum licuit imitatus, deformatum iniuria temporum Capitolium reſtituit, Proſpero Buccapadulio, Thoma Cauallerio curatoribus. Anno poſt vrbem conditam. CIↃ. CCC. XX.

IN MARMORE QVOD EST AD DEXTRAM introeuntibus.

Triumphalis gentilium pompa Aug: C. honori reddi ſolita, ad deuotum Chriſtianæ religionis cultum redacta, Dei genitricis virginis feſto die, dum Chriſti ſaluatoris noſtri mirabile ſimulacrum ex Laterano in Eſquilias, ad Mariæ matris maiorem ædem quotannis ingenti plauſu ſolemniq́ proceſsione defertur, pro ſenatus magiſtratuumq́ & totius equeſtris ordinis dignitate, populiq́ & plebis obſeruantia, neuè vlla poſthac inter plebeia collegia contentio fiat, decretum eſt, vt hoc ſtatuto ordine vniuerſi cum ſuis faculis thalamisq́ et luminaribus ſacram imaginē, qua iter fecerit, comitentur, ea ratione, vt qui proximiores ſimulacro ſint, digniores habeantur.

Aquarij iter auſpicentur, poſt fornacarij, molendinarij, muliones, vinarij, caupones, ſalſamentarij, candelarij ex ſeuo, piſcatores, piſcarij, vinitores, olitoresq́, piſtores, furnarijq́, pellipari, figuli, ſtabularij, ergaſtuli, lignarij, mercimoniarij, ſellarij, coriarij, tonſores, calcearij, lanij, ſutores, ſartoresq́, fabri lignarij, fabri ferrarij, aurifices, aromatarij, numularij, lanifices, fullonesq́, mercatores pannorum, agricultores, boarij, thalamus Rom: fiſci. Si quis ergo ſecus fecerit XXV aureorum pœna multetur.

IN CATHEDRA QVADAM.

Romanum virtus non nomen efficit.

Dicture, Romanum te eſſe memineris.

AD HANNIBALIS SIMVLACRVM.

Annibal in Italiā transgreſſus maximis cladibus Romanos affecit, non tamen vt Romanam virtutem ac conſtantiam ſuperarit, qui aduerſis

potius

potius, quàm ſecundis rebus creſcens, nedum ducem ipſum eiusq; patriam euertit, verùm immenſum penè orbem imperio ſuo adiecit.

AD FOEDVS LVCTATII.

Carthaginenſes non ſolum Sicilia, verum Inſulis, quæ inter Siciliam Italiamq; forent, excedant, captiuos reſtituant, ſocios non vexent, & duo millia & ducenta talenta in annos decem pendent.

L. IVNIVS. M. F. BRVTVS.

Libertatis, exacto ſuperbo rege, vindex.

Munus Rodolphi pij Cardinalis Carpenſis M. D. LXIIII. S. P. Q. R. pos:

Vincentio Parentio, Lud: Mattheio, Thoma Cauallerio conſeruatoribus.

AD HERCVLIS SIGNVM.

Sixto IIII. Pontif: Max: regn: æneum Herculis ſimulacrum aurea mala, ſecundum iuuentæ trophæum ſiniſtra gerentis, in ruinis Herculis victoris fori Lx. ar: effoſſum. Petrus Baptiſta Leui, Petrus Montius Prosper, Bocacius Vrſius conſeruatores in monumentum gloriæ Romanæ locandum curauerunt.

DE EODEM.

Paulo III. Pontif: Max: Bernardinus Victorius, Laurentius Vellius, Valerius Valentinus conſeruatores, ſignum Herculis in ruinis templi Herc. Victo: in foro Boario repertum, gloriæ po: Rom: et memoriæ veterum artificum hic reponi iuſſerunt, Anno Chriſti M. D. XLI.

IBIDEM.

S. P. Q. R. Signum Herculis æneum in foro Boario ad aram maximam egeſtis ruderibus repertum, & Xyſti IIII. Pontif: Max: in Capitolium tranſlatum, noua collocata baſi imponit Gregor: XIII. PP. M.

ANTE INGRESSVM COENACVLI IN MARMORE.

Capita piſcium hoc marmoreo ſchemate longitudine maiorum usq; ad primas pinnas incluſiuè conſeruatoribus danto, fraudem ne committito, ignorantia excuſari ne credito. Augus: Clauario, Curtio Bergardio Coſſ. inſtauratum ac erectum.

AD COLVMNAM MILLIARIAM.

S. P. Q. R. Columnam milliariam primi ab vrbe lapidis indicem ab Impp. Veſpaſiano & Nerua reſtitutam, de ruinis ſuburbanis viæ Appiæ in Capitolium tranſtulit.

AD STATVAM CAROLI REGIS SICILIAE.

Ille ego qui tuleram præclari ſceptra ſenatus,
Rex Siculis Carolus iura dedi populis.
Obrutus heu iacui ſaxis, humoq; dederunt
Hunc tua conſpicium tempora Sixte locum.
Hac me Matthæus poſuit Tuſcanus in aula
Et patriæ & gentis gloria magna ſuæ.

Is dedit & populo poſt me bona iura ſenator,
Inſignis titulis dotibus atq; animi.

Anno Domini M. cccc. Lxxxi. iii. Semeſtri.

AD STATVAM DVORVM IVVENVM.

Sixtus IIII. *Pont: Max: ob immenſam benignitatem æneas inſignes ſtatuas, priſcæ excellentiæ virtutiſq; monumentum populo* Rom: *vnde exortæ fuêre, reſtituendas condonandaſq; cenſuit. Latino de vrſis Card: Camerario adminiſtrante, & Ioanne Alperino, Philippo Paloſcio, Nicolao Pinciaronio vrbis conſeruatoribus, procurantibus, Anno ſalutis noſtræ M. cccc. Lxxi. Calend: Ian: xix.*

AD LVPAE ALTRICIS SIMVLACRVM.

Hoc æneum Lupæ ſimulacrum, ex cuius vberibus vrbis conditores pendent, Romulus & Remus, antiquiſsimum eſſe, ex his Ciceronis verbis conſtat, cũ inquit: Tactus eſt etiam ille, qui hanc vrbẽ condidit, Romulus, quem inauratum in Capitolio paruum, & lactentem vberibus inhiantem fuiſſe meminiſtis. Et Virgil: Ludere pendentes pueros. R. De capite ferreo M. de bellis hominibus F. de Miccinellis Coſs: poni curauer.

AD STATVAM MARMOR: LEONIS X. P. M.

Optimo principi Leoni x. Med: Ioan: F. Pontif: Max: ob reſtitutam inſtauratamq; vrbem, aucta ſacra, bonaſq; artes, adſcitos patres, ſublatũ vectigal, datumq; congiarium. S. P. Q. R. pos:

AD STATVAM SIXTI V. AENEAM INAVRATAM.

Sixto V. PP. M. ob quietem publicam compreſſa ſicariorum exulumq; licentia, reſtitutam annonæ inopiam, ſubleuatam vrbem, ædificijs vijs, aquæductibus illuſtratam S. P. Q. R.

IN TABVLA PORPHYRET: IBIDEM.

S. P. Q. R. monumentum Regiæ legis ex Laterano in Capitolium Gregorij PP. M. autoritate reportatum in antiquo ſuo loco repoſuit,

\- - - - - - - - - - - - - - -

\- - - - - - *fœduſuè cum quibus volet facere liceat, ita vti licuit Diu: Aug: II. Iulio Cæſari Aug: Tiberioq; Claudio Cæſari Aug: Germanico. Vtiq; ei ſenatũ habere relationẽ diſſenſioneq; facere liceat, ita vti licuit Diuo Aug: II. Iulio Cæſ. Aug: Ti: Clau: Cæſ: Aug: German:*

Vtiq; cũ ex voluntate, autoritateuè, iuſſu, mandatuuè eius præſenteuè eo Senatus habebitur, omnium rerum ius perinde habeatur ſeruetur, ac ſi è lege Senatus edictus eſſet habereturq;

Vtiq; quos magiſtratũ, poteſtatẽ, imperium, curationemuè cuius rei petentes Senatus populoq; Rom: commendauerit, quibuſuè ſuffragationẽ ſuam dederit permiſerit, eorũ comites quibuſq; extra ordinẽ ratio habeatur.

Vtiq; ei fines pomerij proferre pro munere cum ex Repub: cenſebit eſſe liceat, ita vti licuit, Tito Claudio Cæſari Aug: Germanico.

Vtiq;

Vtiq́ quæcunq́ ex vſu Reipub: maieſtate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarumq́ rerum eſſe cenſebit, ei agere facere Ius poteſtasq́ ſit, ita vt Diuo Aug: Tiberioq́ Claudio Cæſari Aug: Germanico fuit.

Vtiq́ quibus legibus Plebisve ſcitis ſcriptum fuit, ne Diuus Aug: Tiberiusuè Iulius Cæſar Aug. Germanicus tenerentur, ijs legibus Plebisuè ſcitis Imp: Cæſ: Veſpaſianus ſolutus ſit, quæq́ ex quaq́ lege, rogatione Diuum Aug: Tiberiumuè Iulium Cæſ: Aug: Germanicum facere oportuit, ea omnia Imperatori Cæſari Veſpaſiano Aug: facere liceat.

Vtiq́ quæ ante hanc legem rogatam acta, geſta, decreta, imperata ab Imp: Cæſare Veſpaſiano Aug: iuſſu mandatuuè eius à quoquam ſunt, ea perinde iuſſa rataq́ ſint, ac ſi populi plebisue iuſſu acta eſſent.

SANCTIO.

Si quis huiuſcè legis ergo aduerſus leges, rogationes, plebisue ſcita, SCta fecit, fecerit; ſiue quod eum ex lege, rogatione, plebisve ſcito SC^to vè facere oportebit non fecerit, cuius legis ergo id ei ne fraudi eſto, neuè quid ob eam rem populo dare debeto, neue cui de ea re actio, neuè iudicatio eſto, neuè quis de ea re apud —— Si ſinito.

IN CONCLAVI VBI IN MVRO SVNT ANTIQVITATES EX FORO ROM: DE TRIVMPHIS ROM:
effoſſæ mutilatæ infixæ.

Alexander Farneſius Octauius F. Parmæ ac Placentiæ Dux tertius, prouinciam nactus Belgicam Philippi Hiſpaniarum Regis imperia detrectantem, Maſtricchum vrbem munitiſsimam expugnauit, Bironium Gallum diuerſarum partium Ducem collatis ſignis prælio vicit, Duncercham Gandauum Brugas, Hypras, Teremundam, Bruxellas excluſam aliaq́ plurima Belgij oppida aut vi cœpit, aut ad deditionem compulit. Antuerpiam nullis humanis viribus expugnabilem ingenti ad Scaldim fluuium operum magnitudine circummunitam in deditionem accepit, Noueſium receptum Colonienſi Archiepiſcopo reddidit, Belgas omnes, qui continentem incolunt, in Philippi Regis poteſtatem, & ad Eccleſiæ Rom: obœdientiā reduxit, haſce ob res aliasq́ fortiter geſtas à S.P.Q.R. ſummus Imperator elogio propè maiorum triumphos, quorum gloriam aut vicit aut certè æquauit, ornatus eſt. Achille Cibo, Octauiano Creſcentino Coſs: Vlixe Lanſerinio Gallo, Lamentio Mancino Cap: Reg: Priore.

SVB STATVA IGNOTAE DEAE.

Antonio Macarotio de Leonibus, Joanne Gualterio, Vincentio Capocio Coſs: Horatio Mutio Priore.

SVB STAT: ADRIANI IMP:

S.P.Q.R.Hadriano Auguſto.

IN PALATIO ANTIQVO CAPITOLII.

AD INSIGNIA SIXTI V.

Sixto V. Pont: Max: Principi optimo, viro religioſiſsimo.

AD STATVAM GREGORII XIII.

Gregorius XIII. *PP.M. ob farinæ vectigal ſublatum, vrbem templis & operibus munificentiſs: exornatam, plus octingenties ſingulari beneficentia in egenos diſtributam, ob ſeminaria exterarum nationum in vrbe ac toto penè terrarum orbe relligionis propagandæ cauſſa inſtituta, ob paternam in omnes gentes charitatem, qua ex vltimis noui orbis Inſulis Iaponiorum Regum Legatos triennij nauigatione ad obædientiam ſedi Apoſtolicæ exhibendam, primùm venientes Romam, pro pontificia dignitate accepit: S.P.Q.R. Domitio Cauallerio, Ricchardo Mazzatoſto, Honorio Trincio Coſs. Domino Iacobaccio de Faceſchis, Hortenſio Celſo, Iulio Pamphilio Coſs:*

AD PEDES.

Gregorio XIII. *PP.M. opt: Principi Hugoni Boncompagno Bononienſi, qui per Roman: Magiſtratus et Eccleſiaſticas dignitates, iuſtitiam et pietatem colens ad Pontificiam ſedem euectus, vniuerſam Rempub: Chriſtianam ſumma prudentia & caritate moderatur S.P.Q.R. Hieronymo Bubalo, Camillo Mancino, Bernardino Cauallerio Coſs:*

IBID: IN CONCLAVI SVB INSIGNI IVLII II. P. M.

Iulio II. *P.M. ſedente Ioan: Baptiſta Taurus art: Med: Doctor, Gabriel Coſsus, Ioan: Angelus de Pleonibus Conſeruatores Senatus officum quinq; et viginti diebus egregiè exercentes, eorum inſignia hic poſuerunt M.D.* VIII.

Iulio II. *P. M. M.D. Franciſcus Teuli, Euangeliſta Buccapadalius, Franciſcus Caluius Cameræ vrbis conſeruatores, dum à Senatore ratio exquiritur, pro illo ius reddiderunt.*

AD INSIGNIA PII V.

Pio V. PP. M. Leonardus Taſca Iuris vtriusq; Doctor, Matthæus Verallus, Ferdinandus de Torres vrbis conſeruatores, abſoluta Senatoris Jurisdictione, interim quo alius eius loco ſubſtitueretur, iuridicundo populo præfuerunt.

AD GREGORII XIII. INSIGNIA.

Gregorio XIII. *PP. M. Stephanus Creſcentius, Cæſar Coionatus, Tiberius Aſtallius Coſſ: cum Galeatio Peggio Senatore mortuo, eius vice* XXVI. *dies iuris dictioni præfuiſſent, ſua quisq; hic gentilitia digmata perennis memoriæ cauſſa extare voluerunt* CIƆ.IƆ. *Lxxx.*

IBIDEM.

IBIDEM.

Ioannes Petrus Draco, Ciriacus Matthæus Coſſ: Io: Baptiſta Alberus, Senatoria maieſtate vacante, continuis XII. diebus litibus iudicandis præfuere, anno ab orbe redempto CIↃ. IↃ. LXXXIIII.

AD SIXTI V. INSIGNIA.

Sixto V. PP. opt: Max: Dominicus Iacobutius de Faceſchis, Hortenſius Celſus, Iulius Pamphilius Coſſ: Senatorio muneri, iuridicendo litibus præfuère, humanæ redemptionis anno M.D.LXXXV.

IN ANGVLO CAPITOLII AD CVSTODIAM publicarum ſcripturarum.

Felix Roma recens, veteri felicior vrbe,
Exere, iure potes, celſius alma caput.
Ludus eras Erebo ſectans oracula, ſortes.
Nunc autem Chriſti regia facta micas.
Pacis alumna vides diuorum pura cruore
Mœnia, fraterno ſanguine fœda prius.
Non alit vt quondam lupa te, cœleſtis at agnus,
Diuino frueris ſic meliore cibo.
Excutis hoc immite iugum Phlegethontis, & atræ
Mortis, & æternæ munera lucis habes.
Talis libertas hilarat te dulcior illa,
Quam peperit Brutus ſceptra ſuperba tenens.
Tot licet eximijs fueris decorata theatris,
Porticibus, thermis, arcubus, atq; foris.
Nunc tamen es ſanctis operoſis ædibus, arte
Mira conſtructis, culta, verenda magis.
Integra plura manent, veterum monumenta nitorem
Augent, non potuit cuncta abolere dies.
Maxima conſpicuè ſurgunt Capitolia pulcris
Ornatis laribus, fontibus, amne, vijs.
Hem quæ purpurei mox eſt exorta Senatus
Maieſtas, priſci non habuere parem.
Scipiadæ, Decij, vetus omnis Martia proles,
Cedant his diuis quos pia condis humi.
Hic etenim pietas animis inſerta Quiritum
Cultricem ſobolem tollit in aſtra tuam.
Sacraq; duxerunt non Fauni prima bicornis,
Sed quæ veridico protulit ore Deus.
Armipotens fateor fueras & clara triumphis,
Quîs vetus imperium quam patet orbis erat.
Quid tum? nonnè tuis ſacratis legibus orbis
Paret hic, atq; nouo diues in orbe iacens.
Repoſcente adimis & das diadema ſupremum
Sceptra dicas, magnos tu facis atq; Duces.
Deniq; Romanos præfecit Chriſtus olympo
Pontifices, claues ætheris inde gerunt.
Terra minor cœlo, ſacra vis eſt gratior armis,
Gratius imperium maius & ipſa tenes.

Patriæ dicauit Laurent: Belus Epiſcop. Cap:

AD TABVLAS MARMOREAS ANTIQ: Magiſtrat: & Triumphor: Rom:

S. P. Q. R. monumenta marmorea magiſtratuum triumphorumq; ab vrbe condita ad tempora Diui Auguſti ruderibus in foro egeſtis eruta, impenſa Alex: Farneſij Cardinalis Pauli III. Pontif: Nepotis in Capitolio pos:

MICHAEL SYLVIVS CARDINAL:
Ad vrbem Romam.

Marmora præclaros teſtantia fronte triumphos,
Atq; Magiſtratus inclyta Roma tuos.
In medio manſere foro dum Roma manebas,
Poſtq; Deos orbi iura ſecunda dabas.
Aſt vbi te indignis fregit fortuna ruinis
Obruerat titulos alta ruina tuos.
Tamq; diu in tenebris tantis latuiſſe videntur,
His veluti fato debita temporibus.
Quæ modo Alexander patria te dignus, auoq;
Paulo, inuenta tibi marmora reſtituit.
Tu Capitolinam meliori in ſede reponis
Et legeris magni munere Farneſij
Auentino Herculis filio.

IN PALATIO S. PETRI IN VATICANO.

IN PORTICV NAVIS FLVCTVANTIS CVM XII. APOSTOLIS.

Quem liquidos pelagi gradientem ſternere fluctus
Imperitas, fidumq; regis, trepidumq; labantem
Erigis, & celebrem reddis virtutibus almum,
Hoc iubeas rogitante Deus contingere portum.

SVB PORTICV BENEDICTIONIS.

Chriſticolæ huc alacres concurrite ſæpe fideles,
Hic Deus in terris numinis alta ſubit.
Sacris dum manibus populo benedicat amice
Aſſiſtas, Petri nam gerit ille vices.
Præſulis hic ſummi benedictio celſa notatur,
Hac cruce ſignatos Dæmonis ars refugit.

IN SVPERIORI OBAMBVLATIONE PORticus triplicis apertæ aureæ.

IN PRIMO FORNICE.

Pius IIII. Medices Pontif Max: Mediolanens:

AD DEPICTAM TOPOGRAPHIAM.
Irlandiæ & Angliæ.

Irlandia Inſula, quam veteres Thulem nominauêre.

AMBIΩN *Inſula Britaniæ ſiue Angliæ, cuius ambitus eſt M. Dcc. xx. mill: paſſ: latus quod contra Galliam eſt ccc. xx, quod vergit ad occidentem,*

dentem, Dccc. tertium ad orientem, Dc. temperatior eſt Gallia remiſsioribus frigoribus caloribusq́;: habet ſedet Archiepiſcopales II. Cantaurienſem & Eboracen: Epiſcopales XIX.

SCOTIA *ab Anglia diuiditur anguſto freto, et Solueo amne ab occidente, & flumine Tmeda, & monte Cheuiota ab oriente, Archiepiſcopatus habet duos S. Andream & Blaſcuenſem. Epiſcopatus, XIII.*

IBERNIA *ſiue Irlandia dimidio minor quàm Britannia eſt, adeo læto pabulo, vt pecora niſi æſtate interdum à paſtibus arceantur, periculum ſit, ne pinguedine moriantur: animal noxium neq; gignit, neq; inuectum nutrit; apibus caret, quamuis in ea eſt mira cœli temperies, & fertilitas terræ inſignis, Epiſcopatus habet L.*

IN SECVNDO FORNICE.

AD PONTIF: PII. IIII. INSIGNIA.

Pacis autor & cuſtos, parta ſecuritate, rerum omnium copiam & vbertatem introduxit.

AD HISPANIAE TOPOGRAPHIAM.

Heſperia ſiue Hiſpania, omni rerum copia abundat, quæ ſunt & ad ornandam vitam, & ad tuendam neceſſaria, equis ac metallis diues, nihil habet ocioſum, quidquid fruges non fert, aptum eſt pecori alendo, & quod aridum eſt, ac ſterile rudentum materiam nauticis ſubminiſtrat; viros alit religionis Chriſtianæ obſeruantiſsimos, quibus indies latiſsimè propagatur: In ea ſedes ſunt Archiepiſcopales IX. Epiſcopales. XLVI.

In cænobium Beati Juſti Caſtiliæ veteris Carolus V. Imp: poſt tot partas victorias, prouincarum, Regnorum, & Imperij ipſius, omniq; humanarum rerum cura relicta, cœleſtis meditationis ſtudio ſe conferens, ad ſempiterni regni poſſeſsionem migrauit.

IN TERTIO FORNICE.

AD PONTIFICIS PII INSIGNIA.

Iuſtitiam coluit, cauſſarum explicatione reuocata, iudicijs ex æquo & bono conſtitutis.

AD GALLIAE TOPOGRAPHIAM.

ΚΕΛΤΟΓΑΛΑΤΙΑ *Gallia, cuius virtus Romanis aliâs terrori, eadem poſt Euangelium receptum Eccleſiæ Romanæ pericli tanti ſæpè auxilio fuit. Quamobrem eius Reges continenter à Pontif: Max: honoris ergò Chriſtianiſsimi ſunt appellati, viros genuit qui gloria rerum geſtarū, opū abundantia, & doctrinarū monumentis clariſsimi ſemper extitêre, ſolum*

habet

habet ita fœcundum, vt nulla in re cedat florentiſsimæ Italiæ, ſedes eius Archiepiſcopales ſunt XII. Epiſcopales XCVII.

IN QVARTO FORNICE.

AD PONTIF: INSIGNIA.

Egentes homines, moleſta & fallaci mendicitate ſublata, certis locis diſtributos alit.

AD ITALIAE MAPPAM, CVI CORSICA, SARDINIA, SICILIA ADIVNCTA.

ITALIA, *prouinciarum omnium pulcerrima, ſaluberrima, fructuoſiſſima, viris, doctrinis, armis, frugibus, metallis, rebus omnibus ad colendam vitam neceſſarijs florentiſsima, olim regina gentium, nunc religionis Chriſtianæ Pontificumq; ſedes, ac vnicum ferè virtutis perfugium, longitudine ab Auguſta Prætoria ad oppidum regium decies centena viginti millia paſſuum, latitud: vbi plurimum CC. vbi minimum CXXXVI. ambitu à Varo ad Arſiam quadragies centena millia.*

CORSICA *patet ambitu CCC. XXII. mill: paſs:*

SARDINIA *fertilis, ſed ſoli quàm cœli melioris, patet longitudine CXL. millib: paſs: latitud: XL. ambitu D. LXII.*

SICILIA *olim horreum pop: Rom: patet ambitu D. CL. mill: paſs:*

IN QVINTO FORNICE.

AD INSIGNIA PONTIFICIS.

Portam & viam PIVS publicæ commoditati aperuit & muniuit.

AD GRAECIAE DESCRIPTIONEM

GRAECIA, *quæ nullam olim ex ijs rebus deſiderauit, quæ natura, ingenio, fortuna mortalibus contingunt, quæ feras gentes ductis colonijs moribus, & ſingulari vitæ manſuetudine humaniores reddidit, exteras nationes virtute perdomitas ſibi parere coëgit, nunc ipſa ſuis diſsidijs prauisq; conſilijs afflicta, barbariſsimæ Turcarum nationi, non ſine totius Eccleſiæ dolore ac damno ita ſeruire cogitur, vt antiquæ libertatis ac dignitatis imaginem omninò nullam hodiè retineat.*

IN SEXTO FORNICE.

AD PONTIFICIS INSIGNIA.

Thermas Diocletianus Mariæ virgini dedicatas magnificentiſsimo templo exornari mandauit.

AD MAPPAM ASIAE.

ASIA *minor, olim opibus delitijsq; affluens, nunc Anatolia Turcarum imperio ſubiecta.*

IN SEPTIMO FORNICE

AD PONTIFICIS INSIGNIA.

Portam & viam Flaminiam reficiebat, Adriani molem noua munitione cingebat.

AD

AD IVDAEAM.

IVDAEA ſiue Cananæa & Palæſtina terra, lacte & melle fluens, Chriſtum nobis, filium Dei, & generis humani redemptorem, dedit ex Bethlehem Iuda.

IN OCTAVO FORNICE.

AD INSIGNIA.

Anconā hoſtiam centum cellas mœnibus, portubus, arcibus, muniebat.

AD GERMANIAM DEPICTAM.

Germania vetuſtate gentis, hominum numero, rei militaris diſciplina, ingeniorum ſolertia, cœli ſalubritate, pecoris & metallorum copia, ijs erga ſedem Apoſtolicam meritis excellens, vt creandi Imperatoris ius à ſummo Pontifice acceperit, opemq́; Chriſtianæ Reipubl: maximam afferre poſſe videatur.

IN NONO FORNICE,

AD INSIGNIA.

Viam Aureliam penè in viam reſtituebat, aquam Saloniā deducebat.

AD VNGARIAM ET POLONIAM.

Vngaria, olim Pannonia inferior, præſtans agri fertilitate, auri copia, virorum fortitudine à Chriſtianis regibus triginta perpetua poſſeſsione poſſeſsa.

Polonia, olim Sarmatia, religione, humanitate, ſcientia bonarū artium inſignis, paſcuis idonea, melle & ſale foſsili abundans

IN DECIMO FORNICE.

AD INSIGNIA.

Virtutem & liberalia ſtudia honeſtabat, imprimendi artem in vrbem inducebat.

AD SCANDIAM.

Scandia nonnullis ob magnitudinem incompertam alter orbis terrarum & officina gentium denominata.

IN VNDECIMO FORNICE.

AD INSIGNIA.

Concilio Tridenti indicto, principes ad rem adiuuandam cohortatus omnibus euocatis.

AD MVSCOVIAE TOPOGRAPHIAM.

Muſcouia regio plana et nemoroſa, paludibus referta, fluminibꝰ irrigua.

IN DVODECIMO FORNICE.

AD INSIGNIA.

Chriſtianæ religionis diſciplinam multis locis perturbatam, omni ope & contentione corrigendam reſtituendamq́; curabat.

AD SCYTHIAM.

Scythæ, nunc Tartari, equitandi & ſagittandi peritia clari, munitas

vrbes pauci incolunt, plauſtra ac tentoria animalium corijs cooperta, pro domibus habent.

IN DECIMO TERTIO FORNICE.

AD INSIGNIA.

In his actionibus & cogitationibus ambulationem hanc magnificentius extructam ornauit Anno Pontificat: IIII.

Concilio Tridentino peracto, ſancta ſynodus omnium quæ in eo decreta erant, confirmationem à Pio IIII. Pont: Ma: per Apoſtolicæ ſedis legatos petit.

AD GRONLANDIAM.

Gronlandia terra ſemper virens Biarmia, paſcuis læta, iugalium ceruorum curribus vtitur, quorum incredibili celeritate iuga rigentia gelu ſuperantur: in ea eſt tanta piſcium & ferarum copia, vt panis vſum magnoperè non deſideret. Scrifinij calceis ex ligno longis per cacumina montium niuoſa feras aſſequuntur, ex quorum pellibus hircis indumenta ſibi parant, frumenti vſum non quæritant, cum piſces ſole & aëre exſiccati, carnesq; ferarum atq; auium crudæ victum præbeant.

POST HANC MAPPAM.

Vniuerſalis orbis orbiculari forma elegantiſsimè & artificioſiſsimè depictus eſt, cum inſignijs Pij IIII. Pontif: & elogijs.

Auenionem & regionem vniuerſam præſenti periculo & calamitate liberauit.

Galliam diſsido religionis exorto à domeſticis hoſtibus vexatam, opibus, copijs, pecunijs adiuuit Anno IIII.

Iuſtitiam reſtituebat, mores emendabat, Sacerdotes ad veteris formam inſtituti reuocabat.

Rauennam vrbem ciuium numero ei virtute inſtructam, firmiſsimis etiam propugnaculis muniebat.

Generale concilium ante XXVI. annos inchoatum ſummo omnium conſenſu feliciter abſoluit, comprobauitq;.

IN PORTICV GREGORIANA.

ITALIA *regio totius orbis nobiliſsima, vt natura ab Appennino ſita eſt, hoc itidem ambulacro in duas partes, alteram hinc Alpibus & ſupero, alteram hinc infero mari terminatas diuiditur, à Varoq; flumine ad extremos vſq; Brutios ac Salentinos regnis, prouincijs, ditionibus, inſulis, intra ſuos vt nunc ſunt fines, diſpoſitis, tota in tabulis longo vtrinq; tractu explicatur. Fornix pia SS:torũ virorum facta locis in quibus geſta ſunt ex aduerſum reſpondentia oſtendit. Hæc ne iucuditati deeſſet ex rerum & locorum cognitione vtilitas Gregor: XIII. Pont: Max: non ſuæ magis quàm*

gis quàm Romanor: Pontiff: commoditati hoc artificio & ſplendore à ſe inchoata perfici voluit. Anno CIↃ. IↃ. LXXXI.

AD DEXTRAM.

Claſsis Turcarum ad Crocyllerum profligata, Melita obſidione liberatur.

AD SINISTRAM.

In ſuprema concauitate, exceptis hiſtorijs veteris teſtamenti, hæ habentur.

S. Paulus Publij parentem Melitæ ſanat.
S. Paulus illæſus viperam excutit.
S. Paulus venturus Romam nauem conſcendit.
S. Sabinus cum cœcus eſſet Attilam cognoſcit.
S. Anſelmus hæreticos in Concilio arguit.
S. Michaël in monte Gorgano apparet.
S. Agathæ tenui velo Ætnæ ignis propulſatur.
Theodoricus Rex in infernum deijcitur.
S. Bernhardinus illecebras vitiorum comburit.
S. Celeſtinus Anachoreta in Pont: Max: eligitur.
Symmachus Papa neceſſaria Epiſcopis relegatis ſubminiſtrat.
Corſi Gregor: VII. Dominum agnoſcunt.
S. Marcellinus incendio Anconam vrbem eximit.
Henricus Imp: milites ſuos Euchariſtiæ gratia corroborat.
S. Franc: de Paula ab igne non læditur.
S. Vbaldus hoſtes ſigno crucis fugat.
S. Franciſcus vtitur pallio pro nauigio.
S. Seuerus à Spiritu S. Archiepiſcopus deſignatur.
S. Antonio prædicante piſces ex aqua mergunt.
S. Lauarij precibus fugantur Dæmones.
S. Dominico Angeli panem Bononiæ miniſtrant.
S. Petronius mortuum Bononiæ ſuſcitat.
S. Benedictus Totilam non agnitum detegit.
Simon Magus S. Petro debitas pœnas perſoluit.
Mutina S. Geminiani precibus ſeruatur.
S. Ianuarij ſanguis Neapoli ebullit.
Domine quo vadis.
Parma vrbs obſidione Federici II. eximitur, Innocent: IIII. Pontif: Max: opera.
Leo Pont: Max: Attilam furentem reprimit.

S. Clara Aſsiſium obſeſſum à Saracenis liberat.
Mathilda patrimonium S. Petri Rom: Eccleſiæ reſtituit.
Et mihi & Petro.
Chriſti corporis celebre in Vrbineto miraculum.
S Antonio prædicanti S. Franciſcus apparet.
S. Conſtantinus Epiſcopus ſigno crucis infirmos ſanat.
S. Ambroſius Eccleſiæ hoſtes è Mediolano expellit.
S. Franciſcus ſtigmatibus Auerniæ decoratur.
S. Ambroſius Theodoricum Imp: à templi ingreſſu arcet.
In hoc ſigno vinces.
Imperator humili obſequio Pontif: Rom: veneratur.
Conſtantinus Imp: à S. Sylueſtro Romæ baptizatur.
Conſtantinus Imp: baſilicam Petro Apoſtolo erigit.
Conſtantinus Imp: baſilicam Paulo Apoſtolo erigit.
Gregorius XIII. *Pont: Max: Anno* VIII.

Terra antiqua potens armis atq; vbere glebæ.

AD LAEVAM.

ILVA: *Romanus portus à Claudio Imp: olim conſtructus.*

AVENIONENSIS *ditio & Venaiſinus Comitatus. Carpentoraca caput Comitatus Venaiſini.*

Gregorius XI. *ſedem Pontificiam diuino numine permotus Auenione Romã poſt annos* LXX. *reducit, Pontificat: ſui anno* VII. M.CCC.LXXVI.

SICILIA, *cella penuaria Reipub: ac plebis Rom: nutrix nominatur, & frumento alijsq; rebus abundat. Romanæ Eccleſiæ eſt patrimonium. Meſſana: Siracuſa: Panormus.*

SARDINIA, *Nec lupos nec venenata fert animalia.*

CORSICA, *Equos fert exiles quidẽ & graciles, cæterùm ad laborẽ indefeſſos, generoſiſsima vina, villaticos et paſtorales canes, ſtrenuos & acres viros.*

CALABRIA VLTRA: *Saccarum fert & manna, foſsili ſale abundat, ſerici copia aliarum ferè Italiæ partium lanas æquat.*

CALABRIA CITRA: *Fertilis omni bonorum genere affluens & quaſi bonis graueſcat, nomen creditur à Græcis adepta, Alexander Epiri Rex ab exule Lucano interficitur Liui: lib.* VIII.

LVCANIA: *Regio omnis illic bis vernat. Virg: Beferiq; roſaria Peſti. Peſtũ Græci Poſidoniã appellant, ex cuius ruinis Polycartũ ædificatũ eſt.*

PRINCIPATVS SALERNI, *A Silaro amne dictũ. Monteuergine.*

CAMPANIA FELIX: *Ea eſt amœnitate, ea vtitur cœli benignitate, ea deniq; propinqui maris commoditate, fluminum & la-*

cuum

cuum opportunitate, tum calidarum aquarum ſalubritate, vt non iniuria cognomento Felix appelletur. Metropolis Neapolis vrbs vetuſtiſsima, Dynaſtarum, Regulorumq́; & Ducum Principumq́; frequentia celeberrima.

Ioannes x. PP. M. ope Alberici Romani de Comitibus Tuſculanis Hetruriæ Marchionis Sarracenos profligatos ab Italia ejecit. Anno Domini C. M. XIIII.

LATIVM ET SABINA. *Roma terrarum caput, pars Patrimonij S.ti Petri. Trigeminorum de Imperio certamen Cuiatij & Oratij.*

VMBRIA: *IX. vrbes, oppida quàmplurima, Spoletum caput. Annibal ad Spoletum profligatur.*

PATRIMONIVM D. PETRI: *hanc Hetruriæ partem ab Tirrheno mari, Flore, Tyberi & Palia amnibus intercluſam, quod Mathilda comitiſſa Rom: Eccleſiæ reſtituit, S. Petri Patrimonium appellatam conſtat.*

LVCENSIS REIP: DITIO. *Strabo lib: v. Ad montes Lunæ incumbentes vrbs eſt Luca, vbi pleriq́; vicatim habitant: Regio tamen probitate virorum floret, & robur militate hinc magnum deducit, & equitum multitudo, ex quibus Senatus militares capit ordines. Luca: Vrbenetum. Pons Gregorianus in Pallia ad Aquenſes Taurinos.*

AD DEXTRAM PONTIS.

Omnia dic læta eueniant & fauſta, viator,
Gregorio, tutum qui tibi reddit iter.

PERVSINVS AC TIFERNAS AGER: *Peruſiæ Auguſtæ. Hic Annibal conſule interfecto Romanos profligauit. De laudibus Auguſtæ Peruſiæ carmen.*

HETRVRIAE DVCATVS: *Hetruria cœli temperie, agrorum cultu, vrbium & oppidorum celebritate, villarum & ſubſtructionum frequentia, fluminum, fontium, lacuum commoditate, aquarum calidarum ſalubritate, mercaturæ vſu, militum robore, liberalium artium ſtudijs, ingenij præſtantia, incolarum deniq́; in Pontifices Rom: obſeruantia, & pietate erga Deum Opt: Max: inſignis. Sena vetus: Fiorentia: Miniatenſe oppidum.*

LIGVRIA, *in Appenninis montibus ſita, diuiditur in orientalem & occidentalẽ, cuius termini ſunt flumina, Varus ab occaſu, Macra ab ortu. Huius regionis Genua caput eſt, vrbs maritimis opibus ac nauali gloria perpetuò florens, compluribusq́; egregijs victorijs, atq́; imperio in multas Orientis partes latè propagato, clara.*

ITALIA NOVA: *Hæc noua Italiæ deſcriptio ea tantum oppida, quæ dignitatibus Eccleſiaſticis inſignia ſunt, continet.*

Jtalia cunctis gentibus hoſpitio patens, omnium frugum, vini, oleiq; feraciſsima, nutrix præſtantiſsima pecorum, cuius longitudo à Varo flumine Jtaliæ initio per littus maris inferi ad vrbem Rhegium Dcccc. xxv. mill: paſſ: à Rhegyo Hydruntem cc. Lxx. mill: paſſ: ab Hydrunte Venetias. DC. xxxv, mil. paſſ: Venetijs ad Arſiā Fl. Italiæ terminū C.L. mil: paſſ: ab Arſia per radices montis Adulæ, & Alpium Rheticarum Cottiarumq; ad Varum fl. D. Lxx. mil. paſſ: Ambitus MM. D. L. mil.. paſſ: Latitudo varia eſt, haud vllo in loco CC. mil. paſſ: excedens, vbi in minima cxx. mil. paſſ: Eius vmbilicus eſt ager Culilius. Ei præeſt Gregor: XIII. qui has ædes extruxit. Decoratur primatu S. R. E. & Venetiarum Aquileiæq; Patriarchis ac Archiepiſcopis XXIX. Epiſcopis ccLIII.

CIVITAS VETVS: *Multi centum cellas, ſed πύργους veteres hanc eſſe oſtendunt etiam vetuſtiſsimæ turris veſtigia: Imp: Cæſar Diui F. Auguſtus Pontif: Max: Imp: XII. Coſs. XI. Trib: pot: XIV. Ægypto in poteſtatem redacta Soli donum dedit.*

Columna naui vehitur, quæ habetur ad templum S. Petri.

GENVA: *Ligurum Metropolis, à Magone diruta, exædificatur à Sp: Lucretio duobus Cnn. Seruilijs Cæpione & Gemino Coſſ:*

VENETIA: *Ciuitas admirabilis poſt euerſam ab Attila Hunnorum Rege Aquileiam condita, Anno à ſalute hominibus reſtituta, cccc. LIIII.*

ARIMINVM: *Vmbrorum colonia deducta P. Sempronio Sopho, Ap: Claudio Cœci F. Coſſ: Anno ab V. C. cccc. Lxxxi.*

ITALIA ANTIQVA: *Italia Regionum orbis primaria, terminatur à iugis Alpium intra Varum & Arſiam flumina, & ab infero, ſupero, Auſonioq; mari, vbi in cornua duo ſcinditur, alterum Epirum, alterum Siciliam ſpectans. Eam diuidunt M. Cato & Sempron: in*

Transappenninam, quæ partitur in
Galliam Ciſalpinam.
Ciſpadanam.
Transpadanam.
Togatam.

Ciſappenninam, quæ diuiditur in
Ligures Montanos.
Apuanos.
Hetruſcos.
Lucanos.
Bicentinos.
Cumanos.

PLINI-

PLINIVS II. IN

Ciſappenninam, cuius partes ſunt:	*Transappenninam, partesq́; eius ſunt:*
Liguria. Latium.	*Picenum. Italia Transpadana.*
Hetruria. Campania felix.	*Vmbria.*
Vmbria. Samnium.	*Gallia togata. Venetia.*

STRABONI

Liguria.	*Lucania.*
Tuſcia.	*Piceno.*
Romana.	*Apulia.*
Campania.	*Venetia.*

PEDEMONTIVM ET MONSFERRATVS: *Auguſta Taurinorum. Taurini ad radices Alpium ſiti, vnde totus ille tractus vulgò Pedemontium vocatur, agrum habentes feraciſsimum, colles amœniſsimos, & frugiferis arboribus ex omni parte veſtitos, vino, frugibus, & pecore abundant. Metropolis Auguſta, olim Longobardorum ſedes, hodie Duci Subaudiæ paret.*

Monsferratus ora celebris ad flumen Tanarum, quam propè totam nobiliſsimi Italiæ Marchiones à Palæologis Imperatoribus Conſtantinopolitanis oriundi tenuerunt, hodie Duci Mantuæ ſubdita eſt.

MEDIOLANENSIS DVCATVS: *Mediolanum vrbs eſt Ciſalpinæ Galliæ metropolis, populi multitudine refertiſsima, agri bonitate fertiliſsima, annis ante Chriſtum natum DC. Lxxxiv. à Gallis Inſubribus condita. Quæ, poſtquam eam ſumma cum iuſtitia Duces x. tenuere, ſub ditione Philippi Hiſpaniarum Regis nunc permanet.*

TRANSPADANA VENETORVM DITIO: *Hic tibi loca Italiæ ſuperiora cum Galliæ Transpadanæ parte, quæ Venetis paret, deſcribuntur, ea pars Bergomum, Brixiam, Veronam, Vicentiam, Patauium, Cenedam Rom: Pontif: vrbem, aliaq́; loca celeberrima complectitur, inter quæ principem locum obtinet regio ad lacum Benacum poſita: ea olearum, ficuum, citriorum, limonum, auranciorum copia & bonitate cum Liguriæ & Campaniæ ora contendit.*

FORVM IVLII. *Liburnia olim, poſtea Forum Iulij à Iulio Cæſare, vt putant, mox Aquilien ab Aquileia v. poſtremo patria dicta eſt: Montes habet omni genere metallorum abundantes, è quibus etiam marmor excinditur candidum & nigrum, idq́; in Flaminiam & Galliam Ciſalpinam à mercatoribus importatur, habet etiam campos*

& latiſsimos & fertiliſsimos, vtiturq; cœlo inprimis ſalubri & temperato.

PLACENTIAE ET PARMAE DVCATVS: *Parma & Placentia.*

MANTVAE DVCATVS: *Mantua.*

FERRARIAE DVCATVS: *Ferraria.*

BONONIENSIS DITIO: *Bononia bis.*

FLAMINIA.

VRBINI DVCATVS: *Piſaurum.*

PICENVM AGRVM: *Macerata.*

ANCONITANVS AGER: *Ancona.*

APRVTIVM: *Aquila.*

APVLIA DAVNIA.

SALENTINA HYDRVNTI TERRA: *Eſt peninſula, quam recentes coloni habuerunt.*

TREMITAE: *Romani portus reliquiæ*

Fr. Ignatius ordinis prædicatorum Epiſcopus Allatrinus Mathematicus inſignis autor.

INSCRIPTIO.

Gregorij XIII. *Pont: Max: iuſſu alterum porticus partem à Pio* IIII. *Pont: Summo, multò ante factam cum hac altera ſociaturus, vt ne opus illud inchoatum relinqueretur, in his tabulis Aſiam, Africam, & orbem nuper inuentum, de plagis illis certior abundè factus, ſtylo deſcripſi, nec non ſupra ipſam Geographiam inſignem illam pompam, in Diui Greg: Nazianz: reliquijs transferendis æditam, ad vnguem addendam & ob oculos ponendam curaui: Et quoniam altero porticus fornice mortalis hominis vita depicta erat, operæprecium eſſe putaui, ſic exigente rerum ſerie, vt in hoc immortalis illa Beatorum vita delinearetur, idq; lepido & plauſibili ordine gradatim per quædam quaſi ſubſellia procedendo, vſq; dum ad Apoſtolicum Angelicumuè conſeſſum, & Deiparæ virginis ſolium, ad ſummæ thronum Triadis aſcendatur, adiectis tanquam Emblematis aureolis Beatorum & dotibus, cum ſuis cuiq; virtutibus conſentaneis.*

AFRICAE PARS REGNA DIVERSA continens:

Africa peninſulæ inſtar poſita, pro loco in duas partes hic diuidttur, alteram quam Abyſsinorum regit Jmperator: Alteram hac ipſa tabula comprehenſam, cui ferè omnes reliqui illius regionis principes & Reges dominantur.

CAPVT

CAPVT BONAE SPEI.

Non ſua laude priuandus eſt Vaſcus Gama Luſitanus, qui primus Emanuelis XIII. *Luſitaniæ Regis iuſſu, anno ſalutis noſtræ M. D.* VII. *Bonæ Spei caput præteruectus, auſtralem Africæ oram ab occidente in orientalem ſolem legens, ad Calecuthium usq; claſſe peruenit.*

Seuega lignea ciuitas portatilis. *Feſsa noua ciuitas,*
Feſsa vetus Mauritaniæ vrbs Regia. *Cypri inſula.*

AMARA MONS AETHIOPIAE.

In monte Amara Abyſsinorum Imperatoris filij educantur & cuſtodiuntur, ſolusq; eo mortuo maior natu, aut qui regno eſt aptior, inde euocatus Imperator creatur: reliqui monte nunquã excedunt, quod ab Abrahamo Æthiopiæ Rege antiquitùs fertur conſtitutum, ne Imperium aut diuideretur, aut aliam in gentem traduceretur: Ita eius poſteri multa iam ſæcula continuata Regum ſucceſsione latiſsimè illud propagarunt.

AFRICAE ALTERA PARS ABYSSINORVM Imperium, ac regna diuerſa continens:

Abyſsinorum Imperatoris immenſum quoquo verſus videre hîc licet Imperium, quod à ſeptentrionibus Ægyptus, ab oriente ſinus Arabicus & Barbaricus; à meridie Lunæ montes, ab occidente Manicongium regnum, Niger & Nilus flumina, & Nubiæ pars terminant, vt quantum in hac tabula Zona torrida continet, ferè totum complectatur.

ABYSSINORVM REGVM TITVLVS.

Dauid ſupremus meorum Regnorum, à Deo vnicè dilectus, altera columna fidei, ortus ex ſtirpe Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Sionis, filius ex ſemine Jacob, filius Nahu ſecundum carnem, filius SS.torũ Apoſtolorum Petri & Pauli ſecundum gratiam: Jmperator ſuperioris & maioris Æthiopiæ, & ampliſsimorum regnorum, juriſdictonum & terrarum: Rex Goaë, Caffates, Iutigar, Angotae, Baru, Baliguanzae, Adeac, Vangnac, Gioiamac, vbi Nili fontes, Amarac, Baguamedſi, Ambeac, Vanguoi, Tigremazon, Sabami patriæ Reginæ, Sabac, Barnagaſsi, & Dominus partis Nubiæ, quæ in Ægyptum extenditur

Caſſunu Reginæ Candacis ſedes, Abyſsinorum Imperatoris ciuitas ex tentorijs conſtituta.

Ruc auis omnium maxima, tanti roboris, vt Elephantem capiat, & in ſublime raptum in terram labi ſinat, quo carnibus eius veſcatur.

TVRCICVM EXTRA EVROPAM IMPERIVM.

Pontus Euxinus: Mare mediterraneum; Mare rubrum, & ſinus Arabicus: Sinus Perſici pars: Ægyptus prouincia.

Hac tabula duabusq; anterioribus Turcarum Tyranni extra Europam Imperium deſcribitur, niſi ſi quid Perſarum rex bello captum tenet. Reliquum intra Europam finitimus paries Pij IIII. *iuſſu aſsimulatum alijs tibi tabulis demonſtrabit.*

PERSIAE REGNVM ET TAGATAjorum Imperium.

Mare Caſpium & Hircanum, hodie Mare de Sale & de Bacche. Meſopotamiæ pars. Sigiſta prouincia. Sinus Perſicus. Mare Indicum; olim rubrum.

Perſarum imperium non magis antiquis temporibus, quàm noſtris clarum. Eorum Rex Sophi dictus, terris omnibus imperat, quas Tigris, Indus, Iaxartis flumina, Sinus Perſicus, Mare Indicum & Caſpium complectuntur. Quibus finibus Aſsyria, Sutiana, Media, Perſia, Parthia, Carmenia maior, Hyrcania, Margiana, Baſtriana, Sogdiana, Sacac, Scythia vltra montem Imau, Dorica, Aria, Paropaniſide, Drangiana, Arachoſia, Gedroſia continentur.

Tauris Perſiani Regis ſedes.

INDIA INTRA GANGEM ET PARS EXTRA.

Turch regio: Ciarcian regio: Deſertum Iop: Tangui prouincia: Deſertum Camul: Regnum Camul: Gangeticus ſinus: Archipelagus: Maldinar: Mare Indicum.

Quæ pars Aſiæ Europam attingit, magno Moſcouitarum Duci, altera huic proxima magno Cam Tartarorũ Imperatori, tertia genti Othomanicæ, quarta Regi Perſarum eſt ſubiecta, quinta India eſt, non vni ſed pluribus ſeruiens, vt quot in ea ſunt regiones, totidem ferè habeat Reges, quorum aliqui magni Cami, aliqui Chiæ Regis ſunt tributarij. Maritima vero loca à maris rubri oſtio ad promontorium Liampum Philippo Auſt.^co Luſitaniæ Regi parent.

INDIAE EXTRA GANGEM PARS ALTERA Siue China.

Barcu Prouinc: Agigaia prou: Quinzai; Catari prouinc: China prouin: Mare Chinenſe: Oceanus Orientalis, Archipelagus S.^ti

Laza-

Lazari: Mare Lantezidel: Iaccæ maioris pars.

India omnium Regionum nobiliſsima, ab occaſu ſolis ad flumen Indum; à ſeptentrione ad montem Imau; ab oriente ad mare Eoum: à meridie ad oceanum Indum pertinet. Quæ vergit ad occidentem intra Gangem, quæ ad orientem extra Gangem: Illa in ſacris literis Euilar, hæc Seriam appellatur. Vtraq; vrbibus, populis, gemmis referta, aromata ex circumjacentibus inſulis coaceruat, atq; in totum terrarum orbem diffundit.

QVInzai ciuitas cœli lingua Chinenſi totius orbis opulentiſs:ª et max:ª

MARtabanes vbs eſt Pegu, in qua ex Porcellana magnus vaſorum formatur numerus, quæ cum alijs colorib: tum etiam nigro illita pellucent.

TVNgi vrbs Mangi, vbi ex materia porcellana dicta, centum in terra, vt fermentetur, annos defoſſa, nobiliſs:ª vaſa finguntur.

TARTARORVM REGIONES.

Terra ſiue mare incognitum. Tartarorum Amulorum. Scythicum promontoriū. Danar ſiue Danatar horda, prima deiectio ſiue diſceſsio aut expulſio. Nephulitar horda. Ciremitzor horda. Turb lacus. Veſezucanorum horda. Tarbonū horda. Chiesanorum horda. Mecritorum horda. Barga regio paluſtris. Baſchirdorum horda. Zibierairorum horda. Belgian deſertum. Aina prouincia.

Tartari Aſiæ tractum incolunt; illum qui Oceano Eoo Indico intra Gangem, Sacis, Iaxarte flumine, mari Caſpio & palude Meotide & Moſcouia circumſcribitur: à ſeptentrione in terram incognitam vel oceanum glacialem deſinit, vt credibile ſit, à Tartaris Sarmatiam Aſiaticam antiquam, vtramq; Scythiam & Sericā obtineri. Hi campeſtres ſunt, & ſub tentorijs vitam agunt, in cœtus quos hordas vocant, diſtributi.

AMERICA SIVE PERV.

Floridæ pars. Oceanus ſeptentrionalis, vulgo mare del Nort. Archipelagus Dominici: Caſtilia aurea: Benezeuila regio. Noua Andialucia: Amazoni regio. Carcas. Prouincia della plata: Chincas fretum Magellanicum.

Columbus Genuenſis anno à filij Dei Incarnatione M. cccc. xcii. per vaſtum Oceanum ad occidentem ſolem curſum dirigens, occidentales terras primus reperit, quæ ob immenſam magnitudinem, nouus orbis appellantur. Iis in duas partes diuiſis, quæ ad Meridiem ſpectanti ſe tibi offert ab incolis Peru eſt dicta: Hæc ab Americo Verpuccio Florentino, poſt Columbi eò appulſum, inuenta, Americæ nomen accepit.

Ferdinan-

Ferdinandus Magellanus M. D. IX. XII. Calend: Octobr: ex Hiſpania ſoluens, ſequenti anno XII. Calend: Nouemb: ad hoc fretum (Magellanicum ſcilicet.) peruenit: Inde ad Moluccas curſum dirigens, in inſulis Barutis eſt interfectus: claſſe verò diſtracta Victoria nauis orbe circumnauigato, triennio poſt in Hiſpaniam eſt reuerſa.

IAPAN.

Iapan à M. Paulo Veneto Zipangoi, ab alijs Ciampanga dicta. Hæc vel Chryſe eſt antiqua Inſula, vel in ſinu magna, qui Chryſe dicitur, poſita.

CVBA HISPANIOLA ATQVE ADIAcentes Inſulæ.

Iuſula Cuba Ferdinanda & Ioanna ab Hiſpanis eſt appellata; et quam indigenæ Quinqueiam atq; Haitin dicebant, Hiſpaniolam ac S. Dominici inſulam ijdem Hiſpani nominarunt, quo etiam S. Dominici nomine Inſulæ ipſius vrbs primaria vocatur, quod eo ord: prædicatorum vir religioſus deſcenderit, & Chriſto ſaluatori ſacrificium inibi primus omnium obtulerit.

Nouæ Hiſpaniæ recens atq; abſolutiſsima deſcriptio, continet Coringam, Pronchapalicum, ſinum magnum ſeu Märe del ſur, Mexicon, Coatalpanicas.

Mexicus nouæ Hiſpaniæ Metropolis in prouincia Themiſtitan.

Regio hæc ſiue continens, ſiue penniſula ſuo ambitu nouam Galliam Floridam, nouam item Hiſpaniam Themiſtitan continet. Hæc ipſa cum principe Mexico à Fernando Corteſio magna ſuorum clade ab incolis libertatem acriter defendentibus accepta, anno poſtquam eſt condita CXL. Monte Zuma IX. eius rege expugnata fuit, & in Hiſpaniæ Regis poteſtatem redacta Anno M. D. XVIII.

AD TABVLAS GEOGRAPHICAS

Geographiæ tabulæ, quas Pius IIII. in hoc pariete pingendas curauit decoloratæ; Gregorij XIII. P. M. iuſſu ſuis coloribus iterum contactæ, refloruerunt. M. D. LXXXIII. anno eius. XIII.

IN PORTA.

Gregorius XIII. Pontif: Max: Beati Gregorij Nazianzeni corpus ex ſacrarum virginum templo, Dei genitrici Mariæ virgini ad Campum Martium dicato, in baſilicæ Vaticanæ ſacellum à ſe ornatum celeberrima quam vides pompa tranſtulit III. Id: Iunij M. D. LXXX.

Gregorius XIII. PP. M. Pij PP. V. ſanctionem de S. R. E. locis non alienandis iureiurando firmauit.

Grego-

Gregorius XIII. PP. M. vt ſanctum Paſcha ſuo in perpetuum tempore celebretur, rationem anni diu perturbatā reſtituit, modumq; adhibuit, quò futuris ſæculis in præſcriptæ definitionis ſtatu ſine confuſione perſeueret, Anno M. D. LXXXII. Pont: ſui an: XI.

Palatij hanc partem tùm à Pio PP. IIII. tùm à ſe fundatam ad faſtigium totam perduxit, & picturis conſpicuam fecit.

Conſiſtoriales aulas inſtaurauit: Conſtantinianam altius ſublatam teſtudine iunxit, Regiam vario marmore ſtrauit, S. Pauli ſacellum pictis & plaſtico opere fictis imaginibus, & altari conſtructo decorauit.

Literas & præclara in quouis doctrinæ genere ingenia fouebat, Academiam Romanam ſumptuoſa & Nobilium diſciplanarum ſtudioſis commoda ædificatione augebat.

Collegium Rom: ſocietatis Ieſu, re & loco peranguſtum inſigni reditu aſsignato amplificauit, magnifico ædificio extruendo grandem pecuniam tribuit.

Pontem Senatorium diu interruptum iactis molibus reſtituit, alterum in periculoſis Palliæ vadis via Caſsia fecit.

Res & loca, quæ R. S. E. dominij ſunt, iniuſtè occupata, enixè recuperabat, eius ditionem augebat.

Viam Flaminiam & quæ ab ea per Camertes Lauretum diuertit quadrigis perui as fecit. Anconæ arcem dilatauit, ampliſsimum aduenis peſtilentia ſuſpectis mercibus expurgandis ædificium ad portum ſtruxit, centum cellarum munitionem perfecit.

Annum Iubilæum D. M. LXXV. aperuit, ſummaq; pietate atq; erga peregrinos caritate, magnoq; populorum concurſu celebrauit.

Germanos, Britannos, Pannonios, Græcos, Neophytos, in conſtitutis à ſe vrbanis collegijs doctrina excolendos curabat, collegia alia alibi inſtituebat.

Publica in Diocletiani Thermis horrea ad leuandam rei frumentariæ inopiam conſtruxit, portam Cœlimontanam à ſolo in ampliorem formā ædificauit.

Imprimendi artem Hebraicis, Græcis, Chaldæis, Arabicis, Armenijs, Illyricis characteribus ab ſe præcipué inſtructam ita promouit, vt iam orientis & oppreſſæ à Turcis & ſchiſmaticis Europæ populi miſsis Catechiſmis propria ad pietatem lingua inſtituantur.

Aquam Virgineam in celeberrima vrbis loca diduxit, lacubusq; è marmore ſummo artificio conſtructis, fontes publicæ vtilitati & iucunditati aperuit.

Sacellum

Sacellum in Baſilica S.ti Petri admirabili opere exornauit, prouentu addictis ſacerdotibus comparato, Dei genitrici & Gregorio Nazianzeno dicauit.

Immenſam Baſilicæ D. Petri ædificationem maximè vrgebat, magnam partem a fundamentis excitatam altius attollebat.

Templum S. Athanaſij fundauit, abſoluit, illuſtre Sanctiſsimi corporis Chriſti ſacellum in Laterano ædificauit: Conſtantini Baptiſterium ibidem, & pro æde S. Mariæ maioris porticum, alia atq; alia pia loca inſtaurauit.

Ambulationem in Vaticano, pictis in ea totius Italiæ regionibus, vrbibus, oppidis Rom: Eccleſiæ, & Principum ditionibus magnificé extruxit.

IN AVLA MAGNA DEAVRATA, QVAE EST ante Capellas Palatij, ad picturas quaſdam.

PEtrus Arragoniæ Rex ad vrbem profectus, Innocentio III. *Pont: Max: regnum Arragoniæ defert, conſtituta annui tributi perpetua penſione, obœdientiam ſimul & defenſionem ſedis Apoſtolicæ pollicitus.*

Alexander PP. III. *Friderici* I. *Imperatoris iram & impetum fugiens, abdidit ſe Venetias, cognitum & à Senatu perhonorificè ſuſceptum, Otthone Imperatoris filio nauali prælio à Venetis victo captoq;, Fridericus pace facta ſupplex adorat, fidem & obœdientiam pollicitus: Ita Pontifici ſua dignitas Venetæ Reip: beneficio reſtituta M.c. Lxxv*II.

Gregorius II. *Germaniæ magna parte ad veri Dei cultum traducta, Arithperti Longobardorum Regis donatione per Lathandum Imp.rem ſucceſſorem confirmata, anno ſui Pontificatus xv*II *deceſsit.*

Ottho Imperator deuictis Berengario & Rodulpho filio Tyrannis, prouincias ab illis occupatas Eccleſiæ reſtituit,

Gregorius XI. *Patria Lemonicens: admirabili doctrina, humanite, innocentia, vt Italiæ ſeditionibus laboranti mederetur, & populos ab Eccleſia crebrò deſciſcentes ad obœdientiam reuocaret. ſedem pontificiam diuino numine permotus Auenione Romam poſt annos Lxx. reducit, ſui Pontif: anno v*II. *humanæ ſalutis M. ccc. Lxxv*I.

Carolus V. Imp: Tunetum à Turcis occupatum pari virtute & felicitate recipit, Paulo III. *Pontif: Max: Anno M.D.xxxv.*

*Gregorius v*II. *Henricum Imperatorem malè de Eccleſia merentem, poſtea ſupplicem & pænitentem, abſoluit.*

Gregorius IX *Friderico Imp.ri Eccleſiam oppugnanti ſacris interdicit.*

Carolus Magnus in patrimonij poſſeſsionem Romanam Eccleſiam reſtituit.

Hoſtes perpetui Chriſtianæ religionis Turcæ, diuturno victoriarum ſucceſſu exultantes, ſibiq; temeré præſidentes, militibus, ducibus, tormentis, omniq; deniq; bellico apparatu ad terrorem inſtructi ad, Echinadas inſulas à communi claſſe, prælio poſt hominum memoriam maximo, perſpicua diuini ſpiritus ope profligantur. M. D. Lxxi.

Claſſes oppoſitæ, Turcarum vna, Chriſtianæ ſocietatis altera, inter Pium v. Pontif: Max: Philippum Hiſpaniæ Regem Venetum Rempub: inito iam fœdere ingentibus vtrinq; animis concurrunt.

Caſpar Colignius olim Admiralius accepto vulnere domum deportatur, Gregorio xiii. Pontif: M. D. Lxxii.

Coligni & ſociorum cædes.

Rex Coligni necem probat.

Aula hæc Pauli iii. iuſſu ornari cœpta, et Piorũ poſtea iiii. & v. ſtudio aucta, anno primi Gregorij xiii. ad finem perducta M. D. Lxxiii.

IN CONCLAVI.

Gregorius xi. curiam è Gallijs Romam reduxit.

Bonifacius ix. Tomacellus Cibo arce Adriani munita, Pont: ditionem ſtabiliuit muniuitq;.

Martinus v. Columna extincto ſchiſmate pacem Eccleſiæ peperit.

Stephani ii. Pontif: equum Pipinus Rex pedes manu rexit.

Sub Adriano i. Longobardorum regnum defecit.

Leo iii. Carolum Magnum Romani Imperij corona donauit.

Sergius ii. ſummis Pontificibus immutandi nominis initium dedit, cum Os porci vocaretur.

Leo iiii. Saracenis profligatis, vrbem à ſe Leoninam appellauit.

Vrbanus ii. autor expeditionis in infideles.

Nicolaus iii. Vrſinus à morum grauitate compoſitus dictus.

STATVTA QVAEDAM EX PLATINA.

Elenthenius ſtatuit, ne quis ob ſuperſtitionem cibi genus reſpuat, quo humana conſuetudo veſcitur.

Syluester primus: Vt quiſq; vno ordine contentus ſit, & vnius ſolùm vxoris reperiatur.

Pius ii. ſacerdotibus magna ratione ſublatis, vxores maiore reſtituendas cenſebat.

Gregorius iiii. ſtatuit, ne Epiſcopi aut ſacerdotes ſericis vterentur, aut coccinei coloris veſtibus, ne in digitis gemmas niſi ſacrificantes geſtarent, nec argentum in cingulis & crepidis: ea enim à religione aliena & vanitatis atq; incontinentiæ ſigna.

IN CONCLAVI VICINO BIBLIOTHECAE nouæ, ad depictas hiſtorias.

I.

Dum Bonauentura eximios numerabitur inter
Doctores, iuſſu maximè Sixte tuo:
Tu quoq; Pontifices inter numerabere primos,
Quis ſcit an & maior fama futura tibi.
Tu facis, hic ſcripſit, tua grandia facta manebunt,
Vt Bonauenturæ grandia ſcripta manent.

II.

Sancti Gregorij moralia à Tagione Epiſcopo Cæſar: Auguſtano in Eccleſia S. Petri diuinitus reperiuntur.

III.

S. Ambroſius Theodoſium Imp: propter cædem Theſſaloniæ factam Eccleſiæ limine prohibuit.

IIII.

Puerulus nucis putamine aquam è mari hauriens, S. Auguſtinum à Sanctiſsimæ Trinitatis indagatione dehortatur.

V.

S. Hieronymus ab Angelo per ſomnium verberibus cæſus, à Ciceronis lectione deterretur.

VI.

S. Thomæ de Chriſto ſcripta à Chriſto crucifixo probantur.

VII.

S. Thomas S. Bonauenturam pro S. Franciſco laborare ſinit.

VIII.

S. Gregorius Nazianzenus ob commotam inter Epiſcopos ſeditionem Conſtantinop: Epiſcopatui ſponté ſe abdicauit.

IX.

S. Joannes Chryſoſtomus bis in exilium pulſus, tandem à S. Baſilea Martyre per ſomnum admonitus in Domino requieuit.

X.

S. Athanaſius de maleficio iniuſtè accuſatus, Dei beneficio iuſtè liberatur

XI.

S. Cirillus deuictum Philoſophum proterit & conculcat.

XII.

S. Damaſceno falſo accuſato abſciſſa ab Imp: manus diuinitus reſtituitur.

XIII.

S. Baſilium miraculis præpotentem in exilium eijcere Imp: Valens non valuit.

Pontinas

XIIII.

Pontinas Sixtus potuit ſiccare paludes,
Fontibus vt potuit ſicca rigare loca.

XV.

Vrbs vicina mari medijs ſitiebat in vndis,
Nunc dulces Sixti munere potat aquas.

XVI.

Quæ fuit à parco congeſta pecunia Sixto,
Turcæ erit exitium, præſidiumq́; Petri.

XVII.

Mutua diſiuncti coëunt in fœdera Reges,
Et Sixti auſpicijs pax ſtabilita viget,

XVIII.

Dum tibi templa locat ſupplex Hieronyme Sixtus,
Huic parat in cœlis aurea tecta Deus.

XIX.

Scalas innocuo conſperſas ſanguine Chriſti,
Conſtituit Sixtus ſplendidiore loco.

XX.

Eccleſiam priſtino ſuo ſplendori reddidit.

XXI.

Grandem pecuniam in Eccleſiæ ærarium retulit.

XXII.

SS. Patrum monumenta typis fideliter excudenda mandauit.

XXIII.

Sacram paginam ex Concilij Tridentini præſcripto quàm emendatiſſimam diuulgari curauit.

XXIIII.

Lauretum mœnibus cinxit, ciuitatis iure, etiam Epiſcopali dignitate donauit.

XXV.

Breuiarum Romanum proprijs SS:torū aliquot officijs auxit.

XXVI.

Poſtquam Italis fuſos prædones expulit oris,
Suſtulit inuictas Sixtus ad aſtra manus.
Et Didacum ætherijs aſſcripſit ciuibus, illi
Thura dedit, feſtos inſtituitq́; dies.
Sic tu Sixte tibi potuiſti ingentibus actis
Demeruiſſe ſolum, demeruiſſe polum.

IBIDEM IN ALIO CONCLAVI.

I.

Saxa agit Amphion, Thebana vt mœnia condat,
Sixtus & immenſæ pondera molis agit.
Saxa trahunt ambo longè diuerſa, ſed arte
Hæc trahit Amphion, Sixtus & arte trahit.
At tantum exuperat Dircæum Amphiona Sixtus,
Quantum hic exuperat cætera ſaxa lapis.

II.

Pontifices olim quem fundauere priores,
Præcipua Sixtus perficit arte tholum.
Et tantum Sixti te gloria tollit in altum,
Quantum ſe Sixti nobile tollit opus.
Magnus honos magni fundamina ponere templi,
Sed finem cœptis addere maior honos.

III.

Sixtus equos transfert geminos, quos fecerat olim
Artificum è Pario marmore docta manus.

IIII.

Fontem rurſus habet ſedes Tarpeia, ſed quem
Non habet infenſi dum timet arma Taci.

V.

Lauretum muris paſtore & ciuibus auctum
A Sixto, & Sixti laus ſimul aucta fuit.

VI.

Montaltum Sixto Patrem donauit habere,
Montalto Sixtus donat habere Patrem.

IN PALATIO S. MARCI.

Pius IIII. Pontif: Max: Medices has ædes Reip: Venetæ argumentum amoris & ſtudij ſui ſponte donauit, Iacobo Superantio equite, oratore Anno M. D. LXIIII.

ANTE CASTRVM ANGELI.

E Lybia aduenit Romanas victor ad arces
Cæſar, & in niueis aureus iuit equis.
Ille triumphauit, ſed tu plus Paule triumphas:
Victor namq; tuis oſcula dat pedibus.

IN PALATIO CAESARINORVM.

Dum Clemens, dum Cæſar erit, dum maxima Roma,
Ius, pietas, & pax aurea ſemper erit.
Numine ſub trino domus eſt tutiſsima, quam ſic
Et Deus, & Cæſar, & ſua Roma fouet.

IN PALATIO SABELLORVM.

Amphitheatra prius, mox propugnacula rurſus
Diruta reſtituit clara Sabella domus.

IN PALATIO CARDINALIS BVRGII.

Taurilib: ludis equi in circo Flaminio circum metas currebant.
Agonalia Iani ſacra, quorum Numa Pompilius inuentor.

IN PALATIO ARCHIEPISCOPI NEAPOLITANI: ſaxum ita inſcriprum.

Mors vitæ contraria & velociſsima cuncta calcat, ſuppeditat, rapit, conſumit, diſſoluit, melliflue duos mutuò ſe ſtrictim & ardenter amantes hic extinctos coniunxit:

DEIN

DEIN HAEC.

Felix nimium prior ætas. Omnis ætas de ſuo tempere conqueſta eſt. Nulli præcluſa eſt virtus, omnibus patet, non quærit domum, non cenſum, ſed nudo homine contenta eſt.

IN CONCLAVI.

Purus oriens ſerenum diem nunciat, pallidus grandinem & ventos, & pluuias. Si oriens cingitur orbe, expectetur ventus. Occaſus nubilus aſperam ſignificat tempeſtatem. Luna ſplendens puro nitore ſerenitatem, rubicunda ventos, nigra pluuias portendere creditur. Si quarta luna erit directa, magnam tempeſtatem in mari præſagit. Si plenilunium plenum erit, ſerenos dies ſignificabit.

Hortos & roſaria curato, topiaria & ſcrobes facito, terram proſcindito, ſeminaria propagato, ficos & poma ſtercorato, herbas purgato, vetera ſarcito, poſtrema arato.

AD IMAGINEM FLORAE.

Firmum corporis robur, caſtasq; menſarum delitias, & beatam animi ſecuritatem, amatoribus meis promitto.

IN PALATIO CANCELLARIAE NOVAE imagines virorum illuſtrium.

Eraſmus Roterodamus. Scotus. Albertus Magnus.
Paulus Iouius. Thom: de Aquino. Io: Auguſt: Anglus.
Petrus Soderinus. Florentinus Dictator.
Bartholus I. C. Leonicus. Theodorus Gaza.
Ioan: Argyropilus. Georg: Caſtriotus Scanderbeccus.
Hieronymus Donatus Doctor, Senator Venetus.
Carolus dux Burgundiæ. Proſper Columna.
Nicolaus Vrſinus Petilianus.
Iacobus Rex Scotorum.
Chriſtiernus Rex Daniæ. Nerone crudelior.
Maximilianus Imperator.
Fabritius Cumanus.

Sunt & alij quorum nomina aſſcripta non ſunt.

IN PALATIO QVODAM.

Eremita quidam ad Cupidinem quem humeris portat.

In ſyluis habitans ab amoris carcere liber
Credideram demens viuere poſſe diu.
Sed Deus ille potens hominum confundere mentem,
Hunc vt amem nolens vult humerisq; feram.

INSCRIPTIONES AEDIVM PRIVAT:

IN DOMO DOMINORVM DE CRVCE.

De Cruce clara domus virtute, prabata fideq;,
Priuatos vno axe lares renouataq; templa

Iunxit, namq́ hominum nulla eſt prudentia, nulla
Gloria, nullus honor, ſine relligionis honore.

IN DOMO IVLIANI DE CALERINIS CARD:

Iulius auratas reuerenti in robore glandes
Pollicitus pacem iuraq́ remq́ dabat.

IN AEDIBVS ARCHIPRESBYTERI S.ti PETRI.

Quam benè ſtare vides, quondam disiecta iacebam,
Et decus hoc facies fert modo culta nouum.
Richardus Normana tuus Conſtantia præſul,
Cardineæ ſtruxit gloria magna togæ.
Presbyter & Veneto Paulo regnante ſecundo
Primus in hac Petri qui fuit Eccleſia.
M. CCC. LXX.

IN DOMO S. CLEMENTIS.

Stet domus hæc donec fluctus formica marinos
Ebibat, & totum teſtudo perambulet orbem.

IN DOMO PORTIORVM.

Ille ego ſum noſtræ gentis Cato Portius autor,
Nobile cui nomen os dedit, arma toga.

IN DOMO QVADAM AD GENII IMAGINEM.

Quis tu læte puer? Genius: cur dextera ariſtas
Læua vuas · · · curue papauer habent?
Hæc tria dona Deûm Cereris, Bacchi atq́ Soporis,
Namq́ his mortales viuitis & genio.

AD ADONIS IMAGINEM.

Aſpice nudatos formoſi corporis artus,
Quisquis es haud quidquam pulcrius orbis habet.
Ille ego ſum vatum ſcriptis celebratus Adonis,
Qui fueram Paphiæ maxima cura Deæ.
Cerne oculis faciem, pectusq́ & membra, pudicis,
Et ſpecie falſa ne capiare caue.
Cauſſa aper æterni infelix tibi Cypria luctus,
Et canis hic Domini qui gemit ante pedes.
Hoc ſatis, i felix per luſtra ferasq́ peroſus,
Et fugere exemplo hæc diſce pericla meo.

IN DOMO LATINI IVVENALIS.

Paruum parua decent.
Exigui ingentis indicia hæc animi.

IN PARIETE DOMVS CVIVSDAM IN regione Columnæ.

SATVRNVS.

Cum ſolus rapiat fugientibus omnia ſeclis,
Cur tamen hunc virtus temnere ſola poteſt?

AQVILA IOVIS.

Tela ſuosq́ Ioui volucris portauit amores:
Nec manus hæc ſemper fulmina ſæua iacit.

MARS.

Mars & Relligio iure hic ſua regna locarunt:
Quàm benè Roma colit, tàm benè bella gerit.

APOL-

APOLLO.

Qui placidus cantu & metuendus arundinis ictu eſt
Non calamis, ſed nunc vtere Phœbe lyra.

VENVS.

Exere candidulum riſu Venus aurea dentem,
Vt maria & placidi ſint ſine nube dies.

MERCVRIVS.

Vt iungor noceo aut proſum Thegeaticus ales
Quid facit hoſpicium, ſitnè bonum annè malum.

IN AEDIBVS CVIVSDAM PRIVATI.

Negotium ratio non fortuna ducat.

ITEM.

Bono viro omne ſolum patria eſt.

ITEM.

Agere & pati fortia Romanum eſt.

IN DOMO AD S. MARIAM TEVTONICAM.

Structorem nobis excultoremq́; Ioannem
Sander ab auſpicio Northus alumna dedit.
Hæc domus expectet Lunas ſoleſq́; gemellos,
Pœonios notos nec ruat ante duos.
Gewalt/ Geldt vnd Gunſt/
Bricht Recht/ Trew/ vnd Kunſt.

IN ALIA DOMO.

Quærenda in primis virtus pulcerrima rerum.
Virtuti fortuna adſit, fortunæ gratia.

IN VIA IVLIA IN AEDIB: PRIVATIS.

Hæc tua principibus magnis inſignia pono,
Principibus lætor me placuiſſe tribus.

IN ALIIS.

Semper nocuit differre paratis: Tempus igitur noſce.

IN ALIIS IN CAMPO MARTIO.

Oſſa & ſpes partas tandem tibi Roma relinquam

ANTE MARIAM ROTVNDAM IN VAſis porphyreticis.

Leo x. Pont: Max: prouidentiſs: princeps vas elegantiſsimum ex lapide Numidico, ne pollutum negligentiæ ſordibus obſoleſceret, in hunc modum reponi, exornariq́; iuſsit. Bartholomæus Valla, Raymundus Capoſuncus ædiles faciund: curau.

INSCRIPTIONES HORTORVM ET Villarum.

IN HORTO CARD: MEDICES.

Et bellum pacemq́; gero, mox protinus anni
Te duce venturi fatorum arcana recludam.

IN HORTIS IACOBI RVBEI.

Jacobus Rubeus Hieron: filius, hortos in Auentino in ampliorem cultum redegit.

IN HORTIS CAESARINIS AD PETRI VINCVLA

Hoſce hortos anni quacunq; intraueris hora,
Et domus hæc pulcri ruſtica quidquid habet,
Inſpicias luſtresq; oculis licet hoſpes, & oris
Iſta tibi inprimis eſſe parata putes.
Vt ſi quid fuerit quo tu oblectare voluptas,
Quæ nunc vna mea eſt iam geminetur oro.
Sin autem nulla hic animum re paſcis, abito,
Et patiare alios his fine lite frui.

IN HORTIS PALATINIS QVI VVLGO BELVIDERE.

Pius IIII. Medices Mediolanen: Pontif: Max: quo commodiores honeſtioresq; ſibi ſucceſſoribus hortos Vaticanos redderet, & complures aulas, cubicula & ſcalas circum ſupraq; hemiciclum plæraq; è fundamentis extruxit, quædam in veterem formam reſtituit atq; exornauit, ſalutis anno M. D. LXII. Pontificat: ſui anno III. Calend. Januarij abſoluit.

IN LYMPHAEO PALATINO.

Pius IIII. Pont: Max: lymphæum hoc condidit, antiquisq; ſtatuis ornauit.

Pius IIII. Pontif: Max: in nemore Palatij Vaticani porticum habſidatum, cum columnis Numidicis fontibus, lymphæo imminente è regione areæ extruit Anno M. D. LXI.

IN VILLA IVLII III. PONTIF: MAX: extra vrbem in via Flaminia.

SVB INSIG: PONTIF: IVLII.

Suſcipient montes pacem, ſacroq; prophanis
Imperio adiunctis, iura dabunt populis.

DEO ET LOCI DOMINIS VOLENTIBVS.

Hoc in ſuburbano omnium, ſi non quot in orbis, at quot in vrbis ſunt ambitu, pulcerrimo, ad honeſtam potiſsimè voluptatem facto, honeſtè voluptuarier cunctis fas honeſtis eſto: ſed ne fortè quis gratis ingratus ſiet, iuſſa hæcce ante omnia omnes capeſſunto:

Quouis quisq; ambulanto, vbiuis quieſcunto: Verum hoc citra ſomnum circumſepta illud.

Paſsim quilibet luſtranto, aſt ne hilum quidem usquam attinguntο. Qui ſecus faxint, quidquamuè clepſerint aut rapſerint non iam vt honeſti moribus, ſed vt fortis onuſti in crucem peſsimam arcentor.

Ollis vero qui florum, frondium, pomorum, olerum aliquid petierint villici pro anni tempore, pro rerum copia & inopia, proq; merito cuiusq; largiuntor.

Aquam

Aquam hanc, quod virgo eſt, ne temeranto, ſitim fiſtulis non flumine, poculis non oſculo aut volis extinguunto.

Piſcium luſu oblectantor, cantu auium mulcentor, at ne quem interturbent interim cauento.

Signa, ſtatuas, lapides, picturas & cætera totius operis miracula quam diu lubet obtuentor, dum ne nimio ſtupore in ea vertantor.

Si cui quid tamen haud ita mirum videbitur eorum cauſſa, qua nemo mirari ſatis quiuit, æquo potius ſilentio, quàm ſermonibus iniquis prætereito.

Dehinc proximo in templo Deo ac Diuo Andreæ gratias agunto, vitamq; & ſalutem Julio III. Pont: Max: Balduino eius fratri, & eorum familiæ vniuerſæ plurimam & æternam precantor.

Huic autem ſuburbano ſpeciem atq; amplitudinem pulcriorem in dies maioremq; in eo quidquid ineſt felix, fauſtum, perpetuum optanto.

His actis valento & ſalui abeunto.

IN VILLA ARCHIEPISCOPI NEAPOLITANI.

Villam perpetuæ ſalubritatis
Suburbi modo montis Eſquilini,
Oliuerius ille Cardinalis,
Doctæ clara Neapolis propago
Hanc Caraffa pius ſuis amicis
Dicat omnibus, hoſpites venite.

RE: RVSTICAE SCRIPTORES.

THEOPHRASTVS.	*SASSERNA.*

Nihil agricultura liberalius & dulcius.

XENOPHON	*MARCVS VARRO*
τὸν ἀγρον παρασκευάζοντα	*Villa agro oneri non ſit.*
CYRVS.	*I. COLVMELLA.*
κακὸς γέωργός ἐστιν ὠνούμενος ὅπερ ὁ ἄκρυς δουῦ-δυώα ται.	*Oculus Domini in agro fertiliſsimus,*
ATTALVS REX.	*C. PLINIVS,*
ὁ ἀγρος ἔστω πολυκέρδης μὴ δαπανηρὸς	*Opera non impenſa cultura conſtet,*
HESIODVS.	*VERGILIVS.*
καὶ δὸμον δῶ καὶ μὴ δόμον ὅσκεν μὴ δῶ	*In primis venerare deos,* *atq; annua magnæ ſacra refer Cereri.*
IMAGO CARTHAGINENS.	*D. SYLLANVS INTERPRES.*
Sententia literis Saracenis.	*Qui agrum emit, domum vendat*

M. CATO.

Primum ne cupidè emas. In re ruſtica oper: ne parcas.

AD PAS-

AD PASQVILVM.

Oliuerij Caraſæ beneficio hic ſum, Anno ſalutis M.D.I.

STATIONES ROMANAE
per Pompon: Lætum.

Quæ tua præſidio Sanctorum crimina tolli
Quæſieris, voti me duce compos eris.
Feſta quadragenæ nec ſit graue, tempora ſerua,
Quæq; dies veniam continuata dabit.
Primus Auentinum labor eſt conſcendere montem,
Audiat vt primas diua Sabina preces
Proximus vt properes galeati ad fana Georgi,
Hic vbi velabro ſunt fora iuncta boum.
Ioannis Pauliq; colas hinc numina fratrum,
Inde Tryphon humili voce rogandus erit.
Mox ſubeunda genu Laterana palatia flexo,
Templaq; quæ Petri ferrea vincla tenent.
Poſt ibi Anaſtaſiæ ſanctum venerabere numen
Circa Palatinum ſuſpicis vnde iugum.
Hinc maior veneranda parens, nix plurima templi
Fixit vbi Icario ſub cane lapſa notam.
Atq; tuas illa excipiat Laurentius ara,
Quæ Paliſpernæ eſt nomine nota preces.
Detq; pias votis duodenus Apoſtolus aures,
Hic vbi virginea campus obitur aqua.
Conſpicuas opibus magnis vbi Iulius ædes
Struxit quarte tibi Sixte colende nepos.
In Vaticano eſt Petri veneranda poteſtas,
Huic dedit in terras iura ſuperna Deus.
Hic veros Chriſti referentia lintea vultus,
Et madida illius ſanguine tela coles.
Hinc adeas Mariæ templum, cui Dominica nomen,
Marmorea ante ipſas eſt vbi Cymba fores.
Funde preces ſacra pariter Clementis in æde,
Stagna Nero abductis hic vbi fecit aquis.
Et tibi Balbinæ viſenda eſt Virginis ara,
Edita Auentini quàm iuga montis habent.
Ceciliæq; ſacrum flauas trans Tyberis vndas
Te vocat, & Chriſti Transtyberina parens.
Vitalem roges qua mons decliuior ipſas
Vergit in Eſquilias alme Quirine tuas,
Et Marcellino ac Petro communia quæras
Templa, aderit precibus mitis vterq; tuis.
Te ſacer hinc extra videat Laurentius vrbem,
Acceſſus teneat nec via longa tuos.
Inde colas Marcum, cui celſa Palatia ſurgunt,
Fundata auſpicijs Paule ſecunde tuis.
Eſt quoq; patricio veneranda potentia viro
Continuo Eſquilias vnde Suburra videt.
Publica mox vbi iam populo piſcina patebit,
Optatam excepto det tibi Sixtus opem.
Fratreq; iam Coſma Damiani numen adora,
Quorum ſunt ſacræ fana propinqua viæ.

Mox in Lucinæ Laurentius æde colendus,
Flaminiæ Domiti qua tegit arcus iter.
Suntq́ Quirine tui ſuperanda cacumina montis,
Annuat vt votis caſta Suſanna pijs.
Adq́ crucis Domini ſacras acceſſeris aras:
Poſt vbi ſanctorum quatuor oſſa iacent.
Et pete qua colitur Damaſi Laurentius æde,
Hic vbi Pompei lapſa theatra vides.
Rianusq́ nouo ſumptu noua templa Raphael
Marmoream pariter reſtituitq́ domum.
Trigemina per quam Tybris petit oſtia porta,
Effer & ad Pauli maxima templa pedem.
Quæq́ tibi in ſummis fuerat Martine carinis
Syluestro nunc eſt ritè dicata dies.
Fana quoq́ Euſebij, Mariæ vicina trophæis,
Ad Præneſtinam ſunt adeunda viam.
Nicoleonq́ vbi carcer erat pietatis, & ædes
Marcelli, nec non iuncta theatra coles.
Ecce autem Petrus reuocat tua vota precesq́,
Chryſogoni orandum poſt tibi numen erit.
Iulictam pro Ciriaco Quiricumq́ rogabis,
Quîs data ſunt Neruæ proxima templa fora.
Et quod Marcello poſuit Lucina ſacellum
In lata tibi ſit cura ſubire via.
Mox in Flaminijs pratis pete Apollinis ædem:
Hæc Apollinaris dicere metra vetant.
Sphærica dehinc Stephani ſtudioſus fana requiras,
Cælius in ſummo mons habet illa iugo.
Ioannis portæ delubra propinqua Latinæ
Sunt tibi non lento mox adeunda pede.
Expecta, ſubeas Laterana palatia rurſus,
Quem peperit ſterilis factaq́ mater anus.
Confer in Eſquilijs hinc te Praxedis ad aram,
Priſcaq́ Auentino colle roganda tibi eſt.
Inde parens iterum maior tibi præbeat aures,
Et Laterana domus tertia vota ferat.
Crux repetenda etiam cui Næuia proxima porta eſt,
Templa habeant quartas & Laterana preces.
Adijce præmiſsis Paſchalia feſta diebus,
Vt veniæ referas vberioris opem.
Curaq́ maiorem ſit viſere tertia matrem.
Tertius & Petri templa ſubire labor.
Expedit & Paulum geminato accedere voto,
Eſt labor, at meriti gratia maior erit.
Mœnia te rurſus videat Laurentius extra,
Rurſus Apoſtolica eſt & veneranda cohors.
Pantheon hinc adeas Mariæ nunc templa rotundæ,
Clarum opus Agrippæ conſpicuumq́ decus.
Ioannesq́ quater Laterana cultus in æde
Excipiat quintas, qua prius aure preces.
Vltimus emerito Pancratius ore rogetur:
Et tua ſic tolli crimina poſſe puta.

LA-

LAMVM.

LATII OPPIDVM, IN CVIVS SOLO NVNC ædificatum Marinum, muro recenti cinctum: Nam alterius antiquioris veſtigia extra hanc apparent. Vidimus in publico bina marmora antiqua, forma puellari, quarum altera cornu copiæ tenet. Alluit ipſum Almo fluuius, quem etiam Mariano inde nominant. Sunt qui ſcribunt eo loco C. Marij villam fuiſſe, eius ad quem extant Epiſtolæ in lib: VII. famil: vt appellantur Ciceronis. Ex Lamo Aeliorum et Murenarũ Romæ familiæ, vt ex Horatij odis, & Ciceronis orationibus colligitur, originem habuerunt.

VELITRAE.

VVLGO BELITRI, LATII OPPIDVM, Octauiæ familiæ & Auguſti natalibus celebre, nihil habet iam viſu dignum. Extra portam foſſæ anguſtis foraminibus, & in profundum amplæ, quales ſunt, in quibus condi & conſeruari ſolet frumentum. Poſt id Nymphæus fluuius & ad V. milliaria Cora, & prædium Portium.

SERMONETTA.

LATII, NOVI NOMINIS IN EDITO LOco ſitum, & recenti facto notatum. Ipſum enim iuſtis dominis ereptum filiæ impudicæ donauit Alexand: VI. Pontif. Non procul inde tres tabernæ fuère, quarum Diuus Lucas in actis meminit, Pauli Apoſtoli peregrinationem & Romam aduentum deſcribens. Eutropio referente fuit hic etiam interfectus Seuerus à Maximiniano Heraclio.

SETIA.

VVLGO SECCHI, ANTIQVVM VOLSCORVM oppidum, monti altiſsimo impoſitum campis Pontinis incumbens, vini optimi ferax. Setini vini meminerunt Plinius & Martialis. Inter Setiam & caſas nouas apparent in radice montis veteris ædificij ruinæ in circi modum factæ.

PRIVERNVM.

VVLGO PIPERNO, OPPIDVM VOLSCORVM, IN aſperrimo ſitum monte, celebratũ vino, & natalibus Camillæ Reginæ, quæ Turno contra Aeneã auxilio fuit. Extra oppidũ in deſcenſu montis pulcerrimus fons eſt.

FORVM

FORVM APPII.

VVLGO L' ABBATIA, IN EIVS ENIM OPPIdi euerſi ruinis monaſterium eſt extructum. Meminit Horat. in ſuo Hodopoerico. Lucas in actis & peregrinatione Diui Pauli. Non procul inde Amaſenus fluuius, & progrediendo longius verſus Teracinam Vfens, qui gelidus per paludoſas valles tacitè in mare defertur.

ANXVR.

VVLGO TERRACINA, OLIM ETIAM TRAchine ob aſperitatem loci dicta, in colle poſita montis fragmine, qua mare attingit, tanquam muro firmata. Horat. ———— *Subimus*

Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

In hoc olim oppido Iupiter & Iuno, pueri puellæq; imagine culti ſunt, & ille Anxur, hæc Feronia dicta. Vnde tertio anno milliari lucus Feroniæ fuit, qui aliquando incendio conſumptus per ſe reuiruit. Item fons, ex quo tranſeuntes religionis cauſſa ſeſe lauabāt. Apud hoc oppidum Tiberio imperante XX millia hominum theatri ruina ſunt oppreſſa. Inter hoc & Monticellam moles quadrata ex rudi lapide ſepulcri antiqui formam præ ſe ferens. Muri oppidi ex quadrato & ſilice abſq; cemento facti. Terra omni fructuum genere abūdat, pomis, aurantijs, citronis, oliuis etc. Ita vt haud grauatè hoſpites concedant vt alter in alterum iactis & reiectis malis, colludant in hortis.

FVNDI.

OPPIDVM CAMPANIAE, IN PLANO SITVM, ſatis commodè habitatum, per medium ſtrata via Appia, ab ortu & Septentrione montes, à meridie & occaſu mare habet. Vina eius celebrata ſed ætatem non ferunt. A dextris ituris Formias lacus Fundanus eſt. Fundis adiacet Cæcubus mons, cuius vina multis in locis ab Horatio laudata, vt Epod. X. & lib. III. od: XXIX. & libro II. od: XIV. Pertinet verò hæc ciuitas ad familiam Columnenſium, eidem ab Arragonijs Regibus, ob fidelem operam, ſub Ducatus titulo donatam. Veſpaſianus Proſperi Columnæ filius matrimonio ſibi iunxerat Iuliam Gonzagam, tanta venuſtate ac pulcritudine fœminam, vt

nam, vt formæ ipſius fama etiam ad Barbaroſſam Turcicæ claſſis Imperatorem peruenerit. Is enim à Gallo contra Carolum in ſubſidium excitus, mare Thyrrenum magna claſſe tenens, ingentem toti Italiæ, continuis incurſionibus & latrocinijs, metum iniecit. Et cum in ea parte maris, vbi agri Fundani ſunt proximi, verſaretur, ad rapiendum eam animum intendit. Rem enim longè gratiſſimam Solimanno facturam ſperabat, ſi inter reliquam prædam tàm exellentis formæ feminam aſportaſſet. Cuius cum ſe maximè fieri compotem cuperet, ex triremibus aliquot militibus in terram expoſitis, hos eius rei experiundi cauſſa, in ciuitatem celerrimè iubet excurrere: & cum iam iam oppidum oppreſſuri eſſent, illa ſibi metuens, & hæc reſciens, nulla mora, nulla cunctatione interpoſita, etiam veſtibus neceſſarijs poſt ſe relictis, ſeminuda per equi celerrimi curſum, plus quàm credibili feſtinatione, ſaluata pudicitia atq; vita, ſeſe ex ſpurciſsimorum, fædiſsimorumq; latronum manibus eripuit. Qui cum omni ſpe eius potiundæ ſe excidiſse cerneret, furore rabieq; actus, oppidum diripuit, incendit, atq; à nullo crudelitatis aut libidinis genere, in omni ſexu abſq; diſcrimine exercendo abſtinuit, atq; tamquam veliſsima pecora ad victimam, ita hos ad naues multis plagis atq; verberibus cogentes, in omnem miſeriam perpetuamq; ſeruitutē, atq; acerba mox ſubeunda mortis ſupplicia abegerunt. Factū id eſt anno Domini M. D. XXXIIII.

ITRVM.

OPPIDVM CAMPANIAE, QVOD ALII ATRIum vocant. Blondus, vt opinor, magno errore Lamuras nominat, & Horatij verſum ex Sermonibus perperam & legit & intelligit. Eſt longè inter montes extenſum, & fœtore omnia oppida, quæ vidimus, ſuperauit.

FORMIAE.

VVLGO MOLA, OPPIDVM CAMPANIAE, vetus Leſtrigonum ſedes à Laconibus conditum, ab Hormi porta primum Hormiæ, poſtea Formiæ appellatum. Seruius autumat dictum ἀπὸ τῆς ὁρμῆς ab impetu. Hoc oppidum Mamurrarum familia, & villa Ciceronis nobili-

bilitatum eſt. Vinum Formianum optimis annumerat Horatius. Ante ingreſſum inter ſentes & ſpineta ruinæ apparent ſepulcrorũ veterum. Inde etiam ad litus maris non procul Nymphæum eſt opere conchyliato. Poſt Formias ad villam Scaulenſem in litore molendinum, & officina, in quibus ex cannis, eodem in agro naſcentibus, Saccharum extrahitur, & conficitur. Via item Herculanthæa multarum delitiarum olim & magnæ pecuniæ. De qua Cicero in orat. pro lege Agraria. Martialis:

O temperatæ dulce Formiæ litus,
Vos cum ſeueri fugit oppidum Martis,
Et inquetas feſſus exuit curas.

MINTVRNAE.

VVLGO TRAETTO OPPIDVM CAMPANIAE, Colon. Rom. nunc in colle, olim in planitie poſitum, cœli grauis, Caij Marij latebris nobilitatum, Vnde Iuuenalis.

Exilium & carcer Minturnarumq; paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis.

Alluitur à Lyri fluuio, qui nunc il Garigliano, Plinij tempore Glanicus appellatus fuit, ager paludoſus, plenus lentiſco, geniſta, ſiletis. Huius quoque fluuij meminerunt Horatius & Martialis. In eius ripa apparent ruinæ amphitheatri, & cuiuſdam aquæductus, non contemnenda opera dum integra fuerunt. Agrum decorabat Nymphæ Maricæ templum, quæ Fauni vxor Dea erat Minturnenſium littoralis. Eo loco cui nunc Ponti coruo nomen eſt fuiſſe Fregellas aſſerunt, & vbi hodie Carinulæ Calenum.

ROCCA.

QVASI DICAS ARX SEV PROPVGNACVlum, nomen Oppiduli ſub Gauro monte, qui pars eſt Maſſici. De Gauro Cic. in Rull. actione ſecũd. Accedit eo mons Gaurus, accedunt Sileta ad Minturnas. De Maſſico Virgil. VII. ——Vertunt felicia Baccho Maſſica qui raſtris ——Commẽdantur hi colles vini bonitate etiam à Plinio & alijs. Maſſicus adiacet Sueſſæ ad ortum hyemalem, & inde ad mare vſq; protenditur, quo in loco nomen amittit & Gaurus dicitur.

LINTERNVM.

VVLGO PATRIA, OLIM NOBILE OPPIDVM, nunc villa ad eam Vulturni partem, quæ Cumas reſpicit, exilio Scipionis Africani celebre, cuius & ſepulcrum hic fuiſſe, & ita inſcriptum memoriæ traditur.

Deuicto Hannibale, capta Carthagine, & aucto,
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, non obſtitit Africa quondam,
Reſpice res hominum quàm breuis vrna premat.
Ingrata Patria ne quidem oſſa mea habes.

Vulturnus autem fluuius turbidus & arenoſus in Aprutio oritur, quē Nataronum olim Romani dixerūt, vt in parallel. ſcribitur.

CRIPTA NEAPOLITANA facta eſt perfoſſo Pauſilipi promontorio: feneſtram ab ea parte qua introitur, vnam habet, qua exitur etiam vnam. Hanc alij à Lucullo, alij à Cocceio factam volunt, longitudo eſt ferè vnius mill. Italici: latitudo, vt duo currus commodè tranſire poſſint, exciſſus mons ſumma induſtria, lateribus vtrinq; planis & æqualibus, opus ſtupendum & admirabile. Criptam egreſſis à dextra montis parte Virgilij Poëtæ ſepulcrum oſtenditur, & templum Actij Sincerij de quo in deſcriptione Neapolitanæ vrbis.

NEAPOLIS.

REGIA ET MARITIMA VRBS, CAPVT TOtius Campaniæ, & illius regni metropolis, olim Parthenope à Sirenis tumulo, atq; etiam Palæpolis dicta. A Græcis Calcidenſibus qui ex Euboea venerant, condita, trianguli forma, laterum inæqualium, ea, qua mari alluitur, parte curuatur in modum dimidiatæ lunæ. Hæc maris vicinitate, portus amplitudine, ſalubritate aëris, ſoli vbertate, fontium copia, hortorum amœnitate, rerum deniq; omnium quas humana vita deſiderat abundantia, nulli hodie cedens, & ora tàm excellenti & felici cum toto Campaniæ agro, vt palam ſit vno in loco gaudentis opus eſſe naturæ, litus omne palmiferum & cedriferum. Principū totiꝰ regionis ſedes, nō tàm magna quàm populoſa. Plateas habet, tribus exceptis quæ latæ & miræ lōgitudinis ſunt, maiori ex parte ſtrictas & anguſtas, olim ſilicibus, nunc lapide coctili ſtratas, in quib. obſeruādus ordo in diſponendis collocādiſq; ciuium & artificū ædibus. Fabri n. & eiuſmodi artifices,

qui

qui ſtrepitu moleſti ſunt, vel corrarij ſutores qui ſordidiora exercent munia, in extremis vrbis partibus ſuas regiones obtinent; reliquam vrbis partem nobiliores aliję; ciues. Singulæ propemodum domus fontes habent ſalientes copioſa ſaluberrimaq; aqua. Hyemem vix ſentit, cuius gratia palatia & domus non habent tecta in altum eleuata, ſed tabulata, calce leniter ſuperiecto in decliue eminentibus cymbis, ita extructa vt in ſummo ambulare poſſis, totamq; vrbem ſimul & mare contemplari. Munita eſt & foſſas habet LXXX. ped. profundas: portas VIII. vt pote, Caſtelli, Ioannis Carbonarij, Mercatus, Rialti, Capuana pulcerrima, Carmelitarum, S. Coalis, & S. Ianuarij. Arces etiam præcipuas tres ex quibus ab omni irruente vi ſe facilè poteſt tueri.


NOVA in ipſo vrbis ingreſſu ad maris litus forma quadrangulari lapide Tyburtino, mœnibus & turribus craſſis, foſſaq; duplicata, ea parte qua vrbem reſpicit profundiſſima, illo ipſo loco, quo fuit Monaſterium Prædicatorum, poſita, cuius porta interior ex marmore pulcerrima & area quadrata oblonga & ampla. Aula quoq; ſpacioſiſſima, in qua quotannis conuentus regni celebratur, & Prorex ſingulis ſeptimanis bis ſui facit copiam, ſupplicationes & querelas ſuſcipit, iudiciumq; exercet. Iuxta hanc turris in qua conſeruantur Cæſaris iocalia, vt vocant, nempe, ſceptrum aureum, enſis habens capulam & vaginam auream gemmis elaboratiſſimam, corona gemmis incredibilis magnitudinis rutilãs, pomum Cæſareum vetuſtum, cappa imperialis, cuius phylacteria gemmis refertiſſima, crux aurea, longitudinis vnius palmæ, poculum magnum gemmis vndiq; ornatum magni precij, poculum minus ſmaragdis, robinis, ſaphiris & vnionibus, item margaritæ & præcipua gemmarum genera in bona quantitate. Cæſaris demum effigies ad viuum expreſſa. Videntur in ea etiam aliquot bombardæ æneæ Electori Saxoniæ in pugna ad VVitebergam ereptæ, cum à Carolo V. Imp. caperetur: in illarum maxima Electoris Ioannis Friderici effigies cum his literis inciſis: VERBVM DOMINI MANET IN AETERNVM. Dein: Halt maes in allen dingen. Ibidem ænea porta, in qua globus ferreus à Gallis contra Hiſpanos eiaculatus reconditur, qui quod minus feliciter erat emiſſus Hiſpanis ad eam aditum præparauit: Statua item fortiſſimi cuiuſdam Galli collocata eſt, qui centum hoſtes antequam ſe ipſum dedidit, trucidauit.

Item turris S. Vincentij, quam Galli capta arce adhuc VI. menſes tenuere: Quamobrem omnes cum tãdem vincerentur, in præmium tantæ fortitudinis vita donati ſunt.

VETVS, ad viam Capuanam ædificata, antiquiſſimas picturas & ædes refert; Eſtq; in ea armamentarium, in quo inter cætera πανοπλία Regis Franciſci ad Ticinum capti elegantiſſima, ex optimo ferro ſine vllo auri ornatu facta, hanc CC. Hiſpani cuſtodiunt.

TERTIA in rupe altiſſima ciuitati incumbẽte, vnde vrbi quãtumuis ab hoſtibus occupatæ facilè poteſt imperari. Exciſa in ſaxo tota eſt à Pyrrho Aloyſio Cæſareo Præfecto militum auſpitijs D. Petri de Toledo Caroli V. Imperatoris Proregis capta Carthagine, regnoq; Tunetano deuicto, & bellicis tormentis, quæ ex pugna Saxonica ſimiliter huc translata ſunt, refertiſſima, in vno effigies Doctoris Martini Lutheri cum Rythmis Germanicis.

Für ein Senger bin ich gegoſſen /
Vnd gebrauch mein Stim vnuerdroſſen /
In Sachſen ward ich woll beſchoſſen /
Gegen dem Teuffel vnd Pabſtsgenoſſen /
Goß mich Michael Andreas Pitnizen.



Von Edler artt.

AEdiculæ itidem in ea in quibus artifices habitant, quò obſeſſa nihil deſideretur. In ædificijs ſubterraneis ligna & alia neceſſaria aſſeruantur. Per cuniculos plurimos equites & pedites tutò emitti & intromitti poſſunt, vulgo Caſtel di S. Elmo ô di S. Martin à templo quod infra eam eſt, & Cartuſianorum Monaſterio Regio & pulcerrimo, in quo tria ſacella, primum hiſtoriam D. Laurentij, II. trium Regum. III. Natiuitatis Chriſti continens. Galli hic non recipiuntur, quod Gallus Cœnobij Prior vel Præfectus olim coaceruata pecunia aufugit. Dantur hic maximæ eleemoſynæ. Vocatur etiam hoc caſtrum Briglia, quaſi dicas frenum equitis dem Roß einen Zaum/ eò quod Carolus V. ex Africa reuerſus, & videns plures equos depictos Neapoli abſq; freno (tale ſignum eorum eſſe dicitur) commoueretur, eius præſidio ferocem & temerariũ hunc equum, ne Domino poſſet reluctari, conſtringere. Cœpit itaque ſub ſpecie voluptarij & templi hoc caſtrum extruere, & iniecto equo indomito, id eſt, Neapolitanis, freno ſeu briglia, eos domauit. His & alia duo addi poſſunt LA VICARIA ſcilicet, in quo ius

populo

populo redditur & cauſſæ ciuiles tractantur, captiq; ſeruantur, quorum eo tempore cum ego Neapoli eſſem MM· erant. Ac Caſtellum OVI quod in Inſula Mergeri Neapoli egredientibus primum ſe offert, & à quinquaginta Hiſpanis excubitoribus ſeruatur, ædificatum in monte arenoſo, dicta Pizza Falcon. Eam villã Luculli fuiſſe & à continente abſciſſam nonnulli autores ſunt.

FORA ſunt ampla, quorum vnum famoſiſſimum la Piazza del vlmo: propè caſtrum nouum, in quo olim ſpectacula exhibebantur, præmijs vlmo ſuſpenſis, hodie à ditioribus & mercatoribus habitatur. BASILICAE publicæ quatuor, quas alij Prætoria, alij porticus nominant, vulgo I. quatro Seggi. In his ſtatutis temporibus anni publicus conuentus habetur, & conueniũt in ijs mercatores ſingulis diebus contractuum celebrandorũm gratia. TRIBVNALIA V. S. Pauli in quo leuia debita expediuntur: la Zeccha, vbi ea quæ ad mercaturam; la vicaria, vbi cauſſa iudiciariæ ciuiles & criminales tractantur: Summaria, vbi de patrimonio Regis; Sacroſancta, vbi iurgia, iniuriæ & aliæ lites deciduntur. TEMPLA multa, in quibus ſplendidiſſimum S. Mariæ Olıueti, vetuſtiſſimum S. Pauli, olim Caſtoris & Pollucis, & ampliſſimum S. Claræ ſepulturis Regum & Reginarum Franciæ magnificis decoratũ, cui vicinũ cœnobium ab Arragoniæ Regina, Roberti Regis vxore, ædificatum, in quo filia Domini Ioannis de Auſtia Belgij Proregis ante Ill^{mum}. Ducem Parmenſem Alexandrum. Parochiæ xL. templa Monachorum xv. inter quæ pulcerrima D. Franciſci propter eius geſta artificioſè depicta: S. Spiritus propè palatium viceRegis: S. Crucis prope Arſenale; Veſtalium VIII. Gymnaſium celebre, in quo profeſſiones quæſtuoſæ florent, literæ exiguo ſunt in precio, fundatum à Frid. II. Imp. Bibliothecæ aliquot ex quibus præcipua S. Dominici, in qua libri non pacui Ioannis Pontani ab Eugenia filia in doctiſs. patris memoriam ſacro loco dicati, pulpita plena Lxv. Ad S. Catharınam pulpita xxxvı. Ad S. Mariam Carmelitan. Ad S. Petrum: Ad S. Petrum Martyrem: & S. Mariam Olıueti. Hoſpitalia duo magnificentiſſima, primum Mariæ annunciatæ: alterum Mariæ de populo, quibus & tertium accedit ægritudinum incurabilium, in quo verno tempore vltra MMM. ægrotorum qui Guaiaci potione vtuntur & curantur. In granariũ quotannis deferuntur ccc. quinctalia frumẽti. In ſtabulo regio centũ equi generoſi aluntur, de quibꝰ Regi quotannis xII. dono mittũtur.

Nn 4 Inter

Inter Palatia magnatum laudatur principum Salernitani, quod ex empto Ieſuitæ iam habitant Sulmonenſis Andreæ d' Oriæ, in quo picturæ egregiæ bellorum Caroli V. depictæ, Ludouici de Toledo filij Petri Proregis Iulij de Cardona generalis triremium Neapolit: Viceregis, Marimaldi de Sangro, Ducis Grauinæ, Ducis Caſtignani & de Somma. Inter ædificia excellentium hominum Adriani de Guilielmo quæ multitudine & præſtantia omnis generis antiquitatum ſuperant cætera. Caraphæ imaginum ex auro, argento, ære copioſa vetuſtate. Gonſalui de Bernardo copia vaſculorum antiquorum. Principis Magdalonij ſtatuarum ex marmore: Tiberij de Buccis pulcritudine rerum recentium: Cæſaris Carduini deorum ex marmore & vrnarum fictilium etiam ex vitro. FONTES in publico è quibus aqua limpidiſſima varijs modis, nunc lãceæ vnius altitudine, nunc duorum capitum craſſitudine, nunc per centum fiſtulas proſilit ſunt, à largo de caſtello, A mezo Cannone, A· S. Catharina, A.S. Maria del vino, A. S. Pietro Martyre, A peſcagia, Alla Sellaria, Delli Serpi, Al Mercato, Al annunciata, Alla Stupha, A. S. Marcellino & di Capuana. HORTI & villæ innumeræ, ſed cultiſſimi Proregis Marchionis Viceprincipis Stilliani Marchionis de Valle, Domini Garziæ. Ex villis Leucopetra, vulgo pietra biancha Bernardi Martirani & fõtis Regij, vulgò peggio Real, hæc vno, altera tertio ab vrbe milliari. VINA præcipua ſunt Veſuuij vulgo Vin Græco dictum. Cæcubum de fundi, Fauſtinianum vel Calenum, Falernum S. Seuerini, Maſſicum & Surrentinum. Ciuitati, hortis, villis, aquam præbet Sobethus fluuius. Mulieres vrbis de formes ſunt, ſparſo ore & magnis naſis. Hoſpitia vilia & incommoda. Nuſquam equorum maior cura, nuſquam tanta principum & nobilium multitudo, nuſquam quod ad vniuerſorum mores pertinet populus corruptior & ferocior. Vrbs autem & munitior nunc facta eſt, & amplificatum pomerium: Plateæ in meliorem formam redactæ, & fontes plurimi excitati. Ambitus erat III. mill. nunc V. Legibus conceſſum eſt omnibus arma geſtare. Ipſum regnum continere dicitur in vniuerſis ſuis prouincijs CLVI. oppida, CXXXVII. ciuitates, XXV. Duces, XV. Principes, LVI. Marchiones, CXXXVI. Barones, XX. Archiepiſcopos, LXXX. Epiſcopos. In circuitu M. CCCC. XLV. milliaria.

IN AEDE CATHEDRALI S. IANVARII.

IN SACELLO SVB CHORO FORMA ouali exſtucto.

Currite qui cupitis cœleſtis præmia vitæ,
Et caſtas huc ferte preces, hæc ianua cœli
Pandit iter, votis Deus hic lachrymiſq; precantum
Mitis adeſt, qui martyrio precibusq; beati
Ianuarii, totam commiſſo crimine ab omni
Pathenopen nutu ac præſenti numine purgat.
Currite, vim patitur diuini regia regni.

OLIVERIVS CARAFA EPISCOPVS OSTIEN:

S. R. E. Cardinalis Neapolitanus, Diuo Ianuario Martyri, Pontificiq; Neapolitanorum patrono, ſarcophagum hoc dedicauit, ſacellum marmoribus miro opere conſtruxit, ornauitq;, addictis eius ſacerdotibus, qui quotidiè Deo ſacrificent, quibus dotem perpetui prouentus conſtituit, ius patronatus ſacelli gentilitium eſſe voluit, in primis Dei honorem & laudem Sanctorum quæſiuit, fauete animis & Deo auctori preces fundite. M. D. VI.

Hoc fac & uiues.

Alphonſi Carafæ Cardinalis ſuperbiſſima ſepultura à Pio V. erecta.

PHILIPPI MINVTVLI ARCHIEPISCOpi Salernitani.

Hoc iacet in tumulo Dominus Minutulus Vrſus,
Pontificalis apex, qui præfert linea rurſus
Virtutum vitis, Philippi vera propago;
Pontificum gemma, ac omnis probitatis imago;
Parthenopes natum Salernum Pontificatum,
Flentq; tale datum moritur ſuper omnia gratum,
Parthenopeq; tibi Salernum Præſulis huius
Commendat corpus, animam Deus accipe cultus.

EX ALIO LATERE SARCOPHAGI

Magnanimus conſtans, prudens, famaq; ſerenus
Philippus præſul, morum dulcedine plenus,
Minutulus, patriæ decus, & flos, alta propago,
Hic ſilet, hic tegitur, iacet hic probitatis imago.

CAROLI REGIS FRANCIAE SEPVLTVRA
Chi tagliana la teſta di ſuo tradello Corradino.

AD SINISTRVM LATVS ALTARIS MAIORIS

Capella Imperatoris Conſtantini. Item. Capella beatæ Virginis, facta à primis chriſtianis Neopolitanis. Item- Capella Ducis Albæ, cum tali inſcriptione:

Dum Ferdinandus Toledus Alua Dux Italiæ pro Rege poſsidet, trecentosq; inuicta uirtute hoſtes à regni Neapol: finibus arcet, Marea Toleta eius uxor Diuo Ianuario ædiculam hanc ex ſuo dicat, & voti compos ornat. Anno ſalutis M. D. LV.

CARDINALIS CARBONEI.

Clarus in excelſa Carbonum Parthenopæa
Ingenua tellure ſatus de ſtirpe, columnas
Inter Apoſtolicas velut igne micantibus aſtrum,
Cardineiq; chori, lux, gloria, ſpes quoq; multis.

Cui

Cui Sabinenſis apex titulumq́ Suſanna dederunt,
Crimina qui lauacro laxabat cuncta ſecundo.
Et pius in cunctis ſolersq́ ad myſtica rebus,
Conſilij probitate nitens, duxq́ ordinis alti.
Corpore marmorea iacet hac Franciſcus in arca,
Lætus in æthere a plaudit ſed ſpiritus aula.
Anno milleno Domini quinto quatriceno,
Octaua verum ipſe die Iunij requieuit.

IN SACELLO CRISPANORVM.

Candida Sindereſis redimitus tempora ſertis,
Landulphus Criſpanus adeſt, in lege canorus
Doctor erat, miles armatus, florida lingua
Temperiesq́ viri comitis coniunxerat aſtris,
Regia grandæuiq́ inſignia nobilis aulæ
Fulgidus, inq́ foro diſpunctis calculis ingens,
Virq́ Deo mundoq́ bonus, ſuper alta leuatus
Compoſitus, factis clarus, ſapientia cunctis
Exaltata vijs ſerpit, leuiterq́ ſuſurro
Conſilium regni fuit hic perdoctus Apollo.
At quoq́ Magdalenes deuotus facta canebat.
Vrbanus nouit prudentem Papa ſororum
Limataſq́ vias ſuper æthera remq́ locabat,
Fortunamq́ ſuam placidis ſtringebat habenis.
Magnaq́ iam mortis venientis vincula ſpernens,
Inquit in extremis ignitur fulgida virtus.
Dulcis morte viri tandem pax plangitur aſtris,
Occidit infelix regni ſtatus atq́ pependit
Vertilis ex centum termilleq́ circulus annis
Septuaginta ſimul pariter mixtiſq́ duobus,
Fluxerat ingenti ſolio regnante Ioanna,
Inſita bis denis ſat tertia fluxerat ardens,
Auguſtiq́ dies: vndenos pectine denſo
Voluerat intexens indictio circiter annos.

IN SACELLO CARACCIOLORVM.

Conditur hoc pulcro generoſus valde ſepulcro
Cobellus, nimio plenus & eloquio.
Atq́ Deo lætus, ſanctis dictiſq́ repletus,
Hieronymi laudum dona habuitq́ bona.
Hic fuit orator, & gratæ Pacis amator,
Natus Dalphinæ atq́ ad bona cuncta datus.
Cultor honeſtatis Caraciolus & probitatis,
Magnus homo, iuuenes hic peramanſq́ ſenes.
Sub tricentenis decem ter milleq́ ſenis
Annis hic obijt, nam Deus hunc voluit.

MATTHAEI CARACCIOLI.

Dominus Matthæus Caracciolus Protonotarius Sanctitatis Domini Papæ. qui obijt anno Domini M. CCC. XIIII. die XXVI. Maij XII. Indictione

Qui iacet hoc tumulo, Paradiſi luce fruatur,
Sitq́ tibi requies, & ſine nocte dies.

IN SACELLO SCONDITORVM.

Victoriæ Capiciæ vxori integerrimæ, ne, quos ſingularis amor & mirabilis concordia

cordia coniunxit, vel mors ipſa deuideret, tumulo hic coniugis cineres expectant viri, Iulius Cæſar Sconditus poſuit.

FRANCISCO VOPISCO.

Vita functo octogenario, Anno ſalutis Chriſti M. D.

Si dolor eſt cui carus obit virq; optimus idem,
Omnibus & qui plus millibus vnus amet.
Is meus eſt, mihi dum genitor dulciſsimus, heu heu,
Antiquæ exemplar ſimplicitatis obit.
Æternum cineres patris heù maneſq; valete,
Linquor ego, at vobis parta perenne quies.

BARTHOLOMAEI DE CAPVA.

Ianua legum, vitaq; regum, mors retrudit
Conterit omnia, ſunt quaſi ſomnia, cuncta recludit,
Summus & athleta regni iacet hic logotheta,
Protonotarius, auxiliarius, atq; Propheta,
Annis ſub mille trecentenis bis & octo,
Quem capiat Dominus obijt bene Bartholomæus.

IN AEDE S. DOMINICI.

PHILIPPI IMPERATORIS CONSTANTINOP.

Hic pius & fidus, hic Martis in agmine ſidus,
Philippus plenus virtutibus, atq; ſerenus,
Qui Caroli natus Franca de gente ſecundus,
Regis ſecundi Regina matre creatus
Vngariæ, ſiue vir natæ ſemine Diuæ
Regis Francorum Catharinæ pro ſtrenuorum,
Qua Conſtantinopolis extitit Imperator
Atq; Tarentini princeps, dominatus amator,
Noſtræ tamen pater ſtrenuus ac ictibus acris
Achaiæ Princeps, cui Romania deinceps
Tanquam Deſpoto titulo fuit addita noto,
Inclytus & gratus tumulo iacet hic trabeatus,
Pius, qui magno ſolio migrauit in anno
Chriſti milleno, trecento, ter quoq; deno,
Bino, December erat eiuſdem ſexta vicena,
Facta dies inerat Indictio quintaq; dena.

DVCIS DVRATII.

Dux Duracenſis regali è ſtirpe Ioannes,
Atq; comes dignus Grauinæ, mente benignus,
Ac Albanorum Dominus, correptor & horum,
Angelici montis ſancti dominator honoris,
Princeps diſcretus, mira pietate repletus,
Francia cui patrem confert; Vngaria matrem,
Sancta de gente generatus vtroq; parente,
Hic iacet illuſtris vitæ clauſis ſibi luſtris,
Anno milleno, quo Chriſtus corde ſereno
Et tricenteno perfulſit ter quoq; deno,
Quinto migrauit cœleſtia qui properauit.
Tertia præſtabat indictio quæ numerabat
Oramus Chriſte cœli dux inclytus iſte
Viuat in æternum, patrem ſpeculando ſupernum.

FERDI-

FERDINANDI PRIMI REGIS.

Fernandus ſenior, qui condidit aurea ſæcla,
Hic felix Italûm viuit in ore virum.
Obijt M. CCCC. XCIIII.

FERRANDI IVNIORIS REGIS.

Ferrandum mors ſæua diu fugis arma gerentem,
Mox poſitis (quænam gloria) fraude necas.
Obijt M. CCCC. XCVIII.

REGINAE IOANNAE.

Hoſpes Reginam Ioannam ſuſpice natam,
Et cole quæ meruit poſt ſua fata coli.
Obijt anno M. D. xviii.

FERRANDI MARCHIONIS PESCHARAE.

Virtutum Auſoniæ, Martis flos, gloria fulmen,
Hoc Ferrandus olet, colitur tumuloq; refulget,
Liuida quem Lacheſis leto demerſit acerbo,
Is modo ſed cœlos pius altaq; ſydera calcat.

ISABELLAE DVCISSAE MEDIOLANENSS.

Hic Iſabella iacet, centum ſata ſanguine Regum,
Qua cum maieſtas Itala priſca iacet.
Sed quæ luſtrabat radijs regalibus orbem,
Occidit, inq; alio nunc agit orbe diem.
Obijt M. D. xxiiii.

PETRI DE ARAGONIA.

Cernis Aragonei Petrum haud ignobile culmen,
Antoni ſobolem qui ſcire cupis, amen.
Rarus erat puer hic vigens in ſede paterna,
Venit vt immitis Atropos ipſa ſibi.

DVCIS GRAVINAE.

Illa ducem Grauinæ monſtrat tibi candide lector,
Præſens ſerica tumba Vrſina gente Ferandum,
Qui tenuit turmas grauis inter nobile pondus.
Lanifica vt venit Lacheſis ipſa viro.
Obijt M. D. xLix.

EPISCOPI CVIVSDAM.

Viuit adhuc, quamuis defunctum oſtendat imago,
Diſcat quiſq; ſuum viuere poſt tumulum.
Terra tegit terram.

PORTIAE CAPITIAE.

Portia Capitia viua gaudium, mortua mariti gemitus, hic ſita eſt. Bernardinus Rota perpetuò mœrens, perpetuò lacrymans. Proh dolor quantum fuit cariſſima.

ALANEI COMITIS BVCLANICI.

Marianum Aleanum Buclanici comitem, domi militiaq; clariſſimum & Catarinellam Vrſinam pudicitia inſignem, coniuges in vita concordiſſimos, ne mors quidem ipſa diſiunxit: Liberi pientiſsimi, vt parentes optimi iunctim, ſicut optaverant, conderentur, curauerunt. M. CCCC. Lxxvii

PLACITO SANGRIO.

Equiti optimo, ob fidem in grauiſſimis rebus domi militiaq; probatam, Alphonſo & Ferdinando Neapolitanorum Regibus inter primos maximè accepto, Bernardinus

dinus filius officij & debitæ pietatis non immemor. Obijt M. CCCC. XC.

RAYNALDO.

Viro nobili, ex Ducis familia, militari diſciplina & vitæ integritate Alphonſo priori Neapol: Regi probatiſsimo ac præſidij eius præfecto, Antonina Tomacella ſocero ſuo optimo multis cum lacrymis poſuit, Vix: ann: Lxxvii.

Hic labor extremus.

IOANNI BAPTISTAE.

Ex patricia Ducum familia, non minus apud Reges Aragon: amore, gloria, quàm fidei præſtantia clariſsimo Antonino Tomacella mutuæ caritatis cauſſa, vnicum tot lacrymarum ſolatium viro optimo ex ſuo monumentum poſuit, cauitq; ne præter ſe quiſquam inferatur, vt cui puellula nupſerat, & quo cum ſine iurgio ſemper vixerat, poſt fata quoq; perpetuò copuletur, interceptus mortalitate annum agens Lxii. Mens: viii. Dies xv.

Vt ſe reſeminat ales.

IOAN: ANTONIO MVSCETOLAE.

Patricio Neapolitano, domi foriſq; clariſsimo, Carolo V. Cæſari à conſilijs interioribus, cuius præter omnem diſciplinarum cognitionem, eloquentiam, & in negotijs gerendis dexteritatem nemo æquari potuit, qui ter ad Clementem vii. Pontif: Max: magnis de rebus legatione pro Cæſare habita, ne debitos iamq; oblatos virtutibus ſuis honores adiret, mors importuna obſtitit. Moritur anno M.D. xxxiiii. Camillus frater bene mer: fecit. Vix: an: xLvii.

NEPOTIS MVSCETOLAE.

Flos tener hic languet, qui ni cecidiſſet & vrna, &
Nomine, ſic magna laude niteret aui.

IOANNELLAE MARAMALDAE.

Siſte ſic coniux dulciſsime, vt nos vel humus nequaquam ſeparet, ſed vna tandem nos tegat vrna. Ioannellæ Maramaldæ coniugi optimæ, cum qua vixit annos xxi. Mens: vii. nihil de ea niſi mortem doliturus, Iohan: Antonius Muſcetolla indefeſſo mœrore poſuit.

ALPHONSI REGIS HISPAN:

Inclytus Alphonſus, qui regibus ortus Iberis
Hic regnum Auſoniæ primus adeptus adeſt.

Obijt M. CD. LVIII.

Cernitis Alphonſum regem virtute refertum.

ANTONII FERRANDI.

Dormis an vigilas, Antoni? ſector vtrumq;
Oſſa quidem primum, ſed virtus fama ſecundum.
Sanguine quo cretus? genitor quis? quidue moraris?
Stirpis Aragoniæ Ferrandus iudicis horam.

Obijt M. D. XLIII.

GALEOTTO CARAFAE.

Domi & militiæ clariſsimo, qui pro regibus Aragoneis multa fortiter geſsit, vltimoq; Ferdinandi regis primi bello correptus morbo, in Ferentinis iam ſeptuagenarius diem obijt: & Roſatæ Petramalæ mulieri præſtantiſſimæ Andreas Carafa Seuerinæ comes parentibus optimis poſuit M. D. xiii.

MALITIAE CARAFAE.

Auſpice me Latias Alphonſus venit in oras,
Rex pius, vt pacem redderet Auſoniæ.

Natorum hoc pietas ſtruxit mihi ſola ſepulcrum,
Carafæ dedit hæc munera Malitiæ.

Magnif. Dom. Malitia Carafa miles obijt M. CD. xxxviii. die x. Octobr. ii. Indictione.

CARAFAE GENTIS FOEMINAE.

Gentis Carafæ ſydus, ſpes vna mariti
Viua fuit, poſt hæc mortua luctus erit.
Ante diem ceſsit magnis gratiſsima diuis
Portia, quæ laudes vrbis & orbis erat.
Nunc ornat cœlum radijs fulgentibus aſtrum,
Et micat ardenti lumine prope Iouem.

BERNARDIN: CARAFAE.

Oſſibus & memoriæ Bernardini Carafæ Epiſcopi & comitis Theatini, Patriarchæ Alexandrini poſitum, Hieronymus Carafa fratri vnanimi cum lacrymis fecit Vix: ann: xxxiii. morte iudicante ſatis eum vixiſſe diu, cui nihil ad nullam vel virtutis, vel prudentiæ, aut literarum laudem addi vlterius poſſet: contra grauiter conquerente fortuna, ereptam ſibi facultatem ampliſsimi honoris quem iam apparauerat illi deferendum. Fato functus eſt anno ſalutis M. D. v.

CARAFAE CVIVSDAM ANONYMI.

Huic virtus gloriam, gloria immortalitatem comparauit M. CCCC. Lxx.

FRANCISC. CARAFAE.

Equiti Neapolitano inſigni, Chriſtianæ religionis obſeruantiſsimo, qui ſumma omnium mortalium beneuolentia ac veneratione, ætatis annum agens Lxxxiiii. obijt, ſenij nunquam quæſtus, Oliuerius Carafa Neapolit: parenti optim: poſuit.

Par vitæ religioſus exitus.

HECTOR CARAFA.

Franciſci filius, Ruborum Comes, qui Alphonſi ii. Neapol. Regis cubiculo exercituiq; præfuit, cui perpetua cum fide obſecutus eſt, domi foriſq; Chriſti incunabula virgini matri dedicauit, & hoc monumentum viuus ſibi fecit, Anno M. D. xi.

IACOBVS BANCRATIVS

Arecchi filius, humi ſepulturæ locum delegit, cauitq; vt ſi quis in ſublimi condi maluerit, tanquam exheres iure ſacelli excidat. M. D. L.

BLANCINAE BARCELLONENSIS.

Mortales an ſcimus quid futura dies nobis promittat? natalem, & locum, & diem ſcimus, ſepulturæ neſcimus. Blancina mihi nomen eſt, Barcellona patria, hæc dum bello grauius premitur, ipſa liberos vt viſerem Neapolim profecta ſum, vbi dum quinquennium exigo, ſupremus mihi dies affuit, condi hic volui, neminemq; hoc ſepulcro inferri caui, nullius mecum cineres miſceri paſſura. Blancina Barcellonenſis hic poſita eſt, quæ obijt xxviii. Iulij M. CCCC. Lxix. Vix; ann: Lxxx. quorum quadraginta ſine querela exegit, cum Iacobo Ferraro coniuge concordiſſimo, filij poſ:

IBIDEM ANONIMI.

Quid me Felicem vani dixere parentes
Si mihi morte fuit vita moleſta magis?
Nil bene ſucceſsit, patrias moriturus ad oras
Dum propero, hic ſepelit Parthenopæa ſenem.

ALIVD.

Pro pueris ideo noſtrum non pegma quieſcit
E lacrymis pietas ſuſtulit oſſa patris.

IOANN.

IOANN: FRANCISCO ROTAE.

Equiti pulcerrimo interempto, quod ad Sebetum flumen pro patria armis ſumptis medios inter hoſtes viam ſibi virtutè moriens aperuiſset, fratres in egregij facti memoriam pos: publicis elatus lacrymis M. D. XXVII.

COMITIS MONTIS IORDANI.

Quadraginta tribus poſt Chriſtum mille trecentis
Hinc Comes inſignis Iordanis montis italti
Ad cœlum, calabro genitus de ſanguine Ruſo
Quem ſociat virtutis amans, generoſus alumnus
Carolus antiquis titulis veſtitus auorum
Hic annis obijt quindenis mille trecentis.

FRANCISCO SCHENCK.

De Schenckenſtein claræ in Germania nobilitatis, & apud Maximilianum Cæſarem ad conſilium domi foriſq; circa graues præfecturas inſigni, in Italiam poſtremo ſub Hiſpano duce aduerſus Gallos Caietæ obſeſſos, legioni Alemannorum præfecto, ibiq; vi febris extincto, deducto huc cadauere fratri amantiſsimo pietatem perſoluit, Anno ſalutis M. D. IIII. prid: Non: Ianuar:

VINCENTIO CAVALLERIO.

Philoſopho & Medico clariſsimo, ac Alexandro IC*ro* inſigni, vt mortui æternum viuerent, Proſper & Aſcanus Sanctini morum fratribus vnanimis in amoris & gratitudinis memoriam Anno ſalutis M. D. LXII.

AD DEXTRAM DEIN:

FABIVM ET DECIVM.

Fil: opt: ſummæq; ſpei adoleſcentes en infelix ſepelio Aſcanius Sanctinus pater, quibus vtinam commori potuiſſem, quando præmori non potui, heu mihi non ſemel hæc miſeria ob filiorum præcox ingenium animus præſagiuit mala. O beatam coniugem, cui charos liberos in cœlis viſere, in terris amplecti licet, iam quod optaſti habes, æternum fruere.

Beatrici Cauallериæ coniugi rariſs: Aſcanius Sanctinus perpetuò mœrens poſuit.

FRIDERICVS DE BVCHAVV.

Alemannus CCCC. militum præfectus ſub Duce Hiſpaniæ M. D. III.

NANNINVS DE MARMOREA

Alemannus, dum ſe belli fortunæ commiſiſſet, & CCCC. ped: ſtipendium haberet, febre correptus diem clauſit extremum.

LAZARVS ASPAN.

De Lichtenbach & VVintersbach ex principatibus Auſtriæ inferioris ad Carolum Hiſpaniæ Regem Orator miſſus. Ioannis de Starenberg eiusdem legationis ſocius M. D. XIX.

In hac æde ſimiliter imago Crucifixi, quæ locuta eſt D. Thomæ: Benè ſcripſiſti de me Thoma.

Item ſacellum, in quo orauit, & conclaue in quo ſtuduit.

In Sacriſtia XXIII. ſepulturæ Regũ ſericæ auro intertextæ, cum vniuscuiusq; inſignibus.

Item ſepultura Marchionis del' Guaſto, qui regem Galliæ ad pugnam propè Papiam cœpit.

IN REFERTORIO.

Ne te multa Ceres maculet blandusue Bimater,
Qui petis hinc laticem præmonuiſſe velim.

IN AEDE D. PETRI MAIORIS VEL MARTYRIS.

IACOBATO DE ALEXANDRO.

Ex nobilitate Neapolitana, tempeſtate ſua plurium caſtellorum Domino, qui Ferdinando Regi longè intimus plurima domi militiæq; ſeruitia præſtitit. Robertus filius patri benemerenti poſuit. Obijt Anno M. CD. XCIII. die V. Septembr.

ANTONIO IANVARIO.

Patricio Neapolitano, IC.to inſigni, & Oratori claro vice protonotario ac præfecto ſacri conſilij, multis legationibus functo, Regibus ſuis accepto, domi foriſq; magnis honoribus honeſtato, filij pientiſs.: pp. vixit ann: LXXII. Mens IX. Obijt anno Domini M. D. XXII.

MARITVS VXORI.

Quis te cara tuo coniux inuidit amanti?
Et miſeram rapuit te mihi lætitiam?
Heu qantum ille nefas, qui te mihi ſuſtulit, egit;
Delitias omnes ſuſtulit ille meas.
Et cur me melius quàm te mors improba ſeruat?
Nec pariter campos mittit ad Elyſios?
Dij mihi crudeles qui te rapuêre fuerunt,
Et qui te ſine me ſuſtinuêre mori.

RESPONDET VXOR.

Abſtineas quæſo coniux dilecte Ioannes
Me lacrymis functam ſollicitare tuis.
Vixi ego quæ peritura fui, ſic voluitur vrna,
Sis contentus eo, quod tibi ſorte datum eſt.
Hic tua ſum, tua quæ fueram, depone dolores,
Non fuit ante ſuum mors celerata diem.
Nec cecidi quoniam regna in meliora receſsi
Iam ſuper æthereas à Ioue rapta domos.

ANTONIO ET BADVANO.

Macedonijs equeſtribus viris, Loyſius Macedonius patri & fratri benè merentibus Anno ſalutis M. D. XVI.

IN D. PETRO A MAIELLA.

LEONESSI.

Hic iacet heu Cæſar, quo nullus ſanctior vnquam
Nec fide maior erat, nec pietate ſimul.
Nobilitas Campana ſuo decorauit honore
Et nomen generi clara Lecena dedit.
Occubuit tandem, ſuperaſq; euaſit ad auras,
Quæq; mereretur præmia digna tulit.

AETHIOPI CVIVSDAM EVNVCHI.

Praiacet AEthiopus domino Catapulta peremit
Hic docuit, fidei munera ferre necis.
Virgo domus fuerat cuſtos didimiſq; ſolutus,
Pro foribus tumuli ianitor inde ſedet.

NICOLAI ALVMNI.

Inclytus eloquijs rector Nicolaus Alumnus.
Aliſiæ miles & Cancellarius idem.
Regni Siciliæ, dux morum, fonſq; profundi

Conſilij, pietate grauis, qui nobile templum
Obtulit hoc Chriſto, iacet hic qui largus egenis
Multa libensq́; dedit, ſed quanquam corpus in arcto
Claudatur tumulo, florens ad ſydera cœli
Fama volat, clarum viuit per ſecula nomen;
Quem rapuit Domini poſt annos mille trecentos
Cum ſexaginta ſeptem nox fine Decembris.

IN S. PTERO AD ARAM
IN EPISTILIIS TEMPLI.

Siſte gradum, & priusquam templum ingrediaris, Petrum ſacrificia facientem venerare: Hîc enim primò, mox Romæ filios per Euangelium Chriſto genuit, paneq́; illo ſuauiſſimo cibauit.

Parthenope meruit fidei quem Roma magiſtrum,
Te prior eſſe piæ tua retia ſponte ſubintrans,
Magna & in Heſperia primum tibi credula cœpit
Sanctorum fructus ſuperis inferre potenter.

IN TEMPLO.

Apud Deum nihil operoſa humilitate ſublimius.

Nullum theatrum virtuti conſcientia maius eſt.

Quod prima in Latio Chriſto pia colla ſubegi
Parthenope, hæc Petri præſtitit ara fidem.

S. Petrus Antiochia veniens hic Neapolitanos *ad fidem Chriſti conuertit, & S. Aſpremum Epiſcopum Neapolit: conſtituit: S. Candidam viduam baptizauit.*

IN TABVLIS AD ALTARE MAIVS SVSPENSIS.

Poſt Ieſu Chriſti reſurrectionem & ad cœlos aſcenſionem anno xx. B. Petrus Apoſtolus Neapolim veniens, prima iecit fundamenta præſentis Eccleſiæ ab eodem nuncupatæ, & ad memoriam poſterorum extabat titulus marmoreo lapidè inſcriptus parieti Campanarum confabricatus, qui exercitu barbarico Neapolitanum agrum peruagante interceptus eſt. Idem Apoſtolorum princeps eandem Eccleſiam per ſe ipſum conſecrauit, & in huius dedicationis memoriam extat lapis marmoreus Græcis literis exſculptus, qui in dextro cornu maioris altaris cernitur.

MARCHIONIS BRANDENBVRGENSIS.

Gumbertus Dei gratia, Marchio Brandenburgenſis, Stetiniæ, Pomeraniæ, Caſſuborum, ac Sclauorum Dux, Burggrauius Norinbergæ & Princeps Rugæ, qui obijt die Mercurij Ioannis Baptiſtæ xxiii. Iunij M. D. xxviii.

BALTHASARI RICCHAE.

Fratri concordiſs: Caſpar natu maior ſuperſtes commune marmor poſuit, vt quos vita coniunctiſſimos tenuit, mors indiuiſos cuſtodiret M. D. xviii. Obijt annum agens xxvii. Decemb: xxi.

Coniuge marmoreo prole & curante Ioannes
Riccha tuo tumulo condita membra tenes.
Quod fuerit tua caſta fides, moresq́; pudici,
Viuis, & æternùm viuet in orbe decus.

DOROTHEAE CAIAZIAE.

Vxori ſuæ benemerenti Marcus Anton: Picrolus Neapolitan: cauſſidicorum celeberr: legis diuinæ non immemor,& ſibi & ſuis poſuit M.D.LIIII.

Hic Dorothea prius Caiʒʒa ex gente quieſco,
Quæ patris oſſa pij & demoror illa viri.
Vt tres cum fuerit ratio reddenda tonanti
Trino ſurgamus ſic fruitura Deo.

GREGORIVS RVSSVS.

Neapolitanus,inter tabelliones ſui æui non infimus, eoq; in officio patri auoq; nec diſſimilis, in aduentu Caroli V. Cæſaris inuicti in hanc vrbem populi Tribunus exiſtens mortalitatis memor, ac per hoc viuens vt moriturus, ſacellum hoc ſibi à Canonicis elargitum vtriuſq; Ioannis numini dicauit, cauitq; eius in ara cenſu annuo quotidie celebrari miſſam, ſui poſteritatiſq; ſuæ memoriæ ergo ſalutis anno xxxv. ſup: M·D.

IN S. PETRO AD MELIO.

IOANN: SCOPI.

Iacet hic Ioannes Scopus Neapolitanus, qui cuncta condidit Deo Max: Mariæq; virgini Diuæ Scholaſticæ & S. Petro dicauit, dotauit, cuius dotationis & ſcripturarum liber ſeruatur in Diua Annunciata, Anno M. CCCC. XLIII.

IN S. MARIA DE PORTA NOVA.

CARDINALIS DE ANNA V. LAVDENSIS.

Hoc iacet in tumulo ſacri de Cardine cœtus
Laudenſis dictus, ſenio pater optimus, iſti
Anna fuit generoſa domus ſed amabile nomen
Angelus; angelicam pia mens reuolauit in aulam,
Milleno quadriceno bis denis octauoq; iunctis
Currebat Chriſti menſis quoq; Iulius anni.

IOANNIS MORIMINI.

Quàm præpoſterè res ſeſe humanæ habent: cuius mihi dulciſsimas manus oculos prius claudere fas fuit, infelicis: parens filium hic ante condidi meum, ademit importuna mors ſeni baculum, cui defeſſa iam adnitens ætas, annos alleuaret ſuos,nunc ante me mors aſſequetur, quàm hæ lacrymæ deſerant. Carolus Morimini Ioanni filio benemerenti poſuit. Vix: ann: xxvii. Menſ: i. dies viii. Anno. M. cccc. Lxxxiii.

CAROLI MORIMINI.

Fui non ſum, eſtis non eritis, nemo immortalis, Somno & Securitati æternæ Carolo Morimini patri optimo Troianus & Henricus f. virtutis & amoris cauſſa.

BERNARDIMO MORIMINI.

Lucij f. qui Hetruſio Hydruntinoq; bello Alphonſi Ducis Calabri ductu, ob ſpectatam virtutem Prætorianis equitibus præfuit, mox per pacis ocium in Lucaniam ad extruendas oppidorum arces miſſus, dum cura intentione fatigat animũ prope Metapontum laguore correptus diem obijt. Nardus Archiep: Surrentinus fratri benemer: pos: relatis in patriam oſſibus, Anno ſalutis M. CCCC. XCII.

ANTONIVS MOLICELLVS.

Vir nobilis, in quem omnis Molicellæ gentis proſapia deſinit, has vnas ædes ſibi conſtituendas legauit: Obijt anno M.CCCC. XCIII.

LAVRENTIA STROZZAE.

Ciui Florentino, viro generoſo, ac multis fortunæ & animi bonis ornato, Ferdinandi regis ob prudentiam, integritatem, coſiliario, Philip: fratri benem: poſuit. Obijt ix. Octob: M. cccc. Lxxviii.

IN S. MARIA MONTIS OLIVETI.

In capella ſecreta huius Eccleſiæ duæ ſtatuæ regiæ, Ferdinandi ſcilicet & Caroli, cum coronis regijs & ſceptro.

ANONYMI.

Dat ſua telluri, ſua dat cœleſtia cœlo,
Donec ſumma dies iungat vtrunq; polo.
Virtute, ingenio, fortuna & corpore paruus,
Parua etiam paruo condidit oſſa ſolo.

ALIVD.

Expecto donec veniat immutatio mea.

IOAN: LOYSIO ARTOLDO.

Iureconſulto ætatis ſuæ acutiſs: Pontis in Samnitibus & Fragniti Domino, qui ciuile Pontificiumq; ius annis fere XIIII. profeſſus, clientum aliquandiu cauſſas egit, mox inter præpoſitos rationum fiſci adlectus rem ſumma moderatione tractauit, demum ſummi collegij VII. vir litibus iudicandis annum agens LVIII. diem obijt, Scipio Minutulus heres ex teſtamento fecit. M. D. XVI.

ANTON: DE ALEXANDRIS.

Iuriſconſultus ad ſuas ſuorum reliquias, quo vsq; omnes reſurgamus, reponendas, ſacellum conſtruxit, ac redemptori noſtro dicauit. M. CCCC. XCI.

Antonij de Alexandro & Magdalenæ Ricciæ coniugum.

Quos Deus coniunxit homo non ſeparet.

ANONYMI: CASTELLANI TAMEN.

Hoſpes mirare ſepulti fidem. Hic dum arcis Parthenopææ à D. Alphonſo Arragonio præfectus claſſica & terreſtri obſidione premeretur, ne fidem pollueret exhauſto iam penuario, imminentia capiti pericula ſponte negligens, fœdum mularum & canum eſum non reſpuit, quin duobus fratribus captiuis ab hoſte oppoſitis, ne tormentorum ictus increbeſcerent, ſocio ſanguini fortitudinem præferens, à propoſito non eſt abductus, deinceps mortuo Rege inclyto Ferdinando frangendæ fidei vberrima multorum præmia ludibrio habuit.

MARIAE PICOLOMINEAE.

Qui legis hæc, ſubmiſſius legas, ne dormientem excites: Rege Ferdinando orta Maria Aragonea hic clauſa eſt, nupſit Antonio Picolomineo, Amalfæ Duci ſtrenuo, cui reliquit tres filias pignus amoris mutui: puellam quieſcere credibile eſt, quæ mori digna non fuit. Vix: ann: XX, Obijt M. CCCC. LX.

Ærumnarum portus. Meta laborum.

PIRRHVS PECTIVS.

I. V. D. & Catharina Scuria coniuges Auguſtino filio ſibi & poſteris poſuere. Anno ſalutis M. D. XXV. Hic vt Alphonſo Picolomineo Amalfæ Duci perpetuò deditus, ita moriens procul abeſſe noluit.

THOMAE NAVCLERII

Thomas Nauclerius,
Quem habuit lex vtraq;
Fulmen hunc mihi fons iuris
Dat pietate locum, viximus
Vt probitate vnâ
Surgamus & vnâ
Intimus in tumulo.

IOANNIS AB ALEFELDT.

Vt flos mane viret tepida productus ab aura,
Langueſcit flaccus veſpere, nocte cadit.

Sic nos mortales orimur, morimurq́ miſelli,
Certaq́ viuendi non datur vlla dies.
Præſentis vitæ eſt curſus Labyrinthus, in illum
Ex vtero intrantes morte vocante ſumus.
Erraui hic quantum Deus & mea fata volebant,
Luſtraq́ transmiſi quinq́, diesq́ decem.
Nihilibus tribui ſtudijs hæc tempora vitæ,
Vt ſic nobilior nobilis ipſe forem.
Horam & Liligeri me viſere regna Monarchæ
Fecit, & in Latium bis pius egit amor.
Nunc iaceo patriæ longè tumulatus ab oris
Iudicis expectans acta ſuprema die.
Cymbrica me genuit tellus Arctoa ſub auſtro,
Parthenope rapuit, Parthenopeq́ tenet.

Obijt XVIII. Calend: Iulij M. D. LXXXI.

GVILIELM: BARDICK ANTVVERPIEN:

Infelix caro, quàm felix anima: illa ſub atra
Computreſcit humo, transuolat iſta polos.
In cinerem quandoq́ caro conuerſa reſurget
Ex cinere, atq́ animæ iuncta ſequetur eam.

Vix ann: xxxviii. Obijt Idib: Octobr: Anno M. D. Lxxix.

FILIA PATRI.

Quæ miſer impoſui lugubria ſaxa ſepulchro,
Mi pater innumeris accipe pro meritis
Quod ſi marmoream licuiſſet ſumere formam,
Te nata tegeret non alio lapide,
Inciſæq́ notæ legerentur: gratus Alexis
Reddidit oſſa patri ſitq́ patri tumulus.

MARCHIONIS DE PESCHARA.

Quis iacet hoc gelido ſub marmore? maximus ille
Piſcator, belli gloria, pacis honos,
Nunquid & hic piſces cœpit? non. Ergo quid? vrbes,
Magnanimos Reges, oppida, regna, duces.
Dic, quibus hæc cæpit piſcator retibus? alto
Conſilio, intrepido corde, alacriq́ manu.
Qui tantum rapuêre ducem? duo numina, Mars, Mors.
Vt raperent quidnam compulit? Inuidia.
Nil nocuere ſibi, viuit nam fama ſuperſtes,
Quæ Martem & Mortem vincit & Inuidiam.

IOANNES DE CABANIGLIS.

Troiæ comes, fati acerbitate luctus perpetuus, quibus meritò maxima erat ſpes Obijt anno M. CCCC. LXXXII. Vix: ann: XXX.

MARINI.

Qui fuit Alphonſi quondam pars maxima Regis
Marinus, hac modica nunc tumulatur humo.

Marinus Curialis Surrentinus terræ nouæ comes Anno Domini, M.CD. LXXXX.

CECILIAE IANVARIAE.

Quam capit hic tumulus Cecilia Ianuaria inter præcipua huius vrbis ornamenta, venuſtatis atq; pudicitiæ exemplum, hic à Iulio Ianuario marito miſerabili, donec

donec eius cineres commodiori & vtriq; ſolùm communi ſepulcro deponantur, ſita eſt, elata ex abortu, cunctis collacrymantibus, Anno ab ortu ſalutis M. D. xxx. Calend: April: xvi.

HISABELLAE ORILIAE.

Cui nunquam vel tantillum querelarum dedimus, ſuperſtites nouem filij matri optimæ Vix: ann: Lviii. Obijt M. D. xxxvii.

IOANNIS RIBERII.

Tendimus huc omnes.

Hoſpes quem teris lapidem, Ioanni Riberio equiti Iſpalenſi ſingulariſsimi exempli viro, ductori ſtrenuo, & caſtrorum præfecto ſolertiſſimo, Conſaluus Riberius profuſis lacrymis ob conſanguineam caritatem pos: Vixit ann: L. quorum viginti Ferdinandi Catholici Regis auſpicijs, reliquos in Caroli Cæſaris obſequijs expendit, à partu virgin: M. D. XXX. V. Idus Decemb.

ALEXANDRI NOVOLARIAE COMITIS.

Flebile amici obſequium.

Pierides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Balſama dant Charites, cinnama ſpargit Amor.
Phœbus odoratas laurus, Mars ipſe amaranthos,
Nos lacrymas raræ munus amicitiæ.

Alexandri Nouolariæ Comitis iuuenis, proh dolor & bellicis & literarijs dotibus ornatiſs: oſſa hic quieſcunt pro tempore. Vix: ann: plus minus xxxiii. Hic tantum mortem doluit, quod in acie non cecidiſſet, quibus notus, ſat miſerè deploratus. Anno Domini M. D. xx. Nonis Auguſti.

VGONI PEPVLO.

Comiti Bononienſi, qui cum ad familiæ dignitatem & ſplendorem, non domeſticas tantum virtutes, ſed bellicæ etiam laudis decus adiunxiſſet, in maximis expeditionibus conſilio atq; animi magnitudine proximum ſibi ſummis Imperijs gradum, & inſigne apud cunctas Europæ nationes nomen meruit, florente gloria & ætate ſua extincto Philippus Pepulus Comes fratri D. S. O. M. moer: pos: Vix: ann: XLIV. Mens: IIII. dies IX. Obijt Capuæ Calend: Septemb. M. D. XXVII.

O ſemper inimica & inuida proficienti ad ſummam gloriam virtutis mors.

MAXIMINORVM.

En rerum fiducia certa. Hinc nemo ex Maximinorum familia repellatur. ab humanitate redempta M. D. XL.

CONSTANTIA DAVOLA.

Et Beatrix, Picolominei filiæ reddunt quæ ſunt cœli cœlo, quæ ſunt terræ, terræ; vt ſemper vnà vixère, ſic condi tumulo voluère.

O beatam mutui amoris conſtantiam.

IOANNES PAVLVS VAXALLVS.

Raynaldi filius ex nobilitate Neapolitana, Auerſanus Antiſtes, cum D. Pauli patrimonium templumq; piè ac ſanctè auxiſſet decoraſſetq;, & monumentum in ædem ſatis magnificum ſibi conſtrui iuſſiſſet, paterna pietate ductus, ſepulcrum hoc viuens faciundum curauit, & in ea vita functus condi voluit. Vt moriens viueret vixit vt moriturus. Anno M. D.

ANTONIO VAXALLO.

Nobili Neapolitano Pontificij & ciuilis iuris perito xx. ſuæ ætatis anno vita functo. Ioan: Paulus Auerſanus Antiſtes obſequentiſsimus nepoti, ac ſuæ poſteritatis vltimo pos: Anno ſalutis M. D.

NOBI-

NOBILIS BERNHARDVS A HORNSTEIN.

Militaris ſub Maieſtate Regis Hiſpaniarum in Chriſto placidè moritur Neapoli Anno M. D. LXXIIII. die VIII. Decembr.

Meinem Adelichen Vhralten geſchlecht zu Ehren
Thet ich ein redlicher Kriegsman werden/
König Philippo in Hiſpania dienſthafft war/
Dienete wieder den Erbfeindt ins dritte Jahr/
Lag vnter dem Lodroniſchen Hoch Teutſchen Regiment/
Graff Jeronymus mein Oberſter war genent/
Thunis halff ich einnehmen zu ſoldt/
Starb zwantzig Järigen alters mit gedult/
Mein Leib ligt hie begraben zu ruhe/
Gott ſey allen Seelen gnedig dazu/ Amen.

IN S. MARIA MAIORE.

AD ALTARE MAIVS DE AEDIFICIO EIVS.

Baſilicam hanc Pomponius Epiſcop: Neapolit: famulus Ieſu Chriſti Domini fecit.

PETRO ANT: CAPITIO.

Patricio Neapolitano, ex gentilitio iuris patronatus, huius ſacræ ædis Rectori, qui veteri nobilitati pietatem, doctrinam, modeſtiam adiecit. Baptiſta Capitius frater optimo fratri poſ: M. D. XI.

ANTE SACELLVM IOANNIS PONTANI.

Diuæ Mariæ Dei matri, ac Diuo Ioanni Euangeliſtæ ſacrum Ioan: Iouianus Pontanus dedicauit M. CCCC. XCII.

IN MARMOREIS TABELLIS VIII. MVRO SACELLI INSERTIS.

In magnis opibus vt admodum difficile, ſic maximè pulcrum eſt ſeipſum continere.

Sero pœnitet, quanquam pœnitet, qui in re dubia nimis citò decernit.

Nec temeritas ſemper felix, nec prudentia vbiq; tuta eſt.

Fruſtra leges prætereunt, quem non abſoluerit conſcientia.

In vtraq; fortuna fortunæ ipſius memor eſto.

Integritate fides alitur, fide verò amicitia.

Hominē eſſe ſe haud meminit, qui nunquam iniuriarū obliuiſcitur.

In omni vitæ genere primum eſt, ſeipſum noſcere.

PETRO COMPATRI.

Quid agam requiris? tabeſco. Scire quis ſim cupis? fui. Vitæ quæ fuerint condimenta rogas? labor, dolor, ægritudo, luctus, ſeruire ſuperbis dominis, iugum ferre ſuperſtitionis, quos caros habeas ſepelire, patriæ videre excidium, nam vxorias moleſtias nunquam ſenſi. Petro Compatri viro officioſiſſimo Pontanus poſuit ob conſtantem amicitiam, Anno LIII. M. CD. LXXV. Calend. Decembris.

PONTANORVM.

Ab hoc Pontanorum conditorio, ne mas ne fœmina ex agnatione arceantur.

IOANNI PONTANO.

Viuus domum hanc mihi paraui, in qua quieſcerem mortuus, noli obſecro iniuriam mortuo facere, viuens quam fecerim nemini. Sum etenim Ioannes Iouianus, Ponta-

Pontanus, quem amauerunt bonæ muſæ, ſuſpexerunt viri probi, honeſtauerunt Reges, Domini. Scis iam qui ſim, aut qui potius fuerim. Ego verò te hoſpes noſcere in tenebris nequeo, ſed teipſum vt noſcas rogo. Vale, mortuus eſt Anno Chriſti. M. D III. ætatis LXXVII.

SoLVItVr eXCeLLens fatIs IoVIanVs In aVras
At LIbros nVnqVaM parCa aboLebIt Iners.

HADRIANAE SAXONAE VXORI.

Illa thori benè fida comes cuſtosq; pudici,
Cuiq; & acus placuit, cui placuere coli.
Quæq; focum caſtosq; lares ſeruauit, & aræ
Et thura & lacrymas & pia vota dedit.
In prolem ſtudioſa parens & amabilis, vni
Quæ ſtuduit caro caſta placere viro.
Hic poſita eſt Adriana, roſæ violæq; vireſcant,
Quo poſita eſt Syrio ſpiret odore locus.
Vrna crocum Dominæ fundat, diſtillet amomum,
Ad tumulum & cineri ſpica ciliſta fluat.

Quinquennio poſtquam abiſti vxor, dedicata prius ædicula, monumentum hoc tibi ſtatui, tecum quotidianus vt loquerer, nec ſi mihi non reſpondes, non reſpondebit deſiderium tui, per quod ipſa mecum ſemper es, aut obmuteſcet memoria per quam ipſe tecum nunc loquor. Aue igitur mea Adriana, vbi enim oſſa mea tuis miſcuero, vterq; ſimul benè valebimus. Viuens tecum vixi annos XXIX. dies XXIX. Victurus poſt mortuus æternitatem æternam. Ioan: Iouianus Pontanus Hadrianæ Saxonæ vxori optimæ ac benemerentiſsimæ poſuit, quæ vixit ann: XLVI. Mens: VI. Obijt Cal: Martij M. CCCC. VCI.

Adrianæ Saxonæ oſſa hic ſita ſunt.

L. FRANCISCO IOAN: PONTANI FILIO.

Has aras pater ipſe Deo, templumq; parabam,
In quo nate meos contegeres cineres.
Heu fati vis læua, & lex variabilis æui:
Nam pater ipſe tuos nate ſtruo tumulos.
Inferias puero ſenior, natoq; ſepulcrum
Pono parens, heu quid ſidera dura parant?
Sed quodcunq; parant breue ſit, namq; optima vitæ
Pars exacta mihi eſt, cætera fumus erit.
Hoc tibi pro tabulis ſtatuo pater ipſe dolorum
Heres, tu tumulos pro patrimonio habe.

Vixit ann: XXIX. Mens: V. Dies III. L. Franciſco filio Pontanus pater. Anno Chriſti M. CCCC. IIC. Auguſti XXIII. die.

LVCII FILII EIVSDEM.

Lucili tibi lux nomen dedit, & dedit ipſa
Mater ſtella tibi, ſtellaq; luxq; ſimul.
Eripuit nox atra, nigræ eripuêre tenebræ,
Vixiſti vix quod litera prima notat.
Hos nè dies? breue tam nè tibi lux fulſit, & aura
Maternum in nimbis ſic tenuere iubar.
Infelix fatum: puer heu malè felix: heu quod
Nec puer es, nec lux, nec niſi inane, quid es?
Floreat ad pueri tumulum ver, halles, & vrna
Lucili & cineri ſporet inuſtus odor.

Dies L.

Dies L. non impleſti filiole breue naturæ ſpecimen, æternus parentum mœror ac deſiderium.

Has Luci tibi & inferias & munera ſoluo
Annua vota pijs, heu mihi, cum lacrymis.
Hæc Luci tibi & ad tumulos poſitumq; feretrum
Dona pater multis perluo cum lacrymis.
Hæc dona, inferiasq; heu heu, hunc nate capillum,
Incanamq; comam hanc accipe, & has lacrymas.
His lacrymis, his te inferijs, hoc munere condo:
Nate vale æternum, ô & valeant tumuli.
Quin & hient tumuli, & tellus hiet, & tibi me me
Reddat, & vna duos vrna tegat cineres.

Pontanus pater Lucio F. infelicisſ: P.

LVCIAE MARTIAE FILIAE PONTANI.

Liquiſti patrem in tenebris mea Lucia, poſtquam
De luce in tenebras filia rapta mihi es.
Sed neq; tu in tenebras rapta es, quin ipſa tenebras
Liquiſti, & medio Lucida ſole micas.
Cœlo te natam aſpicio, num nata parentem
Aſpicis? an fingit hæc ſibi vana pater?
Solamen mortis miſeræ, te nata ſepulcrum
Hoc tegit: haud cineri ſenſus ineſſe poteſt.
Si qua tamen de te ſuperat pars, nata, fatere
Felicem, quod te prima iuuenta rapit.
At nos in tenebris vitam luctuq; trahemus:
Hoc precium patri, filia, quod genui.

Muſæ filia luxerunt te in obitu, at lapide in hoc luget te pater tuus, quem liquiſti in ſqualore, cruciatu, gemitu, heu heu filia, quod nec morienti pater affui, qui mortis cordolium tibi demerem, nec ſorores ingemiſcenti, quæ collacrymarentur miſellæ, nec frater ſingultiens, qui ſitienti miniſtraret aquulam, non mater ipſa quæ collo implicita ore animulam exciperet. Infeliciſſima in hoc tamen felix, quod haud multos poſt annos te reuiſit tecumq; nunc cubat. Aſt ego felicior, qui breui cum vtraq; edormiſcam eodem in conditorio. Vale filia, matriq; frigeſcenti cineres interim calefacе, vt poſt etiam refocilles meos. Ioan: Iouianus Pontanus L. Martiæ fil: dulciſsimæ pos: Vixit annos XIIII. Mens: VII. Dies XII.

IN MARMOREA TABVLA ARAE.

Tibi Deus optime maxime aram hanc dedicat Ioan: Iouian: Pontanus, nec tecum paciſcitur, vt ſibi, liberis, poſteriſq; ſuis benefaxis, cum ipſe volens, liberiſq; gratuitò benefacias cunctis, ſed quia tibi vni ab omnibus debeantur omnia.

IBIDEM.

Titi Liui brachium, quod Anton: Panormita: à Patauinis impetrauit, Ioan: Iouianus Pontanus mult: poſt annos hoc in loco ponendum curauit.

Pomponius creſcenti Rheno Danuuio nepotibus & Euphrati patri eorum, filio, homini ſimpliciſsimo Pompon: Rhenus pater fecit, qui me mœrentem præoccupauerunt.

ANONIMI.

Hæc ſatis in tumulo fragilem te noueris eſſe:
Mors certa eſt, tempus perbreue, vita nihil.

ALIVD.

Chare viator abi & non plora pro me, nam è morte vita.

IN S. MARIA NOVA.

ODETTO LAVTRECCO.

Fuxio, Conſaluus Ferdinandus Ludouici filius Corduba. magni Conſalui nepos, quum eius oſſa, quamuis hoſtis, in auito ſacello, vt belli fortuna tulerat, ſine honore iacere comperiſſet, humanarum miſeriarum memor Gallo Duci Hiſpanus Princeps poſ.

CASPARO SISCARO.

Vt ſplendore generis, ita ſua virtute ac belli paciſq; artibus ornatiſs. Dionora Monſoria vxor vnanimis bene merenti fecit, Vix. ann. xxix.

CONSTANTINVS CASTRIOTTVS.

Hic tegitur ſanguine & cognatione Regum ac Cæſarea clarus, morum candore inſignis, dignitate Pontifex Eſſernienſis, dum probè viuit intempeſtiuè moritur, Adronica Cominata paterna auia nepoti optimo poſ. M. D.

HENRICO PANDONO.

Bouianenſium Duci, Venafriq; Domino, & Catharinæ Aquauinæ coniugibus concordiſſimis, Hippolita Ferdinand. Regis neptis, filio nuruiq; infeliciſs. contra votum ſuperſtes infelicior æterno mœrore poſ. Anno M. D. xxxi.

PETRI NAVARRAE.

Oſſibus & memoriæ Petri Nauarræ Cantabri, ſolerti in expugnandis vrbibus arte clariſſimi Conſaluus Ferdinandus Ludouic. fil. magni Conſalui nepos Sueſſæ princeps, Ducem Gallorum partes ſecutum, pio ſepulcri munere honeſtauit, cum hoc in ſe habeat virtus, vt vel in hoſte ſit admirabilis.

PETRVS DE ICCIZ.

Genere inſignis, Hiſpanus, equitum ſignifer, qui V. luſtris in bellis Italicis pro Carolo V. Imp. ſtrenuè & ſumma cum fide militauit, & ob ſuam virtutem Borbonum oppidum in præmij partem accepit, dum quietam vitam viuere putarat, Dei iuſſu ad cœlum, vbi vera captatur quies, aſcendit, Die vi. Februar. M. D. xxxv. ætatis xxxix. Menſ. viii. dieb. xi.

ANGELO DE ANGELIS.

Ioannæ ſecundæ Reginæ Siciliæ Secretario integerrimo; & Alexandro Ferillo, ſororijs, ac Nicolao Pixillo amborum affini, Baptiſta Antonius de Angelis Abb. Sancti Benedicti de Capua & Ioannes Ferillus filij, piè poſuerunt, ac ſacellum cum ara inſtaurarunt Anno Chriſti M. CCCC. xxc.

IN SEPVLCRO IOAN. VINCENTII MACEDONII.

Hic diem perdidiſſe aiebat, in quo aliquem non iuuaſſet.

PANDOLPHO PANDOLPHINO.

Florentino, omni vita ſplendidiſſimo, viro grauiſſimo, ciui de patria benè merito, ac multis honoribus dignè functo filij poſ. Hic orator ad Ferd. Regem in difficillimis rebus publico patriæ decreto miſſus Neapoli moritur, Vixit annos xLiiii. Deo ſacro ſacrum.

PETRO ET DIONYSIO PANDOLPHINIS.

Qui primo ætatis flore Troiæ in Daunis fati acerbitate rapti ſunt, Ferdinandus Epiſcopus Troianus ſolus tantæ familiæ ſuperſtes, vt cum Pandulpho auo paterno ſuo eodem in tumulo conquieſceret, frater fratribus dulciſs. cum mœrore & lacrymis poſ. Anno M. D. xxxiiii.

LOYSIA DE PENNA.

Raphaëlis filia, Santij Vitaliani vxor, multarum familiarum auia, proauia, ne id negotij poſteris relinqueret, viuens curauit, Vixit annos huc vſq; Lxxx. Anno ſalutis M. D. xxi. Septemb. xxix.

ARALDO DE MONTIBVS.

Cui verborum nullum vnquam ex ore eius excidit, vnde quiſquam poſſet offendi. Pom-

di. Pompeius de Montibus patrueli optimo & homini rariſſimo, memoriæ cauſſa Anno M. D. LVII.

IN S. MARIA DE STELLA.

IOANN. NORMANDVS.

Architectus Ferdinandi Regis à Muſicis inſtrumentis, ſacellum vetuſtate collapſum ſua pecunia à fundamentis reſtituit, formamq; in meliorem redegit M.D. XIX.

IN S. MARIA ANNVNCIATA.

Suggeſtum huius Eccleſiæ eſt ex pulcerrimo marmore, valoris M. M. M. Δ^{torum}. Hoſpitale habet in reditibus X V I I. mill. Δ^{tos}. Alit nutrices D C C. pro expoſititijs. Ex virginibus, quarum communiter ſunt C C. quotannis tres cum dote elocantur, plæræq; cũ adoleuerint, alijs ſeruire coguntur & conceduntur. Dicuntur hic eſſe duo corpora duorum Innocentum.

SVPRA PORTAM HOSPITALIS.

Si qua virgo Sicula pauper dotium indigens connubio iungi cupiet, ad pium locum iſtum, eiuſq; gubernatores confugiat. Nam Elionora Santonia Panormitana in ſuo vltimo teſtamento & codicillo, Romæ facto per manus Notarij Achillis Sambicarij ſub die XXVI. Ianuarij M. D. LXXVII. mandauit poſt eius obitum ex cenſu prouenienie ex quatuor mille ducatis, quos in montibus pecuniam Romæ tenebat, cumulus fiat aliorum quatuor mille, hoſpitaliq; diuæ Annunciatæ Neapol. conſignentur, & in arca propria ſeruentur, ex quibus partes tres in emptionem conuertantur aliorum cenſuum, conuertendorum ſingulis annis in dotem trium puellarum Sicularum, ſeu ex Sicilia oriundarum, vnicuiq; cenſum annuum integrum ducatorum mille, interuenientibus & eligentibus Mag. Petro Iacobo Tagliavia, Michaële Angelo Otthone, & Ioanne Diomede Roſſo ſeu eorum deſcendentibus, & in defectu conſanguineis, tàm in emptionibus faciendis quàm in puellis nubendis. De reliquis verò mille, vel de cenſu ex ipſis prouenienie illuſtres gubernatores dicti hoſpitalis D. Mariæ Annunciatæ Neapo. prout melius viſum fuerit, diſponant; Et vt omnibus, quorum intereſt hæc ſcire, notum fiat, mandauit hæc omnia marmore inſcribi Anno M. D. LXXX.

ISABELLAE RICHISENTIAE.

Hoſpes legas ne lugeas. Illa Iſabella Richiſentia Cardonia Neapol. Proregina iacet hic, quam ſi oculis in terris vidiſſe viuentem ſumma fuit beatitudo, quanto feliciores erunt, quibus animo in cœlis eandem (quî nam mori potuit) contemplari cõtigerit. Credendum eſt eius formam & virtutem animæ ad æternam gloriam fuiſſe comites, occidit aurora oriente, ætat. ſuæ XXXVI. ann. die V. Mart.

BERNARDINO CARACCIOLO.

Parenti optimo atq; ſpectatiſs. Ioan. Anton. filius ſatis pius & oppidi comes, diem ſuum obiens monumentum ponendum ex teſtamento iuſſit. Ferdinand. Caracciolus heres gratiſs. acceptiq; beneficij memor & Neocaſtri & Oppidi comes ab Ioan.

Antonio incœptam ædiculam conficiens, hoc monumentum debito pietatis atque gratitudinis officio poſuit, Anno Chriſti M. D. Lx.

LVCRETIA EBVLA.

Perpetuus mariti dolor, hic ſita eſt. Ioan. Vincentius Loffredus coniugi dulciſſimæ fecit, voluit idem huc eius cineres inferri, vt cum ea ſemper vna eſſe poſſet, mortuo ſaltem liceat id, quod viuo non licuit.

RAYMVNDO VRSINO.

Pacentri comiti, morum ſuauitate, candoreq; animi claro & inſigni, Fauſtina Carafa coniux mœſtiſs. quod nollet, id volens præſtitit. O rerum humanarum inconſtans exitus. Vixit annos xLvii. Obijt M. D. Lviiii.

FERDINAND. MANLIVS.

Neapolit. Camp. Architectus, qui Petri Toleti Neapolit. Proregis auſpicio regijs ædibus extruendis, plateis ſternendis, criptæ aperiendæ, vijs & pontibus in formam ampliorem reſtituendis, paluſtribus aquis deducendis præfuit, cuius elaboratum induſtria, vt tutius viatoribus iter, loci ſalubriores colonis eſſent. Timotheo Enciclio Mathemat: pietatis rariſſimæ filio, qui vixit annos xix. Menſ. vi. ſibi ac ſuis viuens poſuit Anno M. D. Liii.

IOANNIS BOOT.

O mortalium variam inſtabilemq; fortunam, Ioannes Boot Antuerpiæ naſcitur, vt prudentior fieret luſtrabat Europam, tandem Neapoli dum legibus operam nauat, atq; officioſiſs. negotiatur maiorum ſplendore nobilis, fide, pietate, ac ſingulari integritate longè nobilior, in ipſo ætatis flore moritur. Antonius patruelis, quem ſeruare non potuit viuum, hic ex teſtamento condito cadauere, pijs lacrymis ad ſuperos conſcendentem proſecutus eſt. Deceſſit à partu virgineo M. D. Lvi. Die xxiiii. Febr.

IOAN: DOMINICVS OLIVA.

Neapolit. cum ab infantia hac ſacra in æde virgini Deiparæ piè ſeruiſſet, eiuſdemque eſſet in ſenectute æditiuus, hoc monumentum poſuit, hîc labores, hîc oſſa reliquit Anno M. D. Lx.

IBIDEM.

En quo impellimur omnes,
Spes autem certa manet.

ANTONIVS AMABILIS.

Protonotarius Apoſtolicus, Canon. Neapol. de ſuo nil aliud, quam tantulum marmoris ſibi reliquit M. D. Lii.

ANTONIVS BERTRANDVS.

Barchionis I. V. Doctor peritus, de Rege ſuo bene meritus, hoc monumentum fecit ſibi ſuiſq; M. CCCC. Lxvii. Menſ. Maij die xxiv.

FRANCISCO COLOGOS.

Ab Oeconomorum templi Secretis, viuens curam poſteris monumento quamuis puſillo omnem de ſe leuauit. Nil meum quod debui reddidi.

IOAN. ANTON. CARACCIOLVS.

Oppidi comes, annum agens Lx. locum delegit ſepulcro ad parentum pedes, quos & viuos & mortuos obſeruandos nouit.

IOAN. SCARDOMALLIVS.

Ab Oeconomorum templi rationibus, ne ſuperſtitibus iniurius decederet, exiguo obſtitit marmore M. D. Liii.

MARIA BANCRATIA.

Mulier proba, viuens hoc corpori curauit, animæ verò cœlum, dum virginem ex ſuis bonis ſcribit heredem.

LVCRETIAE CARACCIOLAE.

Si genus, pulcritudo, ingenium, labor, ſi parentum amor, pietas ac diligentia

aſſerere poſſent ab impetu furentis mortis. Portia Pignatella infelix mater inuitaque ſuperſtes nunquam Lucretiæ Caracciolæ nobile cadauer lacrymãs ſacro ſpiritui hoc tumulo condidiſſet, Vixit annos XXIIII. Menſ. XI. Dies XXVI. Deceſſit à partu Virg. M.D. LIIII.

CONIVGVM.

Antonius Rota, & Lucretia Blancia viui ſibi monumentum poſuêre, vt qua vixêre concordia, & mortui quoq; vnà quieſcerent, neuè eorum inquietarentur oſſa cauerunt, ne quis omnino monumentum ſequatur, Bene viuunt boni coniuges, bene etiam moriuntur.

IN S. MARIA CORONATA.

Si terram exeas, capellam Regis intrare non omiſeris, in qua conterraneus olim meus Giottus Pictor noſtri æui princeps magna reliquit manus & ingenij monumenta.

IN S. MARIA DE PIGNATELLI.

CAROLO PIGNATELLO.

Equiti Neapolitano, virtutib. ornatiſſimo, ætatis ſuæ annum quinquageſimum quintum agenti cum omni beneuolentia & admiratione Anno M. CCCC. LXXVII. Chriſtianæ ſalutis defuncto. Hector Pignatellus montis Leonis Burelliq; comes filius pientiſs. fieri curauit.

IN S. MARIA IN ADITV CAVERNAE MONTIS PAVSILIPI, VVLGO à pie de Grotta.

CHRISTVS IN CRVCE ad mortalem.

Virginis intactæ partus celſiq; tonantis
Vnicus, vt viuas pertulit ipſe mori.

IBIDEM.

In mundo ſpes nulla boni, ſpes nulla ſalutis,
Vna ſalus, ſeruire Deo, ſunt cætera fraudes.

FABRITIO MANLIO.

Nobili Barolitano, magnæ ſpei iuueni Camillus pater munus lacrymabile poſ. Hic adeò Mergellinam adamauit, vt ad eam infirmus ferri, & in ea mori, & ſepeliri voluerit. Anno M.D. LXVI. Obijt anno M. D. LXI.

IOAN. DE ORBINIS.

Hic ſitus eſt, qui ſummo corporis atq; animi vigore bella gerendo Cæſari victorias, Hiſpaniæ decus, ſibi & nomen cũ immortali gloria cõparauit Anno M. D.XXXI.

Rodericus Ripalta reparauit & amic. benè merit. poſ.

Aere fuit fuſus quem cernis marmore princeps,
Iuſsit Parthenope Martia bella timens.

RODERICO RIPALTAE.

Hiſpano, genere Nouarienſ. peditum ductori ſtrenuo, atq; caſtrorum præfecto, qui ſub Imperat. Caroli V. Cæſar. auſpitio, dum diſiecta Cherill. mœnia recognoſcit, ab defenſoribus Archibuſij ictu pectus transfoditur, cuius oſſa Feder. frater Neapolim referenda curauit, Franceſca Viacampa coniugi concordiſſimo lacrymis iugiter manantibus, Vixit annos XXXV. Menſ. VII. Dies X. Obijt Calend. Nouemb. M.D.XXXVI.

Qui ſic moritur non extinguitur.

ALOYSIO VIACAMPO.

Celtiberio, Iachenſi alæ Cæſ. ſignifero, cohortis Hiſpanorum præfecto, fortibus militiæ geſtis in Italia clariſſimo, Franceſca vxor coniugi deſideratiſſimo. Obijt Bononiæ, cum Cæſar Carolus à Clemente VII. Pontif. imperatoria triplici corona ornaretur M. D. XXX.

FRAN-

FRANCESCA VIACAMPO.

Quæ proxima ad priorem coniugem, vnde plurimum cohoneſtataeſt, humari voluit, Canon. regul. ex teſtamento poſ. M. D. LIIII.

IBIDEM.

Ætas, forma, genus, vos hic cum corpore linquo
In terris, & opes corporis exuuias:
Aſt animam comites quæ ſemper in orbe fuêre,
Lucida virtutum duxit in aſtra chorus.
Tres nati coniux ex te mihi care ſuperſunt,
Immatura duos mors tulit, ipſa ſequar.

VIRGILII IN ANTIQVA VRNA.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini paſcua, rura, duces.

ITEM ALIVD EIVSDEM *in candido marmore.*

Qui cineres? tumuli hæc veſtigia, conditur olim
Ille hoc qui cecinit paſcua, rura, duces.

SANAZARII MARMOREVM SVPERBISS.
quod eius litteralis Monaſterij Monachus fecit
ex niueo marmore.

Da ſacro cineri flores, hic ille Maroni
Sincerus Muſa proximus vt tumulo.

Vix. ann. LXXII. Obijt M. D. XXX.

ITEM.

Actius hic ſitus eſt, cineres gaudete ſepulti,
Nam vaga poſt obitus vmbra dolore caret.

Hic Sanazarius Alexand. VI. PP. ſub quo vixit tale ſcripſit Epithapium.

Fortaſſis neſcis cuius hic tumulus ſiet,
Adſta viator ni pœniteat.
Titulum quem Alexandri vides, haud illius
Magni eſt, ſed huius qui modò
Libidinoſa ſanguinis captus ſiti,
Tot ciuitates inclytas,
Tot regna vertit, tot duces letho dedit,
Natos vt impleat ſuos.
Orbem rapinis, ferro, & igne funditus
Vaſtauit, hauſit, eruit.
Humana iura, nec minus cœleſtia,
Ipſosq́; ſuſtulit Deos:
Vt ſcilicet liceret (heu ſcelus) patri
Natæ ſinum permingere,
Nec execrandis abſtinere nuptijs,
Timore ſublato ſemel.
Et tamen in vrbe Roma hic vel vndecim
Præſidet annis Pontifex.
I nunc Nerones, vel Caligulas nomina,
Turpes vel Heliogabolos.
Hoc ſat viator, reliqua non ſinit pudor,
Tu ſuſpicare & ambula.

IDEM DE EODEM.

Ergo te ſemper cupiet Lucretia Sextus,
O fatum diri nominis! hic pater eſt.

TVMVLVS LVCRETIAE per eundem.

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, ſed re
Thais, Alexandri filia, ſponſa, nurus.

In opuſculum Sanazarrij de partu virginis, in quo xx. annos conſumpſit, quidam vir doctus ita luſit:

Smirnam olim decimum preſſiſti Cinna ſub annum,
Hic geſſit partum bis duo luſtra ſuum.

DIOMEDIS CARAFAE.

Carafæ hic alibiq; iacet Diomedis imago:
Mortua vbiq; iacet, viuaq; vbiq; manet.

IN S. MARIA SICVLA.

Diuus Ladislaus Rex, cum morbo Schiaticæ eſſet infectus, conuerſus ad Beatam Virginem Siculam liber euaſit. Diua Ioanna ſoror Regis Ladislai qualibet hebdomada in die Sabbathi eandem ſumma cum veneratione viſitabat, ab eaq; ſinguli patientes ſani redibant.

IN MONASTERIO MONTIS VIRGINIS.

MATTHAEI DE AFFLICTO.

Matthæus de Afflicto nobilis Neapolit. ad extremam ſenectutem integra & animi & corporis valetudine peruenit, ſub quinq; Neapolit. Regibus ſe fidelem conſiliarium geſſit, vtriuſq; Iuris peritiſſimus, de feudis, regni conſtitutionibus copioſiſſimè ſcripſit, multa ſcitiſſima conſilia reliquit, annum agens ferè Lxxx. naturæ conceſſit.

IN S. ANGELO DE NIDO.

PETRO BANCRATIO.

Fuſci fil. hic bello Ferrarienſi ſuſcepta aduerſum Venetos expeditione, Alphonſum ducem Calabriæ, cuius contubernalis erat, ſecutus, agro Brixinenſi toto fermè capto, dum arx montis clari oppugnatur, colubrina ictus interijt. Corpus Neapolim fratris opera relatum & hic ſitum eſt. Marinus Bancratius, qui eo in bello cum primis præfuit, fratri obtemperantiſſimo, ſuaq; familia & patria dignis moribus prædito ac bene merit. fieri curauit M. CCCC. Lxxxiii.

IN S. MARIA DEL CONFORTO.

Diuæ Mariæ virgini Thomas Naclerius voti compos ſoluit Anno M. D. xxxiii.

IN S. MARIA POPVLI.

ANDREAE DVCIS TERMVLANI.

Huic ſpectata virtus domi foriſq; immortalem gloriam camparauit. Andreæ cognomento de Capua, Termulanorum Duci, Regum Aragoniorum gratiam ſumma fide & integritate adepto, ſacroq; S. R. E. exercitus Imperatori eximio, Maria Ayerba coniux munus amoris, Anno ſalutis M. D. xxxi

FERDINANDI DVCIS TERMVLANI.

Hic æquis paſſibus patrem ſecutus, æquè enituiſſet, ni mors immatura tantam gloriæ expectationem intercepiſſet.

Quæ mihi debebas ſupremæ munera vitæ,
Infelix ſoluo nunc tibi nate prior.
Fortuna inconſtans, lex & variabilis æui,
Debueras cineri iam ſupereſſe meo.
Hæc dat matris amor rapti ſolamina nati,
Inuida cui Lacheſis tàm breue nectit opus.
Nate iaces, viuo contra mea vota ſuperſtes,
Vox gemitus poſthac, lux mihi erunt tenebræ.

Maria

Maria Ayerba Ferd. Termulanorum Ducis fil. dulciſs. poſ. M. D. xxxi. perpetuò mœrens.

IN S. MARIA DEL SOCCORGO.

BARTHOLOMAEO FELTRIO.

M. f. quod huius oræ illecebræ viuenti quàm maximè arriſerint Anton. Iuriscon. Io. Vnicus, fratres ex teſtamento poſ. Vixit annos xxx. Menſ. Dies vii. Idib. Septēb. M. D. Liii.

IN S. MARIA DE CONSOLATIONE.

FRANCISCO COGNOMENTO DE COLLE.

Equiti Auguſtali, Hieronymus pater regens cancellariam, & circa latus Regius Conſiliarius, dolens contra votum poſuit, regnante inuictiſſimo Carolo Rom. Imp. ſemper Auguſto Anno M. D. xxxvii.

Fui vt es, Eris vt ſum.

IBIDEM IN SACELLO.

Tibi Deipara virgo, ſacroq́ ſancto partui tuo Bernardus Summaia & Lucretia de Gondi concordiſsimo de animo, ſacellum cum ara, tumulo, ac omni cultu dedicamus M. D. XLIII.

In pace in idipſum dormiam & requieſcam.

ITEM.

Fui non ſum, eſtis non eritis, nemo immortalis.

IN S. MARIA DEL CARMINO.

Ad altare maius eſt ſepulcrum Corradini, qui à Carolo captus, & decapitatus fuit, eo loco, vbi hodie ſacellum & columna porphyretica inſcriptione addita.

Aſturis vngue leo, pullum rapiens Aquilinum
Hic deplumauit, acephalumq́ dedit.

Quia hic Corradini Epitaphium incidit, operæ precium duxi lectorem monere, quod ante inclinationem Rom: Imperij Neapolitana ciuitas ſemper Romano Senatui atq; Impp: paruit. Poſtea Gothi eam ſibi ſubiecerunt, dein Sarraceni annis XXX tenuerunt, qui ingenti pugna à Ioanne X. Pont: Max: ad Lyrim victi ſunt. Exin ſemper Rom: Eccleſiam atq; Pontificem agnouit, atq; omnibus annis in die Petri & Pauli equum album præſentare ſolet. Poſtmodum cum Normanni ex Gallia in Italiam adueniſſent multis annis Neapolim per varias vices ſine regio titulo poſſederunt, donec Guilielmus IIII Rugerij III. filius, in Regem vtriusq; Siciliæ ab Adriano IIII Pontif: creatus eſt. Hic Guilielmus maximū fuit ætatis ſuæ, inter alios chriſtianos Principes, ornamentum & nō ſolum res magnas geſſit in Italia, ſed veſtigia ſua & Africæ & Aſiæ impreſſit, Palerini ſepultus cum breuiſſima inſcriptione:

Qui giace il boun Re Guilielmo.

Guilielmo ſine filijs defuncto de Regno Neapolitano & Siciliæ Hinricus Barbaroſſæ filius à Papa inueſtitus eſt. Nam cum

Guilielmus ex Normanorũ familia oriundus & tunc Siciliæ Rex, ius in Regno Neapolitano prætenderet, Pontifex verò eum ferre non poſſet, Hinricum cõtra ipſum incitauit, & Veſtalem quãdam ex Normanica familia, annorum fermè quinquaginta, in matrimonium tradit, ex qua Fridericus II. Imperator natus eſt. Sibilla autem Guilielmi mater cùm videret ſe viribus Imperatori reſiſtere non poſſe, ſe ipſius fidei cum filio tradidit, ſumpto tamen ab Hinrico iuramento, quod Guilielmo filio ſucceſſoribusq; ei9 Comitatum Lectij & Principatum Otranti relinqueret. Sed Imperator iuramento violato, matrem cum filio & Baronibus in Germaniam abductis, Archiepiſcopum Salernitanum carceribus mancipauit, alios oculis priuauit, & Guilielmum cæcum ac ne procrearet ſobolem, præterea caſtrari fecit. Hunc miſerabilem finem nobiliſſima Normanorum familia ſortita eſt, quæ tot ac tam præclaras res geſſerat in Europa & Aſia, totq; Duces & Reges produxerat. Licet autem Hinricus adnepotes vſq; hæc regna quietè obtinuerit pronepos tamen ipſius Corradinus ex nobiliſs. Sueuorum Impp. ſanguine longa ſerie ortus, & iam Sueuiæ Ducum vltimus licet innocens, hanc proaui crudelitatem miſerabili interitu luit, vindicem enim Deus habet oculum, & pæna venit ſerius ſed grauius. Hic enim Corradinus à Carolo primo duce Andegauenſi Ludouici Galliæ Regis fratre cui pontifex fauit poſt pugnam aliquot diebus ex fuga Neapolim retractus, in foro del Mercato in eo loco vbi nunc ſacellum quoddam in eius rei memoriam perpetuam extructum eſt, cum omnium ſpectantium commiſeratione & lachrymis in ipſo iuuentutis flore, nulla generis quod ab abauo, proauo, auoq; Rom. Impp. nobiliſſimis potentiſſimiſq; progenitus eſſet, nulla familiæ, cuius etiam vltimus, nulla cauſſa quam fouebat iuſtiſs. ratione habita, vna cum Friderico coëtaneo & cognato Auſtriæ Duce multiſq; Germaniæ proceribus vltimo capitis ſupplicio, cum perpetua ad omnem ætatem eius Caroli tyrannide & infamia affectus, atq; in eo Sueuorũ Ducum nobiliſs. linea, vndè inſignia Truchſeſiorũ de VValtpurg familia accepit, extĩcta eſt. In hoc miſerabili crudeliſſimoq; ſpectaculo præſens fuit Carol9, in loco tamen abſconditus, ne ab omnibus conſpici poſſet. Et cum inter cætera Corradinus in pœnam capitis incidiſſet, idcirco recitaretur quod contra Carolum arma ſumpſiſſet, Corradinus conuerſus intrepidè, An neſcis inquit Carole quod par in parem non habeat imperium. Sed nihil obſtinati Tyranni animum flectere

potuit,

potuit, fertur Carolus pontificem Vrbanum 4. qui Carolum ex Gallijs contra Manfredum Friderici II. Imperat. filium naturalem & tunc regnum Neapolitanum, nomine Corradini, occupantem, excíuerat de Friderico & Corradino conſuluiſſe vita Caroli, mors Friderici & vita Friderici, mors Caroli, atq; ita ambo tyrannide Caroli mactati ſunt. Poſtea ad Aragonios hui9 regni poſſeſſio peruenit, idq; voluntaria deditione ob Gallorum inſolentiam. Inter hos Alphonſus fuit tantoperè omnium ſcriptis laudatus princeps. Huic ſucceſſit Ferdinandus filius naturalis Ferdinando Alphonſ9 II. quem Carolus VIII, Galliæ Rex expulit, ſed Carolo diſcedente recuperauit regnum: Alphonſo II. Fridericus, ipſi ſanguine proximus, ſucceſſit, contra quem Ludouicus XII. exercitum duxit, cui ſupplex factus eſt. Ludouico Ferdinandus Arragonius ſucceſſit opera Fernandi Conſalui Proſperi & Fabritij Columnæ, is filiam Iſabelam reliquit, quæ elocata Carolo V. Imperatori & Hiſpan. Regi, Siciliæ & Neapolis regnum per matrimonium in ipſum detulit, cui filius Philippus ſucceſſit, & in præſenti regnũ pacatè tenet, quę propter Corradini epitaphium commemorare licuit.

IN SACELLO GARAPPI.

Sacellum hoc quod D. Antonius Garappus, immaturũ pudiciſſimæ filiæ Iſabellæ obitum deflens, inchoarat, pariq; fato (heu mortalium fragilitatem) non perfecerat, Ioann. Ferrand. Corcionus infelix gener, poſt mortem obſequentior abſoluendum curauit, caroſq; cineres hac vrna lacrymans condidit, vt quos viuos caritas coniunxerat, mors dirimere non poſſet Anno ſalut. M. D. LIIII.

CANTIANORVM IN MON:

Quod vos parentes optimi poſuiſtis,
Filij pietatem ſequuti, poſteris ponimus.

INACO DE ANNA.

Militi honorato, ductu & auſpitio Ladislai Regis militum præfecto, & ob inſignem virtutem Venetorum ciuitate donato: Et Ioannæ Reginæ magno Seneſcallo, nec non Ioanello de Anna præclaro viro, Scipio de Anna, auo & patri bene merent. & ſibi & ſuis ſacrum poſuit Anno Domini M. CCCC. xL.

IN S. MARIA DE GRATIA.

IOANNA TOMACELLA.

Cr. fil. rari exempli matronæ, quæ diuitijs abundans coniugium ſequi noluit, hoc ſibi monumentum viua fecit, ne curam hanc de ſe heredi relinqueret Vix. ann. L. Obijt M. CCCC. xC.

IOANELLO DE CVNTO.

Ferdinandi primi & Alphonſi II. ac Friderici regum Neapolitanorum Secretario, fide, taciturnitate, opera præſtanti, ac per hoc inter Barones adſcito: et Lucretiæ Candidæ matronæ, coniugibus mutua caritate coniunctiſs. huius cœnobij prior, fratrumq; conuentus, accepti beneficij memores, ſacrum hoc marmoreum cum ſepulcro benemeritis poſuêre, Obijt Ioanellus xvi. Febr. M. D. xvi.

GALEATIVS IVSTINIANVS.

Briccij fil. præf. claſſis Baptiſtæ fratri pientiſs. ac bene merito ſibiq́, viuens poſuit, vt ita mortis ſimul ſoporem dormiant, ſicut vitæ concorditer excubias vigilarunt. Et ne viator aberres, ſe duplici iactant patria, genuit dulcis Genua, pulcra tenet Parthenope, Carolo V. Imperatore.

H. M. H. N. S.

THOMAS ALTIMACVS.

I. C. Cæſaris Conſiliarius, & Donatus Antonius Medicus ac Philoſophus fratres aram Chriſto Deo dicauerunt ære annuo addito, vt in ea ſacra preceſq; fiant, & ne illos vel mors ipſa ſeiungeret, miſceri cineres voluere, pulcrum concordiæ & pietatis exemplum. M. D. LVIII.

HIERONYMO SPERANDAEO.

Ciuilis ac Pontificij iuris peritiſsimo, ſummi collegij ſeuero litibus iudicandis, omnibus legationum honoribus functo, Frider: Reg: ab Epiſtolis, cui etiam expeditionum comes & exilij fuit, Maria Baſilis coniugi benemerenti de ſe fecit. Vix: ann: LVI. Mens: I. Dies VII. Deceſsit M. D. IX. Calend: Ianuarij

FR. HIERONYM. BRVNDVSINVS.

Huius Cœnobij Prior, & per annos XVIII. moderator atq; amplificator, huius etiam fundator templi, vitæ inculpatiſs: dum LV. ageret annum, mortem vita conſentaneam conſecutus eſt M. D. XXIIII.

DONATI SIRINAEI

Vt corpus in eius æde ſeruetur, cui animus ſe dicauit, Donatus Sirinæus Pontificij Iuris profeſſor, Aenariæ præſul, vbi Eccleſiæ ſuæ annis XXXI. præfuiſſet, & ex his XXVI. in Parthenopæo vicariatu peregiſſet ann: LXXXVI. agens, conditorium hoc ſibi poſuit M. D. XXXIII.

IOANN. CAROLO.

Tucio Arianenſi medico peritiſsimo, qui cum omnes hic Philoſophiæ theſauri reconduntur, ſaxum hoc virtus & probitas contra votum pos: vix: ann: L. obijt. VIII. Calend: Iulij M. D. L.

BEATRIX GRATIANA.

Parthenopæa, illibatam virginitatem ſeruans, recordata quod mortalis erat, ſibi tumulum hunc viua poſuit, donec tuba canet Anno M. D. XXV. die V. Iulij

ANTON. BRANCALEONI.

A Cæſaris rationibus ſpectatæ fidei viro, filij extincta vita mœſti, viua fama læti, & ſibi fecerunt Vix: ann: LXXX.

FERD. CELENTANVS.

Neapolit: videns mortales omnes, hunc ſuis ac vxoris Aureliæ Seruillæ, poſterumq́; oſsibus quietis locum in vita parauit Anno M. D LI.

ANNIBAL MARZANVS.

A Cæſar: rationibus morti ſiue ſerotinæ ſiue acerbæ, puſillo marmore obſtitit.

IN S. MARIA REGINA COELI.

FERDINANDO PETRI.

Filio Gambacurtæ, cuius maiores Piſarum dominatu claruêre, apud Reges Aragoneos ob rem bellicam ſæpius benè geſtam in caris habito, Antonia Scondita, qua cum annos ferè XLIII. concordiſsimè vixit, marito opt. fecit. Vixit ann: LXXVII. Obijt M. D. XLIII.

HECTO-

HECTORIS MARRAE.

Et Proſapiæ & Laudomiæ nobiliſs. Aquinatis familiæ vita comite, mirandæ concordiæ coniugum cineres, marmoreo hoc clauduntur lapide, donec tuba canet.

IN S. MARIA DE SAPIENTIA.

Berardina Tranſa mihi & meis feci, certa domus, ſecura quies, nil quæramus vltra M. D. LVI.

IN S. MARIA DONNA REGINA.

REGINAE MARIAE MATRIS ROBERTI REGIS.

Hic requieſcit ſanctæ memoriæ excellentiſſima Domina, Domina Maria Dei gratia Hieruſalem, Siciliæ, Vngariæq; Regina, Magnifici principis quondam Stephani Dei gratia Regis Vngariæ, ac relicta claræ memoriæ inclyti principis Domini Caroſi II. & mater ſereniſſimi Principis & Domini, Domini Roberti eadem gratia Dei dictorum regnorum Hieruſalem, Siciliæ, Regum illuſtrium, quæ obijt Anno M. CCC. XXIII. Indict. VI. Die XXV. Martij, cuius anima in pace requieſcat. Amen.

IN S. IOANNE DE CARBONARIA.

In introitu ſacelli ad dextram.

Tibi cœli regina Galeatius Caracciolus, cui bona multa contuliſti, à quo item mala abtruncaſti plurima, ſacellum marmoreum cum ara, ſignis ac omni cultu, gratus libensq; dedico, & tanquam decimam ſoluo. Anno poſt edit. ſalut. M. D. XVI. VIII Idus Ianuar.

Omnia Domine tua ſunt, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Nicolaus Antonius Vici Marchio ſacellum hoc à Galeatio patre inchoatum, omnibus ſuis partibus expletum, lætus obtulit dedicauitq; Anno ſalutis M. D. LVII. Menſ. I. Die. VII.

GALEATIO CARACCIOLO.

Qui ſub Regibus Arragoneis egregiam ſæpius in bello operam nauauit, quiq; in expugnatione Hydruntina aduerſus Turcas regijs ſignis præfuit vix. ann. LVII. Nicolaus Antonius parenti optimo fecit.

NICOLAVS ANTON. VINCENTII GALEATII.

Filius Caracciolus, Vici Marchio & Cæſaris à latere conſiliarius ſibi viuens & Lagoniſſæ coniugi incomparabili M. D. XLIIII.

IOANNI CARACCIOLO.

Auellini Comiti, Venuſij Duci ac regni magno Seniſcalco & Moderatori, Troianus filius Melphiæ Dux, parenti de ſe deq; patria opt. merito erigendum curauit M. D. XXIII.

LVCRETIA DE BAVCIS.

Comitiſſa Burgentiæ & Cogiani Duciſſa, videns defunctorum curam triduo deleri, ne poſteris vlla ſui relinquatur, viuens hoc ſibi poſuit.

Bene actæ vitæ reſpondet exitus.

SCIPIONI ANTONIO.

Summæ fid. Imp. Carolo V. à latere conſiliario in adminiſtranda iuſtitia, in prouincijs regendis, in rebus bellicis expediendis, integritate & prudentia ac fide claro vix. ann. LXIII. Menſ. III. Obijt à partu virginis M. D. LIII. XVIII. Calend. Nouemb. Hippolita Manfortia marito optimo.

REGINAE

Nil mihi ni titulus ſummo de culmine reſtat,
Regina & morbis inualida, & ſenio,

Fecunda

Fœcunda populos proceresq́ in pace tuebar,
Pro Dominæ imperio nullius arma timens.
Sed me idem liuor qui te, fortiſſime Cæſar,
Sopitum extinxit, nocte iuuante dolos.
Non me, ſed totum laceras manus impia regnum,
Parthenopeq́ ſuum perdidit alma decus.

LADISLAI REGIS
in cornice ſepulchri

Improba mors noſtris heu ſemper & obuia rebus,
Dum Rex magnanimus totum ſpe concipit orbem,
En moritur, ſaxo tegitur Rex inclitus iſto,
Libera ſidereum mens ipſa petiuit olimpum.

DEINDE

Qui populos bello, tumidos qui clade Tyrannos,
Perculit intrepidus victor terraq́ mariq́,
Lux Italûm, regni ſplendor, clariſſimus hic eſt
Rex Ladislaus, decus altum & gloria Regum
Cui tanto heu lacrymans ſoror illuſtriſſima fratri
Defuncto pulcrum dedit hoc Regina Ioanna.
Vtraq́ ſculpta ſedet maieſtas vltima Regum,
Francorum ſoboles Caroli ſub origine primi.

IN TVMLVM LADISLAI REGIS
SANAZARRIVS.

Miraris niueis pendentia ſaxa columnis
Hoſpes, & hunc acri qui ſedet altus equo.
Quod ſi animos, roburq́ Ducis, præclaraq́ noſſes
Pectora, & inuictas dura per arma manus.
Hic capitolinis deiecit ſedibus hoſtem,
Biſq́ triumphata victor ab vrbe redit.
Italiamq́ omnem bello concuſſit & armis,
Intulit Hetruſco ſigna tremenda mari.
Neuè foret Latio tantum diademate felix,
Ante ſuos vidit Gallica ſceptra pedes.
Cumq́ rebellantem preſſiſſet pontibus Arnum,
Mors vetuit ſextam claudere Olympiadem.
I nunc, regna para, faſtusq́ attolle ſuperbos,
Mors etiam magnos obruit atra Duces.

IANO PARRHASIO.

Quod ſibi ſocius in re literaria fuiſſet, Antonius Seripandus teſtamento iuſſit.

ANTONIO SERIPANDO.

Sacerdotijs commodioribus honeſtè functo, cuius fide & doctrina ſcribendis epiſtolis Elyſius Cardinalis Aragonius vſus fuerat, vni mortalium maximè amicorũ cauſſa nato, qui vixit annos xLv. Menſ. II. Dies v. Iacobus fratri optimo fieri curauit, Anno ſalutis M. D. xxxix.

FRANCISCO PVCCIO.

Quod bonarum artium ſibi magiſter fuiſſet Antonius Seripandus ex teſtamento fieri iuſſit.

IN S. IOANNE EVANGELISTA.

ANGELO PAPACODAE.

Franc. filio Martoranenſ. Epiſcopo viro ornatiſſimo, qui in non magnis opibus, magnum

magnum exercens animum, nulla magis in re, quàm aliorum leuanda inopia, ſuis bonis vſus eſt. Heredes benè meriti poſ: ab ortu mundi rediuiui M. D. XXXVII. Deceſſit ex mortalib. ann: natus LXVI.

SIGISMVNDO PAPACODAE.

Franciſc. filio, Tropienſium Præſuli, viro optimo & Iuriſconſulto, qui cum in cætum Cardinalium fuiſſet à Clemente VII. adſcitus, maluit in patria Epiſcopus viuere: heredes poſuerunt ex teſtamento. Vixit annos LXXX. Mens: VI. Dies X. Obijt M. D. XXXVI. Hic ædem hanc ab auo Arthuſio conditam, ſua impenſa ornatiorem reddidit, cenſu quinq; ſacerdotibus addito, qui ibi quotidiè ſacrificarent, cauitq; Pauli III. Pontif: Max: decreto ne beneficij nomine alios ad vſus conferatur.

IN S. IOANNE MAIORE.

TOMASII DVRI.

Auete parentes optimi, Tomaſio Duro rari exempli patricio, & Iuliæ Rotæ genere ac religione inſigni, filij collacrymantes faciund: curar: erepti ann: M. D. XXXVI.

Felices quibus vna fuit mens ſemper, & vna
Quos tulit hora ſimul, quos lapis vnus habet.

ABBATIS ANISII.

Onuſtus æuo Ianus hic Aniſius
Quærens melius iter, reliquit ſarcinam.
Qua prægrauato nulla conceſſa eſt quies
Tùm ſi qua fulſit, cum Camœnis hæc ſtetit
Quæ mox faceſciuere plus negotij.
H. M. H. N. S.
Hoc de ſuo ſumpſit, ſacrum eſt, ne tangito.

MICHAELIS AMIDAEI.

Cum fex, cum limus, cum res viliſſima ſimus,
Vnde ſuperbimus, ſi ad terram terra redimus?
Cum ſpeculum hoc cernis cur non mortalia temnis?
Tali namq; domo clauditur omnis homo.

AD B. VIRGINEM CHRISTVM TENENTEM.

Partus & integritas diſcordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

IN S. IOANNE ET PAVLO.

Tres tulit vna dies, fuerat tribus vna voluptas,
Tres habet heu tumulus, lector abi, & lacryma.

Θεόδωρος ὕπατος καὶ δοὺξ, ἀπὸ θεμελέων τ ναὸν οἰκοδομήσας, καὶ τὴν διακονίαν ἐκ νέου ἀνύσας, ἐν ἰνδικτ τετάρτῃ τῆς βασιλείας Ασοντος καὶ Κωνσταντίνου τῶν θεοφίλων καὶ τῶν βασιλέων, σεμνῶς βιώσας ἐν τῇ πίστει καὶ τρόπῳ, ἕκτῳ μηνὸς Οκτοβρίου ἔνθαδε βιώσας χριστῷ ἔτη μθ.

ID EST.

Theodorus Conſul & Dux, à fundamentis hoc templum ædificans & hoc ſacrum monaſterium ex nouo perficiens, indictione quarta huius regni Aſontis & Conſtantini Dei amatorum & Regum honeſtè viuens inq; fide & conuerſione ſexto Menſis Octobris, hic viuens Chriſto annos nouem & quadraginta.

IN S. IOANNE AL MARE.

NICOLAI ALANDI.

Quiſquis ad hæc tendis per candida marmora greſſus,
Alandi poteris Nicolai cernere lectum,
Perpetuo hic ſomno preſſus iacet, & ſua fata
Contenta ære ſuo ſoluerunt vincula mundi.

Obijt M.D.III. Maij XVII.

IN PORTA AD EFFIGIEM DIMIDIATAE STATVAE.

Quid me miraris duro de marmore factam?
Reſpice te potius, vermibus eſca manes.

IN S. GREGORIO MAIORE.

Orbitatis miſeræ miſerere hoſpes. Vnica ſpes parentum, vnica lux, egregia forma, rara indole, puer triennio vix exacto hic è ſuorum complexu raptus clauditur. En rerum humanarum conditio, Ioanni Baptiſtæ Montio parentes mœſtiſſimi pos: M.D. XV.

CATHARINAE PVERPERAE.

Indulgens natura fuit, ſors cruda puellæ,
Quæ iacet hic primo rapta puerperio.
Et decor, & lepidi mores, & dulcia linguæ
Flumina, & ætatis flos, pietatis amor,
Decretum duri nequierunt vincere fati,
Ante diem bona tot ſuſtulit vna dies.
Talis ad Elyſios abijt Catharina receſſus,
Lucifer vt viſus, nube & opertus abit.
Perpetuas liquit lacrymas vtriq; parenti,
Perpetuò extinctam ſexus vterq; dolet.

IN S. GENARELIO.

Quis ſim habe. Laurentius Cadomoſtus ex Landa, ex Franciſci de Capua Altauilla Comitis contubernio, ſub quo mores hauriebam, in cohortem Ferd: Regis cuſtodum acceptus, vnde me rapuit mors, Bartholomæus Comitis filius, ne manes oberrent, officioſè mihi ſepulcrum curauit. M. D. CCCC. LXXXIX.

IN S. ANTONIO.

FERDINANDO SALANAE.

Hiſpanio iuueni, non minus virtute ac moribus eleganti, quem inter iudices magnæ curiæ iuſſu Cæſaris aſcitum, mox à Prorege ab audientia Hydruntis deſignatum, mors inſperata intercepit, Iacobus Quadra à Conſilijs Cæſ: & Vincentius Amatus amico optimo ex teſtamento faciund: curarunt. Cautum quoq; bis ex ſtato cenſu quaq; hebdomade hoc in ſacello pro eius eorumq; manibus ſacra fieri, ſublatus eſt è medio annos natus XXVIII. Calend: Nouemb. M. D. XXXIIII.

IOANN: BAPTIST: SOLANES.

Valentinus, vir tam Mathematicis, quàm Philoſophia apprimè eruditus, dum Ophthalmiam ex aſſiduis ſtudijs contractam curare ſtudet, remedium quærens, in mortem incurrit, anno ætatis ſuæ XXX. Obijt M. D. XLV. V. Calend. April: hora III. M. H. M. F. C. Aluarus Quadra Epiſcopus Venuſinus.

IN S. ANDREA APOSTOLO.

Hic requieſcit in pace Candida G. F. quæ vixit plus minus ann: L. D. P. die IIII. Septemb: Imp. Dn: Mauritio PP. Aug. Anno IIII. P. C. eiuſdem anni. Indict: IIII.

Mors quæ perpetuo cunctos abſorbet hiatu,
Parcere dum neſcit ſæpius ipſa furit.
Felix qui affectus potuit demittere tutos,
Mortalem moriens non timet illa viam.
Candida præſenti tegitur matrona ſepulcro,
Moribus, ingenioq; & grauitate nitens.
Cui dulcis remanens coniux, natusq; ſuperſtes
Ex fructu, mater naſcitur in ſobole.
Hoc precibus ſemper, lacrymoſa hoc voce petebat,
Cuius nunc meritum vota ſecuta probant.
Quamuis cuncta domus nunquam te flere quieſcat
Felicem fateor ſic meruiſſe mori.

IN S. ELIGIO.

Ioannes Dotterus Guiliermus Burgundio Ioannes Leonis templum hoc cum hoſpitio à fundamentis erexêre, Anno M. CC. LXX.

IOAN: DELLA FORINA

Eſt Deus à cunctis timendus, ob hoc ſapientem decet ſibi hic & in altera vita conſulere.

VINCENT: BOZZAVOTRAE.

Patricio Neapolitano, cui integritate atq; fide nemo vnquam præſtitit, filij viua fama læti, morte ſemimatura mœſti, cum Antonia Carlona coniuge lacrymante & ſibi fecerunt, Obijt Dominicæ natiuitatis die M. D. LI.

PETRVS SVMMONTIVS.

Bonarum literarum cultor obſeruantiſs: qui vix: ann: LXIII. Mens: IIII. Dies IIII. hoc monumentum ſibi & Rainaldo patri dulciſſimo poſterisq; ſuis omnibus de ſuo ponend: curauit.

IN S. IOSEPHO.

Hector Pollice & Chremeſina Falchia vnanimes ſibi poſterisq; tanquam æternum domicilium viui mortalitatis memores P. M. D. LVI

IBIDEM.

Sic mors ipſa cum venerit vincitur,
Si priuſquam veniat, ſemper timeatur.

IN S. IACOBO HISPANORVM.

ALPHONSO BARSVTO.

E Toro Hiſpaniæ vrbe, pedeſtrium copiarum ductori ſtrenuo, qui cum duo de viginti fere annis in re bellica Carolo V. Cæſari egregiam nauaſſet operam, cumq; etiam ab eodem duorum oppidorum dominatu in agro Amiternino honeſtatus eſſet, demumq; Lucaniæ, in qua Prouincia Regio nomine præerat, mortem obijſſet, Helionora Nuceria viro cariſſimo & clariſſimo F.

CHRISTOPHORO TORALVAE.

Toletano, ab ineunte ætate ſub Carolo V. Imperatore in bellis Italicis, Afri-

cis, & Gallicis militum præf: tot reb. bene geſtis patrijsq; victorijs claro, quod deuictis hoſtibus captisq; Regibus ſui Impp: conſequebantur, Ioannes patri optim: F. M.D.LVIII.

PETRI DE TOLEDO.

Friderici, Ducis Aluæ, filius Marchio Villæ Franchæ, regni Neapolitani Prorex, Turcarum hoſtiumq; omnium ſpe ſublata, reſtituta iuſticia, vrbe, mœnijs, arce, foroq; aucta, munita & exornata, deniq; toto regno diuitijs & hilari ſecuritate repleto, monimentum viuus in Eccleſia dotatum, & à fundamentis erectum ponend: mandauit. Vixit annos LXXIII. rexit XXII. Obijt Anno M. D. LIII. VI. Calend: Februar:

FEDERICO VLIES.

Diuæ Euſ: Bailo genere Hiſpano, ex illuſtriſſima clariſſimaq; familia, qui ob eximia probitatis ac virtutum merita, à Carolo Max: Rom: Imp: magnus effectus militum præfectus, ita ſtrenuè ſe geſſit, vt omnibus in bellis magno virtutis, conſilij, ac militaris valoris argumento inſignitus, immortalem ſibi gloriam comparauit: demum quàm plurimis beneficijs à Cæſar: refectus, LXXX. ſuæ ætatis anno, cum vniuerſali Hiſpanæ gentis mœrore, cuius protectionis erat ſpeculum, ob. Anno LI. Septemb: XVIII.

VVALTERI VON HIRNHAIM.

Subſiſte parumper viator, ſi placet, & quis hoc tumulo tegitur, lege. Fuit Ioannes ille VValtherus ab Hirnhaim Germanus, inter equeſtris ordinis viros miles fortiſſ. qui Carolum V. Imperat: Auguſt: in omni fortuna ſecutus, à conſilijs illi, à legationibus & præcipuis munijs bellicis fidelem & ſtrenuam operam præſtitit. Idem eius filio Philippo Hiſpan: & Angliæ Regi præſtiturus, vim Germanorum in hoc regnum duxit, ſed eodem die, quo in Hernicis pax bello, morbus vitæ illius finem impoſuit. Ergo tu quisquis es miles, qui hæc leges, fato tuo ne terrere, ſed cogita finem, ſummos duces extra bellum ſuccumbere. Obijt XIX. Auguſti M. D. LVII. Henricus à Papenheim Sac. Rom. Imp: hereditarius Mariſcalcus, militum Tribunus, auunculo benèmerito pos: gratitudinis ergò cum lacrymis.

Hans Walther von Hirnhaim bin ich genandt/
Mit ehrn fürt ich mein Ritterſtandt/
Des Keyſers Carls Rath vnd Oberſter ich was/
Seinem Sohn Philipſen ich gleicher maß
Trewlich dienet ſein Landt vnd Leut zuuerfechten
Zog herein mit 6000. Landtsknechten.
Als ſich aber der Krieg in frieden vorwendt/
Hab ich zu Vienzahn mein leben geendt/
Der Cörper iſt hie zur Erden beſtat.
Mein Seel Gott in gnaden auffgenommen hat.

ALPHONSO MANRICO.

L'Aquilaris Marchionis fil: iuueni præſtatiſſ: qui dum rei militaris & gloriæ ſtudio flagraret, aula regia relicta, in qua erat Carolo V. Imp: Aug: Maximo maximè carus, Neapol: à Gallis obſeſſam aduenit, vbi ferro ſtrenuè dimicans, morbo infeliciter perijt, Ioan: Manricus Lara P. Maiarenſium ducis fil: Neapol: in regno Prorex pos: & illius oſſa, alibi indignè ſepulta, loco & lapide honeſtauit M. D. LVIII.

IN S. SEVERINO.

IACOBI SANSEVERINI.

Hic oſſa quieſcunt Iacobi Sanſeuerini, Saponariæ Comitis, veneno miſerè ob auaritiam necati, cum duodus miſeris fratribus eodem fato, eadem hora commorientibus.

SIGISMVNDI SANSEVERINI.

Iacet hic Sigiſmundus Sanſeuerinus veneno impiè abſumptus, qui eodem fato, eodem tempore, pereuntes germanos fratres nec alloqui nec cernere potuit.

ASCANII SANSEVERINI.

Hic ſitus eſt Aſcanius Sanſeuerinus, cui obeunti eodem veneno iniquè atq; impiè commorientes fratres nec aloqui nec videre licuit.

MATRIS HORVM SANSEVERINORVM.

Hoſpes miſerrime.
Miſerrimam defleas orbitatem,
En illa Hippolita Montia
Poſt natas fœminas infeliciſſima
Quæ Hugo Sanſeuerino coniugi
Tres maximæ expectationis filios peperi,
Qui venenatis poculis
(Vicit in familia : proh ſcelus:
Pietatem cupiditas
Timorem audacia, & rationem amentia.)
Vnà in miſerorum complexibus parentum
Miſerabiliter ilicò expirarunt.
Vir ægritudine ſenſim obrepente
Paucis poſt annis in his etiam manibus expirauit.
Ego tot ſuperſtes funeribus
Cuius requies in tenebris
Solamen in lacrymis
Et cura omnis in morte collocatur.
Quos vides ſeparatim tumulos,
Ob æterni doloris argumentum,
Et in memoriam poſui illorum ſempiternam.

Anno M. D. XLVII.

ANDREAE CICARAE.

Nate patris, matriſq; amor, & ſuprema voluptas,
En tibi, quæ nobis te dare ſors vetuit.
Buſta e heu, triſteſq; notas damus, inuida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

Andreæ fil: dulciſs: qui vixit ann: VI. Mens: II. Dies XIX. Robertus Bonifacius & Lucretia Cicaræ parentes ob raram indolem.

IOAN. BAPTISTAE CICARAE.

In quo vetuſta ac nobilis Cicarorum familia eſſe deſijt, Mariella mater infeliciſſ: memoriæ cauſſa contra votum pietatis pos: vix: ann: XXII. Dies IX. Deceſsit, ann: M. D. IIII. pridie Calend: Decemb.

Liquiſti gemitum miſeræ lacrymaſq; parenti,
Pro quibus infelix hunc tibi dat tumulum.

APHONSO BELMONTIO.

Ex illuſtri Belmonitiorum familia, qui in Liguria peditum præfectus, pro Carolo Cæſare ſtrenuè pugnans aduerſis vulneribus confeſſus interijt, Hiſabella Galutia, à Caio & Lucia Cæſarib. vnde Galutiorum gens dicta, originem ducens, mater infelix, contra votum pietatis profuſiſs: lacrymis pos: Theagoniæ anno M.D.XXIII.

ANDREAE MORIMINI.

Nunc dolor & lacrymæ eſt, olim ſpes vna ſuorum
Andreas noctem hic qui Moriminus agit.

M. CCCC. LXXV.

LEONARDO COMO.

Neapolit: viro Clariſſimo, cuius domi foriſq; plurimis ac maximis in rebus virtus enituit, qui Ferdinando Alphonſo & Federico Aragoneis Regibus ita ſpectatus eſt, vt non ſolùm horum patrimonij procurator eſſe meruerit, ſed in conſiliarium eligi, in quo vtroq; munere eius egregiam fidem atq; integritatem Reges teſtimonio comprobârunt, meritis honeſtârunt. Vix: ann. LXXV. moritur Anno M. D. XXX. Id: Maij: Ioan: Angel. & Ioan: Vincentius Comi. Hered: patruo benè merito pos:

COMITIS DE MIGNANO.

Dum facio infelix æterno funera fletu,
Creuerunt lacrymis hæc monumenta meis.
Quis niſi molliſſem triſtiſſima corda, rigerem,
Ipſa etiam hic toto corpore facta ſilex.

IN S. ANELLO.

IN TVMBA, IN QVA CORPVS D. ANELLI.

Huius corpus ſub hac ara conditum piè veneratur à Neapolit: Anno CCCC. Lxxvi. xix. Calend: Ianuar: regnante Mauritio Tiberio Aug: & Beato Gregorio Romanæ ſedis Pontif: Max: nec nõ Fortunato, Epiſcopo Neapolitano, Beatus Anellus ad cœleſtia regna migrauit.

IVLIVS FELTRIVS.

Eram, anno Chriſt: ſalutis M. D. XXVIII. Martij die IIII. & XX. fabulam cluſi meam.

ANDREAE ALEXII.

Quæ miſer impoſui lugubria ſaxa ſepulcro,
Mi pater, innumeris accipe pro meritis.
Quod ſi marmoream licuiſſet ſumere formam,
Te natus tegeret non alio lapide.
Inciſæq; notæ legerentur; gratus Alexis
Reddidit oſſa patri, ſitq; patri tumulus.

Andreæ Simonis fil: Alexio Antonio, fratri piiſſimo, qui nemini vnquam iniurius, prodeſſe ſemper ſtuduit, Vix: ann: Lxxv. perpetua cum valetudine.

PORTIAE CARACCIOLAE.

Qui legis, mortem incuſato,
Quæ tot venuſtatis ornamenta,
Tot Gratiarum elegantias,
Tot pudicitiæ floſculos
In vna Portia Caracciola germinantes
Acerbiſſimè ſepeliuit.
Iſabella ſoror Caſtrouillari Dux
Hanc illi vrnam
Immortalium cauſſam lacrymarum
Erexit M. D. L.

IBIDEM.

Quiſquis me nunc calcas viuus
Cogita, ſi ſapis, idem mox futurum.

IBIDEM.

IBIDEM.

Ecce ſuperbientis naturæ qualis ſit mox futurus caſus.

IN S. CRVCE.

AD CHRISTI EFFIG:

Impie ne ſæui, tua ego cum crimina fleui.

REGINAE SANCIAE.

Hic iacet ſummæ humilitatis exemplar, corpus venerabilis memoriæ Sanctæ ſororis Claræ, olim Dominæ Sanciæ, Reginæ Hieruſalem & Siciliæ, relictæ claræ memoriæ Sereniſſimi Domini Roberti Hieruſalem & Siciliæ Regis, quæ poſt obitum eiusdem Regis viri ſui agens viduitatis debitæ annum, deinde tranſitoria pro æternis commutans, ac induens in eius corpore pro amore Chriſti voluntariam paupertatem, bonis ſuis omnibus in alimoniam pauperum diſtributis, hoc celebre Monaſterium Sanctæ Crucis, opus manuum ſuarum ſub ordinis obedientia & ingreſſu Anno Domini M. CCC. XLIV. die XXI. Ianuarij XII. Indictione, in quo vitam beatam ducens, ſecundùm regulam Benedicti patris pauperum, tandem vitæ ſuæ terminum religioſè conſummauit, Anno Domini M. CCC. X L V. die XXVIII. Iulij, Indictione XIII. Sequenti verò die factis exequijs tumulatur.

F. ANGELO.

Neapolitano benè merito, qui ſic obijt, vt viuere docuit, Don: Pet: à Toledo Neap: Prorex piam ob amicitiam poni iuſſit Anno M. D. XLI.

IN S. LAVRENTIO.

IOAN: FRANC: PIGNONO.

In quo tot virtutum flores enitebant, vt immortales poſteris fructus pollicerentur, ſed tantam eheu ſpem fructuum rapidus Auſter ilicò ad terram decuſſit, Aurelius & Sicilia Vrſina, parentes certatim collacrymantes filio quàm cariſſimo ob egregias poſ: dotes, elatus quieſcenti quàm mortuo ſimilior, annum agens XIIII. M. D. XLVIII.

CECILIA VRSINA.

Genere Romana, Illuſtriſſimi Pardi Vrſini Mampelli Comitis Marchionis Guardiæ, Grellis, Siculorum, Vallis, ac Larini Domini filia, Aurelij Pignoni Neapolitani patricij coniux, humanæ conditionis memor ſepulcrum hoc viuens ſibi poſuit.

GVILIELMI CONNESTABILII REGNI.

Strenuus, ingenuus, vir prudens vt Leopardus,
Regius egregius iacet hic vt florida Nardus,
Hic eſt Extardus Guilielmus nomine numen
Tranſitus ad lumen, precor vt non ſit ſibi tardus
Bella Coneſtablius Regni pugnando ſubegit
Atq; Mareſcalcus, qui ſub lapide hoc benè degit,
Gallia quem genuit, Carolus Rex fouit honoris
Culmine, qui meruit Deus hunc vt veſte decoris
Ornet, & æternæ rurſus det gaudia vitæ.

IBIDEM.

Quid omnia? Quid omnia? nihil.
Si nihil omnia. Nihil vt omnia.

LEONIS FILLERI.

Τὸ γὰρ γέρας ἐςὶ θανόντων. Hoc quidem eſt præmium mortalium.

PAVLVS PALMERIVS.

Quamuis fatalis neceſsitas horam vitæ ſupremam nondum clauſerit, humana tamen conditione admonitus, conditorium ſibi hoc Lubrenſi lapide iam iam caſuris oſſibus viuens poſuit. M. D. XL.

VITO PISANELLO.

Ex antiqua orto familia, vtpote cui Piſæ in Achaia, vnde ea eſt, cognomen indidêre, Federici Regis à Secretis intimo, atq; à latere conſiliario, atq; miſerrimis temporibus laborum, itinerum, periculorumq; ſocio: Dein Ferdinando Regi Catholico ob raram aduerſis in rebus fidem, Gallis regnum inuadentibus acceptiſs: qui poſt receptam Neapolim annum agens LXXIII. in eius gremio mortalitatem expleuit. Andreas Franciſcus & Mutius nepotes auo optimo ac benè mer: teſtimonium amoris & pietatis exoluerunt, funeratus Idib: Decemb: M. D. XXVI.

Vt viuas, vigila *Hic exitus omnes.*

Longarum hæc meta viarum.

IACOBO ROSCIO.

Piſtorienſi, Palatinis honoribus & equeſtri dignitate functo, ſecundaq; fortuna ſemper vſo, Ioannes Roſcius patri ſanctiſſimo, & Lucretia Cambacurta ſocero indulgentiſſimo poſuere, & ſibi poſteriſq; ſuis.

PINI PAGANI.

Hoc Pinus fecit Paganus nomine clarus
Sanguine, quod moriens hac requieuit humo.

IBIDEM.

In ſpeciem fecere nouam Pyrrhusq; Iacobusq;
Hoc ſibi perpetuo, hic filius, ille nepos.

RAINALDI CARMINIANI.

Luſtra nouem vita functus Rainaldus agebat,
Protulit hunc celebris Carminiana domus.
Concordisq; memor thalami tedæq; Beatrix
Roſcia olympiadens conditur ante decem.
Iuſſerat hæc moriens viuenti talia nato,
Vt ſua dilecto iungeret oſſa viro.

Colant: Carmignanus eq: parentib: opt: meritis lacrymabili pietate mœrens pos: M. D. XI.

PETRVCIO MINADOO.

Federici Minadoi Regij pecud: in Apulia Dohanerij Fil. Iuris C. celeberrimo, qui ſub Federico & Ferdinando Catholicis Regibus in dicendo & interpretando magnam operam ſumma fide impendit, deinq; à Leone x. Pontif: Max: conductus in Piſano Gymmaſio ius ciuile cum primo loco interpretaretur diem clauſit extremum, Ioan: Thomas Minadeus I. C. & miles Carolo V. Imp. à conſilijs pos: benè mer. pietatis memor, Obijt die VIII. Martij M. D. XVII.

HVGONIS SANSEVERINI.

Hugo ſub hoc tumulo tegitur generoſa propago,
Cuius erat ſanguis Sanſeuerina domus.
Qui ſuperûm cultor, qui ſeruantiſsimus æqui,
Cui nullus ſimilis nobilitate fuit.

Obijt IIII. Septemb. M. CCCC. LXIX.

ANTO-

ANTONELLVS MANGONIVS
SIBI ET POSTERIS.

Hoc mihi qui poſui gelido de marmore buſtum,
Maluetum patria eſt, Parthenopen colui.

GERARDI SARDI.

Gerardi Sardi recubant hoc oſſa ſepulcro,
Quod Gabriel Sardus condidit inde nepos.

CASPARIS PERES.

Mortalium fragilitatem teſtatur Caſpar Peres, qui dum in robuſta adoleſcentium ætate honeſtis moribus vitam ageret, eſt ea functus & in hoc ſacro à Gabriele patre repoſitus, die xxviii. Septembr. M.CCCC. Lxxvii.

IACOBI ANDREAE ET VXORIS.

Iacobus Andreas Ruſus, coniuxq; Diana
Calenſis, ciues Parthenopesq; ſenes.
Concordis memores thalami, tædamq; colentes
Sexaginta annis cuncta iubente Deo.
Marmore ſic tecti ſacro conſiſtere poſſunt
Iudicij uſq; diem ſic ſua progenies. M. D. XVI.

HERCVLIS A PORTA.

Hoc Herculi à Porta, patri benè merenti, ſepulcrum Ioannes Loyſius fil: I. V. D. hic pius fodi & ſubſtrui curauit, hic vult vltima reſurgere ad decreta collectam domum Anno ſalutis M. D. xxxviii.

ANTONIAE GROLINAE.

Salue hoſpes, qui noſtra vides nunc marmora ſpargi
Sparge roſas, vatem hæc contegit vrna ſacrum.
Compater hic ſitus eſt generalis, compater ille,
Cui nunquam ſimilem Parthenopæa dedit.
Paulinus ſecum, ſecumq; Antonius vnà
Accubat, hoc genuit clara Grolina domus. M. D LI.

IOAN: ANTON: NVCERIO.

Benemerenti poſ: & Ioan: Paul: fil: cariſs: Anton: fil: M. D. LVIII.

Quod patri haud potuit viuenti ſoluere munus,
Ingrato ſoluit poſthumus huic cineri,
Qui ſeruet, donec ſomno conſurgat ab alto,
Funere pro triſti condidit hunc tumulum.
Atq; parem cineri fraterno reddat honorem,
Thebanam vicit ſic pietate piam.
Officium hoc nati ſupereſt cum puluere Amoni
Blanda ſuperſtructo fundere thura rogo.

FRANCISCAE SERGENTIAE.

Hoc Franciſca iacet gelido Sergentia buſto,
Clara genus, vita clara ſed illa magis.
Cara viro coniux, & filia cara parenti,
Grata ſed in primis relligione Deo.
Forma fuit certè non contemnenda, ſed oris
Neglexit laudem, laude pudicitiæ.
Illa quidem talis, tu qui legis iſta rogato,
Tam pia defunctæ ne grauet oſſa lapis.

Bernardus de Raimo hoc inſtituit Franciſcæ Sergentiæ vxori dilectiſs: cum qua vix: ann: iiii. ſine querela. Obijt ætatis ſuæ xix. M.D. XLIX.

ROBER-

ROBERTI DE ARTOIS.

Hic iacent corpora illuſtrium Dominorum, Domini Roberti de Artois & Dominæ Ioannæ Duciſſæ Duratij coniugum, qui obierunt anno Domini M. CCC. LXXXVII. die XX. Iulij X. Indictione, quorum animæ requieſcant in pace.

MARIAE DE DVRATIO.

Hic iacet corpus illuſtris puellæ D. Mariæ de Duratio Fil: Regis Caroli III. quæ obijt M. CCC. LXXI. IIII. Indict.

CAROLI DVCIS.

Hic iacet corpus Sereniſſimi Principis & Domini, Domini Caroli, Ducis Duratij, Obijt Anno Domini M. CCC. XLVII. Die XXIII. Ianuarij. I. Indict: cuius anima in pace quieſcat.

Iacet hic tumulatus Dux Duratij virtutibus ornatus.

HENRICI BAREN COMIT.

Barenſis gratus fuit hic Comes tumulatus,
Aſt cœlo natus Henricus iam beatus.

Obijt Anno Domini M. CCC. III.

IOAN: BAPTISTA VILLANVS.

Quam viuus nequiuit, mortuus inuenit requiem.

ANELLO ARCOMONIO.

Borelli Domino I. C. præſtantiſſimo, quem ſenior Ferdinand: Rex ad regni curas vocatum, inter proceres adlegit, ad Venetos & Sixtum IIII. Pontif: Max: legationibus egregiè functo, vtramq; fortunam experto, vtriuſq; victori Annibal de Capua ſocero benemerenti poſ: M. D. X. Dijs ſuperis ſacrum.

CATHARINAE REGINAE.

Hic iacet Catharina filia Regis Alberti & neptis Regis Rodulphi Rom: Regum, ac ſoror Federici in Regem Romanum electi Ducem Auſtriæ conſors ſpectabilis Caroli primogeniti ſereriſſimi principis & Domini noſtri Regis Hieruſalem & Siciliæ, Roberti Illuſtris Ducis Calabriæ, ac eiusdem Domini noſtri Regis generalis Vicarij inſignibus vita & moribus exemplaris, quæ obijt Neapoli Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti M. CCC. XX. die XV. Ianuar: VI. Indict: regnorum prædicti Domini Regis Anno XIIII. cuius anima in pace requieſcat.

LVDOVICI REGIS.

Hic iacet ſpectabilis iuuenis D. Ludouicus filius Sereniſſimi principis ac Domini, Domini Roberti D. G. Hieruſalem & Siciliæ Regis, Illuſtris & clariſſima memoria Diolande conſortis eius inclyti Principis Domini Petri Regis Aragonum filiæ.

IACOBVS ROCCHVS.

Patricius Neapolitanus, poſtquam Aragoneis IIII. Regibus & apud Turcas & AEgyptios atq; alios fideliter ſeruiuit, domum rediens hoc ſibi condidit. Anno M. D. III.

ANONYMI.

Quisquis es hoc te ſepultus rogat, ſua ne moueas ſeu inquietes oſſa, vt qui viuus nunquam quieuit, ſaltem quieſcat mortuus.

HENRICI CAPICIS.

Capice cognomen ſed nomen habens Henrici
Magnus doctrina, ciuili lege peritus
Chriſti ſanctorum deuotus ſemper amicus.

ANTE

ANTE TEMPLVM.

ERICI RVDERICI.

Inferri ſancto manes quia turpe putaui,
Idcircò ante fores conditus hîc iaceo.

Non ſemper ero hic, vſq; fui.
Hoſpes quid ſim vides,
Quid fuerim noſti,
Futurus ipſe quid ſis cogita.

Erico Ruderico, Franſciſcus filius.

Ericus Rudericus Eq. Neapol: viuus ſibi poſuit, ne de ſepulcro ſollicitus heres eſſet, neuè uiuorum negligentia obeſſet mortuo, Valete poſteri.

IN S. AVGVSTINO.

COLVTII COPVLAE.

Nil meum, quod debui, reddidi D. O. S.

Colutius Copula Patricius Neapolitan: Iuris ciuilis ac Pontificij in iuuenta donatus inſignibus, cuius patrocinium omnis ſexus, omnis ordo in cauſſis optauit, hoc ſibi ſuisq; poſteris viuus ſepulcri memor poſ: Expecto donec veniat immutatio mea. M. D. XXI.

CLAVDIAE GAGLIANAE.

Quot lacrymas moriens liquiſti filia matri,
Tot tibi dent ſuperi gaudia perpetuò.
Ter conata ſequi, ter ſpiritus hæſerat ori,
Quod volui, haud potui, te pereunte, mori.
Solamen ſi quod miſeræ eſt, inſomnia præſtant,
Cum triſtem in ſomnis ludit imago animam.

Claudiæ Gaglianæ fœminæ rariſs: quæ vixit annos XIX. Mens: X. dies IIII. Angela Ferraiola mater infeliciſſima fecit, quam tunc dolor inteſtinus deſeret, cùm clemens mors illam aſſequetur.

CLEMENTI GATTVLAE.

Phyſico inſigni, ac protomedico cunctis Regibus Aragoneis, Alex: VI. Pontif. Galeatioq; Duci Mediolani, ob morum ſingularisq; doctrinæ elegantiam acceptiſs: Anellus frater & heres, Vixit LXII annos ſine vxoris moleſtia.

AVGVSTINI DE ANCONA.

Anno Domini M. CCC. XXVIII. die II. Aprilis XI. Indictione, Obijt venerabilis pater Auguſtinus de Ancona, magiſter in ſacra pagina ordinis fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini, qui edidit ſuo angelico ingenio XXXVI. volumina librorum, ſanctus in vita, clarus in ſcientia, vnde omnes debent ſequi talem virum, qui fuit religionis ſpeculum, & pro eo rogare Dominum.

FRANCISCI NACCII.

Siſte hoſpes: quàm incerta hominum ſedes.

Florentia ortum dedit, Parthenope extinctum fouet: mercaturam exercui, hei mihi, non opes, non pietas fatum plaçauêre, Conſtantia amantiſs: coniuge & Ferdinando nato vncio impubere ſuperſtitibus. Obijt anno ſalutis M. CCCC. XC.

Franciſco Naccio Florent: Mercatori Ferdinand: F. patri pientiſs. Vixit ann: LIII. Mens: IIII. Dies VI.

NICOLAO GONDIO.

Florentino, eximiæ virtutis & probitatis iuueni, cuius immaturam mortem nemo bonus non doluit, Iulianus Octogenarius pater opt: filio lacrymans poſ: Obijt Anno M. CCCC. XCIX. Vixit ann: XXV. Men: VI. Dies XXV.

BARTHOLOMAEVS DE BONIFACIVS.

Hac iacet in tumba militari dignitate præpollens vir Bartholomæus de Bonifacijs ortus.

Genitor qui fuit militis Nicolai præclari,
Quem ſors extrema rapuit, ſub anno tonantis
Mille triceneno octauoq; quadrageno,
Hunc tenet polus precante gratia ſummi.

NICOLAVS FRANC. CECINVS.

Parthenopæus I. C. quàm ſit labilis vita memor, ne mortuo etiam vis fati ſæuiret, viuens ſic ſuos cineres, quoad ſurrexerit, deponi parauit, cum inconſulti ſit ſuperſtiti ſepulturæ curam imponere.

MICHAEL SOLARIVS.

Duplicem ſortitus patriam, alteram naturæ Genuam, alteram iuris Neapolim, mortalitatis memor hoc ſibi ac ſuis viuens pos. M. D. LIII.

MICHAEL BARCINONENS:

Ex nobili Baſiliarum familia, poſt multa domi foriſq; maxima Maximiliano Rom: Imp: officia præſtita, Deinde Carolo V. Cæſ: quàm cariſſimus, dein ſeptuagenarius cum Hiſabella coniuge, quæ tres illi filios genuit, hic requieſcit. Michaël Blancus ſorori ac ſororio optimo memoriæ cauſſa ponend: curauit. Obijt prid: Idus Decemb: M. D. LII.

ANTONIVS CORRADIVS.

Aquinatum Pontifex, nobilitate clarus, virtute clarior, pietate ac religione clariſſimus hic ſitus eſt, Daria Gregoria de Aquino leuiro benè mer: pos: Anno M. D. XXIII.

NICOLAO IOAN: CORRADIO.

Vrſoniæ Domino, arcis Aenariæ præfecto, viro cùm animi integritate, cùm fidei præſtantia, quam multis in rebus oſtendit, ac omnibus Daualorum principibus, præſertim Inaco Hiſtonij Marchioni maximè caro, à quo fuit pluribus muneribus honeſtatus, Daria d' Aquino cognomento Gregoria coniugi optimo ac benemerenti, ob lacrymarum, quas ſibi perpetuò comites reliquit, teſtimonium, Anno à partu virg. M. D. XXIIII.

DIONEVS FVI FORNAQVINTIVS.

Annum vixi vix XIIX. vitæ inſtabilitatis exemplum. M. D. XIIII.

PAVLO FONTANAE.

Auguſtiniano Theologo, concionatorum ſuæ ætatis eloquentiſſimo, vix: ann: XLIII. Mens. III. Dies VIII.

Flere tuum licuit frater dulciſsime funus,
Addere perpetuas non licuit lacrymas.

Michaël Fontana fratri optimo ac benemer: ob pietatem poſuit. Obijt M. D. XXVII. Auguſti XXVI.

SVB EPITAPHIO AD DEPICTAM AQVILAM, quæ librum apertum tenet, in quo hæc:

Paulum verò Neapolitanum Eremit: in quo potiſsimùm laudum genere collocem non inuenio. Nam ſi probitatem, ſi ſtudia, humanitatem, liberalitatem, gratiam ſpectem, nemini ſecundus apparebit, ſi dicendi peritiam, facundiam, promptitudinem, modulatiſs: vocem, aptiſsimos geſtus,

geſtus, concinnos flores, luculenta verba, beatam memoriam, feruentiſsimas hortationes, propheticum furorem primum in ſua ætate locum facilè obtinebit, cuius perennem ac beatiſsimum eloquentiæ fontem toties vrbs ipſa Roma, Venetorum Senatus, Genua, Ponormum, Sicilia, regnum Apuliæ, & quod rariſsimum eſt, patria Neapolis maximo plauſu pluries eſt admirata, quem in medio fortunarum curſu, vt deſiderabiliorem nobis, ſic & feliciorem ſibi mors ipſa abſtulit, finem quoq; tantorum laborum & volenti & plurimum exoptanti præſtitit.

IOAN. ANTON. BOZZAVOTRA.

Neapolit: libris quos edidit claro, & diſcipulis quos XX. annis artes omnes in ſtudio Neapol· edocuit inſigni, filij ob debitam pieatem pos: Obijt XII. Ian: Anno ſalut: M.D. LVII.

Dum ſophia clarus, medicaq; Antonius arte
Imperio mortis eripuiſſe poteſt,
Ac penè extinctos cœli reuocare ſub auras,
Inſidias in hunc mors ſua & arma tulit.
Quin potius tulit arma, licet ſi vera fateri,
In Phœbum, Sophiamq;, & medicæ artis opem.
Ille etenim ſuperos, quæſitaq; mente petiuit
Tecta, grauem liquit ſarcinam in hoc tumulo.

BARTHOL: PACCII.

Fides, probitas, pudor, his cineribus perpetuò
Comites, communem hic æternitatem expectant,

Bartholomæo Paccio, Nicolao Medici & Beatrici eius filiæ, ciuibus Neapolitanis, ex vetuſtiſſimis Florentiæ familijs, Nicolaus Anellus Paccius, artium & Medicinæ Doctor, patri, auo, & matri ob debitam pietatem ſibi & poſteris pos: Anno à Deo homine M.D. LX.

IN CAPELLA DELLA TAGLIAMILI.

Colentes orbem, timete Deum.

IN S. LVDOVICO.

VITTORIO.

Ioan: fil: Martiali, patris Michaelisq; fratris funeri vix dum iuſtis perſolutis, immatura morte erepto, Beatrix Quadra coniugi concordiſſimo, Ioannesq; Quadrinus puer vnus ex ſua gente, proh dolor, patri optimo pos: vix: ann: XXV. Mens: X. Dies XXVII. elatus mœrore publico M.D.LIIII.

IN S. PATRICIA.

MARTIA CAPECE.

Pudoris ac venuſtatis rariſs: decus hic requieſcit, quæ ſcalarum lapſu heu capite defeſſo luctantem diu animam tandem expirauit. Quis ergo lacrymas? quis eiulatus comprimat? legens puellam formoſiſſimam tàm dirè, tàm infauſtè mortem obiiſſe. Vincentius Capece maritus, quo cum nondum annum exegit, ſaxum hoc ob doloris teſtimonium poſuit.

Vixit annos XIX. Menſes IIII. Dies X. Obijt M. D. XLVI.

IN S. MARCELLINO.

SVB IMAGINE SALVATORIS CONSTANTINOPOLI ADVECTA.

Ne mireris viator, ſi columnæ truncus ipſe hîc locatus fuerim, cum Seruatoris imago ab Imperat: Conſtantinopolitano, Archiepiſcopo Neapolitano dono miſſa eſſet, baiuli onere defeſſi, ſuper me depoſuerunt, quam cum tollerent, nullis viribus eripi potuit. Hoc itaq; miraculo eius imago ſuper altare Diui Marcellini collocatur, quod Syluester ſuis literis comprobauit, quàm plurimas concedens indulgentias. M. CC. LXXXII.

D. RICARDVS FASANVS.

Hîc requieſcit de Neap: miles, medicæ ſcientiæ profeſſor, Illuſtriſsimi Hieruſalem & Siciliæ Regis Roberti Conſiliarius & familiaris. Qui obijt anno Domini M. CCC. XXXII. Die V. Mens: Decemb. cuius anima requieſcat in pace.

IN S. SEBASTIANO.

MARIAE FRANC. VRSINAE.

Ioannis Manupelli Comitis filiæ, quæ defuncto viro Ioanne Antonio Martiano Sinueſſæ Duce, qui cum VI. annos concordiſs: vixiſſet, neglectis huius vitæ illecebris, vt æternam aſſequeretur, inſtaurato auctoq; ſua impenſa hoc Diuorum Petri & Sebaſtiani monaſterio, introducta arctioris vitæ obſeruatione, cum ſe totam Deo deuouiſſet XXX. agens annum, à monialium cœtu ob morum ſanctitatem moderatrix delecta per XXXII. an: incluſam vitam inculpatiſs: tranſegit, Prioriſſa & moniales auctori ſanioris vitæ & reformatrici bene mer: Obijt ann: M.CD.Lxxxiiii. Mens: Ian:

HISABELLAE CARDONAE.

B. Villa marini caput Aquens: Com: Regijq; Vicarij & admiranti coniugi fœminæ clariſs: & admirabili Hiſabella Villa March: Salern: principis coniunx matri pos: M. D. XLIX.

CATHARINAE IESVALDEAE.

Quæ Ieſualdeæ claro de ſanguine gentis
Procreor, hoc tumulo nunc Catharina tegor.
Caracciolo felix Petracono coniuge vixi,
Burgenſa titulis nobiliata comes.
Sancta fides, caſtuſq; pudor, violataq; nullo
Vita malo, æthereas ſpondet adire domos. M. CCCC. LXXII.

IN S. FRANCISCO.

PYRRHO ANT: SAPONO.

Inter præpoſitos Regij patrimonij adſcito, in Repub: adminiſtranda graui iuditio electo Sexuiro, legationibus ad Carolum V. Cæſarem, itemq; ad Philippum Regem filium ſumma laude honeſtato, pijſsima heredum cura perſoluit, Vixit ann: LVII. Obijt M. D. LI.

IN AEDE D. CLARAE.

IOAN: ARIANI.

Tu qui es veritas & vita,
A pœnis inferni hunc Ioannem vita,
In te ſperauit,
In te credit, teq; amauit,
Non confundatur,
Sed tua virtute ſaluetur:

Actu carens vano,
Fuitq́ de Ariano
Miles, & ante
Secretarius Sanctiæ Sanctæ.

RAYMVNDI BAVCII.

Magnanimus, ſapiens, inſignis, prouidus vnus,
Clauditur hoc ſaxo, non fama, carne ſepultus.
Baucia quem genuit clara & generoſa propago,
Magnificos qui eduxit auos, ſibi Baucia tellus
Mente Deum veritus, Raymundus & ipſe verendus,
Non terrena fuit potius cœleſtis imago,
Soletiq́ Comes regni Goamerius huius,
Militiaq́ decus, virtutis amator, & omnes
Iure bonos coluit, quantum Reſpublica læſa eſt
Morte ſua docuit, ad cœlica regna vocatus
Mille fluunt anni, tercentum ſeptuaginta,
Quinq́ ſimul poſitis indictio denaq́ terq́ V.
Auguſtus tunc menſis erat tunc quinta diesq́.

ISABELLAE VXORIS EIVS.

Iam tenet aſtrigeras ſedes terrena relinquens
E ſtrenuis ſurrepta locis cœloq́ locata.
Quam premit hic tumulus, tanto benè iuncta marito
Quantum carminibus celebrat lapis iſte propinquus,
Hæc ſpeculum vitæ fuit, atq́ hæc regula morum,
Caſta, humilis, miſerans, cunctis manſueta, modeſta,
Fœmina non fragilis, ſed verius alma virago.
Hæc & Iſabellæ celebri ſic nomine dicta,
Deq́ Apia clarum traxit cognomen auorum,
Francia quos genuit memorat, conqueſtaq́ regni
Mortua non moritur, quia famam dat ſibi virtus.
Mille fluunt anni tercentum ſeptuaginta
Quinq́ ſimul poſitis indictio tertia dena:
Iulius hanc rapuit decima poſt quarta diesq́.

ANTONIAE BOSSAE.

Nata, eheu miſerum, miſero mihi nata parenti
Vnicus vt fieres vnica nata dolor.
Nam tibi dumq́ virum tædas thalamumq́ parabam,
Funera & inferias anxius ecce paro.
Debuimus tecum poni materq́ paterq́
Vt tribus hæc miſeris vrna parata foret
At nos perpetui gemitus, tu nata ſepulcri
Eſto heres, quia ſic impia fata volunt.

Antoniæ filiæ cariſs: quæ Hieronymo Granatæ iuueni ornatiſſimo deſtinata vxor annos nondum XIIII. impleuerat, Ioannes Gandianus & Heliodora Boſſa parentes infeliciſs: pos: Rapta ex eorum amplexibus Anno M. D. XXX.

IOVIANVS PONTANVS DE VENORILIA PVELLA.

Vrna vt ſit tibi ſalua precor, quæ ad flumina pergis
Tu verò vt mihi ſit cura precare leuis.
Siſte, mora eſt breuis, hac lege Veronilla quieſce,
Manibus & benè ſit, & benè ſit cineri.

Mutua ſed faciam, benè ſit tibi, ſit benè natis,
Sit quoq; cum placido lis tibi nulla viro.

ROBERTI REGIS FRANCIGENAE.

Cernite Robertum regem virtute refertum.

CAROLI EIVS VICARII.

Hic iacet princeps Illuſtris, Carolus primogenitus Sereniſs: D. Roberti Dei Gratia Hieruſalem ac Siciliæ Regis inclyti, Ducis Calabriæ, ac præfati Regis Vicarius generalis, qui iuſtitiæ cultor, ac Reipub: ſtrenuus defenſor, obijt Neapoli catholicè, receptis S. E. omnibus ſacramentis, Anno Domini M. CCC. XXIIII. Indict: XII. ætatis ſuæ anno XXXI.

Rex ſedet in ſella regia, ſub pedibus Patman habet & in dextra baculum, cuius apex in medium patinæ pertingit, poſteà in marmore ouis & lupus exciſus eſt ex vna patina comedentes, quo ſignat omnes in officio retinuiſſe, ne imbecilliores à potentioribus opprimerentur aut alter alteri faceret, qui ſibi fieri nollet.

DVARVM REGINARVM.

Hic iacent corpora Illuſtriſs: D. Agnetis de Francia Imperatricis Conſtantinopol: ac virginis D. Clementiæ de Francia, filiæ quondam illuſtriſſimi Principis & Domini, Domini Caroli de Francia, Ducis Duratij, quarum animæ requieſcant in pace.

D. MARIAE DE FRANCIA.

Hic iacet corpus illuſtris D. Mariæ de Francia, Imperatricis Conſtantinopolitanæ, ac Duciſſæ Ducatij, quæ obijt anno Domini M. CCC. LVI. Die XX. Maij, cuius anima in pace requieſcat, Amen.

ANTONII DE PENNA.

Præmia ſi meritis donant condigna ſuperni,
Hic meruit ſuperum poſt ſua fata locum.
Dum vixit virtute micans bonus atq; modeſtus,
Secretus Regis conſiliator erat.
Publica ſemper amans; Antonius iſte vocatus,
De Penna dictus, quem tegit iſte lapis.

ISOTTA BAVCIA.

Pyrco Baucio Altemuræ principe, ac Maria Vrſina inclytis parentibus genita, Petri Genaræ magni regni, huius Seniſcalli vxor, priſca matronarum virtute ornatiſſima, mortale ſui dimidium, ſacello in hoc auito deponendum curauit, cœleſtem ad patriam ſpe ſumma & fide ducibus migratura.

Quod non æui longinqua vetuſtas fortuna obſequente mutat, principatus ad alienos ſors tranſtulit domina titulos ſeruauit inanes, & fœmina princeps licet tot claris orbata & titulis & fortunis, bona tamen animi ſanctiſſima ſecum reſtituit, Vixit ann: Lxx. Anno M. D. XXX.

PARIDI LONGOBARDO.

Patri pietate inſigni, ac Marco fratri iuueni, morum raritate conſpicuo, Iacobus maior ſuperſtes commune ſepulcrum hoc profuſiſs: lacrymis poſ: vt quos vita coniunctiſs: habuit, idem lapis contegeret, Theogoniæ Anno M. D. XXIX.

IN S. CATHARINA.

IACOBO GVINACIO.

Cui præter familiæ nobilitatem, militiæ quoq; decus acceſsit. Hippolita Carminiana vxor, vt probam decuit, ære ſuo fecit. M. D. XX.

RODERI-

RODERICVS MENDOTIA.

Angelæ Mariæ filiæ cariſſimæ, cuius nuptiarum ſpem præmaturo funere finiuit, hoc monumentum poſuit eius ſuperſtes ipſe cuius parentalia expectabat ea. Vix: ann: VII. M. D. XLIIII.

LOYSIVS ACCIA PACCIA.

Eques Neapolitanus, pedeſtrium copiarum ductor, ſedem parauit ne cui in re vel parua moleſtus eſſet, vt idem moriens faceret, quod viuus fecit M. D. LII.

CANILLVS DE TOCCO.

Neapolit: ex nobili Toccorum familia, viuens mortis memor ſuos poſterorumq; ſuorum cineres diem Domini hic expectare curauit M. D. LIIII.

BASILII POETAE.

Qui coluit Muſas, habuitq; in honore Poëtas
Baſilij hic corpus, mens tamen ante Deum.

Anno Domini M. CCCC. LXXVI. Die XXI. Ianuarij.

CAROLVS MVRMILIVS
IOAN: FILIO.

Quàm præpoſterè ſe res humanæ habent,
Cuius mihi dulciſſimas manus oculos prius
Claudere fas fuit inter felicis: parens filium
Hic ante condidi meum, ademit importuna
Mors ſeni baculum, cui defeſſa iam adnitens
AEtas alleuaret ſeſe, nunc me
Mors aſſequetur, quàm hæ lacrymæ deſerant.

Vix: ann: XXIX. Men: I. Dies VII. M. CD. XXCIII.

CAROLI MONFREDI.

Hic iaceo Caroli Monfredus morte ſubactus,
Cæſaris heredi non fuit vrbe locus.
Sum patris exordijs auſus confligere Petro,
Mars dedit hanc mortem, mors mihi cuncta tulit.

ANONYMI.

Hoc ſatis in tumulo, fragilem te noueris eſſe,
Mors certa eſt, tempus perbreue, vita nihil.

ALIVD.

Care viator abi, & non plora pro me, nam è morte vita.

IN AEDIBVS ET PALATIIS NEAPOLITANIS.

IN VICARIA AD INSIGNIA IMPERATORIS CAROLI.

Carolo V. Cæſar: Auguſt: inuictiſs: imperante, Petrus Toledus Marchio Villæ Franchæ huius regni Prorex, iuris vindex ſanctiſſimus, poſt fugatos Turcas, arcem in curiam redactam iuſtitiæ dedicauit, conſiliaq; omnia hoc in loco cum magno totius regni commodo conſtituit, Anno à partu virgineo M. D. XL.

IN AVLA MAGNA AD IMAGINEM IVSTITIAE quæ cæca depicta, dextera gladium, ſiniſtra ſtateram tenet.

Cum æterni tribunal iudicis illum reum non habeat, quem iniuſtè

reus condemnat, teſtante Propheta, nec damnabit illum, cum iudicabit ei, caueant Iudices & prudenter attendant, vt in cauſſarum proceſsibus nil vindicet odium, vel fauor vſurpet, timor exulet, & præmium aut expectatio præmij iuſticiam non euertat, ſed ſtateram geſtent in manibus, lances appendant æquo libramine, vt in omnibus quæ in cauſsis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententijs & ferendis, præ oculis habeant ſolum Deum, qui ſit laudabilis & glorioſus per infinita ſæcula ſæculorum.

ANTE VICARIAE INGRESSVM IN baſi marmorea.

Don Petrus de Toledo Marchio Villæ Franchæ Sac: Cæſ: Ma:tis in præſenti regno Prorex locum tenens Generalis Capitaneus, princeps iuſtiſsimus, excellente milite V. I. Doctore Ferdinando Frigueroa patricio Hiſpano regente, magnam curiam Vicariæ curante, ad illorum morem abolendum, qui cum clam nemine ſpectante bonis cedebant, hunc locum erigendum mandauit, vt qui eo poſthac beneficio vti volent, ſæpius hic iterato ſpectaculo id commodum magno cum opprobrio compenſent. M. D. LIII,

PHILIPPO REGNANTE.

Don Ioannes Zuniga Neapolis Prorex, vt affecti morbo cuſtodia non commodiori modo, ſed amœniori etiam loco curentur, valetudinarium, quod multi ante Proreges deſtinarant, efflagitant aſsiduis precibus, præfectoq; operi Clariſs: equite Ioanne Nicolao Minatulo feliciter extruxit, quo tempore Philippus Rex Catholicus, & idem Dominus noſter deuictos bello Luſitanos, in ſuam ditionem redegit Anno M. D. Lxxx.

IN ARCE.

Alphonſus Regum princeps hanc condidit arcem.

Alphonſus Rex Hiſpanus, Siculus, Italicus, pius, clemens, inuictus.

IN VALVIS AENEIS EX VNA PARTE.

Hos Rex Armipotens animoſior Hectore claros
Senſit vt inſignes enſe gigante fugat.
Hoſtem Troianus Fernandus vicit in aruis
Sicut Pompeium Cæſar in Ebalijs.

EX ALTERA.

Princeps cum Iacobo, cum Deiphoboq; doloſo
Vt regem perimant colloquium ſimulat.
Troia dedit noſtro requiemq; finemq; labori,
In qua hoſtem fudi fortiter & pepuli.

IN ARCE SVPRA DIVVM MARTINVM.

Imperat: Caroli V. inuicti Auguſti Cæſaris iuſſu, ac Petri Toledæ Villæ Franchæ Marchionis iuſtiſsimi Proregis auſpicijs, Pyrrhus Aloyſius Serina Valentin: Diui Ioannis eques, Cæſareusq; militũ præfectus, pro ſuo bellicis in rebus experimento faciundũ curauit. M. D. XXXVIII.

IBIDEM

IBIDEM E REGIONE TEMPLI.

D. O. M.

Imperat: Caroli V. Inuictiſs: Cæſar: Auguſt: iuſſu, Petrus Toledo Villæ Franchæ Marchio; regni Neapol: Prorex iuſtiſs: cuius auſpicijs placida pace quieſcitur, Pyrrhi Aloyſij Seriuæ cura arcem hanc à fundamentis inchoatam, Ioannis Iacobi Achaij ſolertia et arbitrio perficiund: mandauit. M. D. xLvi. anno.

IN PORTA TEMPLI ARCIS.

Petri Toledi Villæ Franchæ Reguli, iuſtiſsimiq́ Neapolitanorum Proregis iuſſu, Pet: Toledus patrueli Hæremicæ arcis Caro: V. Imp: inuictiſsimi beneficio Præſes, ædem hanc opera et artificio patri frat: Hiſpani: faciund: curauit, idemq́ approbauit, Anno M. D. xLvii.

IN IPSO TEMPLO. D. O. M.

Hic à Toledo cognomine Petrus humatus,
Vix vita & ſtudijs clarus & ingenio.
Seruandæ huic primum quem Rex præfecerat arci
Vt munita foret, rupibus, arte, fide.
Seruata hæc annos tercenos nomen & oſſa
Huius perpetuò ſeruet & omne decus.

Vixit ann: LX. Obijt M. D. LVIII.
D. Sophia Nagorim vxor pos: vt vir iuſſerat.

IN DVCISSA.

Alphonſus Ferd: Regis fil: Aragonus Dux Calabriæ, genio domum hanc cum fonte & balneo dicauit, hippodromum conſtituit, geſtationes hortis adiecit, quas myrtis cytriorumq́ nemoribus exornatas ſaluti ſoſpitæ ac voluptati perpetuæ conſecr:

IN HORTO PROREGIS.

Petrus Toletus Hiſpanus, Marchio Villæ Franchæ, Neapolit: Prorex nouam cum Hippodromo porticum nouæ arci, primis regendi auſpicijs addendum curauit, Caroli V. Imperat: & futurorum Regum Proregumq́ commoditati, vrbis decori, documento demum magni animi, & in nitidiorem formam ſuumq́ ſplendorē cuncta reditura pollicentis. M. D. xxxiii.

IN MONTE PIZO FALCONIO.

Andreas Carafa S. Seuerinæ Comes Villam hic ſtruxit, Caraffianamq́ appellauit, Lucullum imitatus parili animo, licet opibus impar, atq́ ita ſanxit: Delicati iuuenes huc ne accedunto. Emeriti ſenes nec inglorij honeſta quiete hic fruuntor. Viri docti boniq́ ingenia hic exercento. Qui è Carafa gentilitate non fuerit, qui ſanctiones haſce non ſeruauerit, ſuburbani huius exheres eſto, proximiorq́ ſuccedito M. D. xii. Amen.

IN HORTO BERNARDINI ROTAE.

Bernardinus Rota Muſis hortos dedicauit, ratus eas hilari huiuſce cæli poſitione allicere, atq; ita fortaſſe amicas fore M.D.LV.

IN PONTE DELLA MADALENA.

Siue hoſpes, ſiue inquilinus viator es, benè adſis,
Quem vides pontem collata prouincialium
Populorum pecunia, publicæ commoditati reſtituit
Beroardino Mendotio principe optimo
Auſpice dum regno Philippi Auſtri Regis
Noſtri inclyti nomine ſumma omnium beneuolentia
Præfuit, tranſi felix, & vtere. M. D. LV.

IN PORTA REAL.

Egregiæ Nidi ſum Regia porta plateæ
Mœnia nobilitas hæc vrbis Parthenopææ.

AL SEGGIO DI MONTAGNA.

Pijſsimæ ac venerabili Dominæ noſtræ Helenæ Aug: matri Domini noſtri Victoris ſemper Auguſti Conſtantini, & auiæ Dominorum noſtrorum beatiſsimorum Cæſarum, ordo & populus Neapolitanus.

IN SCHOLA IVRISPERITORVM.

Hector Carafa, Ruborum Comes, auditorium hoc duplex cum valetudinario à fundementis erexit, ſacelloq; quod ipſe naſcenti Deo dicarat, addixit, cauitq; vt in ara eius ſacelli quotidiè ſacrificaretur, ſibiq; ad tumulum quotannis iuſta redderentur.

AD PONTEM S. CATHARINAE, VBI Syren ex mammillis aquam exprimit.

Dum Veſuuij Syren incendia mulcet.

IN PALATIO QVODAM APVD S.tum PETRVM, ad ſtatuam Ferdinandi Regis.

Si benè pro meritis cuiquam ſua munera dantur,
Hæc ſunt Rex Victor præmia iure tua.

IN PALATIO D' GRAVINA.

Ferdinandus Vrſinus genere Romanus Grauienſium Dux & Nerulanorum Comes conſpicuam hanc domum ſibi ſuisq; & amicis omnibus à fundamentis erexit.

IN PALATIO MARCHIONIS DE TREMICK.

Ne quid facias hodiè, quod cras te pœniteat,

IN MVRO HORTI CAPELLAE.

Exercitium eſt humanæ vitæ conſeruatio,
Caloris naturalis lima,
Excitatio dormientis,
Naturæ virtutum corroboratio,

Superflu-

Superfluitatum conſumptio,
Otio inimicum,
Temporis lucrum,
Iuuentutis debitum,
Et ſenectutis gaudium.
Ille ergo ſolus ab exercitio abſtineat,
Qui vtriusq; ſanitatis beneficio vult carere.

IN DOMO FERDINANDI VRSINI.

Ferdinand: Vrſinus gener Romanus Grauiens: Dux atq; Nerulanorum Comes, conſpicuam hanc domum ſibi ſuisq; & amicis omnibus à fundamentis erexit.

IN DOMO PRINCIPIS MAGDALONII.

Has comes inſignis Diomedes condidit ædes
Carafa, in laudem Regis, patriæq; decorem.

ANTE INGRESSVM.

Huc quicunq; venis fauſtè & benè veneris hoſpes,
Comiter in noſtra ſuſcipière domo.

AD CAMINVM.

Si propius ſteteris flagras, ſi longius, alges.

CAETERA IN HAC DOMO CONSPICVA SVNT.

Hercules cum Leonis exuuio.
Mercurius cogitanti ſimilis.
Vir tenens cornu copiæ,
Caput æneí æqui ex coloſſo.
Deus quidam marinus.
Adoleſcens vim puellæ illaturus.
Bos ad ſacrificium paratus.
Miles chlamitadus cum pilo.
Tres Gratiæ.
Perſeus & Centaurus quidam.
Ara & terminus Deus.
Syluarum Dea cum capro & corona florea
Mulier nuda dormiens.
Iudicium Paridis.
Caput ex viridi marmore.
Caput aliud ex lydio lapide.
Capita multa alia.
Imagines Agrippæ Cæſaris, Auguſti, Neronis.
Neptunus cum tridente.

Stauæ

Statuæ muliebres IX,

Viriles VIII. omnes ex marmore pulcerrimæ.

IN DOMO IOAN: FRANC: CARAFAE.

Imperatorum imagines aureæ XLIIII.

Græcorum illuſtrium argenteæ totidem.

Aereæ omnis generis propemodum innumeræ.

Scipionis, Maronis, Marij, Varronis, Ciceronis.

IN DOMO TIBERII DE BVCCIS.

Varietas quædam rerum recentium, quæ vix animo concipi poteſt, nedum ſcribi.

Picturæ inſignes, in quibus Petrarchæ & Arioſti imagines.

Mulier nuda ad pubem vſq;.

Vas ex Phegite lapide.

Hercules æneus.

Numiſmata aurea & ænea circa LXX.

IN DOMO CONSALVI DE BERNARDO.

Vaſorum genera antiqua circa CXLVIII. parua magnaq;.

IN DOMO CAESARIS CARDVINI.

Vrnæ quatuor vitreæ ſatis grandes.

Mineruа, Iuno, Iupiter, Venus.

Nouem Muſæ.

Varro in marmore prolixa barba.

Sanazarrij in marmore, & aliorum recentiorū, vt Petrarchæ, Pici, Pontani.

IN DOMO ADRIANI DE GVILIELMO.

I.

In tabula antiqua ad turbam paſtorum lirantium.

Pan tibi Phœbe tibi lenimen dulce laborum,
Ocia dum terimus carmina mille damus.

II.

Vidimus omnis generis inſtrumenta muſica, ex quibus inſigne clauicordium ſeu organum ſeptem vocum diſcriminibus. Horologium tanto artificio factum, vt quamcunq; vellet cantiunculam quatuor vocum ſonaret. Inſcriptiones in marmoribus vetuſtis circa LX.

Inſcriptionum librum collectū à Iucundo Venonens: & Iouiano Pontano.

Topaſium lapidem cum inſcriptione antiqua:

NATVRA DEFICIT, FORTVNA MVTATVR, DEVS OMNIA CERNIT

Tabella marmorea, in qua vetus mos ſacrificantium, Ara rotunda cui aſtat ſacerdos, manus lauens ex vaſe quod manibus tenet puella

ella alata. Sacrificuli alij partim tenentes ſecurim ancipitem, partim victimas. Circa eam tabellā ſuſpenſæ variæ variorum Impp: imagines in corneolis.

IIII.

Imperatorum Romanorum æneæ imagines in ciſtella, in qua inerant aliæ capſulæ XXXIIII. & in ipſis capſulis niduli, quibus erant imagines incluſæ. Ciſtella ab vna parte hoc habebat:

Olim Cæſaribus quibus ingens non ſatis orbis
Extitit, hac modica eſt ſub breuitate locus.

AB ALTERA PARTE HOC:

E luce in tenebras rapuit quos improba mors, nunc
In lucem è tenebris porrigit arca viros.

Exterius capſulis inſcriptus erat annus ætatis & imperij.
Interius tituli victoriarum: Nidulis proſapia.

V.

Imagines argenteæ Coſs: & Imp: centum.

Aliæ mixtim, ex auro, argento, ære in ciſtellis octo numero CCXLII.

Leonardi Calamitij liber de viris illuſtribus à primordio, ac demum florentis vrbis imperio, ad intelligenda ſigna & notas veterum numiſmatum. Fuit hic Neapolitanus.

Statuæ paruæ ex ære fabrefactæ, Iouis fulminantis, Duorum Herculum, Veneris, Mercurij, Scæuolæ, Scipionis, Deianiræ cum Hillo puero, Leproſi lapidea ex thermis Baian:

VI.

Numiſmata ænea in ſeptem ciſtellis numero CLX. Præter hæc inſigniora Septimij Cæſaris cum Marte, Antonini cum Tyberi fluuio, Caligulæ cum Agrippina, Iulia, Druſilla filiabus, quas pater nefandus vna nocte turpiſſimo inceſtu polluit. Fragmenta ænea Satyri, capitis equini, Meduſæ & aliorum, pellem ſecundinā ingentem & dignam miraculo, in qua ſcripta ex ſacris literis ſententiæ partim aureis, partim argenteis notis. Hanc contra ictus tormentorū & telorum portaſſe dicebatur Rex Aragonius. Commentarius in Ouidij Metamorphoſin, in quo totum illud opus ἠθικῶς exponitur, carmine primum elegiaco, dein oratione ſoluta.

VII.

Vaſculum antiquū fictile, forma equini capitis & in ſe reflexum, quo vſi erant in conſpergendis victimis, cum fronti ſacerdotes vina inſpergerent, Habet autem vaſorum genera circa CC.

Lucerna fictilis, forma Meduſæi capitis artificioſa, quæ oleo infuſo horas XXIIII. ardet.

Gemmæ

Gemmæ variæ auro incluſæ. Archetypus liber Dantis Florẽtini.
Liber auctoris non nominati, de balneis Puteolanis.
Imagines virorum illuſtrium, qui nunc ſunt.

VIII.

Liber in pergamenis, rerum futurarũ prædictiones continens, apud Tarentum à Ferdinando Aragoniæ Rege inuentus in agro aperto ſepulcro veteri, in quo arcæ plumbeæ liber incluſus iacuit, eius autorem Abrahamum quendam ferunt: continuit figuras XI. cum ſententijs à Cataldo Epiſcopo adſcriptis.

I.ª

SACROSANCTA ECCLESIA MILITANS PER SACRAMENTA.

Mulier inſidens ſcamno prealto, quod innititur quatuor animalibus, ipſa circumdata ſeptem Sacramentis: A dextra, Euchariſtia, Pœnitentia, ordine ſub pedibus Baptiſmo, A ſiniſtra, confirmatione, extrema vnctione, matrimonio.

A dextra	*In medio ſub Eccleſia.*	*A ſiniſtra*
Pontifex. Cardinalis.	*Virgo ſupplex*	*Imperator. Rex.*
Epiſcopus. Prelatus.	*& humilis.*	*Dux. Princeps.*

VIRGINES GLORIANTVR IN EA, ET EAM SEMPER SEQVVNTVR.

II.ª

TVNICA INCONSVTILIS LACERATVR, ET BONA ECCLESIASTICA A LAICIS RAPIVNTVR.

Veſtis Eccleſie inconſutilis ab auaris ſacerdotibus venditur hominibus profanis, & cultu à religione diuerſo.

CAPVT ECCLESIAE DIVIDITVR, ET A PRAECIPVIS FRATRIBVS ET COLLATERALIBVS FILIIS INTOXICATVR.

Eccleſiam denudatam vnus Cardinalis cum alijs tribus ſibi aſtantibus gladio in capite vulnerat, ſanguine per vniuerſum corpus diſperſò ac diffuſo.

PAGANI IRRIDENT.	IVDAEI BLASPHEMANDO TRIPVDIANT.
Tres viri habitu Turcarum induti Eccleſiam veſtibus nudatam digitis notant.	*Alij tres Hebrei inſultant eidem Eccleſie vulnerate.*

III.ª

ECCLESIA CHRISTI RVINAM PATIETVR. VIDI INIQVITATEM ET CONTRADICTIONEM IN CIVITATE DEI.

Eccleſia quedam ſolitaria & ruinoſa depicta erat, in qua lupi oberrabant, & portarum cuſtodiam tenebat vrſus, & in fundamentis videbantur cubilia poſuiſſe, prodeuntes è ſpecubus cuniculi.

SIMONIA

SIMONIA BENEFICIA CONFERT.

Duo Cardinales mulabus inſidentes cernebantur, quibus ſupplices erant duo ſacerdotes pauperes, libros manibus prætendentes, quos primis pedibus impetebant muli. Et Cardinales auerſa ab illis facie à tergo reſpiciebant monachum præpinguem, pecuniam illis atque ſacculum monſtrantem.

IV.

CLAVSTRA MONACHORVM FACTA SVNT PROSTIBVLA MERETRICVM.

Monaſterium amplum, exornatum, in quo mutato habitu monachi monachas attrectant, intra tunicas & ſinum manus immittentes, choræas ducunt, & monachas oſculantur.

QVIBVS GLADIVS DATVS EST BENEDICTVS, FACTI SVNT NOBILES PROPTER PRAEDECESSORVM VIRTVTEM, INCINCTVM TVLIT PAVPERVM ET VIDVARVM OPPRESSORES ET SPOLIATORES.

Reges, præpotentes, nobiles, veſtes detrahunt miſellis: viduas & pupillos ſupplices reijciunt: Subditorum autem poſtquam veſtes detraxerunt, etiam ebibunt ſanguinem.

V.

SANCTVARIVM DEI VIOLENTER RAPITVR ET TANGITVR.

Eccleſia depicta eſt, cuius tectum & parietes flagrant, ex qua milites exportant cruces cum vexillis, calicem, oſtiam, librum.

STRENVITAS MILITARIS EFFICITVR VSVRA DETESTABILIS.

Pontifex quidam nummulariæ menſæ aſsidet, ante quem aderat ſeruus veſtem rubeam tenens, & poſt eum alius iuuenis ſacerdotis habitu.

VI.

RELIGIOSI FACTI SVNT VENATORES.

Cardinalis adoleſcens habitu venatoris lepores inſectatur, in comitatu habens monachum canes in prædam cornu incitantem.

EPISCOPI CVM CLERO SVNT AMATORES MVLIERVM, QVIA QVI CASTI ESSE DEBENT, SVNT NON CASTI.

Alius Cardinalis adoleſcens cum ſocijs ſacerdotibus inter mulieres verſatur, & ad ducendas choræas iunctis inuicem manibus ſunt parati.

VII.

SACERDOTI AD MORTEM MINATVR, QVIA POENITENTIA PER EVM PRAEDICATVR, IN QVA NEQVITIA ET NEGLIGENTIA PRAELATORVM PANDITVR.

Monachus habitu Auguſtiniano, Luthero ſimilimus, in ſuggeſtu concionatur, cui ſtricto gladio illi aſsiſtens miles minitatur; poſt quem militem in medio duorum armatorum ſtat Epiſcopus.

AVDITORES VERBI DEI.

Varia hominum diuerſorum multitudo, cum admiratione & veneratione audiens prædicantem Monachum, in media etiam multitudine quidam Epiſcopus.

VIII.

PATRIMONIVM CHRISTI CONSVMITVR CVM MERETRICIBVS: NAM SICVTI CONFERTVR ITA CONSVMITVR.

Sacerdotes conuiuia agitant, & commeſſantur cum mulieribus, impudicè & apertis pectoribus ſedentibus: qui ante menſam lagenas habent repoſitas in vaſibus aqua plenis. Infra tres homines nudi abenis feruentibus impoſiti, igne maximo ſubiecto, & ſublatis ad cœlum manibus ad ſacerdotes primus & vltimus hæc verba loquuntur:

MISEREMINI MEI, MISEREMINI SALTEM VOS AMICI MEI, QVIA MANVS DOMINI TETIGIT ME.

O SACERDOTES QVOMODO CONSVMITIS NOSTRAS OBLATIONES, VAE QVI MALE CONFERT BENEFICIA QVIBVS.

IX.

DEVS CHRISTIANOS MALE PERDET TEMPORE BELLI TVRCARVM.

Res inſigne habens Lilia, & inſigne Auſtriæ principum, pede innititur aquilæ, & vexillo cum cruce rubea: cui rurſus alterum imponit pedem. Rex Turcarum, Regiq; ipſi coronam demit de capite, deinde ab armato milite cruceq; rubea transfigitur gladio quidam ex Turcis: ſed Turci reparatis viribus miſerabiliter occidunt eos, qui cruce ſignati ſunt, & eos qui lilio ſignati ſunt, ducunt captiuos. Multæ gentes affliguntur, multæ in ſeruitutem abiguntur, quædam in foſſas cadere & abſorberi videntur.

X.

HIC REX TVRCARVM PVNIT CAPTOS CHRISTIANOS: SIC CONTINGET HIS, QVI DE SE IPSIS PRAESVMVNT, QVI NON PONVNT IN DEO SPEM SVAM.

Turca ſedens pro tribunali, à dextra mandata ſuis dat, à ſiniſtra lilium inſigne habentes vinculis clauſos tenet: hos autem qui cruce rubea ſignati ſunt, manibus pedibuſque ligatis, à tortoribus trumari aſpicit.

XI.

ECCLESIA SVAS EDISSERENS ANGVSTIAS.

Eccleſia illa Sacroſancta primum magnificè veſtita ſedens, mox à Cardinalibus denudata, iam toto corpore lacerata, multiſque vulneribus affecta, capite tantum velamen habens, ſublatis in altum oculis miſerabiles querelas effundit, orationem illam longam deſcribere imò nec intueri licuit.

EX AN-

EX ANTIQVIS INSCRIPTIONIBVS IN HAC domo, planè nuper repertis & nondum excuſis, ſelectiores erant hæ.

D. O. M.

Foſſula in marmore excauata.

I.

Iniyce, ſi pietas vſquam eſt, ſuſpiria, & imple
Mecum hoſpes lacrymis marmoris hoc vacuum.
Nam formæ exemplum periyt, cùm obiyt mea Lyda,
Quam periere homines vel periere Diy.

II. D. O. M. Itidem foſſula.

Verna puer, puer ô mi Verna
Quis ah quis ab aura te
In tenebras rapuit, perditus
Heu morerer, nî tecum
Aſſiduè loquerer,
Nî ſæpè iocando
Fallerer, hinc dum te
Continuò aſpicio
Semper ero tecum, & ſi me
Sopor occupet vmbra,
Te vmbram petam, ergo vnquam
Ne metue abs te abeam.

III. D. M. S.

Iuliæ Iulianæ F. Vix. ann. xx. Menſ. xi. Dies vii.
Poſſidet immeritum locus hîc cito corpus iniquus
Quæ talem vitam meruit vt curua ſenectus,
Noluerunt ſuperi, cito reddidit omne nefandis
Quod fuit ad ſuperos, quæ nullis inuida vixit.
C. Iulius Victorinus & AElia Theodote & C. Vicirrius benè mer. ſ.

IV. D. M.

Criſpe fili lepidiſſime, heu heu orcus cum te vorauit, delitium omne mihi abſtulit, baculum exſuctis medullis edentulæ ſenectutis ſecuit, ſpem nepotum abſtraxit ſecum maximam, in tanta demum orbitate deſolata ſuperſum, vt ni, qui ſecus ſentiunt, manes vetuiſſent, viuum me tecum contumulaſſent. Vix. annos xii. Criſpus pater infeliciſſimus F. & ſibi & ſuis libertis libertabuſque poſteriſque ipſ.

Hic requieſcit Formica filia PP. in pace, quæ vixit annos plus minus xx. & ad ſuperos munda tranſijt, cuius anima in pace requieſc.

In his ædificijs & locis puris adiacẽtibus ædificijs locus ager eſt P. AEli Rufini militis, in quibus ſe poſſeſſorem eſſe ex cauſſa emptionis P. AElij Abaſcanti patris ſui Affenio Senecionis ſub præſ. claſſis Miſen. probauit, & meruit ſententiam, quam iuſſu eiuſdem Senecionis ſub præſ. huic titulo præſcripſit.

V. Senecio CCC. dixit.

Neceſſariam fuiſſe ædificiorum inſpectionem, & loci de quibus apud

 me actum

me actum eſt re ipſa manifeſtatur: Cum igitur ædificia ſolo puro poſita deprehenderim, neq; vllo ſepulcro ſuperpoſita vel coniuncta, apparet venditionem eorum iure factam, Ideoq; ad Ælium Rufinum militem ex cauſſa emptionis pertinere videntur. Loci vero ſeu agri, quem adiacentem ædificijs Ælius Abaſcantus pater Rufini ab heredibus Padulphi Diocleti æquè mercatus eſt, cum habeat plurima & diſperſis locis ſepulcra, ius per uenditionem ad emptorem transferri non potuit. Sed cum pater Ruffini, & poſtea Rufinus, quanquam non iure facta emptione, ſemper in poſſeſsione fuerint, nullo iure eum locum vindicare ſibi Patulci poſſunt. Planè cum in re præſenti inſpexerim lituratum agrum eraſumq; Patulci, dicunt remanere in ſtipulat. capita quædam exprimentia hæc verba: Actius Dioc. Patulc. Diocl. F. cum fratribus qui nunc hic adſunt, vendunt Publio Ælio Abaſcanto locum purum, in quo nulla ſepulcra iacta, ſuperpoſita neq; coniuncta apparent, liber; nepot. pronepot. que & reliqui, ob contemptum tamen Religionis Rufinus Pub. Ælij Abaſc. fil. agro priuetur, fietq; publicus ſepeliendorum milit. in vſum, Heredes vero Patulci Diocl. multentur ſorte vna, cum anaſtagiſmo binæ cent. Vſuræ propter neglectam religionem, relig: ſepulc. clam dirutorum pauperesq; milites claſs. Prætoriæ Miſenæ donati ſunt, vt ægreſcentes morienteſuè ære conlato curentur ſepeliantur q;: quam ſententiam ſanctam eſſe omnes ſciant, idq; totum teſtatur marmor.

VI. AETERNAE MEMORIAE.

Glaphyra Gl. Luſci F. adfecta adeo cineribus Caij Lucij, Fauſti mariti heu rariſſimi, vt ad alium tranſire nunquam voluerim: etſi fortuna præpotens conſtantiæ ſemper inimica ſurdo diſcrimine pudicitiæ placidam ruinam minabatur, & viridis ætas fidem coniugij violare impellebat, inter vtraſq; tamen fluctuans mulier Menſ. VII. Die XI. non tam corpus cœlebs, quàm animum pudicum ſeruauit: Et ne à tantorum domeſtica hoſtium pugna continuò augeſcente vincerer, procerum petulantem turbam fugiens, viuam me condidi monumento. At poſteri, ſi inuidetis, imitamini, ſi vero quis probauerit, probetur, ſi improbauerit, improbum ſe eſſe ſciuerit. Vale mors, Vix. ann. XVI. ſalue vita perpetua.

VII.

Pro ſalute & victoria Auguſtorum Deo magno genio Coloniæ put. Ianor. & patriæ ſuæ Aurelius Hermadion ſeuir Auguſtalis, & curator eorum extruxit & donum dat P. D. D. D. D.

VIII.

Siſte gradum, cernes Diomedis munere quidquid
Marmore de priſco finxit & ore manus.

Imp: Cæſar Diui Veſpaſiani Domitiano Aug. German. Pontif. Max. trib. pot. XIII. Imper. XXII. Coſ. XVI. Cenſori perpetuo p. regi Vicineſtorum & Calphurniani.

In me-

In medio Pauſilipi, cum ab Alphonſo Rege ampliaretur, inuentum.

Omnipotenti Deo Mitræ Appius Claudius Turronnis dexter V. C. dicauit.

IX.

Triſto è quel podere ch il ſuo padron non vede.

BREVIS DESCRIPTIO EORVM QVAE CIRCA NEAPOLIM.

Poſt caſtellum Oui, de quo ſupra diximus, Neapolim egreſſis primum ſe obtulit Mergellina pars Pauſilipi montis ſaxis candentibus, in qua templum Actij Sanazarrij cum eius ſepulcro marmoreo, cui impoſita ipſius imago, & ab vna ſarcophagi parte Apollo nudus cum cheli, ab altera Minerua armata tenens Gorgona, infra Pan inſidens caprinæ pelli, canensq; fiſtula, Neptunus cum Tridente, Calliope cum cythara, cum duabus alijs puellis. Epigraphe cum Virgilianæ ſepulturæ inſcriptione, ſuperius in æde D: Mariæ à pie de Grotta eſt relata: Grotta vero hæc vel Cripta quæ tranſitur, & in longitudine habet 1. mill. Italicum, dicitur in xv. diebus excauata opera c. mill. hominum, architecto Cocceio & Luculli impenſa. Inde Plin. Lucullus exciſo etiam monte iuxta Neapolim, maiore impēdio quàm villam ædificauerat Eutipum & Maria admiſit, qua de cauſſa Pompeius Magnus Xerxem togatum appellabat.

Sepulcrum Virgilij eo loco fuit vbi hodie Patulco ad exitum criptæ in aggere edito, vbi & eius villa, quam poſtea Silius emit, & Neapolitanum Silij appellauit: Inde Martialis.

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Heredem dominumq; ſui tumuliq; lariſq;,
Non alium mallet nec Maro, nec Cicero.

Eo loco vbi templum fortunæ olim, hodie Mariæ ad egreſſum Pauſilipi: Veſiorus Zeloius poſt aſſignationem ædis Fortunæ ſignum Pantheon ſua præmia D. D.

Poſt hoc alia in eodem promontorio templa S. Mariæ de Conſolatione, S. Brigidæ, S. Petri. Item alius mons Capo de Agnone cognominatus.

GAIOLA. q. d. Cauata.

Cripta excauata in monte, latebræ Lyburnicarum nauium, in nautas graſſantium: Lyburnicas voco quas vulgo Fuſtas appellant.

NESIS vulgo Niſita.

Inſula plena cuniculis, in cuius vertice turris fundamenta iaciuntur, ex qua ſignum detur finitimis, ſi qua nauis à pyratis infeſtetur.

MISENVS.

Mons orientem ſpectans, lato vertice, cuius ὑποθεσίαν deſcripſit Cicero, vt ipſe in Epiſt. ad Atticum autor eſt: In eo ea cripta Traconaria eſt, in qua oſtijs quatuor aqua pluuia fuit excepta: Tracones autem dicuntur, meatus aquarum ſubterranei. Ea cripta tota propemodum integra adeò alta, vt erecta haſta in ea ambulare poſſis, habitare quoq; commodè, ſi lucem haberet, quatuor tranſitus habet rectos, & totidem tranſuerſos. Ad radicem montis in mari portus fundamenta viſuntur, & extat ora, ad quam alligatæ naues fuerunt. Fuit enim ibi ſtatio claſſis ab Auguſto inſtructæ ad Italiæ defenſionem, quod non ſolum docent hiſtoriæ, verumetiam marmora antiqua loquuntur.

A Miſeno mons alius occurrit, vulgò Capo de Pennata. Mare item mortuum, ad quod opus fuit Iulium, hodie totum corruptum.

PISCINA MIRABILIS.

Hanc alij putant piſcinam Neronis fuiſſe, cuius Suetonius meminit, alij villam æſtiuam Luculli, de qua Plutarchus, longa paſſus CCL. lata CLX. Extant in ea pilæ latericiæ XLVIII. in quatuor ordinibus, quorum ſinguli pilas habent XII. Caſtellum autem aquæ ijſdem eſt incruſtationibus, quales Romæ videntur: Deſcenſus in id fuit per plurimos gradus locis duobus: Supra extant murorum ruinæ, quos plenos portis & feneſtris fuiſſe adhuc apparet.

CENTVM CAMERELLAE.

Nunc obrutæ, exceptis XII. ad eas antequam deſcendatur, fornices tres ſunt, in primo pilæ quinq;, in altero quatuor, in tertio tres, ſed vt pilarum numerus minuitur, ita amplitudo fornicũ creſcit.

BAIAE.

Oppidum à Baio Vlyſſis ſocio denominatum, ſalubri loco poſitum, poſt vrbem Romam nulla ædificijs fuit cultior, vt ruinæ in toto illo ſinu indicant, luxui & delitijs totum dicatum, cuius litus ſemicirculi formam refert, & meridiem reſpicit. Propè portus fuit, cuius ruinæ adhuc cernuntur, & rudera in mari extant, Ho-

die in editiſſimo loco arx è regione Puteolorum erecta eſt, quæ Baiarum nomen retinet. Horat.

Nullus in orbe locus Baijs prælucet amœnis.

Inter ædificia iuxta Baias circa litus quædam rotunda moles eſt, quæ appellatur Il Truglio, quod templum Solis fuiſſe nonnulli ſuſpicantur. Paulo poſt alia rotunda multò maior, fornice concamerato, à qua non procul abfuiſſe villam ſumptuoſam Piſonis nonnulli autores ſunt.

TRITOLINVS MONS.

Ille eſſe dicitur, in quo maximum ſudatorium, propè quem ingentia murorum brachia in mari cernuntur, reliquiæ eius operis, vt ſuſpicantur multi, quod Iulius Cæſar penè ad miraculum extruxit, ad arcendum maris impetum, & retinendos in Lucrino & Auerno piſces. Ad ſudatorium maximum à litore XLIII. gradus adſcenſus eſt, & eius longitudo circiter tria millia paſſ. aut amplius continet, ſi ingrediaris, quo te magis attollis, eò maiorem vim caloris ſentis, ſin te dimittas in terram, non item. Balneum Salueatti, olim Frictolæ, in cuius fornice imagines è muſiuo opere ſignificantes ſingulorum morborum in ſubiectis balneis remedia, ex quibus adhuc quinq; coniunctæ, & ſub vno fornice videntur, licet plures fuerint.

Hoc autem obſeruandum, quod ad veterem diligentiam pertinet, ſingulis locis imagines ſingulas ex marmore additas fuiſſe, declarantes quibus morbis, cui ſexui aut ætati potiſſimum remedia illa ſudatoria & aquæ afferrent. Nos duo vidimus Neapoli, vnam ſenis leproſi, alteram viri hydropici in hortulo Petri Brignoti. Sed eæ imagines aut ſunt conſumptæ vetuſtate, aut potius, vt fama tenet, à Salernitanis Medicis, quæſtui ſuo timentibus, deletæ.

BALNEA ET SVDATORIA IN TRACTV illo toto, ex libro manuſcripto annotata.

I. Bulla ſudatoria

II. III. IV. Iuncariæ, à iuncis ibi naſcentibus, vel del inamorati, quod ſuſpiria tollit & venerem prouocat.

V. Della Piagia vel Balneolum, quo maximè vtuntur ob ſalubritatem Neapolitani.

VI. VII. VIII. IX. X. Orthodonicum in horto Epiſcopi Puteolani, ad quod per multos gradus deſcenſus eſt, auſtro flante & calore intus incluſo, nec exhalante, intrantes ſuffocat.

XI. XII. XIII. XIV. XV. Arcus, ab ædificij forma, decem locis diſtinctum, ad ſiniſtram lacus Auerni.

XIX. Scrophæ, ab effectu, quod ſcrophulas ſanat, recens.

XXII. S. Crucis inde vocatũ, quod lateri, manibus & pedibus, in quibus notæ ſunt Dominicæ paſſionis, præcipuè medetur.

XXV. Palumbarium fortè ab euentu.

XXIX. Pugillum fortè ab exiguitate loci.

XXXII. Solis & Lunæ, ad quod per ruinas veterum ædificiorum eſt deſcenſus, hoc quoniam in mari vaporat, & ſcaturit aqua quaſi pingui & diſcolori, puto eſſe quod Licinij Craſſi appellat Plinius lib. xxxi. Dicitur etiam Balneum Imperatorium.

XXXV. Fati ad quod deſcenſus eſt, & habet pulcrã teſtudinẽ.

XXXVII. Trituli vel Salueati, de quo ante dictum. In hoc iuxta ortus obituſq; Lunæ, ſemel die, ſemelq; nocte aqua fumigans & calida funditur, atq; refunditur. In hoc paucos ante annos adhuc imagines reliquæ fuerunt, manibus tenentes loca corporis affecta.

II. Strunij vel Aſtaunis, hoc habet binos fonticulos dictos Oraxi Plinio lib. II.

VI. Petræ.

IX. Sanctæ Anaſtaſiæ à vicino ſacello.

XIIII. Fontanæ, quia ſemper ſcaturit, non diu repertum, vtuntur eo multum Puteolanæ mulieres.

XVII. Tripergolæ ſeu balneum vetus.

XVIII. Rainerij ab inuentore.

XX. Luciæ, quod oculis ſalutare, recens.

XXIII. Succellarium ſub ingreſſum antri Sibellini, miro ſapore offulæ Caponis decoctæ, dulcis & perſpicua.

XXVI. Vtile mulieribus.

XXX. Olei petrolei ad litus propè Eccleſiam B. Virginis, liquorem habet colore & odore oleo ſimilem.

XXXIII. Gilboroſi, ad quod deſcendendum eſt.

XXXVI. Braculæ, in loco humili & rotundo.

XXXVIII. Fœniculi inter Miſenũ montem & mare mortuum.

II. Siccum.

III. Foris criptam.

VIII. Subueni homini, à ſalubritate, hoc obſtructis venis & fonte corrupto inter harenas ſcaturit, ſub cauata rupe infra criptã, quæ in capite litoris verſus Puteolos.

XII. Cantarellum intra Puteolos & Tripergolas.

XIIII. Pra-

XIIII. Prati, quæ fuerunt Ciceronianæ balneæ.
VII. Calaturæ, quod diſtillat de rupe dictum.
XVIII. S. Nicolai.
XXI. S. Mariæ vel Argeti, latinè Arculus.
XXIIII. Feni ſpumam habēs inſtar ferruginis ad antrū Sybillę.
XXVIII. S. Georgij.
XXXI. Culmæ apud Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quod ad pedē montis proximi illius templo percauatum ſpecus effluit.
XXXIV. Epiſcopi.
XXXVII. Speluncæ.
I. Mirtheti, cuius Horat: in Epiſtol. meminit.

Hic ordo vt ſcriptus eſt erat in chartis deſcripto libro apud Hadrianum de Guilielmo, vt numeris ſignatus in opuſculo Ioannis Eliſij. Scripſit de his carmine Euſtaſius Materenſis, & Alcadinus Siculus duodenis verſibus ſingula abſoluēs, ſed impreſſi non ſunt, & videntur eſſe autoris non ſatis probati.

AVERNVS LACVS.

Vulgo lacus Tripergolæ, ab oppidulo vicino olim nomen habens, hic de lethali ſpiritu noxius animalibus fuit, ſed ſyluis exciſis & aperto immiſſo aëre ſalubriorem reddidit Auguſt. Cæſar. In eo quoq; folia ſubſidere dicuntur, color aquæ nigrior eſt, propter profunditatem immenſam. Iuxta hunc lacum dicitur ab vna parte fuiſſe Bauli villa, ſtabulis Herculis nobilitata, propter Ibericas boues. Ab altera Cimmerium oppidum; hoc Cumas verſus, illud verſus Baias.

SYBILLAE ANTRVM.

Iuxta Auernum meridiem verſus aditus fuit ad Sybillæ Cumanæ antrum, huius quoq; aditus nunc corruptus & intercluſus. Primus ingreſſus fuit per cuniculum longum & anguſtum, poſt quem fuerunt loca concamerata muſiuo opere, viſu pulcerrima, fornices tantæ altitudinis, quantæ lapidis iactus eſt. Illud antrum perlongum montis ſpacium Cumas vſq; ſe extendit. Virgil:

Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum,
Vnde ruunt totidem voces reſponſa Sybillæ.

CVMAE.

Pulcra fuit vrbs in montibus, tantæ apud Senatum æſtimationis, vt permitteretur eis publicè Latinè loqui, & præconibus Latinè vendendi ius eſſet, celebris Apollinis templo, & Sybillæ antro, cuius libris Romani pro oraculis vtebantur.

MONS NOVVS PVTEOLANVS.

Ingentibus & multis terræ motibus, iactu cinerum & pumicũ in planitie factus M.D.xxxviii anno, die S. Michaelis, duas horas ante ſolis occaſum, præceſſerunt multi terræ motus, erupitq́; primùm flamma, deinde quaſi tonitrua audita, cinerem ad multa millia paſſuum eiecit, qui arbores & fructus corrupit, ſecuta tamen ſequentis anni magna fertilitate. Obrutæ ſunt Tripergulæ oppidum cum XV. balneis, ædificium quoddam vetus, hoſpitale ampliſſimum, horti, agri, vineta multa. Hic mons adhuc fumum plurimis locis emittit, intus cum ſonitu æſtuans, ſpiraculis plenus, riuulis etiam feruentibus emanantibus. Materia montis leuiſſima & foraminoſa, vt ſunt pumices. Crater ipſe vnde tanta flammæ vis emiſſa, ſupernè amplus, infernè contractus eſt, magiſq́; ac magis oppletur cinerum lapſu ex ſuperiori parte. In radice montis harena calida eſt, litusq́; fumat & mare ipſum æſtuat. Sunt multæ ibidem foſſæ harenis contectæ, veluti Syrtes, in quas incautius ambulantes aliqui inciderunt & ſubmerſi ſunt. Ad dextram noui montis huius alius eſt cognomento Barbarus, vinetis & frumento conſitus.

VILLA CICERONIS.

Inter Auernum & Puteolos villa Ciceronis fuit, impoſita litori, celebrata porticu & nemore, in qua libros Academicarũ quæſtionum conſcripſit. Fuerunt in ea coniunctæ thermæ, quæ poſt obitum ipſius Antiſtio vetere eius loci Domino eruperunt, quas vulgò Glibagni del Prato dictas fuiſſe Ioan Elyſius ſcribit, ſed ea omnia nunc incendio vaſtata, & in montem conuerſa ſunt.

TRIPERGOLAE.

Oppidulum ad Auernum lacum poſitum, quod accepit originem propter ſalubritatem aquarum eius loci. Collis ibi fuit, mons Chriſti dictus, quoniam eum à mortuis ſuſcitatum, iſtic ab Auerno prædã tuliſſe ferunt. Hoc quoq́; oppidum vaſtatum & obrutũ.

PVTEOLI.

Vulgo Puzzolo, oppidum vetuſtiſſimum à Samijs conditum, dictum à putore aquarum calidarum, vel à puteorum, vt alij malunt, multitudine, Cumenſium emporium, aliquando minor Delos, ob frequentiam negotiatorum, & Dicæarchia, ob benè conſtitutam Rempubl. & æquabilẽ adminiſtrationẽ, quod vno verſu

Lucili9

Lucilius oſtendit, inde Dicæarcham populos Delonq́; minorem.

Puteolorum ſitum deſcripſit M. Tullius, ſed id opus nunc deſideratur. Acceſſu item D. Pauli Apoſtoli memoratum eſt oppidum: Terræ motibus ſuperiorum annorum, & incendio noui montis valde deformatum, præſertim in nouis ædificijs & templis. Nam quæ antiquiora ſunt, quamuis ruinam minentur, minimè iniuriam ſenſerunt. Mulieres Puteolanæ, forma præſtantes reliquis. Templum S. Proculi quod eſt eius loci ampliſſimum, olim Auguſto Cæſari dicatum fuit, vel vt alij malunt, ab Antonio Adriano pro ſepulcro conſecratum.

IN FRONTISPICIO.

Calphurnius L. F. templum Auguſto cum ornamentis D. S. I. L. Cocceius L. F. poſthumi L. Auctus Architecti.

In ipſo templo oſſa Gigantum cernuntur de quibus Lætus:

Huc quicunq́; venis ſtupefactus ad oſſa Gigantum.
Diſce cur Hetruſco ſint tumulata ſolo.
Tempore quo domitis iam victor agebat Iberis
Alcides captum longa per arua pecus,
Colles Dicarchæ, clauaq́; arcuq́; Typhones
Expulit, & ceſſit noxia turba Deo.
Hydruntum petijt pars, & pars altera Tuſcos,
Interijt victus terrorq́; vterq́; loco.
Hinc bona poſteritas immania corpora ſeruat,
Et tales mundo teſtificatur auos.

Sunt ibi officinæ, in quibus ſulphur paratur, & fiunt ex eo vaſcula & lagenulæ, ex quibus ſanitatis cauſſa multi bibunt. Hortus item Proregis D. Petri de Toledo amœniſſimus, cuius inſcriptio in fine horum locorum ponitur.

PONS CALIGVLAE.

Ante oppidũ à Puteolis per mare Baias vſq́; perductas III. M. & D.C. paſs. long. cuius tredecim adhuc pilæ in ipſo mari eminẽt, fuit iuxta caput pontis erutum marmor cum inſcriptione mutila tali.

Viam feci ab Regio ad Capuam, & in ea via ponteis omnis milliarios tabellariosq́; poſui, hincce ſunt Nuceriam milia: LI. Capuam XXCIV. Muranum LXXIIII. Coſentiam CXXIV. Valentiam CLXXXII. ad fretum, ad ſtatuam CXXXII. Regium milia: CCC. Hunc pontem fecit ad imitationem Xerxis qui Hellæſpontum ratibus iunxerat.

THEATRVM Puteolanum opere latericio valde collapſum, & arbuſtis ac ſenticetis repletum, cuius porticus, quæ vnica fuit & ſimplex, reliquo ædificio minus eſt corrupta.

LABYRINTHVS vt vulgò nominãt cellas habet longitudine inter ſe differentes, cellas XVI. perluſtrauimus in primo ambitu, & progreſſi totidem in altero. Labyrinthus ille non fuit, ſed centum

camarel-

camarellis, quales in aduerſo litore, & in portu Oſtienſi ſimilis ſtructura.

PVTEOLIS APVD S. FRANCISCVM.

Florentem meritis Chryſanti nomine famam,
Patria concelebrat, cuncti populiq; patresq;
Vocibus, & claros titulis conſignat honores,
Teq; tuosq; manet longos manſura per annos,
Felix prole viri dignos quæſitura nepotes,
Ac tu ſumme Deus Chryſanti reſpice gentem.

IBIDEM SVPRA PORTAS VICEREGIS.

Petrus Toledus Marchio Villæ Franchæ, Caroli V. in regno Neapol. vicarius, vt Puteolanos ob recentem agri conflagrationem palantes ad priſtinas ſedes reuocaret, hortos, porticus, & fontes marmoreos ex ſpolijs, quæ Garſia filius parta victoria Africana reportauerat, otio genioq; dicauit, ac antiquo inſtaurato purgatoque ductu, aquas ſitientibus ciuibus ſua impenſa reſtituit, à partu virg. M. D. XL.

IL FORO D' OGNI SABBATHO.

Propè Puteolos via Attellana, ex vtraq; parte moles cernuntur ſepulcrorum, partim rotundæ, partim quadratæ, quarum aliæ integræ ſunt & muſiuo opere, aliæ collapſæ. Pulcerrima eſt quæ vulgò Archo d' Cella dicitur, & poſt vnum milliare quadrata LXII. loca vrnarum habens, cuius laquearia muſiuo opere ſunt, & in medio Centauri imago puerum vehentis. Rationem autem ſepulcrorum veterum & vrnarum condendarum, nullo in loco cognouimus apertius, quam hoc vno. In Romanis etiam monumentis nullum ſimile.

LEVCOGAEI COLLES.

Sulphure fœcundi, in quibus etiam fons ſulphureus feruore maximo bulliens, quiq; ad duas & tres cannas impetuosè eleuatur, planities autem & vallis iſta, in qua fons eſt, vulgo la ſol fa tara dicitur, ſuntq; ibi multa foramina cum ſono & impetu grauē fumum, atq; etiam flammas emittentia. Genus ſulphuris album, prope etiam ſunt officinæ, in quibus alumen conficitur. Hos colles & vallem nec aues nec feræ incolunt.

BALNEVM ANAGNI.

Cui adiunctum ſudatorium, hoc eſt foſſa profunda ceſpitibus & ſaxis contecta, teſtudine autem aperta ingens fumus emittitur, qui ſudorem ſtatim prouocat, & multis morbis remedium affert.

Hoc in

Hoc in loco Paſcaſij Epiſcopi inuentum eſſe corpus à Germano Capuano Antiſtite, ſcribit in Dialogis ſuis Gregor.

CHARONEAE SCROBES.

Sunt ſpiracula mortiferum ſpiritum exhalantia, qualia in Sinueſſano Puteolanoq; agro ſcribit eſſe Plinius. Horum vnum eſt in monte Anagni paludi contiguo. Eſt autem ſpecus IIII, pedum longa, aut paulò protenſior, deorſum nonnihil vergens, anguſta atque humilis, in ea tàm lethalis aër incluſus eſt, vt quidquid animatum inijcias & ſpirans, id ſine motu & ſpiritu extrahitur & niſi ſtatim eximas, etiam planè exanimatur & moritur, nos in ranis & cane tentauimus, quando aliud nihil fuit, quas pertica immiſſa extraximus ſine motu exanimes & tumentes. Immerſæ autem vicinæ paludi breui ſpacio ad ſe redierunt, quod & in alijs animalibus, atque ipſis hominibus accidiſſe viri fide digni & graues homines multi Neapoli retulerunt, & teſtati ſunt eius loci accolæ. De tali hiatu & antro apud Babylonem AEgypti & Hierapolim Aſiæ ſcribit in Troiano Dion. & recenſet plura II. Plin.

OLIBANVS, ex quo ſilices exciduntur grandes & eiuſmodi, quibus Romanę viæ in vrbę & extra adhuc ſtratæ cernuntur.

BALNEOLVM, cuius antè meminimus, magnæ æſtimationis & cuius aquis importatis plurimùm vtuntur Neapolitani. Inde zephyro ſecundùm criptas Pauſilipi multas prætereuntes, quæ vel mare pertingunt, altero die Neapolim reuerſi ſumus.

HORTVS PROREGIS, qui eſt Puteolis, hanc habet inſcriptionem quæ ſuperius inſeri debebat.

Petrus Toledus Marchio Villæ Franchæ Caroli V. in reg. Neapol. Vicarius, vt Puteolanos ob recentem agri conflagrationem palanteis ad priſtinas ſedeis reuocaret, hortos, porticus & fonteis marmoreos ex ſpolijs, quæ Garſia filius parta victoria Africana reportauerat, ocio genioque dicauit, ac antiquo inſtaurato purgatoque ductu, aquas ſitientibus cimbus ſua impenſa reſtituit, à part. virg. M. D. XXXX.

ROMAM REDITVS PER CAPVAM, CAIETAM ET MARE TYRRHENVM.

NOM. ANTIQ.	RECENTIA.	MILL.	REGIO.	DITIO.
Neapolis.	Neapoli.			Regis Hiſpaniæ.
Atella.	Auerſa.	VIII.		
Capua vetus.	Caſati de Capua.	VI.		
	Tone francolin.	VIII.		
	L Agno.	I.	Cãpania.	
	Caſali de Seſſa.	II.		
Sueſſa.	Seſſa.	II.		
	Ponte della trauata.	IIII.		
Lyris.	Garigliano.	IIII.		
Scauli.	Scauli.	I.		
	Ponte di: ſt. Croce.	III.		
	Ponte di Trauerſa.	I.	Cãpania.	
Formiæ.	Mola.	II.		
	Ponte de S^t. Maria.	II.		
Caieta.	Cageta.	II.	Neapolitanum.	
ROMA.	Roma per mare Tyrrhenum.			

HOR-

HORTVS ET FONS REGIVS.

VVlgò Poggio Regal, villa amœniſſima, ab Aragoneis Regibus magnificè extructa, fonte ad delectationem facto, & conclauibus pulcris & picturis varijs. Ea à Gallis vrbem obſidentibus vaſtata, nunc paulatim inſtauratur, per medium hortum fluit Sebethus fluuius, ex Appenninis montib⁹ ortum habens, magno labore & ſumptibus introductus.

LEVCOPETRA.

VVlgo Pietra Biancha in litore exædificata à Bernardo Martyrano, regni Secretario, hoſpitio Imperatoris celebris, in ea propugnaculum horti & agri ampliſſimi, cœnatio æſtiua, Nymphæum quod præ cæteris admiratione dignius: parietes enim ex varijs concharum generibus ſunt facti, in quibus effictæ imagines XII. menſium IIII. virtutum, raptus Proſerpinæ, Turrium, Panis cum fiſtula in agro pecora paſcentis, Nympharum nantium, nauigantium, curribus inſidentium, in marinis monſtris equitantiũ, inter quos Helle inſidens arieti, Siren Delphino, Europa tauro. In eodem quatuor ſtatuæ antiquæ, Herculis leoninam geſtantis, Panis agnum baiulantis, adoleſcentis Genij, canis blandientis, puellæ nudæ, recens Arethuſæ nudæ, quæ ad cuſtodiam fontis ſupina cubat, cui ſuper impoſita facies ipſius Bernardi etiam ex marmore.

ANTE INGRESSVM VILLAE.

Hoſpes etſi properas, ne ſis impius, præteriens hoc ædificium venerator. Hic enim Carolus V. Romanorum Imperator debellata Africa veniens triduum in liberali Leucopetræ gremio conſumpſit, florem ſpargito, & vale M.D. XXXV.

IN TVRRI.

Vt diuino luſu defeſſus Pan Satyris Nymphisq; comitantibus cum Muſis ſimul tutus à prædonibus noctu quieſceret, Bernard. Martyranus Patricius Conſentinus Regni Neapolit. ſub Carolo V. Cæſare Secretarius, propugnaculum hoc erexit.

IN FORNICE NYMPHAEI.

Bernard. Martyranus Conſentinus, Imperatoris Caroli Cæſaris Auſtrij à Conſilijs, in regno Neapolit. Secret. qui magnis domi militiæq; functus honoribus decus vetuſtiſs. familiæ auxit ſua virtute & dignitate, poſt labores honeſtè fortiterq; ſuſceptos, ex opere nouo concharum Nymphæum hoc genio poſuit & ocio liberali M. D. XXXIIII.

SVPRA FONTEM.

Quæ modo Tyrrhenas inter celeberrima Nymphas,
Et prior ante alias forma Arethuſa fui.
Proh dolor in gelidos dum flagro verſa liquores,
Narciſci ingrati duritie hic lacrymo.
Haud procul hinc ſurgens ſubſtructo fornice terras,
Chratidis ad magni nobile labor opus.
Hic mihi de Conchis poſuit fulgentibus antrum,
Naiadum propter Neieridumq; domos.
Huius ego æternùm tanto pro munere nomen,
Quàm poſſum blando murmure teſtor aquæ.

Marcus Anton. de Bella opifex M.D.XXXVII.

VESVVIVS.

VVLGO MONTE DI SOMMA, AB ALIIS VEſuius, à Virgilio Veſeuus, mons Campaniæ è Regione Neapolis, cuius pars media longo tempore arſit, die fumum, noctu flammam emittens. A lateribus arboribus vitibusq; conſitus, & feraciſs. frugibus. Spectat ab oriente Neapolim, ad meridiẽ mare, à reliquis regionibus campos, in eius aſcenſu nonnulla ſacella conſtructa ſunt. Primum S. Mariæ de Pulagnella, alterum S. Mariæ de Stella, nunc dirutum, in cuius ruinis vrnam vidimus incredibilis magnitudinis, & columnæ marmoreæ ingentem partem terra obrutam: tertium S. Saluatoris. Priuſquam montis cacumen attingas, per tres campos planos iter faciundum eſt, quibus emenſis & ſuperato colle præcipiti peruenitur ad ipſum craterem, vnde flamma exarſit incredibili modo, temporibus Titi Veſpaſiani ſub Benedic: II Pontif. Max: quod incendium proprio libello deſcripſit Dion Græcus hiſtoricus. Crater hic amplior & profundior nouo iſto Puteolano, de quo ſupra. Materia quæ egeſta fuit grauis & nigra, circa craterem tamen leuior & rubea & fricabilis. In vertice nonnullis in locis adhuc fumum emittit, vbi terram effodientes ruſtici ſudatoria fecerunt, cauernulis etiam pluuiam aquam excipientes. Hic mõs procul aſpicientibus biceps apparet, ſiniſtro vertice altiore, latiore dextero. Sed hoc factum eſt propter terram in profundum crateris pluuijs & imbribus delabentem. Deſcendi autem in craterem ſine periculo non poteſt, quod cum in Puteolano nonnulli tentaſſent, triginta homines in eo perierũt: In Veſuuiano olim Plinius II. & Sale-

& Saleius Baſſus. Vinum quod in Veſuuio naſcitur, vulgo vin Græco, forſan inde, quod è Græcia huc vites translatæ. Latinis Pompeianum eſt, vide Plin. Dioniſ. Tacit. lib. xv. Vit. 11. Sueton. in Tito. Ad radices eius, vbi hodie la torre di Giopparelli, Palepolis erat, quæ vt ruinæ teſtantur, ad hortum & fontem regium vſq; extendebatur. Vbi hodie la Nontiata Herculanum ſiue Heraclea, ad quam commiſſum prælium inter Latinos & Rom. Tito Manlio Torq. & Pub. Decio Coſs.

ATELLA.

OPPIDVM CAMPANIAE IN AGRO LABORINO ſitum, quem Phlegræum campum Græci nominant, rerum ad victum neceſſariarum copia affluens, olim nulla re magis, quàm impuritate & laſciuia nobile. Vnde etiam genus quoddam Comœdiæ Latinæ nomen fuit ſortitum, olim theatrum maximum habuit, cuius nihil nunc reliquum eſt. Ante ingreſſum portæ ex vtraq; viæ parte ſunt tabernæ. Arx in ea antiquiſſima à Guiſcardis ædificata, Templum Cathedrale ſatis amplum, & in binis ordinibus XVIII. columnas ingentes habet. In eo ſepulcrum recens Medici cuiuſdam, quod humeris ſuſtinet Ariſtoteles & Auerroës.

IBIDEM.

Quæ nullo tibi fluctuet tumultu
Æterna eſt animæ paranda ſedes.

ALPHONSI BAZOLI.

Hic iacet Alphonſus Bazolus, Cæſaris armis
Clarus, & Hiſpano ſtemmate magnus eques.
Interijt longa confectus febre, reliquit
Exuuias terræ, ſeq; animamq; Deo.

ACTILII RVFI ET VXORIS.

Pub. Actilio Rufo & Actiliæ Beronicæ vxori: Vixere ann: XXIV. Sed Pub. Menſ. x. ante natus eſt eadem hora, fung. eſu ambo mortui ſunt, ille acu, iſta lanificio vitam agebant, nec ex eorum bonis plus inuentum eſt, quàm quod ſufficeret ad emendam pyram & picem, quibus corpora cremarentur, & præfica conducta & vrna empta atq; indulgentia Pontificum locus datus eſt.

DE NOLAE SITV SYL. ITAL.

Campo Nola ſedet crebris circumdata in orbem
Turribus, & celſo facilem tutatur adiri
Planitiem vallo.

CAPVA VETVS.

VRBS CAMPANIAE A TVSCIS CONDITA, ET dicta à Rege Capi, vt Virgilius: à campis vt Cicero & Plin: quod illius loci fuerit caput, vt Strabo: à Duce Capuo, vt Liuius: opulentiſſima, ampliſſima, ornatiſſima, quæ Annibalem armis inuictum, voluptate & delitijs fregit. Semper habuit populum arrogantem & ſuperbum, à Vandalis & Longobardis ſolo æquata, nunc in villas abijt, mirando fortunæ & rerum humanarum exemplo. Cur autem capta à Romanis euerſa non ſit, exponunt Cicero & Liuius. Eius magnificentiam ruinæ oſtendunt, in quibus aurea, argentea, ænea numiſmata, gemmæ, marmora, aliaq; luxus indicia quotidie ab incolis effodiuntur. Inter ruinas præter cætera inſigne amphitheatrum marmoreum, quod quatuor porticus videtur habuiſſe, quarum extrema ex ingentibus quadratis lapidibus fuit, non calce cæmentouè ſed ferro plumboq; compactis. Ingreſſus patuit locis duobus, qui adhuc penè integri ſunt, & viſuntur bina capita marmorea, vnum viri, alterum mulieris, præterea fornices quidam ſubterranei ita deducti, vt ſi quartus adderetur, quadrangulum efficeret, habuit in vniuerſum feneſtras XCVI. lumen ſupernè præbentes, ianuas triginta. Lati ſunt etiam & ampli, ſed ad quem vſum extructi ſunt, incertum eſt. Extat inter vineta etiam portæ vnius locus, & ſiue templi ſiue thermarum veſtigia, vbi nunc eſt monaſteriolum Capucinorum. Totus autem ille locus qui habitatur, & qui Capuæ nomen habuit nunc, S. Mariæ dicitur, à templo ibi exædificato, duobus à Capua noua milliaribus habitata. Capuanus ager totius Italiæ fertiliſſimus in hunc quoq; diem, & vt alere reliquam Italiam poſſet, adiacent illi montes à Septentrione Tiphata appellati.

CAPVA NOVA.

EX VETERIS CAPVAE RVINIS CONDITA, quo autore ignoratur, ſita in planitie & ipſa ſatis magnifica, commodè habitata, ſed infrequens, ſtrata ſilicibus, plateis amplis & rectis, altis ædificijs, Alluit eam ab ortu & ſeptentr. Vulturnus fluuius, indeq; in occaſum reflectitur, pons ſupra amnem lapideus quinq; fornicibus in medio, ab vtroq; latere duabus turribus antiquis & firmis ex la-

ex lapide quadrato, quæ æquales ſunt, ea parte qua pontem reſpiciunt, qua fluuium rotundæ, ad eum pontem veſtigia viæ Appiæ. Templum S. Benedicti dicatum Iſidi fuit. Apud S. Stephanum in veſtibulo columnæ xx. in æde xxiv. Viſuntur ibidem quatuor ſepulcra antiqua, in quorum vno ex parte vtraq; leones, in altero centaurorum imagines. Seſſiones in ea quatuor Caualleriorum Iudicum, Antignana, Siticella. Regitur eadem ijſdem Magiſtratibus, & eadem forma Reipublicæ qua Neapolis, ciuium mores ſuperbia ab antiquis non differunt: Poſt vrbem Romam nullo in loco plura antiqua Epigrammata, ſed ita vetuſtate conſumpta, vt dimidiata pars legi vix poſſit. Quoniam autē murorum & ædium parietibus incluſa ſunt, iniuria vulgi & tēpeſtatū omnino abolentur.

VOTVM BENNON. EPISC. MISNENSIS.

IN D. STEPHANO.

Quis pater hic? Benno, Miſnenſi notus in ora,
Mille dedit populo mira vel iſte pater.
Piſcis habet claues, dic quare? Bennone magno
Ad ripas imo iuſſus ab amne tulit.
Quod ſi cœlicolas inter numerabis amore
Ingenti, tanto vindice ſoſpes eris.

AD PONTEM.

Ferdinando & Eliſabeth Hiſp. Sicil. Regibus Catholicis victorioſisq; Deo auſpice & Gondſalui Ferdin. Cordub. magni Capitanei maxima virtute, confectis aduerſus Gallos, Calabros, Appulos, Campanos tribus atrociſs. bellis, acquiſito ſibi poſterisq; regno hoc, ob eximiam victoriā Alphonſus Caruail inter equeſtres militiæ duces præclaros gratiſs. fideliſsimusq; conſtrui iuſsit M. D. IIII.

Ob reſtitutam viam inundatione aquarum interruptam Antonio Pio ſtatua poſita.

Inſcriptionem habes in Appiani antiquitatibus 131. titulo Capuæ in ponte.

IN PORTA CASTELLI.

DE CAROLO V.

Eſt tua quadrigis maieſtas digna, ſed vrbe
Romulea niueis ipſa vehetur aquis.

LEONIS PAPAE TVMVLVS.

Fui non ſum, eſtis non eritis, nemo immortalis.

IN PORTA MONASTERII Annunciatæ.

Hoſpita ſum miſeris ſemper amica bonis.

IN PORTA.

Sub muro quondam tripedali & penè labenti,
Campani aſſueti Regum benè iura tueri,
Vt melius ſit res olim defenſa Philippi,
Muniri firmis curarunt arcibus vrbem.

VVLTVRNVM.

ROMANORVM NOBILIS COLONIA, QVAM Triumuiri T. Sempron. Longus, qui tunc conſul erat, M. Seruilius, Q. Minutius Thermus deduxerunt, ſita ad eiuſdem nominis fluuium, loco fertili & amœno, vulgo Caſtel amaro di Bortono, ad eam locata vrna lapidea ſic inciſa:

Aquas Caſilini Fluminis mortuis grauatas, ſuſcepit Tyrrheni maris littus, quando Francorum gentem occidit Auſonius enſis, vbi miſero hæc geſſit morem Bultino.

Eo loco vbi nunc Calui in Falerno agro Cales fuit ciuitas vetuſta, ab Auſonibus habitata, cuius ager vitifer, eius nominis vini quod Horatius Aminæum vocat.

SVESSA.

OPPIDVM CAMPANIAE, ROMA IPSA ANTIquius, olim Tuſcorum Metropolis, ſitu inæquali, & in longum protenſo propter collem, in quo extructa eſt, vini frumentiq; ferax, Maſſico Calenoq; montibus adiacens, nec procul ab ea Falernus ager fuit: dicta quondã Pometia, & aliquãdo Arunca, ſiue etiam Sueſſa Sedicina, ad differentiam Sinueſſæ, quæ eſt in ſaltu Veſtino, eo loco vbi olim fuit Græca vrbs Synope, vulgo Rocca di monte Dragone. Et Maſſicus mons vulgò monte Garo. Aruncæ veſtigia etiam extare dicuntur prope villam Aruncalem iuxta montem Barbatum, vbi & vetus Aruncanus pons eſt, flumine tamen ſuper quod extructus fuerat, exſiccato. Apud S. Ioannem veteris ædificij cum ſubterraneis meatibus ruinæ ſunt, ibique amphitheatrũ ampliſſimum fuiſſe dicunt, ſed ita collapſum, vt iuditium de eo fieri nequeat.

ANTE S. MATTHAEVM.

Imperat: Cæſar: Carol. V. Auguſt. Philippi filio Tunete expugnato, huc iter facienti Sueſſani.

IBIDEM.

Imperat. Cæſari. Carol. V. Auguſto, Solymanno Turcarum Rege Pannonia pulſo Sueſſani.

Sunt & aliquot antiquæ inſcriptiones marmoreæ, pulcerrimæ & integræ, quæ alibi.

CAIE-

CAIETA.

OPPIDVM ET PORTVS LATII, VT STRABO vult, à ſinus curuitate nominatum, Laconum ſermone, vt alij, à Caieta nutrice AEneæ, olim Leſtrigonũ patria, in monte ſitum, domos altiſſimas habet, & anguſtiſſimis plateis diuiſas, porticus perpetuas & labyrinthos. Muri domorum tenues, ſed firmiſſimi propter calcem & bitumen. Mons in quo poſitum, & natura & ingenio nunc factus munitior, eſtq; oppidum cum ſuo promontorio quaſi peninſula, ad Septentrionem enim tantum continenti annectitur. Suburbium longum, & iuxta litus protenſum. In monte meridiem verſus templum eſt S. Trinitatis, poſt quod deſcenſus in ſacellum S. Crucis, in petra, tempore paſſionis Dominicæ terræ motu miraculoſe ſciſſa, ædificatum. Ita certe diuiſa eſt, quacunq; tandem vi id factum, vt videatur coniungi rurſus poſſe: per ipſam infra ſacellum cum magno ſonitu mare tranſit. Nos in mola ſaxea tota nihil vnquam ſimile vidimus: Arcem ibi munierunt Reges Neapolitan. in qua turris altiſſima, eadem tenuitate muri, qua oppidi ædificia, ſed terræ motu tota conquaſſata & propemodum corrupta. Sepultus in templo arcis Dux Borbonius clariſſimus noſtrorum tẽporum vir, Romæ tormento bellico ictus, cum murum aſcenderet, & à Franciſco primo Gallior: Rege ad Carol. V. defeciſſet. Mulieres præ reliquis pulcras habent Puteoli & Formiæ pulcerrimas Caieta. Portum Caietanum perfecit Antoninus Pius Imp. Sed nũc eſt nullus.

IN SACELLO PETRAE SCISSAE.

PETRO LVXANIO.

Hiſpano, qui plurima Ferdinand: Regi Catholico anno XLVII. domi foriſq; officia præſtitit, atq; ob fidei raritatem Caietanæ arcis præfectus, & primus qui primum lapidem in fundamentis murorum hunc montem obeuntium iecit. Demum cum ab eodem in Hiſpaniam accerſeretur, inter eundum Ticini languore preſſus expirauit. Rodericus à collegio præſidum Cæſaris in ærario fratri optimo ac benemerentiſſimo hoc in ſacellum, quod ille ſua impenſa inſtaurauit, oſſibus relatis, amoris & pietatis argumento mœſtis: poſ. Deceſſit ex humanis Anno LX. Idib: Iulij M. D. XIIII: à virgineo partu M. D. xxxiv. Idib. April. expletum.

BARTHOL. VLIARII CARDINALIS.

Hic iacet Reuerendiſſimus in Chriſto pater, D. Bartholomæus de Vliarijs de Padua, Dei gratia tit. S. Pudentianæ presbyter Cardinalis, Paduanus, Regni Siciliæ ſedis Apoſtolicæ Legatus, qui obijt die xvi. Aprilis. M. CCC. xcvi. Indict. IIII.

Vnica Cardinei fueras qui gloria cœtus,
Hæc te petra tegit, Patauinus mœnibus ortum,
Almas inter nunc animas lætaris olympo.
Miſſus eras partes demum legatus ad iſtas.

Cum

Cum tibi viuaces mors inuida ſuſtulit annos.
Vnanimis quidquid condignum munere fama
Scire datur, ſtudijs ſublimi mente locaſti,
Longa tuum meritis clarum per ſæcula nomen
Non adimet ſuprema dies, tua viuida virtus
Nunquam morte cadens omni memorabitur æuo.

IN SEPVLCRO.

Silius Paladius vt moriens viueret, vixit vt moriturus.

ANTIVM.

VVLGO CAPO DE ANTIO, QVOD ANTE alias vrbes in maris litore poſita ſit. Oppidum vetus à Tiberio & Druſa Germanico, ad laborum ciuilium relaxationem otiumq; conditum, & magnificis ædificijs ornatũ, præcipuè tamen Caſtoris & Pollucis templo, quos ſeruatores ſuos nominabant, & Fortunæ, cuius Horatius meminit.

O Diua gratum quæ regis Antium.

Nero eius portum atq; ipſum oppidum tam inſanis molibus extruxit, vt non modò ærarium, ſed Rom. quoque imperium pecunijs exhauſerit. Eius mirandæ vndique extant ruinæ. In nemoribus & maris littore prope erat Aphrodyſium, vbi clarorum laudes decantabantur. Lucus item Iouis Indigetis, & fluuius Numicus, in quo AEneas perijt, cui epigraphe poſita:

Patri Diuo Terreſtri.

A Caieta huc nauigauimus, & inde Oſtiam, de qua ſuperius, in deſcriptione locorum circa Romam, & ſic Romam reuerſi ſumus.

Hæc ſunt inciſa muro erecto ſeparante ſtatum Eccleſ. à Regno Neapolitano:

Philippo II. Catholico regnante, Præfectus Aliala Dux pro Rege.
Hoſpes hic ſunt fines regni Neapolitani.
Si amicus aduenis.
Pacatè omnia inuenies,
Et malis moribus pulſus bonas leges inuenies.

M. D. LXVIII.

FINIS SECVNDI LIBRI
ET ITINERIS.

MONVMENTO-RVM ITALIAE,

Quæ hoc noſtro ſæculo & â Chriſtianis
poſita ſunt,

LIBER TERTIVS.

Editus â
LAVRENTIO SCHRADERO
HALBERSTADIEN:
Saxone.



Cum Gratia & Priuilegio Cæſareo.

HELMAESTADII
Typis Iacobi Lucij Tranſyluani.

M. D. XCII.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO IN CHRISTO PRINCIPI AC DOMINO, Domino Philippo Sigiſmundo, Poſtulato Oſnabrugenſi ac Verdenſi, præpoſito Halberſtadenſi, Duci Brunſuicenſi & Luneburgen. Domino ſuo colendiſsimo & gratioſo.

ETSI ILLVSTRISSIME ET REVErendiſsime Princeps, Domine mi gratioſe, nullo tibi ſeruitio ſim obſtrictus: maioribus tamen & prædeceſſoribus tuis in Eccleſia Oſnabrugenſi per annos ferè XXX. operam & fidem eam probaui, quæ me gratum bonis, grauibusq́; viris, adeoq́; toti dioeceſi reddere potuiſſent. Varias ſiquidem & multas legationes in cauſsis grauiſsimis ſubiui & confeci; bis terue ad Pontificem: ſexies vel ſepties ad inuicem ſibi ſuccedentes Imperatores Romanos, Ferdinandum, Maximilianum II. & Rodolphum, nec non ſacri Imperij electores & principes varios; vt taceam Galliarum & Daniæ Reges, itidemq́; proregem Belgij, nam ſemel tantùm eæ incidere. Comitia itidem Auguſtana & Spirenſia, eorum tempore celebrata inuiſi, atq; ſic omnia quæ à fideli miniſtro in Dominos & Principes proficiſci poſſunt officia aduſq; præſtiti. De excellenti tamē doctrina non eſt quod iactitē: ſed extremæ fidelitatis cùm mihi ſim conſcius, non immeritò me fidelem ipſorum miniſtrum prædico & appello. Quo veró reſpectu illa omnia ſint accepta ipſe ignoro, videantq́; & reſpondeant ij, qui minùs & vilius habent, quàm debebant. Ea propter à fide Principi patriæ debita nihil recedens licebit mihi in Celſitud. tua ipſorū manes piè venerari, cùm ea laude præfuerint, vt omni commendatione digniſſimi ſint, poſterisq́; & ſucceſſoribus imitandi & ſuſpiciendi. Cùm autem monumentum aliquod illius rei extare dudum exoptauerim, animus quidem erat, opuſculum, cuius titulus eſſe debebat: ITALIAE STATVS PRAESENS COLLA-

TVS CVM PRISCO, perficere, atq; illud ſub illuſtri tuo nomine & auſpicio in lucẽ mittere. Verùm quia morbis ſubijcior varijs in hac ingraueſcente ætate, neq; etiam ea quæ ad operis abſolutionem & perfectionẽ pertinent, ab amicis recipio, incertũ ſit an abſoluere poſſim: hanc tertiã partem monumentorũ Italiæ præmittre, tuæq; Celſ. dicare & hac exili opella voluntatẽ & affectionem meã ad minùs declarare & prodere volui: quam ſi probaueris & vaſalli fidem exin atq; in alijs tibi probatam, benigno fauore proſecutus fueris, eſt quod gaudeam, animumq; meum ita incendes, vt ad alterius operis perfectionem alacriùs accedam, atq; appendicis loco multa quæ habet Germania præclara addam, alioſq; inuitem, vt in ea perficiant, quæ hic in Italia præſtita & abſoluta vident. Dignum id eſſet, & omnibus principibus eorumq; maioribus magno ornamento. Si enim ſolum Danielis Ranzouij, Proregis Holſatiæ, librum, quem in talibus edidit, euolues, ſatis argumenti habes quàm luculentum & glorioſum foret idem præſtare de tota Germania, dulciſs. noſtra patria, in qua tot Imperatores, tot Reges, tot Principes, tot viri præſtantes ſunt tumulati, & ſuis epitaphijs condecorati. Fateor magnificentia Italica ſuperare: erant enim maiores noſtri in talibus ſimplices & minus ſuperſtitioſi. Interim doctrina, virtus & fortitudo ipſorum conſideranda eſt, & poſteris per manium reſuſcitationem ob oculos ponenda. Et foret fęlicis operæ, ſi quis ſolummodò tentaret, & manus operi admoueret.

Interim hæc propoſita ſint ad imitationem, & Celſit. tuæ, atq; prædeceſſorum tuorum pijs manibus dicata. Quæ pro innata ſua bonitate & virtute eo loco vt habeat, quo animo à me profecta ſunt, etiam atq; etiam rogo, meq; Celſit. tuæ obſequenter offero. Oſnabrugæ Calen. Septembris Anno M. D. XCII.

Celſitud. tuæ

Obſequentiſs.

Laurentius Schradæus.

LIBER

LIBER TERTIVS.

CONTINENS ITER VENETVM EX VRBE ROMA.

NOM: ANTIQ:	RECENTIA.	MILL:	REGIO.	DITIO.
Roma	Roma			
	Prima porta	VII.		Pontificis
	Caſtel nouo	VIII.	Latium.	
	Rignano	VII.	Sabini.	
Otriculum	Otriculi	XVII.		
Narnia	Narni	VII.		
Intetamne	Terni	VII.		
Salſubium	Coſtazaro	IIII.		
	Valſtratura	II.	Vimbria	
	Aſomma	III.	Ducato	
Spoletum	Spoleti	III.	di	
Mutiſcæ	Treui	III.	Spoleto	
	S.ᵗ Oraſo	IIII.		
Fulginia	Foligno	I.		Pontificis
Hiſpellum	Spelle	III.		
Aſsiuium	Siſi	IIII.		
	S. Maria delli Angeli.	II.		
Peruſia	Peroſa	X.		
	Ponte de vall. Zippo.	II.		
	Ciuitella	III.	Hetruria	
Planellum	Pianello	II.	Tuſcana	
Aſis fl:	Ponte nouo	IIII.		
Vallis Aſina	Vall' d' Aſina	III.		
Foſſatum	Foſſada	III.		
Faberianum	Fabrian	VII.		
Chientus	Chiano	I.		
AEſis	Fiumeſum	I.		
	Feretre	II.		
Matilica	Matelica	III.		
Sanſeuerinum	S. Seuerin	VII.		
Potentia	Potenza	XX.		
	Monoca	II.		Pontificis.
AElia Ricina	Recanati	III.		
Lauretum	S. Maria	III.		Pontificis.
Muſo	Mugnone	I.		
Ancona	Ancona	X.		
AEſis	Fiumeſin	X.		
Senogallia	Senogallia	X.		
Miſa	Marotto		Picenum	
Metaurus	Metere		La	

NOM: ANTIQ:	RECENT:	MILL:	REGIO.	DITIO.
Fanum Fortunæ	Fano	XV.	Marcha	
Argilla	Arzilla		Anconita	
Piſaurum	Peſaro	V.		
	Mont' Abhate	VII.		
Hoſpitia III.	Capon	IIII.		
	Galbo	III.	Ducis Vrbini	
Idaſpis	Lepſa	III.		
Vrbinum	Vrbino	II.		
Iſaurus fl:	La foglia	VI.		
Quadenna	Quadena	II.		
Cruſtumium	Conchlia	III.		
Mons floræ	Mont' fior	I.		Pontificis.
Curianum	Curian	VI.		
Ariminum	Rimini	X.		
Rubicon fl:	Bellære	X.		
Traiectus AEſis	Fiumeſin	V.		
Portus Ceſenæ	Ceſenadigo	II.		
Ceruiæ Traiectus	Ceruia	III.	AEmilia	
Iſapis	Sauio	V.	La	Pontificis.
Rauenna	Rauenna	X.	Romagna	
Spinetium	Primaco	XV.		Ferrarien-
Capraſiæ	Magna Vacca	IX.		ſis ducis.
Valanæ	Volarni	XVIII.		
Gorum	Goro	XVIII.	Venetia.	
Fornaces	Fornace	XVIII.		
Philiſtinæ foſſæ	Foſſon	VIII.	Maria	
Brundulum	Brondolo	IIII.	Triui	Veneto-
Foſſa Clodia	Chioza	III.	Sana	rum.
Portus Medoaci	Malamocco	XV.		
VENETIAE	VENETIA	X.		

A CA-

A CASTEL NOVO.

IN VIA PVBLICA.

CLARIX COLVMNA ANGVILLARIA VIAM FLAminiam antea dirutam, ſpinis & terra altè obrutam, labore & impenſa oppidanorum Caſtri noui purgatam aperuit, iuſſu Gregorij XIII. pijſſimi principis. Paulus Bubalus præfectus viarum curab: M. D. LXXX.

OTRICVLVM.

VVLGO OTRICVLI, SABINORVM OPPIDVM IN monte poſitum. Huc vſq; ex Roma nihil aliud præterquam ruinæ cernuntur, & reliquiæ viæ Flaminiæ. Eo loco vbi pons ſupra Tybrim Flaminiam coniunxit, fuit Ocrea, cuius veſtigia quædam apparent.

SVPRA PONTEM ANTE OTRICVLVM.

Monte ſub hoc triplici cunctis fuit vnda ſalubris,
Quæ leuet arentem ſi cupis apta ſitim.
Siſte gradum, repara vires hoc ponte viator,
Hic precor vt vireat, mons ſimul iſte diu.

INTRA OTRICVLVM ET NARNI.

Gregorio XIII. P. O. M. ſedente, viam hanc Boncompagnam conſtruxit & aperuit Io: Ant: Oliua de Aquila I. V. D. Narniæ Gubernator Anno M. D. Lxxvii.

NARNIA.

VMBRIAE VEL SABINORVM VT ALII VOLVNT oppidum, à Nere fluuio dictũ, in alto montis ſitum loco iniquo & aſpero, bello vaſtatum ac penè dirutum, in extrema vrbis Romæ expugnatione ſub Carolo V. Cæſare Auguſto: Plinius Nequinum vocat. Cathed: templum D. Iuuenali dicatum eſt, & Monaſterium extra portas D. Hieronymi pulcerrimum.

IN PORTA SVB IVLII. III. PONTIF:
Max. inſignijs.

Narnia barbaricis quondam vexata ruinis,
Monte ſub hoc triplici ſæcula tuta gerit.

INTERAMNE.

VVLGO TERNI DICTA, QVOD INTER AMNES & lacus Veliternos ſita, oppidum Vmbriæ, Romanorum Colonia, in plano fertiliq; loco poſitum, tanta pabuli

 buli

buli circùm lætícia, vt prata irrigua vno anno quater ſecentur. Plin: laudat rapas & braſicam huius loci, easq́; interdum 40. libras excedere compertus ſum. Vinum optim: Vernaccia: Ptolomæus libro III. Prægutiorum ciuitatem fuiſſe aſſerit. In foro ſtatua conſpicitur, cuius baſi inciſum: NEPTVNO SACRVM.

DEIN ALIVD SIC:

CLODIAE SECVNDAE.

Quanta pietas fuit in hac adoleſcentia, fides, amor, ſenſus, pudor, atq́; ſanctitas, noli dolere amica euentum meum, properauit ætas, hoc dedit fatum mihi.

SPOLETVM.

VMBRORVM OPPIDVM COLONIA ROmanorum, à quo nunc tota Vmbria Spoletinus Ducatus vocatur. Vrbs inæqualiter condita, ager vini, olei, frumenti feraciſſimus. Arcē habet munitam, quæ ſemper à propinquioribus Pontificis gubernatur. Poſt arcem aquæductus eſt, per quem duo fontes ex duobus decurrentes in vrbem omnesq́; vrbis plateas deducuntur. Palatium ibi extruxit Theodoricus Rex Gothorum dirutum, poſtea refecit Narſes Eunuchus Regius: in eo ius dicunt ſeptemuiri Spoletini, quibus in conſilio adſunt alij LX. forma Reipub: Summa tamen poteſtas eſt penes gubernatorem Pontificis. Pertinent ad Spoletinæ vrbis ditionem multa loca circumiecta, ſed hodie illis multa erepta à Pontifice. Templum Beatæ virginis paucis cedens, quæ hoc itinere vidimus, ex vtraq; parte vſq́; ad altare ſummum pilas habet XII. longum pedum CLXIIII. latum CVIII. Ciborium quod vocant & baptiſterium pulcra, & multi ſarcophagi, præſertim cuiusdam Heremitæ: Extra vrbem templum antiquiſſimum Concordiæ. Liuius prodigia vnius tempeſtatis enumerans, narrat Spoleti ex muliere factum virum.

IN S. MARIA.

SVB ARMATI HOMINIS TRVNCO.

SEVERO MINERVIO.

Hermodori Miner: F. toga ac armis claro, ciui optimo, formæ dignitate conſpicuo, proſternata Respubl: in ſui deſiderij monumentum hoc poſuit. Vix: ann: XL. Mens: VI. D. V.

IACOBO PHILIPPO BIANCALIONI.

Spoletino, fortiſſimo viro, qui ſtrenuis factis & laudem ſibi, & gloriam patriæ peperit, nimia virtutis fiducia in inſidias lapſo & ſæuè trucidato, filij, mater, ac materter,

tertera, patri benemer: d.Vix: ann: xxxiiii. Eies viii. cum maximè proficere debuit, interceptus eſt.

FABII TVBERTI.

Nobili equiti aurat: & horarum omnium viro, Ill: Fabio Tuberto Ceſenat: vtraq; Pallade ſatis claro, dum Spoletum pro Alexand: Farneſio gubernaret, virtuteſq; ſibi digniora promitterent, invidente fatorum nomini vita functo. Polydorus & Aurel.: pientiſs: fratres patri benemer: pos: Vix ann: LI. Mens: VI. dies VIII. Obijt IIII. Nouembr:

THEONORAE BVRSINAE.

Coniugi cariſs: Seuerus Mineruius benè mer: pos:

Vitam ego te geminam vixi viuente, fuiſti
Supra hanc quam viuo tu quia vita mihi.
Morte tua exanimis viuam, nam conditur vna hîc
Maxima tecum animæ pars Theonora meæ.

FRVOSINI CELSI.

Fruoſino de Celſi che fu de Fruoſino aſſettato ch egli hebbe la roba & acconcio læ ſuæ Brigate, accommodo me deſimo in queſta ſepultura dope ch fu ſtato al mondo LXXI. anni.

LVCII TONELI.

Qui dentro e morto Lucio Toneli di ſopra viue.

DERIANDRI.

Deriandro ſe riposã ch giuocho il ſuo, & mangio quel d' altri.

CORNELIO BENEDICTO.

Canonico Spoletino, morum & probitatis exemplo XXX. & VII. vulneribus fracto pacis fœdere crudeliter confoſſo Anno Domini M. D. XII.

FRANC: VRSINI.

Hic iacet aurata Franciſcus torque ſuperbus,
Patria cui fuerat Roma, ſed Vrſa domus.
Vix quater Elei numerabat præmia curſus,
Dum cupidum ad patrem parca recluſit iter.
Spoleti cineres, requieſcit ſpiritus aſtris:
Nominis at toto ſpargitur orbe iubar.

Ioan: Franciſc: eq: Vrſino N. pater benè mer: pos:

PHILIPPI PICTORIS.

Conditus hic ego ſum picturæ fama Philippus,
Nulli ignota meæ gratia mira manus.
Artificis potui digitis animare colores,
Spirataq; animos fallere voce diu.
Ipſa meis ſtupuit natura expreſſa figuris,
Meq; ſibi faſſa eſt artibus eſſe parem.
Marmoreo tumulo Medices Laurentius hoc me
Condidit, ante humili puluere tectus eram.

IN CIBORIO.

Nobiſcum hic habitat cœlo qui regnat in alto.

IN D. GREGORIO.

EX VOTO.

Galliæ Rege Duceq; Carolo, Italiam incurſantibus Pia Calledonia patriæ

triæ timens, ne Galliam occuparent, Deo opt: Max: Saluatori, Genetrici, Thomæ, Auguſtino, Ian: Baptiſtæ, Antonio, ſacrum vouit, quod exaudita ære ſuo fieri curauit.

IN MVRIS CIVITATIS TREVII.

Gregor: XIII. Sedente Baptiſta Volta Bononien: gubernator viam latam ac facilem à Camerini ad Freuij fines nouiter erigendam ac ſternendam curauit, & ob memoriam inſignia ſui principis & ſua hic apponere fecit, Anno Domini M. D. LXXVIII.

FVLGINIA.

VLGO FOLIGNO, LAVTVM VMbriæ oppidum, & ſatis commodè habitatum incrementa accepit, vt quidam autumant, ex ruinis fori Flaminij. Alluitur à Tinna paruo & inglorio flumine, Tinna il Topino dicitur & coniungitur cum Aſi, vnde Chiagij & Topini nomina Blondus confundit. Conditum eſt hoc oppidum in orbem, & à tribus partibus habet monaſteria D D. Auguſtini, Franciſci, Dominici, templum D. Feliciani, opus nouum & ſatis pulcrum. In foro palatia tria: in vno habitant VII. viri Fulginates, ad quos primum ciuiles controuerſiæ deferuntur, funguntúrq; magiſtratu bimeſtri: In altero Prætor, qui grauiores cauſſas dijudicat, cuius munus durat VI. menſes: In tertio & cæteris Gubernator, cui ſumma poteſtas nomine Pontificis tribuitur. Reliqua item ædificia pro illius oppidi dignitate ſatis ſunt culta ac magnifica.

IN AEDE CATHEDRALI.

Iſidorus Clarius Brixinen· Fulgineæ iam VII. annis Epiſcopus, vita & moribus integerrimus, exemplo & verbis admirabilis, doctrina clariſs: Chriſtiana Græcaq; Hebraica & Latina, mira in pauperes caritate ignitus, annum ſuæ ætatis circiter LX. agens, acutiſsima correptus febre, patientiſsimè placideq; obdormiuit, ac XL. poſt mortem horis ob aſſiduam populi deoſculationem maximis cum lacrymis eiuſdem non fœtens certè, proh mirum, ſed redolens hic ſitus eſt; die XXVIII. Maij M. D LV.

IN FRONTISPICIO ECCLESIAE.

Pulcrum fuit naſci, ſed ſalubrius redimi.

LEONPHILO CIBO.

Iureconſulto & Epiſcopo Pennen: & Adicen: qui vix: ann: xxiv. Petrus & Marius optimo patruo meritiſſimi Anno Chriſti M. D. Lx.

AD INSIGNIA FABII EPI. FVLGINEN:

Bona mens, bonus animus, cum bonis benè agier.

IBIDEM.

Antoni nos tua prece cuſtodi.

IN S. FRANCISCO.

SYBILLA LYBICA.

Iam noua progenies cœlo dimittitur alto:
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.

SYBILLA CVMANA.

Ecce virgo Domina gentium tenebit in vtero eius regem ſæculorum.

IN S. AVGVSTINO.

Laurentij Boſchij Saonen: viri optimi reliquum in hoc loco ſitum eſt, potiorem partem ob rectè facta cœlum habet. Innocentiæ Boſchæ filiolæ infantulæ, blandulæ, vagulæ Laur: Te: Franc: Ligures Saonen: ciues PP. M. D. xxxviii. Vix: an: ix.

IN D. FELICIANO.

Iulio II. *Opt: Max: Pontif: quod Luca Cibo Epiſcopo Fulginij exorante annuo ſubſidio clerum perpetuo liberauit. Canonici liberaliſsimo principi poſ: M. D.* XII.

Clement: VII. *Pont: Opt: Max: quod autore Franciſco Armelino Medic: presbyt: Card: S. D. N. & S. R. E. Camerario et Federico Flauio Archipresbytero ſupplice xxv. aureorum nummos, ad omnem rerum ſacrarum apparatum addixerit: D. Feliciani Sacerdotes benè mer: poſ: M. D. xxvi.*

Paulo III. *Pontif: Max: quod xxv. auri nummos Eccleſiæ D. Feliciani à Clemente* VII. *Pontif: Max: addictos approbauit, totidemq; Friderico Saluio deprecante in perpetuum condonauit. Sacerdotes poſ: Idib: Nouemb: M. D. xxxv.*

Ad mortem properas vel ſi hic paulum ipſe moreris
Siſte gradum, cœptum tutius vt ſit iter.
Tutum iter ad mortem, tutum, ſi viuere temnas
Vt viuas: vitæ hæc cura ſit vna tuæ.

VGOLINO CRISPOLTO.

Peruſia genus & nobilitatem, Vectonium ſedem & honeſtas opes, Fulginia vxorem & vrnam dedit.

IN PALATIO.

Depicta imago fœdata facie: Benè veneritis.

Dum bona verba precor multum mihi deſtruis atq;
Lumina: diſpereas ſi mala verba iuuant.

ANTE AEDES PRIVATAS.

Sit felix quicunq; ſtabit.

IN PONTE INTRA FVLGINIVM ET SERAVALLE.

Lucas Broncaleo, Ioannes Martinus, Ioannes Ioſeph, Chilius præfectus tranſeuntibus machinis bellicis à Peruſia ad Anconæ munitionem, duce Cæſare Guaſcone Pont: Pij v. anno 11.

ASSISIVM.

VVLGO SISI, AB ASI FLVVIO, VMBRIAE OPpidum edito in colle ſitum, cuius condendi autor exſtitit Propertius Poëta, qui Axim vel Aſſim nominat, natalibus & ſepultura D. Franciſci celebre, qui ibi duo templa, alterum alteri impoſitum habet magnificentiſſima, ex ſolis lapidibus, nulla planè ligni materia adhibita, extructa magnifico opere & ſuperbo, in conuentu ſunt Lxxx. fratres: Ibi eiuſmodi barbarum eſt Epigramma:

Qui Pſalmos reſecat, & verba Dauidica truncat,
Non plus inde feret, quàm ſi ſua lingua taceret.
Verſus poſterior nunquam prior incipiatur,
Quàm ſuus anterior perfecto fine fruatur.

IN CAPELLA ANGELORVM.

Hic obijt Beatus Franciſcus anno Domini M. cc. xxvi.

Anno M. cc. vi. incepit ordo Minorum.

Hoc opus Anno M. D. xLiii.

Hic Franciſcus pauper & mendicus cœlum ingreditur, hymnis cœleſtibus honoratur.

Hoc ſacellum D. Franciſco dedicatum, vbi moritur hic ſuum relinquens cor R. P. fratris Laurentij Fulginatis miniſtratus tempore, priſtinam renouatum V. Vo. P. F.

Stephani Aſiſinatenſis ſolertia Anno M. D. xLi.

Suſtinet ille humeris dilapſum cernite templum,
Non valet igne fidem exuri reſpice Chriſti.
Veſte viam puero præſagus ſternit egenus,
Prædicat ille, ſilent volucres, huc lumina figunt.

Eſt & hic ſepulcrum Reginæ Cyri & ix. ſociorum D. Franciſci. Bibliotheca item inſtructiſsima. Item domus vetuſta, quam Iouis Pagan: templum fuiſſe memorant.

IN CATHEDRALI.

Strenuus militum ductor Ioan: Anton: & Franciſ. de Nepis fratres nobiles Aſiſinei eodem fato perempti hoc tumulo requieſcunt, Anno M. D. Lxxxiii.

ANTE HOSPITALE.

Hoſpes ades, feſſusq; pio ſuccede cubili,
Hoc Peliæ gentis patria munus habet.

PERVSIA.

VRBS HETRVRIAE IN APPENNINI PARte ab Achæis inæqualiter ædificata cornibus quinq; procurrentibus in modum ſtellæ, loco fertili & amœno ſita. Hæc ex xii. Hetruriæ in poteſtatē Auguſti venit, compulſo ad vltimam famem L. Antonio Triumuiri fratre, mœnibus inſuper ab eo reſtituta, Auguſta eſt appellata. Septem deinde annis obſidionem crudeliſſimam Totilæ paſſa ad vltimum direpta eſt, interfecto eius S.mo præſule Herculano, natione Germano. Sequentibus deinde tēporibus ſub Bonifacio viii. cum ſe Imp. Galeatio dediſſet per Vgolium Tirinciū tyrannum Fulginatem ab eodem pontifice miſſum cum exercitu ad officiū reducta eſt, poſtmodum ſæpius rebellauit & multæ cædes in ea commiſſæ. AEdificia ampla & excelſa habet, eſtq; turribus plena, adeò vt ſinguli vicus plures habeant. Ex nulla turri cognoſci proſpectu tota poteſt quemadmodum Vrbinum. Populum ſemper habuit ſuperbum & paratū ad arma. Rebellis facta Paulo iii. Pontif: Max: magnas temeritatis pœnas luit. Arcem in ea extruxit opere per ciues communicato, & in calce lapidibusq; portandis nemo immunis extitit. Sacras & profanas ædes demolitus eſt, vt in vtrumq; forum pateret.

HINC IN ATRIO CASTELLI.

Paulus iii. Pont: Max: tyrannide eiecta, nouo ciuitatis ſtatu conſtituto, bonorū quieti & improborū freno arcem à ſolo excitatam mira celeritate muniuit pontificatus ſui anno ix. ſalutis M. D. xLiii.

In tormento maiori quod vrbi minatur & 11452. libras ponderat, hæc

Paul iii. P. M. an: Dn. M. D. xLiii. A. Peruſiæ Aſc.s Card. Ari. legato.


Fora autē bina ſunt: Rotundū et Rimenū. In rotundo fons præclarus & palatiū. Eccleſia itidem Cathedralis, in cuius ſacrario S. Lucæ Euangeliū in cortice aureis ſcriptū literis. & D. Herculani marmoreū monumentū. Statuæ æneæ quoq; duæ Leonis x. ſcilicet et Iulij iii. Pont. In altero ſcholæ docentiū. Bina etiā habet collegia, veterē & nouē ſapientiā appellata. In veteri xL. ſtudioſi per annos vii. numeratis Lx. Coronatis aluntur, fundatū à Petro Capocio ciue Romano & Cardinale, vt teſtatur in Gregorio ix. Platina. Nouū extruxit Benedictus de Guidaloctis Racanatenſis Epiſcopus, in D. Dominici æde ſepultus, idem ſuſtulit iam Paulus iii. Pontifex. Eſt & Bartholinū, in quo viii. Peruſini, ii. Genuenſes, & ii. Lucenſes aluntur. In S. Maria noua Germani altare & ſacel-

lum habent proprium. Vrbs infrequens: nam multæ familiæ deletæ, aliquot ciuium millia mulctati exilio. Adminiſtratur verò à Pontificis Gubernatore, cui XII. priores vrbani qualicunq; libertatis ſpecie adiunguntur, habitantes in palatio apud S. Laurentium. Arx, quam Citadellam appellant, præſidiario milite & præfecto cuſtoditur, & habet omnia quæ ad ſui defenſionem & vrbis oppugnationem ſpectant. Monaſterium D. Petri pulcerrimum, in quo Aretina opera ex materia fictili multæ artis vidimus. Apud S. Dominicum inſignis Bibliotheca eſt, & turris templo adiuncta totius vrbis altiſſima. Apud S. Iulianum CC. Moniales. Apud D. Franciſcum ſacellum eſt, quod januam egregriè ſculptam habet, In tumulis ſepulcrorum quæ paſſim cernuntur Chriſti reſurgentis imago depicta eſt, bono & vtili exemplo. In fundamentis ædificiorum dirutorum à Pontifice repertum eſt Vulcani templum cũ duabus Ionicis in platea magna, cuius templi apud Appianum, ni fallor, mentio fit. Alij volunt eo fuiſſe loco, vbi nunc Diui Angeli ædes, ſub cuius altari maiore ſaxum antiquum ſic inciſum.

C. Vibio C. F. L. N. Tro. Gallo Proculeiano patrono Peruſinorum patrono & Curatori R. P. Vet: Tonenſium iudici. De V. dec. ædili Patrono colleg: centon. Vibius Veldumianus auo cariſs: ob cuius dedicationem dedit decurionibus XII. plebi XI. L. D. D. D.

Dedicat: Idib: Iul: Imp: M. Aurelio Antonino Aug: pio fel: lib. PP.

In foro domus priuatæ, in qua vrnæ Hetruſcis literis ſic inciſæ.



Ante fores antiquum ſaxum cum inſcriptione:

DIVO ANTONINO PIO.

C. Egnatius Feſtus ædil: II. Vir huic cũ plebs Vrbana ludos publ: edenti ad ſtatuam ponendum pecuniam obtuliſſet, is honore Peruſinorum optimo

maximoq;

maximoq; Principi de ſua pecunia poſuit, cuius ob dedicationem dari iuſsit ab herede ſuo decurionibus ſing: HS. IIII. N. Plebei HS. II. N. L. D. D. D.

IN PORTIA MARTIA.

COLONIA VIBIA.

IN PORTA SOLIS SVB INSIGNIB: PAVLI III. PONT:

Quicunq; hæc cernis, ſicq; ipſis cætera iuncta,
Omnia diuino pectore Paulus habet.

IN ALIA.

Auguſto ſacro Peruſia reſtituta, Auguſta Peruſia.

IN ILLA AD FONTEM IVSTITIAE.

Quid non ſæuorum eſt auſa impia dextra latronum,
Tu nouus Alcides hæc noua monſtra domas.

PYRRHO LOYSIO.

Romanæ veluti turmæ tua ſigna ſequuntur,
Sic tibi terrarum iam totus pateat orbis.

DVCI OCTAVIANO.

Vt tibi fortuna hæc pariter virtusq; dederunt,
Hactenus expectant te meliora puer.

ANTE CIVITATEM LAPIDI INCISVM.

Io: Petro Ghislerio Romano, Peruſiæ & Vmbriæ gubernatori generali, ſtrata eſt Lauano Ruſino & Alexandro Rinaldo commiſſarijs Anno M. D. LXXVII.

Extra Peruſiam Monaſterium eſt montis Murcini, ord: Diui Benedicti congregationis montis Oliueti, amplum & egregiè ornatum, propè ad II. lapidem lacus Thraſimenus piſcibus abundans, clade Rom: nobilitatus: vnde planities illa contigua campi ſanguinei in hunc diem nominantur, & alius locus Oſſaia, quod ibi Rom: oſſa ſint collecta. Lacum hunc aliquando totum arſiſſe ſcribit Plinius.

IN S. AVGVSTINO.

IN PORTICV.

Aſſertor fidei veræ, fundator & idem,
Eccleſiæ facilem ſtruxit ad aſtra viam.
Hic leges hic ſcita Patrum hic & iura docemur.

Elogia multa fratrum D. Auguſtini cernuntur hic ſimiliter.

PAVLI VENETI.

Hic Venetus Doctor Paulus celeberrimus olim,
Qui valuit ſolus viribus ingenij.
Plurima qui Logicæ ſpecioſa volumina doctè
Edidit, & rudibus prodidit eius iter.

Cerberéam rabiem procaci & abſtulit ipſe.
Abſtulit, & plures bellica palma canit.
Sed poſtquam ſumpſit ſibi commentaria chartis
Pangere marmoreis, occidit iſte pater.
Candida dehinc totum vulgata eſt fama per orbem,
Doctoris ſplendor, gloria, cultus honos.

Anno M. D. CCCC. Lxxxxvii.

AD S. FLORENTIAM.

Proles Dei certiſſima
Ieſu benigne, geſſimus
Hæc iam ſat arma, nunc crucem
Pro his ferre noſtra geſtio,
Et magnis ſequi te paſſibus;
Tu quæſo onus fac illius
Et fortis & lubens feram.

IBIDEM.

Hoc tibi Franciſcus fecit pia Virgo ſacellum
Et tibi deuota cum pietate Ioſeph.

IN AEDE D. DOMINICI.

GVILIELMO PONTANO.

Prob: & Iuriſprudentiæ præclaro, quam annis XLV. ſumma cum gloria publicè profeſſus eſt. Vix ann: LXXVII. Obijt M. D. LV.

VINCENTIO DANTI.

Sculptori, pictori atq; architecto eximio, qui præclaris multis varijsq; operibus, quæ ſummorum principum fabrefecit, relictis, facilè docuit quantum ingenij ac ſolertiæ magnitudine cæteris ſuæ ætatis artificibus præcelluerit. Vix: ann: xLvi. Mens. i. Di: vii. Obijt anno M. D. Lxxvi. viii. Calend: Iunij.

Iulio & Petro Vincentio Danti, viris integerrimis, ac graphica item arte & mathematicis erudiſs: ac propterea Pontificibus & magnis viris, quibus operam nauarunt cariſs: quorum ille obijt Anno M. D. Lxxv. hic M. D. xii. Franc: Egnatius & Hieronymus Dantes fratri, patri & auo opt: meritis pos: Ann: M. D. Lxxvii. Sed tu Hieronyme dùm ambo monumentum maioribus noſtris faciundum curauimus, tu intereà annos natus xxxiii. picturæ & familiæ noſtræ egregium decus, moriens frater fratri lacrymas, paruulo filio detrimentum, omnibus deſiderium relinquens obis vi. Calend. Sept: CIↃ. IↃ. Lxxx.

CAMILLAE MARTELLAE.

Florentinæ, nobilitate, prudentia ac omnibus quæ ingenuam decent mulierem virtutibus ornatiſ: primo ætatis flore paucis diebus poſt partum ereptæ, Petrus Stroza Florentinus, Pontificis Peruſiæ & Vmbriæ quæſtor, vxori cariſſimæ multis cum lacrymis poſ: Vix: ann: xxiii. obijt iiii. Septemb. M. D. Lxxv.

Vltima dies ſemper expectanda homini eſt.

TVMVLVS PAVLI RASTELLI CHIRVRGI.

Paulum Chirurgum capit hæc breuis vrna viator,
Innumeris qui iam profuit arte, manu.
Debuit hoc etenim ſæclo ſupereſſe, valebat
Quando animas raptas reſtituiſſe viris.

Non

Non virtus, aurumuè hominem, non iugera mille
Iuuêre, aut lacrymæ quas pia turba dedit.
Iuuerit at viuens ſaltem per ſæcula fama
Longa ſui, & quorum dextra magiſtra fuit.
Itala gens igitur tumulo dent cynnama flores,
Cuncta viri dicant molliter oſſa cubent.
Ars tecum extincta eſt Chirurgica, Paule, nec olim
Phillirides maior, Podalirius, atq; Machaon.

DE S. DOMINICO.

O quàm laudandus, quàm dulciter eſt venerandus
Inclytus ille pater, pius extitit ordine frater
Sancti Dominici, Chriſti vigilantis amici
Lector honoratus pius extitit ipſe vocatus
Effectus talis frater, quoq; Dux generalis
Sic Ro: doctrinæ poſt hæc fit cardo Sabinæ
Hoſtia Velletris titulis ſibi dant pia lætis;
Perficit Vngariæ legatus iuſſa Sophiæ,
Fit pater ipſe patris, caput orbis, gloria fratris,
Eſt merito dictus re, nomine vir Benedictus,
Treuiſij datus hic primo ſed Pontificatus
Anno deceſſit, ſi rectè ſubdita rexit,
In nono menſe is mortis proſternitur enſe.
Hunc hominem ſanctum reddunt miracula tantum,
Innumeris ſignis dant grata iuuamina dignis
Lector habe menti, currebant mille trecenti
Quatuor appenſis, dum tranſijt hic homo mitis,
Menſe die ſexta Iulij ſunt talia geſta.

BENEDICTI DE GVIDALOCTIS.

Reuerendæ memoriæ patri D. Benedicto de Guidaloctis I. V. Conſulto, Rachanatenſi Epiſcopo, tandem Martini V. Vicecamerario Apoſtolico, qui cum in patria decederet, nouam ſapientiam fecit. Vix. ann: XL. Obijt Anno Chriſti M. CCCC. XXIX. Die IX. Auguſti D. Eliſabeth ſoror f.

VINCENTII PHRESII.

Qui legis, hic Phreſius Vincentius occubat, hoc ſat:
Cætera teſtantur ius & vterq; polus.

AD SERVOS.

BALDO SECVNDO.

Peruſino, I. V. Conſulto, filij pientiſs: faciund: curau: probaueruntq;. Vix: ann: LXXVI. Menſ: IIII. Dies VI. Obijt M. CD. XC. Septem: XXII.

Interpres vtriuſq; Iuris ingens,
Orbis gloria, patriæ decusq;
Hic Baldus iacet ille Bartholinus,
Hunc Baldum haud tegit hoc, ſed oſſa Baldi
Marmor, fama nitens volat ſuperſtes,
Cœlum Spiritus innocens recurrit,
Dic Lector vale, & hinc recede felix.

De morte Baldi Pet: And: Matthiolus ita ſcribit: Tridenti I. V. D. Baldus inter ludendũ cum quodã ſuo catello leniter in inferiori labro

labro demorſus fuit. Qui cum ignoraret rabie affectum eſſe, quarto poſt menſe rabidus factus, & tandem hydrophobicus, nullo adiutus medicamento, miſeram obiuit mortem.

Tumuli ipſius inſcriptionē ex Hetruſco ſic conuertit Camerarius:

Humanis homini nihil eſt in rebus amicum,
Nemo ſcit hora ſuæ quæ ſit, & vnde necis.

De ſumma quæ in illo fuit iuris cognitione, notū eſt elogion.

Nemo quod hunc latuit, ſciuit: ſi iura Monarcham
Ferre queant, tanto hic nomine dignus erat.

ANGELO PERILLIO.

Vtriuſq; Iuris Antiſtiti, patri pientiſſ: Baldus I. V. Conſultus ſibi poſteriſq; ſuis. Anno M. CCCC. LXXVIII.

IN AEDE D. PETRI.

SYBILLA ERYTHRAEA.

In diebus nouiſsimis naſcetur de virgine filius in cunabilis terræ.

LYBICA.

Labia hominum deſinent, & regem viuentium tenebit in gremio virgo Domina gentium.

PERSICA.

Gignetur Dominus in orbe, & gremium virginis erit ſalus gentium.

TYBVRTINA.

Chriſtus annunciabitur in Nazareth, & naſcetur in Bethlehem.

SVB CHRISTI IMAGINE.

Θύμε βλέψον ἄνα.

ANTE AEDEM S. LAVRENTII.

IN FRONTISPICIO AENEAE PONTIF: STATVAE.

Iulio III. Pontif: Max: ob reſtitutos magiſtratus piè deprecantibus Fuluio S.R.E. Card.le & Aſcaneo Corneis ex ſorore nepotibus, ad muneris gratiq; animi perpetuitatem P. Peruſia dedicat.

IN DEXTRO LATERE.

Iulio Fuluio S. R. E. Card.li Peruſiæ Vmbriæq; legato Illuſtriſs: Borgaruuius Ranerius & Collegæ primo Xiceri ſumptu publico conflandam locatur.

IN SINISTRO LATERE.

Io. Thoma Sanfelicij Epiſcopo Carien: Peruſiæ Vmbriæq; ſub Paulo III. Pont: Pontif: Max: præſide digniſsimo, Binus Signorellus & Collegij XI. viri erigendum curarunt Anno M. D. Lv.

IN AEDE D. LAVRENTII.

Hoc hominum ſuperumq; Deo, Diuoq; dicatum
Laurentio, cuius luxit in igne fides.

IO: ANDREAE BALLONI.

Hæc breuis illuſtri Ballonâ ab origine cretum
Andræam tegit vrna, grauem funeranda Ioannem
Ingenij virtute virum, qui in iure ſacrorum
Doctor Pontificum, & lectis ſurgentibus autor
Laurenti Eccleſiæ Peruſinæ Præſul & ingens,
Antiſtes vixit, nunc alta in pace quieſcens.

DE PAVLO III. PONT. MAX:

Quid mirum condit ſi tertius ardua Paulus,
Munus Apoſtolicum continet atq; Dei.

IVLIO ORADINO.

I. C. præſtantiſs: Peruſiæ ac Patauij interpreti eximio, multis ad ſummos Pontifices & principes legationibus functo, Romanæ Rotæ Decano integerr: Peruſiæ Epiſcopo deſignato, Romæ mortuo & in patriam relato, Polydorus fratri opt. p. Vix: ann: LXX. Obijt VIII. Id: Auguſti M. D. LXXII.

HIPPOLYTO CORNEO.

Epiſcopo Peruſino, Fuluius Corneus S. R. E. Presbijt: Cardin: B. M. F. Vix: ann: LV. reſedit Anno IX. veteris ſanctitatis exemplum.

IN SACRARIO.

Hauſtum ſole pecus viridi requieſce ſub vmbra,
Vrna ſitim pellet cornus opaca teget.

MEDICI CVIVSDAM.

Magnus Ariſtotelem reſerauit Auerrois, aſt hic
Amborum interpres, tres animas habuit.

PVERI FVLMINE ICTI.

Bennicaſæ de Bennicaſis, & moribus & pulcritudine decorato, ſacra in æde fulmine icto pos: Vix: ann: XI. Obijt ann: M. D. XXV. Die XXX. Iulij.

CAPITANEO POLO.

Corſico, Rocchiæ Cælaciæq; domino Ill: Malateſtæ Ballioni commilitoni ſtrenuiſſimo, qui pugna cecidit, benemer: pos: die IIII. Ianuar: M. D. XXII.

TROILI BALLIONI.

Laurenti decus omne tuum primusq; ſacerdos
Et patriæ Antiſtes Troilus hic iaceo.
Extinctum Baliona domus, Peruſinaq; tellus
Deflent, heu nato hæc orba, ſed illa patre.
Non me auſers totum mors inuida: fama latere
Haud ſinit in tumulo tot malefacta breui.

Vix: annos XLIII. Mens: III. Dies X. Martij M. D. VI.

IN SACELLO EX VNA PARTE.

Hic ſociata ſuo colitur pia virgo marito,
Et facili iuſtas accipit aure preces.

EX ALTERA.

Hac ſacer intactæ matris ſitus annulus æde,
Qui dedit eſt cuſtos muneris ille ſui.

FOEMINAE A MARITO ADVLTERII
ſuſpicione interfectæ.

Si qua ſolet proprio gaudere puella decora,
Quid mea ſors poſsit nunc ego ſola queror.
Foma dedit multis famam laudemq́; puellis,
At mihi de falſa ſuſticione necem.

M. CCCC. LXXX.

IN S. FRANCISCO.

FRANC: VBALD.

G. F. Baldi IC. Abnepoti Baldus fr: & Euſtach: vxor D. M. P.

IBIDEM.

Oſſa Beati Viturini. Item, Sepulc: Beati AEgidij & Beati Conradi. Item Leucum imago.

FRANC: BERNARDINI.

Obijt M. CCC. LIII. Ang:*ti* XX.

Angelus vt tenui nunc mortuus occulat vrna
Hic gemitus, patriæ gloria magna fui.
Cum Bernardini templo celebratus & ara eſt,
Franciſci cuſtos tunc generalis eram.
Pontifici Eugenio Græcos hereſesq́; repelli,
Et tetigi fama ſydera celſa mea.

Braccio Fortibraccio ſodalitium Diui Franciſci.

IN CHORO.

BRACCII FORTIBRACCII.

Exciderat Latijs bellandi gloria terris
Ne pedes ad pugnam nec fuit aptus eques.
Proh ſcelus externo populi duce bella gerebant,
Atq́; erat externi militis illud opus.
Ereptum Italiæ reddit decus inclytus armis
Braccius, & ciues reſtituit patriæ.
Hoſtili ſcelere Hirpina procul occupat vrbem,
Dum Capuæ princeps regia ſigna gerit.
Triſtia ſic ſemper miſcet fortuna ſecundis,
Hic patriæ pietas oſſa reuecta locat.

TROILI MEDICI.

Viuebat dum vita fuit, tibi Troile Pleon
Cumq́; Coronide tecum erat Hippocrates
In te vno Chironani te Podalirion vno
Reddiderat vitæ rerum hominumq́; ſator.
Et ſupereſſe alio poterat ſua pectore, verum
Conſenſere omnes te pereunte mori.
Omnibus hic locus vrna ægris, ſpes nulla relicta eſt.
Vt damnes votum, ni tibi morte datum.

P. VOLVMNIO I. F. VIOLENTI
IIII. Vix: II· Vix: municipes & incolæ ex commodis.

Infelici Vincentiæ caſtiſs: fœminæ mœſtiſs: mater dicauit.

Sepul-

Sepulcrum Bartholi I. C. ſumptuoſè ex marmore albo erigitur, cum nulla alia inſcriptione quam: *Oſſa Bartholi.*

Et ſaxum vetus humi hoc habet inciſum:

Sepulcrum Bartholi Iureconſulti.

BARTOLVS HIC IACET.

Hic eſt Bartolus ille iuris ingens
Lux, & commodus explicator: hic eſt
Quem mors ante diem abſtulit maligna.
Heu mors inuida, & æuo iniqua noſtro
Quæ leges iterum iacere cogis.

Militiæ vexilla ſacræ fert Bartolus, errat
Qui ſibi vult alium præpoſuiſſe ducem.

Obijt anno M.CCC.LV. ætat: XLVI.

Inſigne Peruſinorum eſt Gryphus, quod animal lingua Schytica Perus appellatur.

IN TRIBVNALI GVBERNATORIS.

Ius reddens Iudex ſemper ſis omnibus idem,
Iudicium alterius iudicis vt fugias.

Gregorio XIII. *Pontif: Max: huius Palatij reſtauratori Anno M. D. Lxxxii.* & *Pontificatus ſui Anno* XIII. *Alexander Riarius Cardinalis legatus Ampliſs:*

IN ARTE CAMBII.

Petrus Peruſinus egregius pictor.

Perdita ſi fuerat, pingendi hic retulit artem
Si nuſquam inuenta eſt hactenus, ipſe dedit.

SVB IVSTITIA.

Cœlos rego, inferis impero, iudico inter mortales, ergò me colito.

DE PRVDENTIA.

Quid generi humano præſtes Dea dic age: præſto
Ne facias quæ mox facta dolere queas.
Scrutari verum doceo cauſſasq; latentes,
Et per me poterit nil niſi rite geri.

DE IVSTITIA.

Si tribus his cunctos ſimiles pia numina gignant
Nil toto ſceleris nil ſit in orbe mali.
Me culta augentur populi belloq; togaq;
Et ſine me, fuerant quæ modò magna, ruunt.

DE FORTITVDINE.

Cedere cuncta meis pulſa & diſiecta lacertis
Magna ſatis fuerint tres documenta viri.
Nil ego pro patria timeo cariſq; propinquis,
Quæq; alios terret mors mihi grata venit.

DE TEMPERANTIA.

Dic Dea quid tibi vis? mores rego, pectoris æſtus
Tempero, & his alios cum volo reddo pares.
Me quæras, & qua te ſuperes ratione docebo,
Quid tu quod valeas vincere maius erit?

SVB CATONIS IMAGINE.

Quiſquis vel celebri facturus verba corona
Surgis, vel populo reddere iura paras.
Priuatos pone affectus: cui pectora verſant
Aut amor, aut odium, recta tenere nequit.

IN FONTE IVSTICIAE.

Gregorius XIII. *Pontif: Max: fonti iuſticiæ & pietatis Peruſini dicarunt.*

IN DEXTRO LATERE.

Salubres emittit aquas ſublato cum cauda veneno.

IN SINISTRO.

Prudentiam hinc haurire licet & ſimplicitatem.

Præſidente Io: Thom: Sanfelicio Epiſcopo Carien: Baldus Vbaldus & Alexand: Danzotta ædiles F. C. M. D. LXXIIII.

FABERIANA.

VVLGO FABRIANA, OPPIDVM PICENI, ex ruinis Sentinæ extructũ, & ſub primis Appennini collibus poſitũ, opificũ tabernis frequens, quæ ita diſtributæ ſunt, vt vici ſinguli proprias habeant vno in loco, vt fabri ſuas, calceolarij ſuas, chartarij ſuas, commodè habitatum, plateis ſatis amplis, plenum fontium, vnus inſignis in foro, alter Alex: VI. Pontif: Max: tempeſtate factus, alluit Chientus Limpidus fluuius, apud quam Papyrus quæ fit, in optimis habetur. Quatuor ſunt oppida nominata propter commoditatem, amœnitatem, & pulcritudinem.

Faberiana Piceni.	Pratrum Hetruriæ.
Barleta Apuliæ.	Monpelier Franciæ.

Arcem habet, in qua eiuſmodi legitur inſcriptio:

IOAN. IACOB. COM. IAMB. PAPIENS:

Iuris Conſultus, qui quod max: Italiæ muneribus functus ſub Leone X. vrbis gubernator laudatus Albicanens: Epiſcop: donatus ſub Clem: VII. *prius Piceni, mox Peruſiæ, Vmbriæq; Prolegatus, rurſus Piceni agens gubern: hanc arcem iampridem per ſeditionem dirutam ex Clementis inſtituto ad huius oppidi ſalutem ac commodum prouinciæ, per menſem inſtaurauit, agendamq; curauit. M. D.* XXXI.

IN XENODOCHIO S. MARIAE.

Anno gratiæ M. CCCC. LVI. Calixto III. *Pontif: Max: Marino Vrſino Archiepiſcopo Tarentino, agri Piceni Præſide, primũ lapidem inferente Iacobo ex minorũ ordine prædicãte ſub* XII. *Rectorũ gubernatione cõmuni*

totius

totius populi Fabrianenſis conſenſu ex tribus hoſpitalibus hoc vnum ſub nomine Beatæ Mariæ Ieſu conſtructum.

AD S. BLASIVM.

Diuo Romualdo Camalor: autori S. P. Q. Faber: Sixto Pontific. multa ab Eſinis reſtit: IIII. S. D. P. D.

IN S. FRANCISCO.

SIGISMVNDI HERCVLANI.

Lege lector & luge caſum infelicis adoleſcentis. Sigiſmundus ego ſum patria Forliuienſis, ex nobili Herculanorum familia, qui cum equo per luſum curro, alterius ex aduerſo currentis impetu excuſſus, biduo ſuperuixi, non modica de me ſpe forſan relicta. Cætera ex alijs diſce. Vix: ann: XVIII. Mens: IIII. Dies VIII.

Anton: Herculanenſis Epiſcopus Curiatenſis agri Piceni Prolegatus conſanguineo benè mer: poſ:

Inſignia huius ciuitatis ſunt Ianns martello pecutiens incudem, vnde quidam opinantur, oppidum à fabro Iano qui ibi celebratur antiquitus, nomen habere.

MATELICA.

Oppidum Piceni vetus nullo omnino cultu nec in publicis nec in priuatis ædificijs. Regitur à quadam Otthonum familia ex qua erant XXII. ad quos idem ius pertinebat, ſed adminiſtrandi honor ad natu maiorem ſemper deferri ſolet. In palatio quodam hæ inſignes ſententiæ.

ASPICE QVID FACIANT CONSORTIA.

Fati volat hora benigni. *Sola modeſtia fortunæ repugnat.*
Surge vt altum dormias. *Accelera tardè.*
Ne confringas teſſeram. *Solers diligentia opum conditrix.*
Pone perſonam. *Ex paucis plurimi, ex pluribus pauci, ex omnibus nullus, omnes per vnum.*

SANSEVERINVM.

Oppidum Piceni nouum ex ruinis ſeptempedæ, vt volunt, inſtauratum in accliui colle, proximum Potentiæ fluuio.

IN QVADAM DOMO.

Vnius aura Iouis ſi ſeruat cuncta, tonante
Quam benè ſub terno vincula tuta domus.

RICINETVM.

Vlgò Ricanati in oblongo montis dorſo ædificatum, creuit ex ruinis AEliæ Ricinæ, quæ ab AElio Pertinace Imperat: nomen acceperat. Bis ſolet ſingulis annis nundinas celebrare, magno negotiatorum conuentu.

IN PALATIO.

Sereniſs: Cæſar Fridericus Rom: Imperator ſemper Auguſtus ab Republ. Recanatens: honorificentiſſimè ſuſceptus, magiſtratum eiusdem de ſua Maieſtate benè meritum, auro inſigniuit, procreatos ex damnato coitu legitimandi, notariosq; creandi autoritatem conceſsit. M. CCCC. LXVIII. XX. Decemb.

IN S. DOMINICO.

Quod prope Loretum morior florentibus annis
Gratia cœlitibus mortis habenda meæ.
Immatura iuuat me mors, nam mortis acerbæ
Munere peccandi copia facta minor.
Nec minus & noſtræ fiducia certa ſalutis,
Loreto morior quod propiore fui.
Nec refert peregre an patria tumuleris, vbiq;
Terra locus tumulo, mortis & vna via eſt.
Ergo Nicolao gratanda hæc funera, quorum
Eſt operæ precium conditione mori.

GREGORII XII. PAPAE.

Maximus Eccleſiæ princeps, ſummusq; Monarcha
Ordine Gregorius biſſenus clauditur arca.
Hic pro pace datus cœleſti munere ſemper
Ferbuit æthereos ſuperis munire, aecenter
Archiſchiſma malum, facta hæc dementia Piſis
Ipſe prius releuat, facta eſt conſtantia teſtis
Cardine bis ſacro paſtoris conſcia ſede
Marchia ſuſcepit Recaneti fluuius æde.

Obijt Anno Domini M. CCCC. XVII.

LORETVM.

PICENI OPPIDVM, PROPE MVSIONEM amnem, quod ex ruinis Potentiæ factum eſſe tantummodo coniectura eſt, muro cinctum, vnicam tantummodo regionem habet, hoſpitijs & mercibus propter aduenas dicatum. Templum virginis ſplendidum & amplum, porticus tres habet, ſingulæq; porticus ſex columnas, & quinq; fornices, inſigni opere fabrefactas. Sacellum in quo adoratur virgo totum ex marmore, forma quadrangula cum varijs hiſtorijs in eo ſculptis, vulgo vocant la caſſa, longum paſſus XXII. latum XII. Teſtudo ad inſtar illius quæ Florentiæ: vulgo dicunt.

Chi vede Loreto & non vede Sirolo.
Vede la madre & non il figliolo.

IN PORTA OPPIDI.

Iuſſu Leonis x. Florentini Pontif: Max: qui ſecuritati proſpexit, templum hoc Iulianus Rodulphus Florentinus S. Ioannis Hieroſolymitani M. V. Campanus prior aggere, foſſa, muro & propugnaculis muniri curauit Anno ſalutis M. D. xvi.

NICOLAVS CAIETANVS.

Cardinalis Sermonetta Gentilis Bonifacij Papæ VIII. cum & ſub idem tempus, quo ille Pontificatum inijt, ſanctam hanc domum hic tandem diuinitus conſediſſet, & multa ſe à Deo Opt. Max: beneficia Beatæ virginis Deiparæ precibus obtinuiſſe meminiſſet, ſperans eiuſdem opem morienti non defuturam, monumentum hoc marmoreum viuens & incolumis ſibi faciund: curauit, atq; in eo, vbi mortalitatem exuiſſet, corpus ſuum recondi voluit annum agens LIIII. Anno Domini M. D. LXXX.

IOAN. BAPT: GICOLDO.

Nouocomen: qui ob architecturæ peritiam cum Romæ nonnulla haud parui ponderis monumenta conſtruxiſſet, huiuſce almæ domus fratricæ perfectum integro anno cum dimidio funct: Obijt Laureti Anno Christi M. D. LXXXII. V. Calend: Septemb: ætatis ſuæ anno LXIX. Menſ: VIII. D. XX.

FRANC. CARD. AMBASIANO.

Gallo Albien. Epiſcopo præter generis nobilitatem ſingularis pietatis viro, ac omnes omnium virtutes complexo, Georg: Card:lis Arminiacus affini, & primæ ætatis alumno neglecto & collabente in tumulo iacenti, voti reus huc poſt ſextum & trigeſimum ab eius obitu annum cum veniſſet, pro tempore poſuit. M. D. LIII. Calend: Octob:

IN MARMORE COOPERIENTE ALTARE Beatæ Virginis.

Illotus timeat quicunq; intrare ſacellum
In terris nullum ſanctius orbis habet.

ALIVD.

Nullus in orbe locus prælucet ſanctior iſto,
Quaq; cadit Titan, quaq; reſurgit aquis.

ITEM.

Sanctius æde quid hac in ſacra principe Petro
Verbum vbi conceptum, nataq; virgo parens?

IBIDEM.

Templa alibi poſuere patres, ſed ſanctius iſtud
Angelicæ turmæ, virgo, deusq; locant.

ANCONA.

VRBS PICENI A SIRACVSANIS, QVI A Græcis Doricis erant, Dionyſij tyrannidem fugientibus condita, qua in re Plinius & Iuuenalis, vt arbitratur Blondus, non diſſentiunt, dicta à littoris & Italiæ ſe flectentis curuitate. In cubiti formam ædificata, vicinitate maris, natura montis arte & ingenijs hominum munitiſſima, vijs longiſſimis, ſed anguſtis frequens habitata, ciuibus vt plurimum mercaturam exercentibus, eſtq́; ibi multarum gentium tàm Turcarum quàm Chriſtianorum & Hebræorum maximè, ſicuti Venetijs, concurſus. Propugnacula ſex habet, ſibi inuicem reſpondentia, & vnum cæteris minus, quorum nomina: Il ribellino del porto: Il Cauallier di S. Stephano. La fortezza del Caſſaro: Il Cauallier della porta del Calamo: Il Ribellin di S. Agoſtino (quorum architectus Io: Baptiſta Senenſis) La Roccha (quæ eſt ipſa arx & à M. Antonio de S. Gallo facta) & il Lazaretto.

In cunctis tormenta bellica, quæ curribus mouentur circiter CCC. exceptis ijs, quæ manu moueri & tractari poſſunt. In propugnaculis feneſtræ lignis & lapide coctili tectæ, ne oppugnantibus appareant. In arce nomina turribus & munitionibus quibuſdam impoſita ab ijs, qui ad eas faciendas, vel propter cædem aut adulterium, aut alia ſcelera pecuniam mulctatam contulerunt. Portum habet inſignem, & multarum capacē nauium. Primùm à Traiano Imperat: vt inſcriptio docet, excitatum, nunc à Paulo III. Pontif. munitiorem factum. Turris antiquiſſima, quæ Epigramma habebat, demolita fuit, & eius loco propugnaculum extructum, ac molendinum ligneum artificioſum. Videnda hîc domus dicta della Farina, in qua habitant, qui à Legato Pontificio in conſilium adhibentur, nobiles Anconitani, quorum Magiſtratus durat tres menſes. In eadem Pauli III. Pontif: imago marmorea poſita inter duas virtutes, Tēperantiā & Fortitudinē. In Cimeræ, ſeu vt alij in Cumero promontorio eſt templum Auguſtū Diui Ciriaci, olim Veneri ſacrum, cuius loci tanta altitudo eſt, vt ſereno cœlo proſpectus in Dalmatiam pateat. Sunt ibi Græcæ inſcriptiones vetuſtæ, quæ propter nimiam antiquitatem attritis lapidibus legi non poſſunt. In templo ſupra ingreſſum portæ, XII. menſes anni in ſaxo ſculpti. In eodem incruſtationes marmoreæ à magno artifice Theobaldo, vt titulus docet, factæ: Templi autem

tem

tem longitudo & latitudo eſt eadem. Videtur in ea coſta piſcis marini magnitudine incredibili, cuius exiguum quoddam fragmentum longum eſt pedes XVI. In ipſa vrbe templū Diui Franciſci, ad quod per LX. gradus aſcenditur, & D. Auguſtini, vbi in ſummo altari Ancona depicta, cum alijs imaginibus pulcris. Memineris ibidem mulieris, cuius filius erat à dæmone ſublatus, & ab angelo inuocata numinis ope, redditus. In ratione munitionis conueniunt Anconia in Italia, Maſſilia in Gallia, & Raguſia in Dalmatia.

IN PORTV.

Imp: Cæſ: Diui Neruæ F. Neruæ Traiano opt: Aug. Germanico, Dacico, Pontif: Max: trib: poteſt: XIX. Imp: XI. Conſ. VII. P. P. prouidentiſsimo principi S. P. Q. R. quod adceſſum Italiæ hoc etiam addito ex pecunia ſua portum tutiorem nauigantibus reddiderit.

IN DEXTRO ARCVS LATERE.

Plotinæ Aug: coniugi Aug:

IN LAEVO.

Diuæ Marcianæ Aug: ſorori Aug:

IN BOMBARDIS IN PROPVGNACVLO PORTVS.

Paulus III. Pont: Max: Anno Domini M. D. XLII. in Ancona Rod. Pio Cardinali de Carpo legato.

IN ARCE.

Clement: VII. Pontif: Max: auſpicijs Benedictus Accoltus Cardinalis Rauennæ Marchia Ancon: Legatus hanc vrbem totamq; Piceni prouinciam hac etiam addita arce tutiorem fecit, & ab hoſtium incurſibus firmiorem reddidit, Anno Domini M. D. XXXIIII. procurante Baldo Vineto Bald: Epiſcopo Anconitano eius fratre ex amita.

IBIDEM.

Paulus III. Pont: Max: hanc arcem in propugnationibus aptam huc vſq; extulit, Mario Aligerio Columna Epiſcopo Reatino & Anconæ præſide, Baldo Vineto Epiſcopo Anconitano procurantibus cū Petro Ventura Zephiro.

IBIDEM.

Paulus III. Pontif: Max: hanc arcem à Clement: VII. fundatam erexit, vt Anconam totamq; prouinciam tutiorem ab hoſtium incurſibus redderet, Mario Aligerio de Columna Epiſcopo Reatino Ancon: præſide procurante Baldo Vineto Bald: Epiſcopo Anconitano. M. D. XXXV.

IN CY-

IN CYMERAE PROMONTORIO.

Solus in occultis degens Hieronymus antris
Hic recubo montis accola Cymerici.
Vnde mare & terras tenebroſumq; aëra cerno
Et video cœlum, quod colo, ſydereum.

FRANCISCO NOBILI.

Firmano, viro clariſs: præf: mil: qui patria factionibus diuexata Anconam quietis amore ſeceſſit. Vxor & liberi mœſtiſs: ex ipſius teſtamento poſ: Vix: ann: XL. Obijt M. D. XXX.

Hic ad Carolum V. Imp: & Philippum Regem eius fil: in Flandriam legatus, Plumbinum Iacobo Sexto reſtitutum difficillimè procuratione curauit, ac Genuam reuerſus deceſſit è vita, cuius corpore hîc importato Franc: & Hieronymus mœſtiſs: fratres poſ: Vixit annos xxx. Menſ: III. Obijt IIII. Non: April: M. D. LVIII.

IN D. DOMINICO.

MANILIO MARVLLO.

Patria Conſtantinopolitano, vetuſtiſſimo genere Marullorum nato, qui ex D. D. Gordianis Marullis Rom: Imp: orginem ducunt, omnibus virtutibus honeſtisq; moribus prædito, à Turcis fortunis ampliſs: ſpoliato, patriaq; eiecto, ſummis Magiſtratibus legationibusq; varijs terra mariq; laboribus, vita deniq; Idibus Nouembris Anconæ defuncto, Philippus Theodorusq; filij, parenti pientiſs: qui vix: ann: xcv. poſ: Anno ſalutis M. CCCC.

ALIVD EIVSDEM.

Flens primùm has auras hauſi puer omine diro
Flebilis erepta vita fuit patria.
Nunc quoq; flens morior, ne quid non flebile reſtet,
Hæc eſt humani conditio generis.

EVPROSYNES TARCHANIOTAE.

Man: Marulli vxoris

Quænam hoc in tumulo tegitur matrona? venuſtas
Ille pudicitiam dixerat hæc eadem eſt.
Quod genus? Inachidi generis? fortuna? beata,
Sed cecidit patria deficiente ſua.
Quis thorus? vnus, & hic felix ſine lite Marulli:
An mater? ſeno pignore fecit auum.
Quæ vita? in tenebris quæ cauſſa indigna doloris?
Occaſus patriæ ſeruitiumq; graue.
Ecquem cum patria luxit? fratresq; patremq;
Sed quas felices diceret eſſe animas.
Felices nimirum animæ, ſed enim hæc quoq; felix
Fœmina tam rari pectoris in tenebris.

PHILIPPI MARVLLI

Manilij patris.

Siſte hoſpes, atq; hæc verba ſi placet lege,
Neq; enim rogamus niſi lubentem quempiam:
Ego Philippus hic Marullus contegor
Poſuit ſuperſtes filius Manilius
Vxorq; Thomæ: hoc ſatis, cætera alij
De Marullo proloqui vlterius nefas.

MICAE-

MICHAELIS TARCHANIOTAE.
Euphroſynes patris.

Parce hoſpes, cineresq́ pios ne lęde profanus,
Si neſcis, caſtis hæc loca ſola patent.
Nec te priuata moueat quod claudor in vrna,
Hæc quoq; fortunæ, non mea cura fuit.
Longè hoſpes, longè tamen erras, ſi mea credis
Nomina in exiguo tota repoſta ſolo.
Quæq; tot ob patriam pugnando vulnera paſſus,
In cineres mecum verſa abijſſe leues.
Atq; vtinam ob patriam tantum, nec dicerer hoſpes
Cum patria & natis oppetijſſe tribus.
Quos ego ſuprema comites hortatus in hora
Vincere dum nequeo, cum patria perij.

MICHAELIS TARCHONIOTAE MARVLLI,
EVPHROSYNES TARCHONIOTAE ET MA- nilij Marullj fil: Philoſophi & Poë- tæ præſtantiſſimi.

Dum floruit magni decus Bizantij
Marullus alti lucidam Iouis domum,
Laudesq́ factaq; omni extulit Deum:
Viſa ſuorum cæde, patriæq; ignibus
Letho parentum, fortis exilium tulit.
Sacris operatus Muſis fluuio perit,
Alijs dolendus ipſe quæ præuiderat.
AEternitatis templa non miſer colit,
Plectro & decorus aureo, & toga grauis,
Graiam facit cantu ſtupere Pierim.

PAVLI TARCHONIOTAE EVPHROSYNES
fratri Tarchoniotæ Marulli auunculo.

Quod procul Inachijs tegeris cariſsime ab oris,
Deſine de fato Tarchoniota queri.
Vna eadem terra eſt quam cernis vbiq; locorum,
Nec minus Elyſium hinc aut minus inde via.
Nam nobis mandata ſatisq; ſuperq; dedicti,
Tot rerum inuictus pondere & exilij.

ANDREAE DARCELLAE.

Nobili Bononienſ: qui cum honoris ergò in ſingulare certamen deſcendiſſet, fortuna aduerſante, pedis lapſu ſub hoſte cecidit, à quo vno eſt vulnere interfectus. Vincent: Niger Bonon. multis cum lacrymis ſocio & municipi ſuo ſuauiſſimo benèmer: pos: Vix: ann: XXVI. M. D. XI.

ANTE TEMPLVM CORPO- RIS CHRISTI.

Hic eſt cibus qui plenè reficit non corpus ſed animam, non ventrem ſed mentem, ſi quis ex hoc comederit viuet in æternum. Chriſti Dei Opt: Max: Euchariſtiæ honori Collegium hoc templum dicauit. M. D. LVI.

AD S.

AD S. FRANCISCVM.

LEONARDO TRIVMPHO.

Virtute, ingenio, fide præclaro, Baptiſta Zeno Venetus Card.[lis] S.[tæ] Mariæ in porticu, Camerario ſuo benè merenti P. Anno M.D.

NICOLAO.

Ex nobili Sauora familia, à Ioanne eius patruo Anconæ Epiſcopo, Raguſiæ Archiepiſcopo innumeris honoribus inſignito, heredes teſtamento fieri curarunt, Obijt V. Calend: April: Anno M. D. xxxv.

Poſt tenebras ſpero lucem.

BENEVENVTO STRACCHAE.

Iure Conſulto celeberrimo, qui ſuis monumentis ius ciuilè locupletauit, patriam iuuit conſulendo, reſpondendo profuit ciuibus, gratus ſuis, ornamentum, omnibus deniq; charus: fratres & ex fratre nepos heredes mœſtiſs; pos: M. D. Lxxx. Vix: ann: Lxix. De mercatura, De proxenetis, De aſſecurationibus, & adiect: annotation: ad Conſil: Grauettæ.

PETRI BONARELLAE.

Clarus eques Petrus Bonarella ex ſtirpe, ſepulcrum
Conceſſæ vxori ſtruxit ad hoc lacrymans.

B.[ti] GABRIELIS.

Hic ſitus eſt Gabriel fratrum non parua Minorum
Gloria, ſic patriæ fama decusq; ſuæ.
Non tibi nobilitas parat hoc, non copia rerum,
Humanas quoniam ſponte reliquit opes.
Hic humilis, pauper, caſtus, patiensq; laborum
Inuictam merito ſumpſit honore crucem.
Qua pia Franciſci veſtigia rite ſecutus,
Ante ſacros Chriſti creditur ipſe pedes.
Quem cum matre rogat patriæ interceſſor, vt ipſa
Tuta ſit, & ſummo ſemper amica Deo.

Franciſcus Cinchius feliciter decantauit.
Exceſſit M. CCCC. LVI. prid: Id: Nouemb:

Nunquam moritur qui benè vixit.

PAVLI GONDOLI.

Vt neq; mors opibus, nec ab indole temperat vlla,
Ecce docet Paulus mortuus ante diem.
Qui procul heu magnos miſit trans æquora luctus,
Forſitan & flentes audijt inde ſuos.
Matris & immodicus patris dolor aduena palas
Gondole Raguſio ſanguine progenitus.
Ergo felicem ſi te contingat humari,
Cognatos inter, vel ſupereſſe diu,
Floribus extractum conſperge recentibus hoſpes,
Forſitan hic etiam flos recidiuus erit.

DE PASS: CHRISTI.

Aſpice mortalis pro te datur hoſtia talis.

ANTE PALATIVM GVBERNATORIS.

Sint procul inſidiæ, fraudes, diſcordia, bellum,
Huc honor & virtus cum Ioue carpit iter.

IBI-

IBIDEM.

Aurea libertas iuſtis defenditur armis,
Publica ſic forti iura tuenda manu.

SVB INSIGNIB. PONTIF.

Imperium ſine fine. In magnis voluiſſe ſat eſt.
Tela tremunt tacitæ arcum fataliæ ſyluæ.

IN HOSPITIO MERCATORVM.

Hic ciues complector opum quos cura fatigat.

IN PALATIO DELLI SIGNORI.

Alma fides proceres veſtramq; hic condidit vrbem
Gaudet in hoc ſocia cernere pace loco.

IBIDEM.

O Iouis æterni Ditisq; ſuprema poteſtas,
Imperium cape cum Pelagi trifidumq; tridentem
Vt tibi vota tribus reddat pro fratribus vni.

ITEM.

Quæ reſerata tuis alibi modo clauditur annis,
Hinc noſtri iam clauſa diu ſtat ianua templi.
Præſide me nullus ferus hactenus irruit hoſtis
Iam tua ſit fidæ Anconæ cuſtodia fida,
Reddo libens pariterq; volens tibi Sfortia clauem.
Clauibus infernum obſtruere & aperire potentem
Te video cælos, trina cum fronte coronam
Geſtabis, ſunt ſigna mihi manifeſta futuri.

IBIDEM.

Nil latuiſſe iuuat.

AEquore pacato, pacatis vndiq; terris,
Reddetur meritis ara polusq; tuis.
Truditur è ſicco radix oleagina ligno,
Quo ſe temeritas traxarat impietas.

ITEM.

Proſtratis parcit, rigido ſtruit vngue ſuperbos,
Hunc tibi Diua parens donatum à Cæſare ſerua
Aſpectu contenta tuo non vtitur haſta.
Dorica percutiet ſi iuſſeris vngula ſaxa,
Bellerophontæa doctior vnda fluit.
Verberibus parce, eſt etenim inſatiatus eundi.

IN DOGANA VEL TELONIO.

Aurea cæruleo floreſcunt lilia campo,
Quæ nunquam lapſis exaruere comis.
Inſignis virtute domus ſic vſq; Tridona,
Egregijs flores nobilitate viris.
E quibus hic Lancius qui fraudes ſentiat eques
Omnibus haud priſcis degenerare atauis.
Anno Domini M.D.XI. I. Iulij & vlt: Octobris.

IBIDEM.

Clara Turinorum lector ſumus arma Ioannes
Datorum patriæ cui data cura ſuæ.

Nicoleis placidi geſtatus geſta parentis
Quam gratus cunctis præfuit officio.
Iure ergo emeritis ſemper teſtantia laudes,
Hic poſuit celebris maxima ſigna domus.

ANTE AEDES PRIVATAS.

Deus eſt patria.

CAMERINVM.

VETVSTA CIVITAS, QVAM SVB DVCAtus titulo Varranens: familia obtinet. Liuius IX. lib: ait Fabij Max: fratrem cum motus Hetruſcorum iuerat exploratum Camerinum perueniſſe, & multa humanitate exceptum: in eo antiquæ inſcriptiones.

I.

J. Tibulla C. Sempronij f. Manil: nep: inferno Plutoni tricorpori vxori cariſs: Proſerpinæ, tricipitiq; cerbero munus mecum ferens damnatam dedo animam, viuam hoc me condo monumento, ne obrutis domus lapſu filijs ſex quos P. Scipio patrijs Camertibus Aſalo & Lybia incolumes reſtituerat, in deſolata orbitate ſuperſim miſera. Vix: ann: L. Mens: I. Dies VI. horam ſcit nemo. Quietem poſteri ne inuideant, qui ſecus, manes ſentient iratos, in fron: P. xx. in agr. ped. XXXIX.

II.

Imperat. Cæſar L. Septim. Seuero Pio Pertinaci Aug. Arab. Adiaben. Parth. Max. Brit. Trib. pot. XIIX. Imp XII. Coſ. II. P.P. cœleſti eius indulgentia in æternam ſecuritatem atq; gloriam iure æquo fœderis ſibi confirmato Camertes.

FIRMIVM.

QVOD SVPERIORIBVS ANNIS OB CIVIum concordiam terrori erat omnibus vicinis vrbibus, (vndè in prouerbiũ ierat: Quando Fermonuol fermare. Tutta la maica fatremare.) ob factiones Alexandri VI. Pontif: Max: temporibus in ea exortas, populo planè infrequens eſt. Leguntur in ea antiquæ inſcriptiones.

I.

T. Appulio Tit. fil. Vel Alfino ſecundo proc. Aug. xx. hered. poſs. Alpi attrectianar. præf. vehiculo ſubpræf. claſs. præt. Rauen. præf. alæ I. Aug. Thrac. trib. coh. I. Æliæ Britton. præf. cohort. IIII. Gallor.

Gallor: patron: Colon: Flamini diuor: omnium Augur: II. vir quinq; bis ob merita eius DD.

II.

L. Volcatio Q. F. Veliti primo præſ: cohort: I. Noricor: in Pannonia præf: ripæ Danubij & ciuitat: duorum Boior: & Azalior: trib: milit: leg: V. Macedoniæ in Meſia præf: alæ I. Pannonior: in Africa II. viro quinq; Flamin: diuor: omnium P. C. ex teſtamento eius poſita M. Accio Seneca Manilio Planta II. vir quinq;.

III.

Terentio L. F. *Arſenio C. F.*
L. Turpino C. F. *M. Albano L. F.*
T. Munatio T. F. *Quæſtores.*
ære moltati dedere.

SENOGALLIA.

VULGO SENEGALLIA, GALLORVM SEnonum oppidum paruum, muro lateritio admodum craſſo, vallo item & propugnaculis. Nihil viſu dignũ habet præter portum, & eum quoq; exiguum, quem Aternus fluu: efficit, vulgò Nebia: propè eſt mons Aſdrubalis, nomen e clade ipſi hic illata retinens, & tota illa planities fanum vſq; pertingens longa x. milliarib: Mala rotta exin denominatur.

FANVM FORTVNAE.

VULGO FANO, OPPIDVM PICENI, NON magnum, in monte ſitum, ſic appellatũ à Fortunæ templo, quod olim ſumptuoſiſſimum habuit, vt ex veſtigijs reliquis apparet. Alluitur ab Argilla fluuio, & habet fœminas lectiſſimas, atq; à pulcritudine commendatas. Ad Eccleſiam arcus triumphalis ſic inſcriptus.

Diuo Auguſto Pio Conſtantino patri Dominoq; Imper: Cæſ: Diui f. Auguſtus Pontif: Max: Coſ: XIII. trib: pot: XXXII. Imp: Pater patriæ murum dedit, curante Lucio Turcio ſecundo Aproniani præf: vrb: fil: Aſterio V. C. Corr: Flamin: & Piceni.

AD EFFIGIEM ARCVS IN SAXO DEPICTI.

Effigies arcus ab Auguſto erecti, poſtea tormentis ex parte dirupti bello Pauli contra Fanens: Anno M. CCCC. LXIII.

IN SAXO ANTIQVO.

M. Annulus Ponticus ſibi & Sabinæ.

Docta lyra, grata & geſtu formoſa puella,
Hac iacet æternum Sabis humecta domo.
Cuius fatales penſare optauerit horas
Ponticus, huic coniux vltima dona dedit.

Locus ad Metaurum fluuium Hasdrubalis cæde nobilis, vulgo vocatur Malarotta.

IN CATHEDRALI.

COSMO GERIO.

Piſtorien: Fani Epiſcopo electo, moribus, pietate, ac liberalibus diſciplinis ornatiſs: ſummo apud omnes in amore & honore, qui vixit ann: XXIII. & D. XXIV. Obijt VIII. Calend. Octobris Anno M. D. XXXVII.

R.do D. ANTHON: DE PINAROLO.

Sacræ Theologiæ Magiſtro, ord: Minor: diuerſarum Prouinciarum iterum miniſtro. Epiſcopo Fanenſi, ſuæ Cathedral: Eccleſiæ prædiorumq; omnium optimo reſtauratori, bonorumq; ſibi à Deo datorum alacri Eleemoſynario, hoc ſupereſt ſepulcrum. Vix: ann: LXXXV. Obijt anno ſalutis M. CCCCC.

IO. BAPTISTAE PONTISIANO.

Cremonenſi, iuueni ingenij acumiue, lignariæq; artis ſculptura præſtantiſſimo, cum immaturam, ne immortalis fieret, invidæ Parcæ vitam ſurripuiſſent, Philippus genitor mœſtiſs: ſarcophagum hoc lugens poſ: Anno M. D. LXXI. Maij XIIII. Vixit annos XXII. Menſ: III. Dies XI.

AD S. SALVATOREM.

IVLIAE FIRMANIAE.

Vxori oct: Alauolin lugens P. ſibiq; & heredibus V. Calend: Martij M. D. LXXXII.

Super ſydera virtus.

AD S. PATERNIANVM.

Hoc te ſaxum hoſpes manet & monet, Xyſtum IIII. P. Max: auxiſſe percelebri hoc templo & cœnobio Canon: Regul: Diui Saluatoris, qui non ingrati gratis eius manibus litarunt magno apparatu ann: cent: egreſſo Cal: April: CIↃ. IↃ. XXCII. cum huic monumentum Baptiſtæ domin. ferr. ann. Gregor. XIII. x. Eccleſ. præfuiſſet.

Summatim qui noſſe cupis Eccleſia cur hæc
Structa ſit, & quando, ſubdita parua lege.
Sat dictum à lapide, Chatæ tibi plura loquentur.

AD S. FRANCISCVM.

DVCISSAE BIANCAE.

Clara pudicitiæ dux Paula Bianca, potentis
A genitrice trahens Vrſini ſaguinis ortum,
Cui patrium Malateſta genus celſumq; maritum
Pandulpham aula dedit, formæ ſplendoribus omnes
Vincens, atq; viros ſummis virtutibus æquans,
Hic cineres liquit, celeremq; petiuit olympum.

Obijt M. CCC. LXXXXIII. in feſto Antonij.

SIGIS: PANDVLPH: MALATESTA.

Dominus & clementiſs: princeps Pandulpho Malateſtæ patri ſuo ſac: dedit ann: M.CCCC.LX.

BONECTI.

Vrna tenet celebrem, ceu cernitis, iſta Bonectum
De Caſtro Franco medicum quem Phyſica fecit.
Doctor vbi fuit ante in artibus ille probatus.

IN S. IVLIANO.

DOMINICO TIZZONIO.

Rauenn. Equiti ſplendidiſs: qui diutius ſub diuerſis principibus militiæ artem honorificè geſſit, demum dum apud illuſtrem Vinc: Magnanium Bononien: ducem centuria equitum pro ducis munere fungeretur, anno Domini M. D. LXXXIII. XVIII. Calend: Ianuarij ætatis ſuæ XXXVIII. Vincentius Magnanius, vt amicitiæ & eius voluntati morem gereret, poni curauit.

IN FORO MAIORI.

Gregorij XIII. æternæ memoriæ ductum craterem q; fontis inſignibus ornatum fides Fanenſium dicauit. Anno M. D. LXXVI. Benedicto Buccantio patritio Romano Fanum gubernante.

Decuit ſane perennes latices Gregor: XIII. Pontif: Max: Senatum Fanen: pro ſua fide cultuq; in foro dedicare, cum ipſe orbi ſeſe religionis, iuſtitiæ, pacis, fontem inexhauſtum præſtet.

IN PALATIO GVBERNATORIS.

Sub inſig: Card:[lis] cuiusdam.

Auſpice Iuſtitia tua pax Leo maxime pacem
Securam nobis perpetuamq; facit.

ITEM.

Sic mortua domantur.
Me duce proficies, tu modo progredere.
Intende proſpere procede & regna.

IN ATRIO SVMMO PALATII.

Maiorum hæc virtus dedit hæc fortuna tuorum
Inuidioſa tibi, fecundaq; iugera fanum
Hæc te conſilio par eſt ferroq; tueri
Turpiter amiſsi ne ſit iactura pudoris.

SVB HISTOR: EX LIVIO.

Quintius abiecto properans Dictator aratro
Perdomitos hoſtes ſub iuga victor agit.

ITEM.

Pulcrum pro patria mortem quis obire recuſet
Deuoti cernens inclyta fata Dei.

IN CATHEDRA IVDICIS.

SVB GIGANTE PORTANTE.

cœlum in humeris

Non leuius fert pondus optimus Senator.
Loquuntur multi, pauci dicunt.

AD CAMILL:

Iuſtitiam rectumq; ſequi monſtrante Camillo
Diſcite: ſitq; dolo vincere turpe viris.

ITEM.

Impietas pietate noua depulſa parentis
Pro patria in patriam nos decet eſſe pios.

AD BRVTVM.

Iudice libertas res eſt pulcerrima Bruto,
Quam patriæ peperit caſtæ Lucretia ferro.

ITEM.

Pugnant tergemini per mutua vulnera fratres
Aſſerere imperium non ſibi, ſed patriæ.

ITEM.

Pro patria certamen obi, tibi candidus ales
Fiet, opemq; feret ſit licet ipſe niger.

AD AELIVM.

AElius vt patriæ felicia ſæcla perennet,
Fatali pico funera ſæua dedit.

IBIDEM.

Mollit, agit, nectitq; aures facundia, ſed non
Labem animi eloquio tollere lingua poteſt.

ITEM.

Quod ſi Reipub: opes tum in ſua quiſq; priuata commoda, tum in cuiuſuis gratiam profundere decreuiſtis, ad illum ſaltem P. C. angulum reſeruate.

FORVM SEMPRONIVM.

VETVSTVM OPPIDVM, AD VIAM FLAminiam, in quo antiquitatis veſtigia quàm plurima. Præter aquæductus enim, vias ſilicatas, columnas, marmora multa diſiecta cernuntur, cum antiquis inſcriptionibus, quæ alibi relatæ.

Extra oppidi portam, ea via qua Callium itur ſaxum eſt exciſum, non abſimile criptæ Neapolitanæ, de quo Blondus ita refert: In ripa Candiani fluuij ad tertium ſupra forum Sempronij lapidem, pars viſitur mirabili & ſumptuoſo opere facta antri, quod duriſſimi ſaxi mons exciſſus, quingentis in longitudinem paſſibus iter prebuit curribus, & ne ſubiectus amnis rapidum currens, viæ corraderet fundamenta, murus ab aquis in ſummã viam quadrato lapide pluribus locis in ſublimè excitatus illam ſuſtentat. Sed maiore opera impenſaq; ſaxum ſiliceam habens duritiem, ducentis, vt teneo, paſſibus & octo altitudine perforatum, curribus item factum eſt peruium, cui à forma actuq; Forulo eſt appellatio, docetq; titulus in fronte literis cubitalibus exciſus, Tit: Veſpaſi-

ſpaſianum non Octauium, qui viam ſtrauerat id foruli opus fieri curaſſe.

Poſt pontes occurrunt, quorum vnus ripas Metauri, alter viam Flaminiā coniungit. Ad hunc planities illa celebris, ob prælium inter Totilam & Narſetem commiſſum, in quo Narſes victor, Totila occubuit, & Callij, quod non longe abeſt, ſepelitur.

PISAVRVM.

VVLGO PESARO OPPIDVM PICENI Romanorum colonia, dicta vt Grammatici volunt, ab appenſo Gallis Senonibus auro, vel potius ab Iſauro fluuio illi vicino, condita in longitudinem eum in modum, vt ex foro ad quatuor oppidi vias proſpectus pateat, ea tamen quæ ad Iſauri pontem tendit, cæteris longiore. Qua parte vrbs ad mare reſpicit, arce turre, & Iſauro amne munita, altera verò muro, propugnaculis, foſſa. Ratione munitionis reſpondet nonnihil Patauio.

In templis nihil admiratione dignum. Vno inde milliario Franc: Mariæ ducis villa eſt, vulgo Il poggio Imperial, animi cauſſa ædificata in colle amœno, mirifici operis, maximè propter fonticulos hortos & ambitus in ipſis tectis. Depictæ in clauibus Ducis res geſtæ & tributi illi honores à Senatu Veneto, Florentino, Pontificibus. In medio fons eſt alter ex ære, alter ex candido marmore. Et turri proſpectus longiſſimè patet, in cuius tecto, ſic vt totius villæ etiam ambulari poteſt.

Piſaurum fuit patria antiquiſſimi Poëtæ Actij.

IN PORTA ANCONITANA.

Albeinæ C. T. Balbinæ Flaminiæ Piſauri & Arimini patronæ municipi Piſinacium, Piſaurenſium huc anno quinq; nati Petina mariti eius plebs vrbana Piſaurens: ob merita eorum cui Imp: ius commune librorum conceſsit L. D. D. D.

IN CATHEDRALI.

D. Laurentij Piſaurenſium tutelaris oſſa.

DE VIRG: MARIA.

Cui tua conceſsit pietas pro funere vitam,
Eſt pax ante tuos virgo beata pedes.

PANDVLPHI MALATESTAE TVMVLVS.

Olim ductor eram Latio celeberrimus omni,
Ductor eram ingenio promptus & ipſe manu.
Quin etiam populos ſumma pietate regebam
Hadriacos gratus militiæ atq; domi.

Pandulpho mihi nomen erat, Malateſta parensq́;
Progenieſq́; pari nomine clara fuit.
Hic tumulus viuo fuerat de marmore factus
Cæſus imaginibus & Leo ſubtus erat.
Ipſum autem auxilio ſummi paſtoris & armis
Ingenij pulſis Regibus vrbe ſuis.
Vltima fex hominum ciues pauciq́; malorum
Deiecere ſuis oſſa remota locis.
Sed ſceleris tanti populus facto agmine vindex
Hunc illum obtruncat, hos capit atq́; fugat
Inq́; ſuas reuocant ſedes magniq́; Terenti
Lux aderat veteris ſemper in æde Dei.
Pandulphum qui præſul erat Galeaz Carolumq́;
Tres proceres quamuis mens erat vna tribus.
Germanoſq́; ſibi memores qui laudis auitæ
Hanc cineri ſedem reſtituêre meo.

IN S. AVGVSTINO-
SVB CHRISTI IMAGINE.

In mundo ſpes nulla boni, ſpes nulla ſalutis,
Sola ſalus ſeruire Deo, ſunt cætera fraudes.
Iudicium populi, mortem pro ſentibus inſons
Suſtulit ecce pius miſeri qui cernitis vltra.

IN VILLA IMPERIALI DVCIS.

Fr: Mariæ Duci Metaurenſium à bellis redeunti, Leonora vxor animi eius cauſſa villam exædificauit, pro ſole, pro puluere, pro vigilijs, pro laboribus, vt militare negotium quiete interpoſita, clariorem laudem fructuſq; vberiores pariat.

IN LABRO AENEO AD IMAGINEM
Bacchi nuper in agro Piſaurenſi reperti.

Vt potui huc veni, Delphis & fratre relicto.

VRBINVM.

VVLGO VRBINO, VRBS PICENI INTER Metaurum & Iſaurum flumina in edito & inæquali loco ſita, amœna & ſalubris. Arcem habuit extra vrbem munitiſſimã, quam Guidobaldus Dux, ne ipſius potentia inuidiæ eſſet & populo & finitimis, demoliri fecit. Nouam vetere diruta intra muros à fundamentis extruit Fridericus Dux, magis ad ornatum loci & magnificentiam habitandi, quã ad defenſionẽ. Ea ædibus Epiſcopi & templo D. Dominici eſt contigua, ita ædificata, vt poſſit equo in turres, & ad tectũ ipſũ iri, quomodo Venetijs turris D. Marci et Romæ Pontificis palatiũ. Conclauia habet ccc. LXIII. ampla & magnifica, Ornat eã præcipuè bibliotheca libris opt: et multis referta, quorũ alij aureis vmbilici, alij panno aureo, alij ſerico villoſo obducti ſunt, olim omnes argẽto auroq; ornati, ſed ab Alex: VI. Pont: Max: filio

filio Cæſare Valentio Borgia omnibus ornamentis ſpoliata, atq; etiam translata fuit, quam Iulius II. poſtea reſtituit. Multæ in ea Græcorum autorum tranſlationes, quæ impreſſæ hactenus non ſunt. Ducis ipſius bina ſunt muſea, inferius tantum ornatum picturis Muſarum : alterum verò ſuperius virorum illuſtrium & clarorum, qui ſibi virtute & doctrina famam compararunt. Vtrumq; vnicam tantum feneſtellam habet, in loco ſuperiore adiunctum ijſdem eſt ſacellum.

Quatuor habuit Fridericus Dux res inſignes : bibliothecam, aulæa, aurea argenteaq; vaſa, præclaros equos. In templis vrbis nihil conſpicuum, præter ſacellum quoddam in D. Franciſio recens exædificatum.

IN AEDE CATHEDRALI.

Omnia morti ſubiecta perpende.

Hieronymo Sanctucio Vrbinati Epiſcopo, ſanctitate mentis prudentiaq; inſigni, ne minus de S. R. E. quàm de ſua benemerito, fratres pientiſs : poſuêre. Vix : ann: LXVII. Men: X. Obijt M. D. LXX.

IN CATHEDRA.

Eſtote factores verbi non autem auditores tantum.

Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo ſcelera eorum.

IN ORGANO.

Felix Tirana Vrbin: Archiepiſcopus primus Eccleſiæ ornandæ atq; excolendæ ſtudioſus ac diligens, inſigne hoc muſici organi opus, quod illuſtriſsimis & Excell:mis de Ruere principibus felix fauſtumq; ſit, Deo adiuuante perficien. curauit Anno Chriſti Dei & hominis ortu CIↃ. IↃ. LXXVI.

IN EODEM.

Summi omnipotentis Dei honori & ſempiternæ gloriæ dicatum, vt cœleſtium Muſarum choros, humanæ voces ac ſoni reliqua ex parte imitentur, quo ſuaui vocum ac ſonorum concentu ad diuinas laudes celebrandas Chriſtianæ mentes incendantur.

AD S. CLARAM.

FRANC: MARIAE DVCI.

Ampliſſimis belli paciſq; muneribus perfuncto, dum paternas vrbes per vim ter ablatas, ter per virtutem recipit, & receptas æquiſſimè moderatur, dum à Pontificibus, à Florentinis, à Venetis exercitibus præficitur, deinceps & gerendi in Turcas belli princeps & adminiſtrator aſſumitur, ſed ante dies ſublato Donora vxor fidiſſima & optima meritiſſimo poſuit & ſibi.

IN S. FRANCISCO.

CALAPATRISSAE SANCTVCIAE.

Auguſtini Sanctucij Phyſici vxori, ob egregiam in filios eius caritatem, aliasq;

virtutes

virtutes matri colendæ, & Stephano Alexandri Sanctucij Semproniẽ præpoſ: & Paulus fratres poſ: M. D. LXXVIII.

IN S. BERNARDINO EXTRA VRBEM.

MATTHAEI BATTIFERAE.

E Battifera generoſa ſtirpe creatus
Matthæus, medica clarus in arte fui.
Vrbinum genuit, rapuit me maxima Roma,
Franciſci fratris munere nunc iaceo.

Vix: ann. XXXVIII. Menſ: VIII. Dies XXVIII.

ALEXAND: VETERANI.

Maxima qui fuerat Veteranæ gloria gentis,
Aſpice quàm parua nunc tumulatur humo.
Mille virûm hic ſtygijs cum frigida corpora ab vmbris
Pæonia ad ſuperos ſæpe reduxit ope.
Vnde illi meritò nomen tribuere parentes,
Conueniens meritis finitimumq; ſuis.
Mors, quoniam cœci tot funera traxerat orci
Faucibus, vltrices intulit atra manus.

Alexandro Veterano Phyſico Vrbinati caſtiſs: coniux, pientiſſimiq; filij hoc ponend: curarunt Vix: ann: LIIII. Obijt M. D. XIII.

GENEVERIAE NVTRICIS.

Orta Mirandiolæ iacet hic Geneueria nutrix,
Virtutis ſpeculum quin probitatis honos.
Quæ fuit illuſtris comes & pia cura Duciſſæ
Principis hæc fama pegmata ad aſtra tulit.
Non igitur pigeat lector, quam numina ſeruant,
Dicere qui tranſis, molliter oſſa cubent.

Mementote mei omnes Ob: M. D. XIIII. Martij XXV.

LODOVICI PATAVI.

Qui genitus Patauí clara Lodouicus in vrbe,
Vrbini moriens hac requieſcit humo.
Virtutes propter Dux hunc Fridericus ab altis
Sedibus Antenor quas fouet inde petit.
Venit & in denos bis cum compleuerat annos
Guidoni doctus cumq; magiſter erat.
Carmentam coluit, Rhetor quoq;, dogmata leges
Aonidum numen, Theſpiadumq; chelin
Corpus auara tenet tellus ſolemne ſepulcro,
Spiritus æthereos greſſus ad aſtra polos.

Vixit annos LIIII. Obijt M. D. VIIII. Calend: Aug:[ti]

IBIDEM.

Eliſabeth nomen, cognomen Feltria, Guido
Vir fuit, Vrbini dux, & Gonzagia tellus
Hanc tulit, & nulla penitus virtute carentem,
Aſtabat curis populorum ſancta virago.
Vndiq; pauperiem ſcrutans miſerata iuuabat,
Nec patiebatur quemquam mercede laborum
Fraudari, imò magis quemquam ſine munere abire,

Munere ſecreto ſuperis vt gratius eſſet,
Vix ſibi ſeruauit quidquam nec clauſit in arca hac
Quod ſupereſt; cupiens ditari munere cœli
Quo fruitur, valle hac lacrymarum exuta receſsit,
Exemplum linquens alijs cupientibus aulam
Scandere cœleſtem, vitareq; tartara Craſsi,
Qui modò fert pœnas auri ſitibundus auarus,
Qui liquidum viuens meritò libauit & aurum.

Obdormiuit in Domino die XXVIII. Ianuarij M. D. XXVI.

IN CAPELLA S.ti DONATI.

GVIDONIS COMITIS.

Ploret in Heſperia Gallus, plorate Latini,
Guido Comes moritur, hac requieſcit humo.
Non fuit è cœlo princeps clementior alter,
Prævalidas vrbes rexit & ipſe potens.
Non fuit in terris vnquam qui ſanctius heros
Cappam Franciſci poſſet habere ſacri.
Quam dedit æterno probitas venerabilis æuo
Mors animam cœlo reddidit alma ſuo.
Vos igitur ſuperi ſocio gaudete ſuperno,
Atq; Ducum ſeruet curia ſacra ducem.

IN ARCE.

Fridericus Vrbini dux, montis Feretri ac Durantis Comes, S.R.E. Confalonerius atq; Italicæ confœderationis Imperator, hanc domum à fundamentis erectam gloriæ ac poſteritati ſuæ exædificauit, qui bello pluries depugnauit, ſexies ſigna contulit, octies hoſtem profligauit, omniumq; præliorum victor ditionem auxit, eiuſdem iuſtitia, clementia, liberalitas & religio, pace victorias æquarunt ornaruntq;.

IN BIBLIOTHECA.

I.

Bibliotheca locum tenet hic generoſe viator
Aſpice, fecit auus Dux hanc Fridericus, & aucta
Eſt per magnanimum & pulcrè inſtaurata nepotem,
Cumq; opere autoris diua hæc celebratur imago.

II.

Non ſum qualis eram argento exornata vel auro,
Abſtulit omne decus qui modo nulla tenet.
Dat fortuna vices, nam qui me cepit, & ille
Corruit, at ſupereſt pagina grata Duci.
Quem pater omnipotens, pater ò ſanctiſsime Iuli,
Reddiſti patriæ munera magna ſuæ.
Quæ modò tàm felix, tàm fauſtaq; tàmq; beata
Quàm fuerat triſtis hoſte furente ſuo.
Vt merito reſonem, lux hæc quam fecit Iulius
Valde exultemus, & iubilemus ei.

III.

Si cupis hic poſiti quonam ſint ordine libri
Diſcere, qui tranſis carmina pauca lege.

Dextera ſacrorum iuriſq́ volumina ſeruat,
Philoſophus, Phiſicus, nec Geometer abeſt.
Quidquid Coſmographi, quidquid ſcripſère Poëtæ
Hiſtoriciq́ omnes datq́ ſiniſtra manus.
Munera nulla tamen templo ponuntur in iſto,
Pauperiem & libros ipſe miniſter habet.

IV.

Sint tibi diuitiæ, ſint aurea vaſa, talenta
Plurima, ſeruorum turbæ, gemmæq́ nitentes,
Sint veſtes variæ, precioſa monilia, torques,
Id totum hæc longè ſuperat præclara ſupellex
Sint licet aurati niueo de marmore poſtes,
Et varijs placeant penetralia picta figuris.
Sint quoq́ Troianis circumdata mœnia pannis,
Et miro flagrent viridaria culta decore,
Extra intraq́ domus regali fulgida luxu,
Res equidem mutæ, ſed Bibliotheca parata eſt
Iuſſa loqui facunda nimis, vel iuſſa tacere,
Et prodeſſe potens & delectare legentem,
Tempora & ipſa docet, venturaq́ plurima pandit,
Explicat & cunctos cœli terræq́ labores.

V.

Quiſquis ades lætus muſices quoq́ candidus adſis,
Facundus citharæ non niſi candor ineſt.

IN MVSEO ORNATIONE.

Fridericus Monfeltrius Vrbini Dux montis Ferretri & Durantis comes, Sereniſſimi Regis Siciliæ Capitaneus generalis, ſanctæq́; R. E. Confalonerius M·cccc. Lxxvi.

PLATONI.

Athenienſi, humanæ diuinæq́; Philoſophiæ antiſtiti celeberrimo, Fed: dicauit ex obſeruantia.

ARISTOTELI.

Stagiritæ, ob Philoſophiam ritè exacteq́; traditam Fed: poſuit ex gratitudine.

CL. PTOLOMAEO.

Alexandrino, ob certam aſtrorum dimenſionem, inductasq́; orbi terrarum lineas, vigilijs laboriq́ æterno Fed: dedit.

L. BOETIO.

Ob cuius commentationes Latini M. Varronis ſcholas non deſiderant, Fed: Vrb: princeps poſ.

M. TVLLIO.

Ciceroni, ob diſciplinarum varietatem, eloquentiæq́; regnum Fed: D. dic. P. P. P. ex perſuaſione.

ANNAEO SANECAE.

Corduben: cuius præceptis animus liberatur perturbationibus, excoliturq́; tranquillitas. Fed: erexit.

HOME-

HOMERO.

Smirnæo, cuius poëſin ob diuinam diſciplinarum varietatem omnis ætas admirata eſt, aſſecutus nemo poſt, gratitudo poſ.

PVP. VERGILIO.

Maroni, ob illuſtrata numeris heroicis Rom. incunabula imperijq; poëſeos diuinitate Fed. dedit furori ſublimi.

EVCLIDI.

Megaren. ob comprehenſa terræ ſpacia lineis centroq; Fred. dedit inuento exactiſsimo.

VICTORINO.

Feltrenſi, ob humanitatem literis exemploq; traditam Fred. præceptori ſanctiſs. poſ.

SOLONI.

Ob leges Athenienſ. traditas Rom. tabularum ſeminario ſanctiſs. Fed. poſ. ex ſtudio benè inſtituendorum ciuium.

BARTHOLO.

Sentinati, acutiſsimo legum interpreti æquiſsimoq; Fed. poſ. ex merito & iuſtitia.

HIPPOCRATI.

Coo, ob ſalubritatem humano generi datam, breuibusq; demonſtratam comprehenſionibus bonæ poſteritatis valetudo dicat.

PETRO.

Apono, Medicorum arbitro æquiſs. ob remotiorum diſciplinarum ſtudium inſigne Fed. poni cur.

GREGORIO.

In cœlum relato, ob morum ſanctitatem, librorum quoq; elegantiam teſtatam, gratitudo Chriſtiana memor erexit.

HIERONYMO.

Ob fidei Chriſtianæ præcepta doctrina elegantiaq; illuſtrata Fed. æternitatis gratia poſ.

AMBROSIO.

Ob ſpretos faſces conſulares, ſuſceptum Chriſtianum nomen & ornatum Latini ſermonis iucunditate Fed. poſ.

AVGVSTINO.

Ob ſublimem doctrinam cœleſtiumq; V. V. indagationem luculentiſſimam poſt: edecti F. C.

MOYSAE.

Iudæo, ob populum ſeruatum diuiniſq; ornatum legibus poſteritas Chriſtiana poſ.

SOLOMONI.

Ob inſigne ſapientiæ cognomen Fed. homini diuino P. C.

THOMAE.

Aquin: cuius diuinitas Philoſoph. Theolog: q; commentationibus ornata eſt, dic: ob virtutem egregiam.

SCOTO.

Ob ſublimes cogitationes, cœleſtiumq; V.V. aſſectationes accuratiſs. Fed. Doctori acutiſs. poſ.

PIO.

II. Pontif. Max. ob imperium auctum armis, ornatumq; eloquentiæ ſignis Fed. poſ. magnitudini animi laboribusq; aſſiduis.

BESSARIONI.

Græci Latiniq; conuentus pacificatori, ob ſummam grauitatem doctrinæq; excellentiam Fed. amico ſapientiſs. optimoq; poſuit.

ALBERTO.

Magno, ob res naturales æmulatione Ariſtotelica perquiſitas, immenſis voluminibus poſteritati curæ S^{mæ}. benem. poſ.

XYSTO.

IIII. Pontif. Max. ob Philoſophiæ Theologiæq; ſcientiam ad Pontificatum traducto dic. benignitati immortali.

DANTI.

Antignio, ob propagatos numeros, poëticamq; varia doctrina populo perſcriptam poſita benem.

PETRARCHAE.

Ob acerrimum ingenium, ſuauiſs. q; ingenuitatis doctrinam, poſteritatis lætitia luſusq; dicauêre B. M.

ANTE SACELLI INGRESSVM.

Bina vides paruo diſcrimine iuncta ſacella,
Altera pars Muſis, altera ſacra Deo eſt.

IN SACELLO.

Hæc quæcunq; petit mundo pia lumina corde,
Hic petit æterni fulgida regna poli.

SVPER BALNEAS PRINCIPIS
in pede columnæ.

Si quiſpiam celeberrimum immenſi orbis ædificiorum celebret, tuum Friderice hoc admirabitur Dux Vrbini Guidobaldus, Duciſſa Victoria filia Petri Aloyſij Ducis Placentiæ.

Huius palatij aula maior in longit. habet L. paſ. in Latid. XXII. Imago ducis calui, imberbis, comati, in lapidem inciſa.

TOLENTINVM.

VLGO TOLENTIN OPPIDVM MARCHIAE Triuiſanæ pulcrum & vetus, ad Ientum fluuium, in quo D. Nicolai reliquiæ: patria Franciſci Philelphi.

SVB INSIGNIIS PONTIFICIS ET SYMBOLO.

Moderata durant.

Paulo III. Pont. Max. terreſtri Deo Reip. Chriſtianæ conſeruatori.

IN TVMVLO QVODAM.

Vt viuis vixi, verùm morieris, & omnes
Qui ſum vos eritis, puluis & vmbra, ſolum.
Qui ſapit, & qui non, qui ſeruit & imperat, æqua
Et miſer & felix conditione cadunt.

MEDICI.

Cui virtus, cui Muſa dedit, cui ſydera nomen
Et medicina ſimul, non cubat hoc tumulo:
Aſt petijt cœlum, manet & comes ipſe Deorum
Tanta etenim virtus non tulit interitum.

IN TVMVLO VICTORIS QVODAM *in duello.*

Da Tolentin di ſangue alto & ſuprano
Ioan Thomaſſo, non con fraude ò arte.
Vinci con forza & non ſingolar Marte
Il Capranico Cæſare Romano.

ARIMINVM.

VLGO RIMINI, OPPIDVM PICENI, ROmanorum colonia, ſita in planitie, ipſo aſpectu magnificentius quid præ ſe ferens Rauenna. Habet arcum veterem triumphalem à Diocletiano victis Liburnis poſitum. Pontem etiam qui ſuburbium ciuitati coniungit, ab Auguſto, vt nonnulli volunt, extructum, & theatri latericij ruinas. Arcem veterem & minimè firmam. Propè templum Cathedrale, & Palatium in quo conſultant ciues. Templa ſunt vetuſta & quaſi deſerta, recens & ampliſſimum D. Franciſci à Malateſtis conditum & puriſſimo marmore incruſtatũ in quo ſacella duo, in quibus ſtatuæ marmoreæ, ita elaboratæ, vt non lapideas formas, ſed humanos vultus exiſtimes, opus conferendum antiquitati. Alluitur oppidum à ſui nominis fluuio, quem nunc Marielam vocant: in foro oſtenduntur bini lapides, quo in loco concionem habuiſſe dicitur Cæſar, cùm exercitum victorem à Gallijs reduceret. Item monumentum Diui Antonij Patauini, vbi dicitur & ipſe concionatus fuiſſe, & multos ad Chriſti religionem cõuertiſſe. Extra oppidum D. Gaudentij templum antiquum, & à Monachis habitatum. Portus quoque aliquot ante natiuitatem Chriſti annos factus, & via AEmilia, torrens perexiguus Piſatello,

olim Rubicon magni nominis, propterea quod Italiæ & Galliæ arua terminabat, & quod ſtante Rom. Rep. lege prohibitum erat, eum armata manu magiſtratus iniuſſu tranſgredi. Lex illa in ponte marmoreo ſuperbiſs. his erat notata verbis:

IVSSV MANDATVVE POPVLI ROM.

Coſ. Imp Trib. miles, Tyro, commilito, Manipulariaue Cent. Turmar. legionariaq; armatæ quiſquis es hic ſiſtito. Vexillum ſinito, arma deponito, nec citra amnem hunc Rubiconem ſigna, arma, commeatum, ductum exercitumuè traducito. Si quis huiuſce iuſsionis ergò aduerſus præcepta ierit feceritue, adiudicatus eſto hoſtis pop. Rom. ac ſi contra patriam arma tulerit, ſacroſq; penates ex penetralibus aſportauerit S. P. Q. R.

SANCTIO PLEBISCITI SENATVSVE CONSVLTI.

Vltra hos fines arma ac ſigna proferre nemini liceat. S. P. Q. R.

IN PALATIO.

I. Ariminum à Comitibus Herculis conditum. Cato de originib.

II. Lucius Aſaponius bonus ciuis deducit coloniam Ariminum.

III. Ariminens. in duo de viginti Rom. colonias ſubſidio Imperij pop. Rom. ſtetit.

IV. L. Sempronius Conſul, oram Italiæ legens Ariminum peruenit.

V. Cai: Cæſar militibus præmiſsis, mulis ad vehiculum iunctis, nondum illuceſcente die Arim: occupat.

VI Inter clariores ditioreſq; Italiæ ciuitates Ariminum à III. viris in prædam conceſſum.

VII. Auguſtus Cæſar, quò vrbs facilius adiretur, Ariminotenus Flaminiam muniuit.

VIII. Veſpaſianus & Titus Cæſ. Arimini inuenêre M. Aponum & L. Tertalam CXXXVII. vixiſſe.

IX. Ariminum à Gothis obſeſſum per Beliſarium & Narſetem Duces Iuſtiniani liberatur.

X. Concilium, cui B Hieronymus interfuit, Arimini celebratur.

XI. In Ariminenſi agro in villa Galerij locutus eſt gallus gallinaceus.

XII. C. Cæſar Aug. F. Coſ. vias omnes Armini ſtrauit.

IN FORO.

D. *Antonio olim hic concionante euchariſtiæ ſacramento non pauci ad Chriſti fidem deducti.*

IN D. FRANCISCO.

Sigiſmundus Pandulphus Malateſta Pandulphi F. V. fecit anno gratiæ M. CCCC. L.

T. ♡. A.

T. ♡. A:

Σιγισμοῦνδος Πανδοῦλφος Μαλατέστας Πανδούλφου πλείστων τε καὶ μεγίστων κινδύνων κατὰ τὸν Ἰταλικὸν πόλεμον περισωθεὶς νικηφόρος ὑπὲρ τῶν οὕτως πραχθέντων ἀνδρείως καὶ εὐτυχῶς θεῷ ἀθανάτῳ καὶ τῇ πόλει τοῦ νεὼν ὡσιν τῇ αὐτῇ περιστάσει τοίχῳ νευξάμενος μεγαλοπρεπῶς ἀναλώσας ἤγειρεν, καὶ μνῆμα κατέλιπεν ὀνομαστόν τε καὶ ὅσιον.

BASINII PARMENSIS.

Poëtæ D. Sigiſmundi Pandulphi Mal. Pandulphi fil: tempeſtate vita functi condita hic ſunt oſſa.

IVSTVS ORATOR.

Romanus, Iuriſq; Conſultus D. Sigiſmundo Pandulpho Malateſtæ Pand.F. rege hoc ſaxo ſitus eſt.

THEMISTII BIZANTINI.

Philoſophorum ſua tempeſtate principis, reliquum Sigiſmundus Pandulph. Malateſta Pand. F. belli Pelopon. aduerſus Turcarum regem Imp: ob ingentem eruditorum quo flagrat amorem huc adferendum introq; mittendum curauit M. CCCC. Lxv.

ROBERTI VALTVRII.

Qui de re militari xII. libros ad Sigiſmundum Pandulphum Malateſtam accuratiſſimè ſcripſit, quiq; Roberto Malateſtæ F. comitate inſigni, facundia atq; fide carus extitit, Pand. Malateſta Rob. F. Sigiſmundi nepos adhuc impubes, officij memor, hoc monumento benem. oſſa condi iuſſit Vix. ann. Lxx. Menſ. vI. Dies xvI.

DEDICATIO SACELLI.

Sancte dicata tibi hæc ædes & condita ſoli,
Sigiſmunde pÿs addite cœlitibus.
Quique tuum ſeruat nomen Malateſta ſuperbum,
Æternumq; tibi marmore ſtruxit opus.

AD DEXTERAM.

Sum Sigiſmundus Malateſtæ è ſanguine gentis,
Pandulphus genitor, patria Flaminia eſt.
Vitam obijt vII. Id. Octob. M. CCCC. LxvIII.

AD LAEVAM.

Sigiſmundus Pandulphus Malateſta Pandulphi filius, ingentibus meritis probitatis fortitudiniſq;, illuſtri genere ſuis maioribus poſteriſq;.

IN SARCOPHAGO MARMOREO.

D. Aſottæ Ariminenſi benem. ſacrum Anno M. CCCC.

IN COEMITERIO.

Tempus & locus tacendi.

CERVIA.

NOVI NOMINIS OPPIDVM, EO SITVM LOco, vbi olim fuit Phycocle, ciuitas trabibus & canapis munita, vt Dion. Halicar. refert. Salinas habet ex quibꝰ Pontifex annuatim habet LX. mill. coronatorum. Ante fores templi Cathedralis ſepultura antiqua forma pyramidali, in cuius vno latere duo pueri mœſti iacent, facem accenſam vna manu, altera coronam, tenentes: in altero inſcriptio:

M. Aurelio Mace: Vet: Nat: Delin: ex ſub. opt. ſibi & anno Victoriæ liberatæ viuus poſ. Si quis hanc arc: P. ex F. S. S. S. S. A. D. F. C.

RAVENNA.

VETVSTISSIMA VRBS FLAMINIAE, CONdita à Theſſalis, muris cincta à Tiber. Auguſto, quod inſcriptio in porta ſpecioſa teſtatur, ſita loco plano, populo infrequens, factionibus flagrans, plena ruinarum, permulta tamen nobilia habens ædificia: plurimum enim à Galla Placidia Arcadij, & Honorij Impp. ſorore, item Valentiniano ſecundo ac Tiberio Placidiæ filio fuit amplificata & aucta. Inprimis tamen à Theodorico Oſtrogothorum Rege, qui Italiæ, Siciliæ, Dalmatiæ, Vngariæ, Germaniæ, Galliæq; magnæ partis imperium tenens hic annis XXXVIII. conſedit, regiasq; & templa ſumptuoſiſſima condidit, præclareq; aquæductus refecit & inſtaurauit, quorum tamen nunc nulla aut parua extant veſtigia, vti nec Regiæ, nec turris eius eximiæ & amphitheatri. Equeſtris ſtatua ex ære Caroli Magni temporibus Ticinum eſt delata. D. Apollinaris noui fanum quem incolæ tanquam Tutelarem colunt, olim Diuo Martino, in cœlo aureo cognomento, ſacrum, eius operum inter cætera non extremum eſt: Id enim columnarũ precioſiſſimi marmoris, quas Bizantio adferri curauerat, ordinibus binis, itemq; alio nobili marmore ex Palatio Pintij Senatoris ab Roma ex colle hortulorum vbi magnificè habitabat, allato, exornauit: In eius inferiore parte Iuſtinianus Imperator cum vxore, & Theodoricus Rex opere muſaico expreſſi ſunt. Item depicta vrbis antiquæ effigies: & duæ columnæ ex agate maximi valoris, & pomum aureum Tiberij.

Cathedrale S. Anaſtaſij amplum, ſplendidum & ſumptuoſum opus eſt, quaternis columnarum ordinibus ex marmore precioſiſ. ſuſtentatum, in quo antequam à Gallis diriperetur tholus ditiſſimus ſuper altare maius cernebatur, quatuor colũnis innitens, puro contectus auro cum zophyris & faſtigiorum ſigillis elegantiſſimis, quod XXXVI. aureorum millibus ab Archiepiſcopo quodam fuerat extructum, & anno M. D. XII. milites Lud: XII. Franciæ Regis ſpoliauere, tertio Paſchatis die. In ſacelli maiore himiſphærio depicti ſeu Græcanico opere effigiati cernuntur Sancti illi Antiſtites, qui columbæ ſupra caput apparentis indicio Rauennates Archiepiſcopi creabantur. Non procul inde theatrum vetuſtũ Caij Cæſaris, & ædes diuorum Geruaſij & Protaſij, à Galla Placidia cõſtituta, marmore incruſtata tota, cælataq;, cum pauimento teſſellato, in cuius ingreſſu peramplo bina ſepulcra ex niueo marmore

opere

opere ruſticano facta. Ea ferunt Reginam nutritori & nutrici liberorum Gallæ poſuiſſe. In medio ædis, quæ formam quadratam obtinet, duo alia ſunt monumenta, ex ſimili marmore egregio artificio perfecta, quibus duos Gallæ filios contineri ferunt. Alio vero latere, qui frontem facit ſuper aram, tymbus ſtat ingens precioſiſſimi marmoris operiſq; mirabilis, in quo ipſius Gallæ oſſa ſunt condita. Diui Vitalis templum vetuſtiſſimum opere vermiculato teſſellis gemmeis in laqueari marmoreo ad formam templi D. Sophiæ Bizantinæ conſtructum eſt, cuius ſumma teſtudo precioſiſſimis columnis ſuſtinetur. Pauimentum teſſellatum, parietes marmore incruſtati. Marmora prægrandia & diuerſiſſimorum colorum, inter quæ vnum cinericeį coloris, quod refert imaginem & habitum Monachi Franciſcani ab ipſa natura impreſſam. Altare ſummum quatuor mirificæ nobilitatis columnæ ſuſtinent, ex quibus vna tantæ raritatis, vt omnium ferè precioſorum lapidum & gemmarum genera, veluti ſerpentini, porphyritidis, ophytis, granati, agatæ, rubini, chalcedonij, iaſpidis rubentis viridiſque ac citrini aliorumque colorum in ſe contineat, quorum valor ad XV. mill. D^torum^. æſtimatur, & cuius non reperitur par in Italia. Sub ara fonticulus eſt, ex quo bibunt religionis cauſſa, quod in eum præcipitatus ſit Diuus Vitalis. Ante fores conditus Iſaaccius Imp. Græcus. Gothis enim eiectis Exarchorum Magiſtratus, quos Bizantio mittebant Imperatores hic incepit & CLXXV. annis durauit, continebatque ſub ſe Cæſaream, Ariminum, Ceſenam, Forum Liuij, Pompilij, Cornelij, Fauentiam, Bononiam, Mutinen. agrum, Regiam Lepidi, Parmam & Placentiam: Intercidit verò circa annum DCCXXXII. tempore Pipini Franciæ Regis, qui Longobardorum Rege Aiſtulpho capto, coactus eſt Rauennam cum toto Exarchatu Eccleſiæ Romanæ tradere, quam traditionem Carolus Magnus confirmauit, & Rauennatem Eccleſiam Romanæ, cui ante illa tempora par fuerat, ſubiecit.

Cœnobium D. Mariæ in porticu Canonicorum familiæ Friſtorianæ regularium habitatio, ſumptuoſiſſimum eſt, & habet picturas inſignes, inter quas in ambitu templi vineæ Chriſti deſcriptio, in qua cœli ardentis facies tàm viuis coloribus in medio eſt expreſſa, vt oculos intuentium fulgore quodam perſtringat. Ibidem labrum ingens ex Iaſpide, & quædam inſcriptiones inferius relatæ. AEdis D. Mariæ IX. columnis marmoreis innititur,

inter quas duæ apparent è regione collocatæ, rubenti candidoque colore natiuo tam excellenti, vt ſummam admirationem habeant. De capitulis quæ ſuſtinent artificioſiſſimis non eſt dicendum. In medio cuiuſq; mas totus exactiſſime elaboratus & à cortice arte prorſus abſciſſus. In templo D. Andreæ aliquot quoq; marmoreæ columnæ præſtantes. D Ioannis Euangeliſtæ fanum portam marmoream habet antiquam opere cælato, in cuius teſtudine cauſſa ædificationis expreſſa legitur, memoriam inſtar antiquiſſimorum annalium primordij continens. In fornice teſtudinis opere muſiuo effícti ſunt illi Impp. qui de proſapia conditricis Gallæ fuerunt.

Alia quæ hic ſunt antiquitatis monumenta veluti ſepulcra, tymbi, marmora, cum inſcriptionibus, omittimus, & videre licet apud Deſiderium Spretum à quo deſcripta ſunt. Recordare picturæ, theſauri & tabularum, in quibus ſuper aram immolati, & pueri cum tridentibus ſpectantur: Item Herculis horarij, & labri rotundi in foro poſitorum addita inſcriptione noua hac:

Hieron: Donatus præfectus Herculis Horarij reliquias & Herculanæ regionis angiportu in forum transtulit, & Rauennatium antiquitati D.D.

Alluitur & cingitur ciuitas à Montono & Beſedo fluminibus, qui non procul inde in mare deferuntur. Arcem habet munitam, turribus aliquot per tormēta bellica disiectis bello cū Gallis geſto. Extra vrbem haud procul templum eſt S. Marię, Rotundæ ædificium profecto admirabile & ſingulare, totum ex lapide quadrato conſtans opere reticulato, latum xxv. ped. Pauimentum ex precioſis lapillis varij coloris teſſellatum cum emblematis. Tectum vno ingenti lapide ſphærico, cuius diameter xxxv. pedes continet, & in medio amplum foramen habet. Eius in vertice ſupra foramen Theodoricus Rex in Numidico lapide ab Amalaſiuntha filia conditus erat, cum operimento ex ære, quod noſtra memoria milites ſpe prædæ conſequendæ ictu bombardæ deiecere, eoq; caſu ſarcophago angulus præfractus eſt, qui ita nunc ad pedem ædis iacet, maior illa Conſtantiæ ad D. Agnetis ædem extra muros Romæ, vulgo ſepulcrum Bacchi vocant, longa ped. VIII. alta IIII. craſſitudine vnciarum octo.

IN AEDE D. MARIAE IN PORTICV.

IN COLVMNA QVADAM.

Leonardo Lauredano inclyto principe Venetisq́; regnantibus, ſacra diuum exportu huc translata. Alex. VI. Pontif. Max. Petri nauim gubernante.

SVB CAPITE PVELLAE ANTE INGRESSVM cœnaculi.

Tu quæ hoſtili capite genti ac patriæ tuæ & caſtitate incomparabili ornamento fuiſti, huius quoq́; loci capite tuo dulce decus eſto.

Intra cœnaculum.

Corporibus parcæ tribuunt ſua munera menſæ,
Quæ ſaturet mentes hinc cadit eſca pia.

AD IMAGINEM MORTIS.

Excipit innumeros hominum breuis hora labores,
Et redit in cineres vita caduca leues.

PHOENICIS AVIS.

Securus moritur qui ſcit ſe morte renaſci,
Mors ea nec dici, ſed noua vita poteſt.

PELICANI.

Magnus amor, permagna fides, quàm maxima virtus,
Alterius vitam morte parare ſua.

IN AEDE D. APOLLINARIS.

IN QVADRATA LAPIDEA TABVLA.
MONILIANI.

Hic iacent oſſa R. P. F. Antonij Moniliani, ſacrarum literarum interpretis accuratiſſimi, qui vt moriens viueret, vixit vt moriturus.

AD S. VITALEM.

IACOBVS ARAGONIVS.

Hic ſitus eſt, hominem mors extinxit anno ætatis ſuæ LIII. ſed extinxit vnà in homine multas virtutes, artis medicæ ſcientiam eximiam, perpetuam in omni vita continentiam, deniq; pietatem in Deum, humanitatem in omnes homines mirificam, quæ ſublata ex oculis vigebant in animis memoriaq; multorum. Ioan. Aragonius nepos ac med. poſ.

BOTINI.

M.CCC. LXVIII. adi III. Iunio. hic eſt de Botino quondam Matthæi Benedicti de lucha tredum ſuorum de confinio S. Fantini, in qua iacet Gianino & Stephano figlioli de detto Bottino.

IN D. FRANCISCI AEDE.

GVIDARELLI.

Stemma, domus, patriæ nitor, atq́; illuſtribus actis
Clarus & inſignis hic Guidarelle iaces.

PINI, NVM: CARDINAL.

Linguam habui Charitum, cor Palladis, ora Dionis,
Non perij, mors eſt ſplendida vita bonis.

ALEXAND. SCARIOTAE.

Qui vix heu pietas bis denos viderat annos,
Paruus Alexander corpore, non animo.
Quem Schariotta domus tulit, & Vicentia mater,
Hoc atro poſuit mœſta Rauenna loco.

ALE-

ALEXAND. TRABERO.

Nato Sueuo, eq. Cæſareæ militiæ & Pontificis in prouincia Flaminia Duci ſolertiſſimo, qui per annos xL. virtute auita, generis antiquitate & prudentia, Regum principumq; in Italia & Germania indefeſſo ſtudio caſtra ſecutus eſt, cum laude victoriæ ſigna reportans, fato Rauennæ extinctus, hic ſummo mœrore ſexagenario maior deponitur. Tota cohors Germanica officij ergò benem. F. C. M. D. XLI. XII. Calend. Ianuar.

PENTHESILEA MARCHASELLA.

Nicolai VX. incorrup. hoc condor monumento. Vix. ann. xix. Menſ. vii. Dies xv. felix memor. ſi adfuiſſet ſoboles. Corpus terra, orbis nomen, meliora poſſidet cœlum M. CCCC. xci. S. V. P.

Propagatori Rom. Imperij fundatori quietis publicæ D. Fl. Conſtantino Max. Victori S. Auguſto Diui Claudij Nep. Diui Conſtanti Filio Seror. Syluanus V. P. præpoſitus Fabricæ deuot. N. M. E. P.

Marco Cocceio M. pronepoti Trib. pleb. deſi. leg. pr. pr. prouinc. in Sicilia quæſt. Trib. mil. leg. xi. Cl. Seuira eqr. xvii. S. Primitiuus Li. vi. vir.

CAPTIVI CVIVSDAM.

Il fine dal finale fini la vita ſua di Lx. anni in prigione viſſe anni xii. il roſtante ch egli ſtette in carcere non ſi ſeppe riſoluere d' eſſer morto ô viuo.

RASPANORVM.

Ex nobiliſſima familia patricio inſigni Raſpono, cuius inuicta virtus ſola prudentia ſuperara eſt, Vix. ann. xLvii. ac Iulio F. equ. inſigni, non minus matri caro, quàm illuſtribus viris grato, virtute, ingenio, moribusq; raris decorato, quietis publicæ conſeruatori, quo orbata ciuitas non ſine bonorum omnium mœrore valdè ingemuit. Vixit annos xxiiii. Minoræq; fil. dulciſſimæ ac pudiciſſimæ mira indole præditæ, vixit annos xxvii.

Ioanna Raſpona coniux & mater in vtraq; fortuna magnæ virtutis inuictiq; animi mulier piè poſ. Anno ſalut. humanæ M. D. xxxvii. Menſ. Nouemb.

Viator, ſi quid in humanis veri eſt, hic comitas, hic liberalitas, hic decus patriæ ſepultum eſt: Mendacium putas? famam conſule.

Oſtaſio Raſpano viro dextra pectoreq; fortiſſimo, Pontifici omnibuſque Italiæ principibus cariſſimo, Raſpona domus mœſtiſſima benem. P. C

Dies diem indicat. *Poſtremus de omnibus.*

DANTIS POETAE.

Iura Monarchiæ, ſuperos, phlegethonta, lacusq;
Luſtrando cecini, voluerunt fata quousq;.
Sed quia pars ceſſit melioribus hoſpita caſtris,
Autoremq; ſuum petijt feliciter aſtris,
Hic claudor Dantes patrijs extorris ab oris,
Quem genuit parui Florentia mater amoris.

IN PARIETE.

Virtuti & honori.

Exigua tumuli Dantes hic ſorte iacebas,
Squallenti nulli cognite penè ſitu.
At nunc marmoreo ſubnixus conderis arcu,
Omnibus & cultu ſplendidiore nites.
Nimirum Bembus Muſis incenſus Hetruſcis,
Hoc tibi quem in primis hæc coluêre dedit.

Anno ſalutis M. CCCC. Lxxxiii. vi. Calend. Iunij.
Bernard. Bembus Prætor ære ſuo poſuit.

IN D. SEBASTIANO.

Vas hoc porphireticum olim Theodorici Gothorum Imp. cineres in rotundo apice recondens, huc Petro Donato Cæſio Narnienſi Præſule Rauenn. translatum ad perennem memoriam Sapientes Reipubl. Rauennat. P. P. C. M. D. LXIIII.

ZECCHII.

Zechio Gode tutto il ſuo in vita & gli reſto queſto truogolo che ſe lo gode in morte, & ha fatto queſto prich. alcuno non ſe goda il ſuo.

AVFROSII.

Aufroſio io fui non ſono, & hebbi & non ho, voi ſiate & hauete non ſarete & non hauerete.

Anno M. D. XII. die Paſcatis commiſſa eſt pugna ad Reuennam in qua Iulius II. Papa cum Ludouico XII. Gallor. Rege conflixit, & XVII. mill. hominum amiſit, legato eius Io. Medices, qui poſtmodum ad Pontificatum euectus eſt, in prælio capto. Eius memorabilis pugnæ poſitum eſt à Præſide Pontificis hac noſtra ætate ſequens monumentum.

IN COLVMNA MARMOREA.

HEVS.

Viator illic trans flumen caſtrametatus Ol Gaſto Foſſeius Gallorum ductor Rauennam oppugnat, murum aperit tormentis & conatur irrumpere.

HINC

Poſt cruentam Gallorum victoriam Gaſtone perempto Hiſpanorũ reliquiæ euaſerunt. Poſtremo capitur Rauenna à victoribus ac diripitur ABI.

REIE-

ctus ab oppidanis amnẽ illac traijcit, acies inſtructas huc ducit, & cum Prorege Hiſpano Pontificioque exercitu indicto bello confligit.

HEV

Cladem horrendam Hic ille percelebris ager eſt, viator, in quo acerrimè vtrinq; pugnantium viginti penè hominum millia conciderunt.

IN BASI COLVMNAE VERSVS CIVITATEM.

Paulo IIII. Pontif. Max. ſedente.

P. Donatus Cæſius Epiſcopus Narn. vtriusq; ſignaturæ Referendarius, dum Æmiliæ præſideret, locumq; hunc conflictus Rauennatis celebritate clarum diligenter exploraſſet, ne tantæ rei memoriam vetuſtas temporum aboleret, hoc erecto marmore conſeruandum curauit.

VERSVS FLVMEN.

Videbis hoſpes huc parum attollens caput,
Inſcriptus iſte quid velit lapis ſibi,
Recenſet illam nempe cladem maximam
Galli atq; Iberi exercitus, AEmiliam
Quæ penè totam maculauit ſanguine.

VERSO LA STRADA A FORLI.

Geſta fuerunt hæc pridie Idus Aprilis Anno à partu virginis ſupra ſeſquimilleſimum, duodecimo, Iulio II. Pontif. Max. Chriſtianorum Rempublicam gubernante.

VERSO LA VILLA VANGADIZ.

Hac petra Petrus donat Donatus Iberos,
Galloſq; hic cæſos Cæſius hæc memorans.

PRIMA.

PRIMARO.

VNVM EST EX SEPTEM OSTIIS INTER Clugias & Rauennam, Latinis Spineticum dictum, quemadmodum Magnauaca Capraſiæ, Volarni Volanæ, Goro Gorum, Fornace Fornaces, vel Carbonaria ſecundum Plinium, Foſſon Philiſtinæ Foſſæ, Brondolo Brondulum.

FOSSA CLODIA.

VVLGO GHIOZZA, OPPIDVM IN SINV Adriatico perbellum, alio nomine Clugiæ, Genuenſium clade, & hoſpitio Friderici tertij Imp. celebre, in ſtagnis marinis ad portum Clodianum ſitum, longam & latam habens plateam, in quam vtrinq; vici inſtar ſpinæ piſcis exeunt. Incolæ piſcatu, hortorum cultura, & ſalinis exercendis, quæ circa vrbem paſſim ſunt, viuunt. Conditum à Clodio Albanorum Duce, auctum ab Ateſtinis & Silicenſibus Attilę regis remporibus. Proueniunt hic pro anni tempore varia fructuũ hortenſium genera, maximè peponum, melonum, cucumerũ, braſſicæ, lactucæ, ex quibus Clodiani quæſtum faciunt.

IN PALATIO PRAETORIS.

Fridericus III. Imperat: Romæ ſoluto voto in Germaniam rediens, per Foſſam Clodiam iter habuit, Nicolao Mozenigo Leonardi procuratoris filio ius dicente.

VENETIAE.

VVLGO VINEGIA. PRAECLARA ET INSIGNIS vrbs in ſinu maris Adriatici in medijs aquis ſita, eo loco vbi magna panduntur æſtuaria, condita vt vult Baptiſta Egnatius (nam autores de eo variant, eiuſq; initium ad Euantum Troianum ante Chriſtum natum CCC. LVII. & in annum mundi 3636. vſq; referunt) anno Chriſti CCCCXII. aliorum oppidorum & vrbium excidio Sabellicus hiſce numeralibus verſibus oſtendit Anno CCCC. XXI. ſumpſiſſe primordia.

Vrbs eXCVLta VIrIs ferroqVe togaqVe ſVperbIs,
FLVCtIbVs æqVoreIs nobILe ſVrgIt opVs.

Aucta plurimum ea tempeſtate, qua Aquilegiam Hunnorum rex diruit Attila, Gothorumq; exercitum fudit Narſes Eunuchus.

Primum

Primum autem Veneti ciues in nonnullas inſulas ſeu potius tumulos ſe recepere, qui in hiſce æſtuarijs paululum è mari eminebant, poſtmodum Caroli Pipiniq; temporibus omnes in Ripa alta, vulgo Rio alto conuenère, vbi nunc cernimus vrbem maximam excreuiſſe, & per canalem magnum in duas diuiſam partes, tantæ potentiæ magnificentiæq;, vt cum quacunq; Græcorum aut Latinorum olim benè conſtituta Republ: Venetorum compararis. Et quamuis multa bella geſſerit, variamq; fortunam in mille annis ſit experta, in externi tamen hoſtis poteſtatem nunquam deuenit, ſed ad extremum victrix facta eſt multarum vrbium & inſularum domina: De cuius opibus ex eo quis ſolum iudicare poteſt, quod è ſolo vectigali annuatim vicies centena millia ducatorum capit, eiuſq; Duci, vt maiori fulgeat pompa ſingulis annis XXXV. mill: aurei numerentur, quos in apparatus regios & magnificentiam expendat. Ambitus eius VIII mill: paſs: Regiones ſeu Parochiæ LXIIII. Monaſteria Monachorum XXXIX. Monacharum XXVIII. Turres ſacri CXV. organa CIIII. oratoria XVIII. Hoſpitalia XVII. fora publica LIII. palatia CX. horti CLVII. fontes publici CXLVIII. pontes publici exceptis priuatis CCCCL. tot enim canales habet quot vicos & in æſtauria XX. flumina influunt. Singulis etiam ſenis horis non ſine ſpectantium admiratione fit fluxus & refluxus maris, qui non patitur in tanta cœni altitudine pernicioſum aliquid concreſcere. Statuæ marmoreæ CLXIIII. ſtatuæ æneæ XXIII. Equi ænei IX. Portæ æneæ X. Scholæ VII. vtpote Caritatis, Ioannis Euangeliſtæ, Miſericordię, S. Marci, S. Rocchi, S. Theodori & Paſſionis. Studium Muſices apud equitem Samnutum, Contarinzenum, Ludouic. Balbum, Auguſt. Amadæum. Studium armorum apud Zachariam Salemonis, Io. Baptiſtam Quirinum, Catarin: Zenum, Nicol: Sorianum, Ludouic. Paſqualigam, Fabium Canalem, Petr. Liuranum & alli Cocchieri. Ab his omnibus excipiuntur inſulæ circumuicinæ, in quibus XII. Monaſteria Monachorum, I. Veſtalium, XIIII. turres, & V. ſtatuæ adhuc.

Inſularum verò omnium maxima & famoſiſſima eſt Muranũ, ob vitra criſtallina, quæ fiunt ibi magna arte officinis XXIIII. in quibus die noctuq; laboratur. Vidi hic nauem roſtratam exacta dimenſione longam duos pedes cum vniuerſo inſtrumento. Item organum cum vitreis tubis dulcis harmoniæ atq; caſtrum foſſis valliſq; vitreis munitum. Sola hæc inſula XIIII. templa colit, inter

quæ S. Petri martyris cum monaſterio & bibliotheca luculentiſſimum, nulla domus quæ non hortum haberet amœnum & ornatum.

Poſt hanc D. Georgij celebris monaſterio & horto. Item S.Iacobi. S.Nicolai. S.Bernardi. S. Helenæ. Maiorlanum. Torcellum S. Franciſci dal deſerto. Lazaretum nouum & vetus. S. Clementis. Iudecca S. Angeli. Concordiæ. S. Claræ. S. Iuliani. S. Secundi. S. Chriſtophori. S.Michaelis. S. Spiritus Pouegia & portus Metamauci, olim Ducum Venetorum ſedes, vulgò Malamocco, in qua ſemper maximarum nauium multitudo, non attento, quod onerariæ etiam in forum vſq; adpellunt.

Nauiculæ ad quotidiana munia obeunda & tranſportandos homines, vulgò Gondolas appellant VIII. mill.

Fanum præterea nullum quod non ſuo ornaretur foro. Inter omnia verò ſumptuoſiſſimum & ſplendidiſſimum illud, quod D. Marco Euángeliſtæ, cuius corpus ex Aſia anno Chriſti DCCC. XXVII. aduectum & hic repoſitum fuit, dicatum. Eſt enim id marmore varij generis contuſo in fruſtula, ſic vndique colorum ordine decenter obſeruato, compactum atq; compoſitum, vt non lapidem, ſed coloribus depictas imagines iudicares, aliquibus verò in locis & quaſi omnibus magnificentiſſimè ornatum auro.

In choro columnæ IIII. marmoreæ ex templo Salomonis aduectæ, quæ adhibito lumine perſpicuæ apparent.

In veſtibulo tres ex Pilati atrio vt ferunt, translatæ, locus item marmore ſignatus, in quo Fridericus Barbaroſſa Imperator Romano Pontifici ceruicem pedibus præbuit conculcandam.

Supra portas ſtatuæ æneæ equorum quatuor, ex Conſtantinopoli, cum Veneti eam occupaſſent, tranſpoſitæ, & eò primùm ex vrbe Roma ex arcu Triumphali Titi Veſpaſiani allatæ.

Porticus marmoreis columnis CXXXVI. ſuſtentatur, è cuius regione D. Marci turris deaurato tecto, & tabulis æneis varijs hiſtorijs artificioſiſſimè inciſis emicat, opus Græcorum imperfectum ex S. C. id prohibente. Turri contigua magni-

magnifica extruitur domus marmorea, quam bibliothecam fore affirmant.

Ad mare ædificium eſt ampliſſimum, in quo XXXII. furni pro coquendo pane nautico, qui fit aſſiduè die noctuq;. In foro columnæ duæ cum ſtatuis Diuorum Marci alati & Theodori martyris, intenta haſta draconi incubantis. Mali itidem tres cum velis nauticis, & Ducis palatium ex omni parte niueo marmore incurſtatum. In eo conclauia egregia & pulcrè ornata, atque armarium duplex, ſpublicum & ſecretum. Illud omnibus patet: hoc niſi à Decemuiris impetrata venia, nemini: & ſunt arma in illo contenta decemuirorum auro & argento politiſſima. Tertium Reipub. armarium eſt, quod Vulgo Arſenale appellant, in quo triremium, quinqueremium & aliarum omnis generis nauium bellicarum magnus numerus. Quippe in quo CC. triremes ſemper paratæ ſunt, & CCCC. homines opus faciunt quotidie, quibus ſingulis ſeptimanis M. CCC. ᐞ^ri. exponuntur: habet vero in ambitu II. milliaria & laterici o muro circumdatum oppidi ſpeciē præ ſe fert.

Præter hæc maximè in vrbe conſpicua ſunt domus Monetaria, vulgo zeccha. Riuus altus, piſcinæ, domus Germanorum, vulgo il fontego de Todeſchi, Iudæorum habitatio, vulgo Ghete, Palatium Procuratorum D. Marci, Marci Michaelis apud S. Anton. De Forlani, De Griti, De Triuiſani, Mal petri, Patriarchæ Aquilegienſis, Georgiorum, De Prioli. de Capelli, de Piſani, de Lauredani, Nicolai de Ponte, de Leni, de Contarini, Iuſtiniani, de Gonella, de Grimani, de Cornari, de Micheli, de Soranzi, de Foſcarini, de Emi, de Mozenigi, de Bragadini, de Molini, de Barbarigi de Nani, de Negroni, de Tefoli, de Mori, Vendramini, de Donati, de Delphini, de Bodoni, de Guſſoni, de Troni, de Capellli, de Piſani, de Bonaldi, de Danduli, de Coceina. Ducis Vrbinatis, Du, cis Ferrarienſis, Iocobi de Auria, Ducis Mediolanenſis, & Regis Cypri. Horti præcipui Caſparis Erici, Andreæ Michelis, Franciſci Boni: Cæſaris Zilioli, Petri Boſelli, Francili Tedæ, Monaſterij B. Mariæ virginis, Thomæ Contareni, Andreæ Paſqualigi, Leonardi Mori, Grimanorum, Iocobi Cotareni, Maffæi Medices, Auguſtini Amadi, Alexandri Victoris, Andreæ Danduli, Griti Mocenigi, Vendramini & Cornari. Bibliothecæ præcellentes, præter publicā in foro D. Marci ſupra nemoratam, Ioannis & Pauli, S. Franciſci, S. Stephani, Seruorum Mariæ, S. Georgi maioris, S. Dominici, S.

Antonij quæ fuit Pici Mirandulani. Priuatorum, Iacobi Contareni excellentiſſima, Danielis Barbari, Ioannis Delphini, Epiſcopi ciuitatis, Epiſcopi Caneæ, Epiſcopi ciuitatis nouæ, Rochi Contareni, Sebaſtiani Erici, Ludouici & Marci Antonij Mocenigorum, Hieronymi de Mula, Pauli Parutæ, Ludouici Gradenici, Franciſci de ponte, Ludouici Michaelis, Iacobi Marcelli, Ludouici Lolini, Franciſci Sorantij, Ludouici Malapetræ, Ludouici Balbi, Aldi Manutij, Ioſephi Zarlini & Auguſtini Amadæi.

Antiquitatum maximus numerus apud Ioannem Grimanum, Patriarcham Aquilegienſem, Andream Lauredanum, Gabrielem Vendraminum, Leonard: Mocenigum, Simon: Zenum, Ioannem Griti, Sebaſt. Erici, Franciſcum Bernardum, Io: Paul: Cornarum, Iacob: Gambacortum, Auguſtin: Amadæum Superchium, Iulium Caliſtanum, Dominicum de duabus reginis & Rochum Diamantarum.

Videre præterea quotidie in vrbe licet Turcas, AEthiopes, Sclauos, Arabes, Syros, Cretas, Cypros, Macedones, Germanos, Vngaros, Hiſpanos, Gallos, & omnis generis atq; variarum nationum populos, qui hic magno numero mercimonij cauſſa confluunt. De cæteris huius vrbis memorabilibus ſcripſere Contarenus, Sabellicus, Bembus, Blondus, & Franc: Sanſauinus vulgari idiomate ſed exacta diligentia. Non conuenit propter peregrinantes hic illud præterire, quod Veneti ſolent feſtum Aſcenſionis Domini maxima pompa celebrare, eaq; & natiuitatis Domini die immēſum & admirandum theſaurum D. Marci quotannis populo intuendum præbere: in quo primum conſpicitur mitra ducalis precioſis gemmis plurimis intertexta, in ſummitate carbonus, precij inæſtimabilis. Coronæ dein aureæ regiæ duodecim, cum thoracibus aureis totidem, rubinis, diamantibus, ſmaragdis, vnionibus, alijſq; gemmis varijs. Duo cornua Monocerotis, lapides precioſi perplures, rubini duo extremæ magnitudinis, baculis argenteis annexi, magnus deniq; numerus ornamentorum Eccleſiaſticorum, & omnis generis vaſorum ex agate, chalcedonio, auro, argentoq;. In eo feſto moris eſt à longa maiorum cōſuetudine principem cum maioribus Senatus in naui Reipub. pulcerrima, Itali Bucentaurum vocant, auro purpuraq; indutis, in altum tranſcendere mare, inq; ipſo maris introitu propè caſtella æſtuarij multis ceremonijs ab Epiſcopo peractis, ad deſponſandum ſibi mare in perpetuum dominium aureum annulū inijcere. Qua in ſolemnitate in-

tate incredibilem copiam nauigiorum, cimbarumq; multa millia adeò vt æſtuarium tegeretur, nobis contigit intueri. Alia dein, eaque non vulgaris ſolemnitas, in feſto corporis Chriſti, præter ſacras in templis ceremonias hæc celebratur: Dux aurea amictus veſte, ſenatu purpurato ac cleri multitudine maxima comitante, forum circuit, ſenatoresq; ſinguli Hieroſolymitanos ducunt peregrinos, quibus ante diſceſſum maximus honos exhibetur. Præbet in ea celebritate iucundiſſimum aſpectum grauitas Senatorũ, canities corporum, parietum ornatus varius, exhibitio ſpectaculorum, omnium ordinum, omnis ætatis conuentus. Ea demum vis auri & argenti fabrefacti & veſtimentorum gemmatorum, vt admirationem intuentibus moueat.

OMNIVM FERE MAGISTRATVVM REIPVB. VENETAE EPITOME, COLLECTA A IOanne Broſchæo ex lib. Card. Contareni de Magiſtratibus Venetorum.

A prima origine vſq; ad hæc tempora per mille ac centum pluresq; annos, vrbs Veneta libera, ac immunis ab omni vi hoſtili perſeuerauit, cuius Reſpubl. tanquam perfectiſſima mixtionem habet ſtatuum.

I. MONARCHIAE.

Id eſt regij principatus, quem præ ſe fert Dux, qui præfinitum imperandi tempus non habet, ſed dum uiuit, præſidet. Regiam ſpeciem habet, ac grauitatem dignitatemq; Regis ſeruat, cuius corporis ornatus regius eſt, purpureaq; veſte ſemper vtitur. Capite geſtat velamen linteum pro diademate regio, ſupra quod geſtat & capitium purpureum limbo aureo ornatum, cuius pars quæ occiput tegit, in cornu formã aſſurgit: vbiq; ergo Regis ſpeciem habet, poteſtatem vero nuſquam. Ex publico ærario conſtituti ſunt in ſingulos annos 5200. aureorum nummum. Complures ſtipatores alit, inermes tamen. Singulis annis quater prandium parat, ſexaginta & amplius ciuibus, lautè & opiparè inſtructum. Primum circa brumam, deinde die Stephano Protomartyri dicato. Aprili etiam menſe die Marci Euangeliſtæ, cuius nomen Veneti præcipuum habent, & quem patronum ſibi adſciuerunt, poſteaquam eius reliquiæ ex Alexandira AEgypti ciuitate Venetias delatæ ſunt. Aſcenſionis quoq; feſto, quo die nundinæ Venetijs fiunt, adhibentur à principe ij, qui virilem ætatem attigerunt. Quartæ epulæ pertinent ad iuuenes, qui XII. Calend. Iulij die dicata Vito & Modeſto martyribus ſolemni pompa cum Principe ad eorum templum accedunt. Hiſce & alijs impenſis inſumitur magna pecuniæ pars, quæ ex ærario principi quotannis numeratur. Adiuncti ſunt Principi ſex Conſiliarij ex ſenis tribubus, in quas diuiſa eſt vniuerſa ciuitas. Hi octimeſtrem gerunt magiſtratum, perpetuoq; Principi aſſident, omniumq; quæ ad Rempubl. ſpectant curam habent.

II. ARISTOCRATIAE SEV OLIGARCHIAE.

Id eſt, optimatium gubernationis quam referunt Senatus, Decemuiri, ſeniorumque ſeu præconſultorum collegium; qui vulgo ſapientes dici ſolent. Optimatium eſt, vt is qui virtute præſtare iudicio conſilij exiſtimatus fuerit, potior habeatur. Quod item Senatus nihil poſſit decernere, niſi de eo ad ipſum Senatum à Præconſultoribus ſit relatum. Status optimatium eſt. Senatus Venetus habet CXX. legitimos Senatores, quorum LX. proprio vocabulo Senatores appellantur, reliqui vero Adiuncti. Auguſto enim &

enim & Septembri ſingulis comitijs ſex Senatores ſorte eliguntur, quæ decies repetita ſummam Lx. electorum explent. Reliqui verò Lx. adiuncti ſeu adſcripti ſunt prioribus, omneſq; hi ſimul proprijs quibuſdam comitijs eliguntur, tamen ſine ſorte, tres autem eiuſdem gentis tantum in numero legitimorum Senatorum eſſe queunt. Multi præterea Magiſtratus obtinent vim Senatorum, adeò vt hac tempeſtate ccxx. & amplius ius habeant ferendi ſuffragium in Senatu.

III. DEMOCRATIAE.

Id eſt ciuilis & popularis ſtatus, quem refert magnum concilium, penes quod ſummum totius Reipub. ius eſt: à quo etiam Senatus magiſtratuumq; omnium autoritas. In quo concilio nobiles omnes octauo quolibet die conueniunt, qui annum xxv. exceſſerunt. Alij autem multi idem ius ſortis beneficio adipiſcuntur, dummodo xx. annum peregerint. Nobilitate etiam generis ciuium definitio fit, ideo plebs ad hunc ciuium conuentum non admittitur. Hoc concilium circa meridiem omnibus ferè diebus feſtis cogitur, ſub amplo ſpatioſoq; tecto, quod liceat appellare comitiũ, cuius ratio hoc loco prolixior videretur, quàm par ſit. Adde quod ſorte eligi magiſtratus populare eſt, quod item præconſultores nullam habeant poteſtatem, niſi conſulant Senatum, populares & ſtatus.

IVDICIARIA COLLEGIA.

I. Decem virûm. Hi annuum habent Magiſtratum. Ex illis ſingulis menſibus tres ſorte eliguntur, qui principes collegij ſunt, & capita decem virûm appellantur. Huic collegio principem & conſiliarios adiunxêre, vt vniuerſum collegium ſummam xvii. ciuium expleret, quibus ſumma poteſtas tributa ſit. Adiuncti præterea ſunt xv. Senatores, adeo vt ſummam expleant xxxii. ſuffragantium.

II. Quadraginta virûm, quorum tria ſunt collegia. Duo forenſibus cauſſis præficiuntur, tertium vero criminibus, ac quodlibet ex XL. viris eſt.

I. Vetus, quod vrbanis cauſſis præficitur.

II. Nouum, ad quod exteræ cauſſæ deferuntur.

III. Criminale, quod de capite ſontium iudicat.

Huius collegij xL. viri criminales vocantur, qui in Senatu ius ſuffragij habent, & ſingulis quibuſq; binis menſibus ex ſuo ordine Triumuiri ſorte educuntur, ac per vices ſemper aſſident Duci & Conſiliarijs, paremq; illis ad Senatum referendi poteſtatem habent.

Hæc autem tria collegia ad inuicem ſufficiuntur, adeo vt xL. viri qui octo menſes in cauſſis exteris præfuere, in cauſſis vrbanis poſtea tot menſes præficiantur, vt tandem ijdem rurſus octo menſes criminibus præſint, ſicq; ijdem indies & de forenſibus cauſſis tùm vrbanis, tùm exteris, & de capitalibus decernunt, ac totum biennium in iudicijs his verſantur. His item tribus collegijs ſingulis quibuſq; diebus, quibꝰ conueniunt, certum ærario conſtitutum eſt ſtipendium. In criminalibus cauſſis nullum certum orandi tempus eſt conſtitutum. In vrbanis vero litibus præſcriptum eſt temporis interuallum, vltra quod oratio protrahi non poteſt, id eſt hora cum dimidia cuilibet orationi conceſſa eſt.

III. Sapientum ſeu præconſultorum, qui xvi. à Senatu eliguntur. Hi ius habent cogendi Senatum, & ad eum referendi. Magiſtratum ſemeſtrem gerunt. Eorum quilibet ſeptenis præ cæteris agendorum curam habet. In tres quoq; diuidũtur ordines.

Primi ordinis ſunt vi. Senatores primarij ciues, qui de maioribus rebus præconſulunt, & Senatum conſulunt.

Secundi ordinis ſunt quinq; ciues dignitate atq; æſtimatione ſuperioribus longè inferiores. Horum præcipua eſt cura militum.

Tertij ordinis quinq; ſunt, quibus demandata eſt rei maritimæ cura.

Aduocatores quoq; ad xL. viros de breuioribus cauſſis referunt, de maioribus ad Senatum, de maximis ad concilium. Hi talem ferè habent poteſtatem, quam apud Romanos Tribuni plebis obtinebant. Sed hi, vt libertatem plebis Romanæ tuerẽtur, illi ve-

illi verò, vt vim legum tueantur, fuêre inſtituti. Ad eos pertinet legum cuſtodia, ac vice accuſatorum funguntur. Nam nemo priuatus apud Venetos accuſatoris perſonam ſibi poteſt ſumere. Quando reus tam tenui re familiari eſt, vt ſumptum facere nequeat in conducendis aduocatis, qui partes ſuas foueant & defendant: orator, qui conductus Reipubl. ſtipendio eſt, id munus habet, ſuſcipitq; inopis illius partes tuendas, ne aliquis vnquam indicta cauſſa puniatur.

PERPLEXORVM COMITIORVM DVCIS VENETIARVM ELIGENDI MIRA PROPORTIO.

Ex omnibus ciuibus, qui xxx. annum exceſſerunt, ſorte eliguntur xxx. qui ſorte rediguntur ad IX. qui eligunt xL. viros, qui ſorte rediguntur ad XII. qui eligunt xxv. qui ſorte rediguntur ad IX. qui eligunt xLv. qui ſorte rediguntur ad XI. qui eligunt xLI. à quibus eligitur Dux, dummodo xxv. eorum in eligendo conuenerint. Illi autem qui à IX. eliguntur, neceſſe eſt VII. ſuffragia habeant, qui vero à duodecim, IX.

Sortis globuli { Aurei, quibus ſorte beneficium contingit.
Argentei, quibus repudiatur, ſpeſq; euaneſcit.

Suffragiorum vrnæ { Alba, quæ eſt ſuffragantium, eaq; reus condemnatur.
Rubea, quæ eſt eorum, quibus nondum liquet.
Viridis, quæ eſt eorum, qui refragantur, eaque reus abſoluitur.

Vrnæ exteriorem partem habent viridem, interiorem verò albam vnico fornice ſuperius tectæ.

Fabis non ſuffragantur Veneti, ſed pillulis quibuſdam linteis ne dignoſci ex ſono poſſit, in vtram vrnam calculus iactus ſit.

CAVSARVM FORENSIVM INFERIORES IVDICES.

I. Proprietatem qui diiudicant lites ædium ſeu fundorum intra fines Venetiarum poſitorum, id eſt in æſtuarijs exiſtentium. Quos etiam adeunt viduæ, dotes ab heredibus defunctorum maritorum repetere volentes.

II. Procuratorum, qui de fundis continentis oræ decernunt lites. Quos adeunt etiam ij, qui cum pupillis tutores adhuc non habentibus litigant.

III. Mercatorum, qui de mercimonijs, & earum controuerſijs iudicant.

IIII. Peregrinorum, qui lites inter exteros homines, aut inter ciuem & hoſpitem definiunt.

V. Petitionum, qui Prætoris Vrbani vicem gerunt, de alijs quoq; cauſſis veluti de pactis, ſtipulationibus, contractibusq; alijs cognoſcunt.

VI. Nobilium, qui minimas quaſdam lites definiunt.

Præter hos eſt & alius magiſtratus, qui, ſi quid inuentum fuerit, aut olim reconditum, aut nuper amiſſum, an ad ærarium, an verò ad eum, qui inuenit, ea res pertineat, decernit, omneſq; huiuſmodi controuerſias definit, à quibus prouocatur ad auditores.

I. Veteres, ad quos ab vrbanarum cauſſarum iudicibus eſt prouocatio, dummodo cauſſæ excedant ſummam L. aureorum nummorum.

II. Nouos, ad quos eſt prouocatio à Prætorum iudicijs aliorumuè magiſtratuum, qui extra vrbem ius dicunt.

CRIMINVM MINVTIORVM MAGISTRATVS.

I. Præfecti noctis, qui ex tribubus eliguntur. In ſex enim tribus vniuerſa ciuitas diuiſa eſt, quarum tres ſunt circa Riuum magnum, qui mediam vrbem diuidit, tres verò vltra. Hi autem iudices totam prius cauſſam reorum agitant, ac ſcriptis mandant, quæ teſtes dixerint, quæq; ſponte vel coacti tormentis rei confeſſi ſunt, demum omnem cauſſam ad ſuperiores iudices deferunt, ſi de cauſſa capitis agatur. Si verò leuius fuerit delictum, noctis præfecti totam cauſſam expediunt.

II. Capita tribus quibus in infimos homines leuibusq; criminibus ius eſt. Sex

item ſunt ex ſex tribubus electi. Vtriuſq; autem Magiſtratus officium eſt, vt viciſſim modò præfectus noctis, modo caput tribus ſuam tribum circumeant ad gallicinium vſq;, cum publicis ſtipatoribus armatis, prouideantq; ne per nocturnas tenebras cuipiam fiat iniuria.

PECVNIAE PVBLICAE DVPLEX GENVS DVPLICESQ; MAGISTRATVS.

Præfecti mutuis, qui pecuniæ ex ciuium cenſu collatæ præficiuntur.

Præfecti vectigalibus & reditibus Reipubl. Quoniam autem diuerſa ſunt vectigalia, vt mercium rerumq; vrbanarum variá ſunt genera, ideo diuerſi quoq; Magiſtratus, quorum relatio tædio afficeret lectorem. Omnis autem pecunia, quæ ab hiſce magiſtratibus exigitur, continuò ad gubernatores redituum publicorum defertur. Omnis tandem ſumma æris publici ad Quæſtores vrbanos defertur, quibus Senatorium ius datum eſt.

Alius item eſt pecuniarius Magiſtratus, qui curam habet, vt ciues ærarios factos, eò quod conſtitutam non perſoluerint pecuniam, quàm ex cenſu debent, inueſtiget, eorumq; bona publicet, ac tandem ſub haſta vendat.

VARII AC DIVERSI MAGISTRATVS VRBANI.

Præſides monetæ aureæ argenteæq;, quorum intereſt prouidere, ne argentum aut aurum impurius cudatur, quàm leges ſtatuunt.

Præfecti annonæ triticeæ, qui ſunt tres, quorum officium eſt prouidere, ne ciuitas vnquam frumenti inopia laboret, Magiſtratum gerunt XVI. Menſ. Præfecti ſalubritati ciuitatis Venetæ, quorum cura eſt prouidere, ne aliquo pacto ex contagione labes ſerpat in ciuitatem. Vnde ædes publicæ ampliſſimæ ſunt ædificatæ in æſtuarijs interuallo trium millium paſſuum ab vrbe, quibus finitimi ſunt horti pulcrè cōſiti: in quas, ſi quis ex plebe eo morbo ægrotare cœperit, confeſtim cum tota familia defertur. Ii vero qui cùm tali ægrotante conſuetudinem aliquam habuerunt, opus eſt, vt proprios lares deſerant, concedantq; ad alias ædes publicas, itidem extra vrbē ad eum vſum conditas, regione à prioribus diuerſa, ibiq; XL. dies detinentur, quibus ſi ſani perſtiterint, ciuitati ac domeſticis laribus reſtituuntur.

Præſides ampliſſimi naualis, quod in tres ſinus ſiue receſſus excauatum eſt, intra quos mare recipitur, vnico tantum oſtio, tàm lato, vt ſatis ſit ad maximas triremes capiundas. Horum autem Præſidum officium eſt, omnia curare, quæ in vſum naualis fuerint. AEdiles, qui viarum, pontium, & huiuſmodi rerum reficiendarum curam habent.

Diui Marci Procuratores. Ampliſſimus hic omnium, præter Ducem, eſt Magiſtratus, quippe qui præfinitum tempus non habeat, ſed cum vita perduret. Illis ceditur ſemper, dignioreq; ſede ſemper honeſtantur: Quorum officium eſt tutelam pupillorum habere, quibus nullus eſt à patre tutor inſtitutus. Sex hoc munere funguntur, quorum tres curam habent pupillorum, qui citra Riuum magnum habitant, tres verò curant eos, qui vltra Riuum.

Præter hos III. ſunt patroni ampliſſimi & auguſtiſſimi templi S. Marci, ab his poſtremis tanquam à dignioribus, nomen in omnes deductum eſt, vt D. Marci Procuratores appellentur.

CLASSIS MARITIMAE PRAEFECTI.

Triremium præſides. Vnaquæq; enim triremis ad bellum inſtructa Præfectum habet virum patricium, qui veluti Centurio aciei q; præfectus, nautas, cunctaq; quæ in ſua triremi ſunt, atq; ad eius apparatum faciunt, diligenter curat.

Claſſis legatus, qui imperium habet in vniuerſam claſſem, ac in cunctos triremium præfectos. Hic veluti legatus exercitus, niſi adſit Imperator, ius habet, & capite mulctandi & dirigendi claſſem vt voluerit.

Claſſis

Claſſis Imperator, qui vniuerſæ claſſi præficitur, quando illa magna paranda eſt. Hic talem propè poteſtatem habet, qualem in Rom: Repub. olim Dictator obtinebat, niſi quod omnibus in rebus paret autoritati Senatus & Reipub. decretis. Nullus tamen eſt apud Venetos maioris autoritatis Magiſtratus, ideo rarò admodum claſſi Imperator præficitur.

PLEBEII MAGISTRATVS.

Artificij præfecti, qui ex infima plebe eliguntur, quæ in tot claſſes diſtribuitur, quot ſunt artificia in quibus degunt, ac vnicuiq; claſſi quidam ex eorum numero præficiuntur. Sunt præterea in vnaquaq; claſſe inferiores magiſtratus.

Scribæ qui honeſtioris ſunt generis, hiq; magiſtratus aſſident. Id munus plebeijs tantum hominibus datur, eorum fidei ac ſolertiæ codices ſcriptaq; publica, quibus res omnis priuata & publica continetur, commiſſa ſunt. Sunt item alij ſcribæ, qui à ſecretis Senatus ſunt. Hi quoad vixerint, in hoc honore perdurant, quorum vnus primas partes tenet, & Cancellarius Venetiarũ appellatur, qui in maximo eſt honore.

Societatum præfecti. Hic Magiſtratus annuus eſt, atq; inter plebeios non mediocris. Venetijs etiam quinq; ſunt ſocietates initæ ſub quorundam Diuorum nomine ac religione. Harum quæq; ſuas veſtes habet, ſua inſignia, & propriam ædem, in qua amplum atrium ædificatum eſt, quo ſtatutis diebus conueniunt, vt exhibeant officium religioni, quod debent. Singulæ item deſtinatum conclaue habent, in quod coguntur ſocietatum præfecti. Ad hunc honorem patricijs nullus eſt acceſſus, quamuis ſint ex numero fratrum, omnes autem hi ſub poteſtate decemuirum conſtituuntur.

MAGISTRATVS QVATVOR, QVI CIVITATIBVS DITIONIS VENETAE PRAEFECTI SVNT.

Prætor vnus omnibus ius dicit, & forenſes lites dijudicat, atq; in ſontes animaduertit. Habet in iudicijs proferendis aſſeſſores Iuriſperitos, quorum conſilio vtitur.

Præfectus vrbi, qui militibus præeſt, atq; in eos ius habet, qui vrbem vel agros vrbis coluerint. Arcis præterea, mœnium, portarumq; cura illi eſt demandata, nec non vectigalium, ac redituum omnium tum vrbis, tum agri totius. In minoribus ciuitatibus nullus eſt præfectus, ſed Prætor vtriuſq; partes agit. A prætoribus autem omnibus ad auditores nouos eſt prouocatio.

Quæſtor vnus vel duo, qui pecuniam publicam adminiſtrant, impendunt & exigunt, habentq; codices publicarum rationum.

Cuſtos arcium alibi vnus, alibi plures ſunt, hiq; militibus præſident, qui arcem tuentur, curamq; habent armorum, commeatus & tormentorum, quæ ad munitionem contra hoſtes in arce poſita ſunt.

Adde poſtremo Syndicos ſeu Recognitores, qui poſt quatuor vel quinq; annos creari ſolent, ac mitti tum in continentem orã Venetæ ditionis, tum in regiones maritimas ac Inſulas. Recognoſcunt hi geſta omnium Prætorum, atq; aliorum, qui foris publicam poteſtatem habuerunt.

IN AEDE D. MARCI.

IN VESTIBVLO ECCLESIAE.

Anno milleno tranſacto bisq; trigeno,
De ſuper vndecimo fuit facta primo.

IN FORNICE MAIORIS ALTARIS.

ad imaginem Chriſti Saluatoris ex opere muſiuo.

Sum rex cunctorum, caro factus amore reorum,
Ne deſperetis, veniæ dum tempus habetis.

IBIDEM

IBIDEM DE QVATVOR Euangeliſtis.

Quæ neq; naturas retinent, nec vtrinq; figuras,
Sic actus Chriſti deſcribunt quatuor iſti,
Quæq; ſub obſcuris de Chriſto dicta figuris
His aperire datur, & in his os ipſe notatur.

IN ALTARI CAPELLAE D. ISIDORI.

Corpus B. Iſidori præſenti tumba clauditur Venetias delatum à Chio per Dominum Michaelem inclytum Venet: Ducem Anno M. C. XXV. qui occultè in Eccleſia S. Marci permanſit vſq ad inceptionem ædificationis ſuæ Capellæ ſuo nomine ædificari cæptæ, Ducante D. Andrea Dandulo, Inclyto Venet: Duce, & tempore nobilium virorum D. Marci Lauredani & Nicolai Lion & Ioann: Delphini procuratorum Eccleſiæ S. Marci. ann: M. CCC. LV. Menſ: Iul: X. die.

IN ALTARI S. IOAN: EVANGEL.

Duce inclytiſſimo & pientiſſimo Chriſtophoro Mauro principe.

IN FRONTE CHORI.

Anno milleno centeno iungito quinto
Tunc Arechlatus Faledrus in vrbe ducabat
Hæc noua facta fuit te Petre ducante Ziane,
Et procurabat tunc Angelus iſta Faledrus.
Anno milleno bis centenoq; noueno.
Poſt quadrageno quinto poſt mille trecentos
Dandulus Andreas præclarus honore ducabat,
Nobilibusq; viris tunc procurantibus almam
Eccleſiam Marci Venerandam iure Beati
De Lauredanis Marco Freſcoq; Quirino
Tunc vetus hæc pala gemmis precioſa nouatur.

AD HISTORIAM RESVRRECTIONIS.

Deo D. Marco Federicus Cont: D. Marci procurator Sancto eius ærario præfectus erigi curauit. Opus Iacobi Sanſouini.

DE INDVLGENTIIS ECCL. S. MARCI.

Alexander Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, vniuerſis Chriſti fidelibus præſentibus & futuris ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet ad omnes S. R. E. fideles munificentiæ noſtræ dextram debeamus extendere debitricem, maximè tamen ſpiritualis gratiæ prærogatiua nos decet illos attollere, & dignioribus beneficentiæ noſtræ fauoribus ampliare, qui ſe nobis & S. R. E. feruenttori deuotione exhibent, & in fide ſtabiles, & in opere fideliter efficaces. Sanè igitur cupientes vt Eccleſia S. Marci Venetiarum præeminentioribus frequentetur honoribus, & vt Chriſti fideles eò libentius deuotionis cauſſa confluant ad eandem, manusq; ad conſeruationem eius dein promptius porrigentes adiutrices, quo ex inde dono cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe ibidem vberius refertos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius autoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus et confeſſis & contritis,

qui die Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti à veſpera vigiliæ ipſius vſq; ad veſperam eiuſdem diei dictam S. Marci Eccleſiam deuotè viſitauerint annuatim, & manus ad eius conſeruationem porrexerint adiutrices, plenam omnium ſuorum peccatorum abſolutionem concedimus. Inſuper per VII. dies dictum feſtum ſequentes, & quolibet ipſorum dierum de iniunctis ipſorum pœnitentijs ſeptimam partem miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis temporibus duraturis. Nulli ergo hominum liceat hanc noſtræ conceſſionis & relaxationis paginam infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ſe incurſurum nouerit, atq; in extremo iudicio diſtricti Iudicis ira crudeliter permulctari. Datum Venetijs apud S. Marcum VI. Id. Maij. Pontif. noſtri anno XVII.

Teſtes: Alphonſ. Epiſcopus Portuenſ. Angelus Epiſcopus Sabinenſ.
Frater Ernandus Eccleſiæ S. Anaſtaſiæ presbyter Cardinalis.
Ciprianus S. Chryſogoni presbyter Cardinalis.
Simeon S. Laurentij in Damaſo presbyter Cardinalis.
Helias SS. Apoſtolorum presbyter Cardinalis.
Theodorus S. Euſtaſij presbyter Cardinalis.

SVB VERMICVLATO NOVO OPERE.

Vbi diligenter inſpexeris, artemq; & laborem Franciſci & Bernardini Zucari Venetorum fratrum agnoueris, tum demùm iudicato M. D. XLV.

IOAN. BAPTISTAE ZENO.

Pauli II. ex ſorore nepoti, S. R. E. Cardinali meritiſſimo, Senatus Venetus cùm propter eximiam eius ſapientiam, tum ſingularem pietatem & munificentiam in patriam, quam ampliſſimo legato moriens proſecutus eſt M. PP. C. ætat. LXII. Ob. M. D. I. in Maio.

IBIDEM.

Aqua quæ prius ex petra miraculosè fluxit, oratione Moyſis Prophetæ producta eſt, nunc autem hæc Michælis ſtudio labitur, quem ſerua Chriſte & coniugem Irenem.

ANDREAE DANDVLI DVCIS.

Quem reuerenda cohors virtutum tempore nullo
Deſeruit, gelidi breuis hæc tenet aula ſepulcri,
Membra valentis erant, probitas cui dogmata ſenſus
Ingenium penetrans, modus atq; probaminis alti
Nobilitatis opus, morum ſeriesq; venuſtas,
Qui dedit aſſiduos patriæ memorandus honores,
Et quia clara ſonant populis ſua geſta per orbem,
Plura ſinit calamus meritò recitanda notare.

Dandula

Dandula quem ſoboles peperit generoſa, ducatum
Andream omnimoda Venetum ratione merentem,
Septima dumq; dies Septembris mille trecentos,
Quatuor ac decies iam quinq; dediſſet, obiuit.

IBIDEM.

Hic iacet Dominus Marinus Moraceno Dux.

BARTHOL: GRADONICI DVCIS.

Moribus inſignis, recti baſis, indole clarus,
Clarior & meritis, patrij ſeruator honoris,
Clauditur hoc tumulo Gradenigo Bartholomæus,
Dux fuit hic Venetum, quarto defunctus in anno.

IBIDEM DVCIS.

Moribus inſignis, titulis celeberrime dignis
Cultor honeſtatis, dux omnimodæ probitatis,
In commune bonus, bona ſemper ad omnia pronus,
Publica conſeruans, meliora bonis coaceruans,
Dum veterum bene geſta nouans plus reddis honeſta,
Cunctaq; iucundè faciens das ſemper abundè,
Vt fieret plenus quicunq; veniret egenus,
Plus quoq; longinquos refouens, quàm carne propinquos,
Vita fuit cuius patriæ tremor hoſtibus huius,
Reddens tranquillos hos lingua, moribus illos,
Cuius erat ſcire & populi pro pace ſubire,
In quocunq; forent expendia, ſiue labores
Decretis legum mentes ſuſpendere Regum,
Vt fieres horum Rex & corrector eorum,
Fama ſuper cedros cuius dedit ire Faledros,
Chriſti natalis, peragis dum feſta Vitalis,
Duceris ad funus, factus dolor omnibus vnus.

Obij, viue vale, de Dominio Venetiæ Anno Domini - - - -
Indict. IIII.

DVCISSAE.

Anno milleno centeno denoq; primo,
Quo ſua non minuit, ſed ſibi noſtra tulit.
Vitalis felix coniux ducis hæc Michaelis
Occidit, inſignis moribus & titulis.
Cultrix vera Dei, cultrix & pauperiei,
Hic ſubnixa Deo, quò frueretur eo.
Comis in affatu, nullis oneroſa ducatu,
Vultu mitis erat, quod foris intus erat.
Calcauit luxum, ſuffugit quemq; tumultum,
Ad ſtrepitum nullum contulit illa ſuum.
Indole præclara, præclaris indole cara,
Cunctis larga fuit, larga ſed ipſa ſuis.
Vt labor ac ætas erat occurrebat honeſtas,
Cum pia plura tulit, plura tuliſſe cupit.
Hanc talem deflent modò non ſupereſſe potentes,
Dant pia vota Deo, quo potiatur eo.
Faſcibus ecce grauis faſces quos condecorauit,
Mente Deo viuit, corpore facta cinis.
Ergo quid cenſus, quid ſit decus atq; iuuentus,
Diſcite cum pereant, cum cito deficiant.

SEMI-

SEMINARIVM GREGORIAN: Eccleſiæ S. Marci Venetiarum.

In his ædibus & Dei omnipotentis gloria, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſpecimen Gregorij XIII. Pontif: Max: auſpicijs Nicolai de Ponte Ducis ſapientia adhibita omni animorum moderatione iuuenum diuinè ſupplicantium. Quod factum Eccleſiam prædictam illuſtraturum ſanctiſſimum laudatiſſimumque ſemper prædicabitur pietate Reuerendiſs: Primicerij Aloyſij Diedo, virtute Iacobi Superantij equitis, M. Antonij Barbari, Iacobi Fuſcareni, Federici Contareni, Franciſci Prioli, Andreæ Delphini & Hieron: Amulij Procuratorum, quorum laus & pietas nunquam emorietur M. D. Lxxx.

IN HOSPITALI S. MARCI.

Aram hanc Deo Opt: Max: ac D. Marco Euangeliſtæ Tutelari vrbis erexit Petrus Vrſeolus Venetiarum Dux, qui princitatu depoſito vt ſe totum religioni daret, ac priuatis iſtis ſuis ædibus pauperum diuerſorio conſtitutis Guarinum Aquitanum Monachum Romualdo ac Marino Rauennatibus Monachis Comitibus vnà cum Gradonico au Mauraceno generis ſecutus Anno DCCCC LXXVIII. in D. Michaelis de Cuſſano, multis poſt mortem miraculis claruit.

Sylueſter del bèn Aloyſi: Mocenigi Sereniſs: Venetor: principis domeſticus ſacrorum Flamen, atque D. Marci Canonicus eximia optimi principis liberalitate xenodochij huius Prior effectus inſtaurauit: Et ad perenne Ducis Vrſeoli decus, ac diuturnam Mocenigi vnius omnium liberaliſſimi Mœcenatis memoriam beneficiorum memor elogium addidit M. D. LXXII. Altero poſt magnam naualem victoriam anno. Obijt autem M. D. LXXIII. IV. Non: Auguſti, cum xenodochio præfuiſſet anno I. Menſ: VIII.

IN AEDE GEMELLORVM *VEL* IOANNIS ET PAVLI.

ANTONII VENERII DVCIS.

Quiſquis ad inſignem tumulum tua lumina flectis
Ingentem, cuius cineres hæc marmora ſeruant
Contemplare Ducem, princeps hic ille per omnem
Venerio fama volitans Antonius orbem,
Qui tribus hanc vrbem luſtris totidemque per annos
Rexerat, æternis muniens ea tempora faſtis,
Taruiſina ſuæ caſtella & mœnia matri
Reddita, Dyrrachium Corcyraque & oppida forti
Plurima parta manu, pœnas ſibi ſumpſit ab illo
Quem genuit nomen metuit dum perdere iuſti

Ipſius vt clarum micuit clementia ſydus.
Reddidit Vngariæ reginæ ſceptra ſuorum
Rapta dolis; ne triſte iugum Furlane ſubires
Obſtitit, Italicam pacauit multa per oram
Turbida, poſt terris abiens ſeſe intulit aſtris,
Mille quadringentis Chriſti tendentibus annis,
Inſtitit atra dies vigeſima trina Nouembris.

NICOLAO MICHAELI.

Doctori, Equiti, D. Marci procuratori, filij pientiſſimi poſteriq; poſuerunt M. D. XVIII.

RICCARDI MALVMBRAE.

Vas iuris legumq; iubar ſine compare Doctor,
Militis & comitis merita ratione Cathedræ
Dotatus titulis, Ricardus prole Malumbra
Malleus ens Vmbræ patriæ decus atq; Cremonæ,
Qui gratus Venetis iacet hic, ſed nuncia laudis,
Viuet fama viri nullum peritura per æuum.

Obijt Anno Domini M. CCC. XXXIIII. Bartholom: Malumbra nati pientiſſimi reſtaurauit. M. X. XXVIII. die IIII. Iulij.

ANDREAE ERICI.

M. CCC. LXVI. die I. Septemb. ſepultura egregij & ſtrenui viri D. Andreæ Erici honorabilis Procuratoris S. Marci & ſuorum heredum.

ANDREAE MAVROCENI.

Hic iacet corpus egregij & potentis viri & militis Domini Andreæ Mauroceni, olim procuratoris honorabilis D. Marci, qui Triumphalis pro honore patriæ ſtrenuusq; bellator in armis, ac morum facundiſſimus honeſtatis & Eleemoſynator pijſſimus, dum viguit in hac luce, pro cuius meritis orate, tota pro eo tenetur hæc politia, vt in pace eius anima perpetua requieſcat, Amen.

IACOBI DE CAVALLIS,

Militiæ ſplendor, lateq; tremendus in armis,
Hic de Cauallis Iacobus fuit, altaq; geſſit
Pro Venetis, caput armigerum dum fulminat hoſtis
Vnio, quem tantum capit hæc domus arcta ſepulcri.

Deceſſit M. CCC. LXXXII. Die XXIV. Ianuarij.

MICAELIS MAVROCENI DVCIS.

Inclyta vitales Michael quem duxit in auras
Maurocena domus Venetûm dux, ciuibus ingens
Spes erat, alta parans, intercipit ardua fatum
Cœpta Ducis, virtute potens, per ſæcula luctus,
Qua cinis eſt, iacet hic, mens gaudet, fama coruſcat.

M. CCC. LXXXII. Die XVI. Octob: ducauit Menſib: IIII.

LAVRENTII ET IACOBI THEVPHVLI DVCVM.

Quos natura pares ſtudijs, virtutibus, arte
Edidit illuſtres genitor natusq; ſepulti
Hac ſub rupe Duces Venetum clariſſima proles
Theuphula collatis dedit hoc celebranda triumphis,
Omnia præſentis donauit prædia templi

Dux

Dux Iacobus valido fixit moderamine leges
Vrbis, & ingratam redimens certamine Iadram
Dalmatiosq; dedit patriæ, poſt Marte ſubactas
Graiorum pelago maculauit ſanguine claſſes,
Suſcipit oblatos princeps Laurentius Iſtros,
Et domuit rigidos ingenti ſtrage cadentes
Pannoniæ populos, hic ſubdita Ceruia ceſsit
Fundantemq; vias pacis, fortiq; relicta
Re, ſuperos ſacris petierunt mentibus ambo.

Dominus Iacobus obijt Anno M. CC. LI.
Dominus Laurentius obijt An: M. CC. LXXVII.

IOANNIS DANDALICI DVCIS.

Dandalici generis magnum virtute Ioannem
Hæc breuis illuſtrem continet vrna Ducem.
Claruit immenſis eius ſapientia rebus,
Quem monſtrauerunt ardua facta probum,
Conſilio pollens, ſenſu maturus, acutus
Ingenio, prudens, eloquioq; potens.
Præ cunctis patriam ſummo dilexit amore,
Illius ad regimen prouidus atq; vigil.
Anni dum Chriſti currebant mille ducenti
Octoginta nouem, ſpiritus aſtra petit.
Qua defunctorum fruitur ſuffragia luce
Recedens mundo conſocietur eis.

FRANCISCI DE FLORE.

Fert præſculpta virum magnæ virtutis imago:
Vrbe ſatum Veneta dedit ars pictoria ſummum,
Franciſcum de Flore vocant patrem Iacobelli,
Huius & vxoris Luciæ membra quieſcunt,
Hic extrema ſuos heredes fata recondent.

M. CCCC. XXXII. Die XXII. Iulij.

MARINI ET IACOBI DE FALETRO.

Sepultura Dominorum Marini & Iacobi Faletro de Confinio Sanctorum Apoſtolorum & ſuorum heredum.

THOMAE MOCENIGI DVCIS

Hæc breuis illuſtri Moceniga ab origine Thomam
Magnanimum tenet vrna Ducem, grauis iſte, modeſtus,
Iuſtitiæ princepsq; fuit, decus ipſe Senatus
AEternos Venetum titulos ſuper aſtra locauit.
Hic Teucrûm tumidam deleuit in æquore claſſem,
Oppida Taruiſi, Cenetæ, Feltriq; redemit,
Hungaricam domuit rabiem, patriamq; ſubegit,
Inde Fori Iulij, Catharum, Spalatumq; Tragurrum,
AEquora pyratis patefecit clauſa peremptis,
Digna polum ſubijt patrijs mens feſſa triumphis.

IOAN: BAPTISTAE BENZIO.

Senatori integerrimo, cui ſeptem virtutum ſimulacra ſummæ probitatis teſtimonium dicant, Diui Marci Procuratores de Citra ex teſtament: tutores pientiſs: P. Anno M. D. XXV. Obijt Anno M. D. VIIII.

DOMINICVS PISANVS.

Eques, magni animi vir, nullo fortunæ ictu vnquam deiectus, clariſſima illa legatio-

legatione apud Iulium II. Pontif: Max: ſemper clarus, multis honoribus caſtè perfunctus, Ferrariæ Prodominus, ante ætatem mortuus hic iacet, Iacobus & Octauianus filij patri clariſſimo P. Vix: ann: LIIII. Obijt M. D. IX.

IBIDEM.

M. CCC. XLVI. Sepultura Domini Marci Iuſtiniani S. Ioannis Bragulæ & eorum heredum.

VICTORI SVPERANTIO.

Equiti clariſſimo, Nicolai filio, D. Marci Procuratori integerrimo, genitori optimo, qui vixit ann:: LXXIX. Menſ. VIII. Dies XXIIII. Petrus & Maphæus filij pientiſs: ſibi ſuisq; hered: poſuêr: M. CCCC. Calend: Ianuar:

LEONARDVM PRATVM.

Militem fortiſs: & ex prouocatione ſemper victorem, præfectum Ferdinand: Iunioris & Federici Reg: Neapolitanorum, ob virtutem terreſtribus & naualibus prælijs feliciſs: magnis clariſſimisq; rebus pro Veneta Republ: geſtis, ab hoſte cæſum, Leonardus Lauredanus Princeps & ampliſſimus ordo Senatorius prudentiæ & fortitudinis ergò ſtatua hac equeſtri donandum cenſuit.

IN SACELLO VICINO.

Taruiſio & Belluno ſeruatis, Clodia Hiſtoaq; receptis, noua pietate vetus inſtaurata virtus.

NICOLAO VRSINO.

Nolæ Petilianiq; Comiti ac principi longè clariſſimo, Senenſium, Florentini populi, PP. Sixti, Innocentij, Alexandri, Regum Neapolitanorum Ferdinandi Alphonſiq; iunioris Imperatori feliciſſimo, Venetæ demum Reipubl: per XV. annos maximis clariſſimisq; rebus geſtis, nouiſſimè à grauiſſima obſidione Patauio conſeruato virtutis & fidei ſingularis Sen: Ven: M. H. PP. Obijt ætatis anno LXVIII. M. D. IX.

ALOYSIO GRIFALCONIO.

Trilingui humana diuinaq; ſapientia excultiſs: Laurent: Grifalcon: F. FL. P. P. P. P. B. M. V. An: LXVI. Obijt M. D. LV. O. N. S. S. H. M. H. N.

DIONYSII NALDI.

Imperator, Ductor, Eques, milesq; Dionyſij Naldi conduntur hic oſſa. Hic iuniorem Ferdinand: regno à Gallis pulſum reſtituit, Florentin: Rempub: peditatui præfectus ornauit, Venetis dignitatem imperij ſuſtinuit, fide & fortitudine incomparabili inter alios Duces, peditum præfectus Patauium ſeruauit, moriens ex nimijs vigilijs hoc virtutis ſuæ perpetuum monumentum clariſſimo Lauredano principe ex ampliſſima Senatus autoritate meruit. Obijt ætat: ann: XLV. M. D. X.

ALOYSIO TRIVISANO.

Vnico filio, raræ probitatis adoleſcenti, Græcis Latinisq; literis erudito, qui & in Philoſophiæ ſtudijs & gloriæ, quam in Patauino Gymnaſio iam excitatam omnium mœrore mors immatura ſuſtulit, & ſtudioſorum profectui optimè conſulens huic cœnobio omnes ſuos libros donari iuſſit. Dominicus pater & Leonardus Barbarus beneuolentiæ & mœroris ſocij P. Vix: Ann: XXXII. Menſ: III. Obijt M. D. XXVIII.

Longè tui tumulo recubant hoc Marce nepotes,
Pro patria & ſancta qui cecidêre fide.

GEORGIVS REM: GERMANVS.

Auguſtenſis Vindel. pacificè à labore requieſcit.

Quos

Qu an di tri fu ſtra
H os ſan guis mi rus Chri ſti de vul nere la uit.

BARTHOL: BRADAGENAE.

Caſtalidum cultor, Bradagenæ gentis alumnus
Qui tegor hoc tumulo, Bartholomæus eram.
Durior opprimeret noſtra quem ſtirpis egeſtas,
Heredem ſtatui poſt mea fata mihi. M. D. V.

BARTHOL: COLEONO.

Bergomenſi, ob militare imperium optimè geſtum S. C. Ioanne Mauroceno & Marino Venerio curatoribus Anno ſalutis M. CCCC. XCV.

ANDREAS FRANCISCVS.

Petri filius, poſt innumera præclaraq; ſummæ probitatis & fidei exempla edita, gratus patribus ob ingenij manſuetudinem & beneficentiam ſingularemq; in ſuos pietatem carus omnibus, vniuerſæ nobilitatis conſenſu, magnus Venetæ Reipub. Cancellarius humi è regione quieſcit, vtrumq; parentem à ſe ante hic conditos ſecutus, ſecuturamq; omnem proſapiam, id quod ſecum optat iterum expectans. Vix: ann: LXXIX. Dies II. M. D. LI.

LODOVICVS MEDVS.

XIII. Vir opt: Byzantio capto, & ex Britannia filio Reipub. cauſſa in vinculis relicto, Venetorum claſſem per medios hoſtes tuto in patriam euexit, tandem Ladetæ Prætor mortales edocuit pulcrum eſſe pro Repub: mori, ſibi & ſuis F. F.

PASCALIS MARIPETRVS.

Princeps maximis Reipub: Senatoribus bonitate & eloquentia ſemper par, religione ac rerum vſu nulli ſecundus, ac cum ijs laudibus in ciuitate excelleret, in locum Franciſci Foſcari adhuc viuentis à patribus ſuffectus, quod antea domi debilitatum erat, ſua autoritate in priſtinum ſtatum diuinitus reſtituit. Vix: in principatu annos IIII. Menſ: VI. Dies VI. M. CCCC. LXI. Obijt.

HIERONYMO CANALO.

Claſſis præfecto, hanc ſingularem & egregiam fortiſſimi viri magnitudinem animi, quis admirari vnquam ſine lacrymis poterit? cùm in medio curſu præclariſſimarum rerum Zacynthi mortuus bellica diſciplina maiorum gloriam illuſtrauerit, Imperatores ſuæ ætatis reliquos autoritate & conſilio vicerit? Poſteros memorabili illa pugna ad Acrium Cretæ Promontorium docuerit, quàm pulcrum ſit patricio Veneto pro ſaluta Reipubl: in omni fortuna acriter decertare? Antonius paternæ virtutis imitator P. M. D. L. Vix: ann: LII. Obijt M. D. XXXV.

PETRO MOCENIGO.

Leonardi filio, omnibus non minus optimi quàm eloquentiſſimi Senatoris muneribus domi foriſq; functo, maris imperat: qui Aſia à faucibus Helleſponti vſq; in Syriam ferro igniq; vaſtata, Caramannis Regibus Venetorum ſocijs Otthomanno oppreſſis, regno reſtituto, pyratis vndiq; ſublatis, Cypro à coniuratis non minore celeritate quàm prudentia recepta, Scudra ductu & auſpicijs ſuis obſidione liberata, cum Rempub: feliciter geſſiſſet, abſens D. Marci Procurator, inde Dux grato patrum conſenſu creatus eſt. Ioannes tertius ab hoc Dux & Nicolaus Mocenigi fratres pientiſſ: benemer: D. Vix: ann: LXX. Menſ: I. Dies XX. Obijt non ſine ſummo populi gemitu, ducatus ſui Anno I. Menſ: II. D. XV. Anno M. CCCC. LXXVI.

Ex manubijs hoſtium.

DVX IOAN: MOCENIGVS.

Thomæ patrui & Petri fratris Ducum ſecutus veſtigia, bellum Ferrarienſe inuitus geſſit, & Rodigij peninſulam adiecit imperio, pacem coluit, Rempub: Venetum adminiſtrauit iuſticia, probitate & prudentia, Dux optimus & amantiſſimus Reipubl: habitus eſt. L. P. F. Obijt ann: M. CCCC. XLV. Vix: annos LXXVI. Dux annis VII. Menſ: VI.

F. SIXTO MEDICES.

Viro religione, doctrina, prudentia & humanitate inſigni, ſummis celeberrimi huius cœnobij & totius prouinciæ muneribus ægregiè ſæpè perfuncto, qui multos annos ſacram Theologiam in Gymnaſio Patauino, & in patria vtramq; Philoſophiam eximia cum laude publicè profeſſus, tandem à Deo euocatus ad cœleſtem vitam ſummo totius ciuitatis dolore deceſſit, ætatis ſuæ anno LX. Die XVIII. Nouemb: M. D. LXI. F. Hieron: Vielmus Venetus Theologus præceptori & tanquam patri de ſe optimè merito ponend. curauit.

Marmore in exiguo ſat erit tua nomina tantum
Scribere, Sixte pater, cætera quis referat?

IACOBO SALERNO.

Piſano, ſtrenuo cohortium Duci, fide, integritate corporiſq; præſtautia Carolo V. Imp: auguſtiſſimo, nec non Philippo Regi inuictiſſimo Auſtriacis admodum caro, ſtipendijſq; non minimis honeſtato L. A. H. M. P. Obijt M. D. LXIX. ætatis LII.

ODOARDO VVINDESOR.

Baroni Anglo parentibus orto, qui dùm religionis quadam abundantia, vitæ probitate & ſuauitate morum omnibus carus claruſq; degeret vitam, immatura morte correpto, celeberrimis exequijs decorato, Georg: Lecher affinis poni curauit, Obijt ann: M. D. LXXIIII. Die XXIIII. Ianuar: ætatis XLII.

LAVRENTII GABRIELIS.

Heus Bergomas, tuum Laurentium Gabrielem repoſcis, excubans hic ſum, ſat clyſmum annis tibi XXX. reddidi Pontificatum, hunc virgini famulari pacificè cupio, te rogo ne vexes. M. D. XII.

IN S. MARIA CARITATIS.

Alexander III. Pontif: Max: Federici à rabie profugus has ſacras Regularium ædes pro munere receptæ hoſpitalitatis inexhauſto indulgentiarum theſauro perpetuo ditauit. M. C. Lxxvii.

Alexander Epiſcopus ſeruus Seruorum Dei, dilectis filijs Priori & fratribus S.ta Mariæ de Caritate ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum pro commodo generalis Eccleſiæ, cuius curam & regimen licet immeriti gerimus, veniſſemus Domino ducente Venetias, ad petitionem veſtram pro noſtri officij debito, Nonas Aprilis Eccleſiam veſtram, inuocato Spiritus S.ti gratia dedicauimus, & omnibus qui in anniuerſario dedicationis, vel tribus poſt, eandem Eccleſiam contrito animo deuotè & humiliter viſitauerint, de pœnitentia ſibi iniuncta xx. dies, confiſi de miſericordia Ieſu Chriſti & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli meritis duximus indulgendos. Ne igitur illud indulgentiæ, quod viſitantibus

tantibus Eccleſiam veſtram annuatim indulſimus, in poſterum è memoria hominum elabatur, remiſsionem quam fecimus, autoritate Apoſtolica confirmamus, eamq; ad perpetuam memoriam futurorum in ſcriptis duximus redigendam. Data Venetijs in Riuoalto IIII. Cal: Iunij.

MARCI BARBADICI.

Principis oſſa hic ſunt, eiuſdem rectè factorum inter homines nunquam interitura laus. Quem cum diu in principatu admirari non potuiſſent, vt eundem penè viuentem patriæ iterum reſtituerent, Auguſtinum fratrem ei ſuffecerunt, debitum virtuti teſtimonium, quod antea inauditum, poſteros ad gloriam ſemper excitabit. Præfuit Menſ: IX. Vixit ann: LXXII. M. D. CCCC LXXXVI.

AVGVSTINVS BARBADICVS.

Fratri Duci optimo, incredibili totius ciuitatis conſenſu ſuffectus, Rhetico bello confecto, Cypro recepta, pyratis toto mari ſublatis, rebus Italiæ poſt ſuſos ad Tarum Gallos, Ferdinandumq; iuniorem in regnum reſtitutum, compoſitis, maritimis Apuliæ oppidis imperio adiunctis, Hetruſco tumultu ſedato, Cremona, Abduanaq; Glarea receptis, Cephalonia de Turcis capta, florentiſſimo Reipub: ſtatu viuens M. H. P. Vixit ann: LXXXII. præfuit XV. D. XXIII. Obijt M. D. I.

IBIDEM.

Rubeis Parmenſibus, patricijs Venetis Berceti comitibus depoſitis.

IN SCHOLA DELLA CARITA.

Charitate, amore, humanitate pauperes Anteceſſores ædificauerunt M. CC. LX. Succeſſores verò reſtaurauerunt M. D. LXVI.

Dominium Venetum, religione, lege, iuſtitia conſeruat Remp: charitate, amore, pietate ſubditos. M. D. LXVI.

IN TEMPLO S. SEBASTIANI.

MELIO CORTONAE.

Vniuerſi peditatus præfecto, fortitudinis ac fidei incomparabilis, qui magnis clariſſimisq; rebus pro Veneta Reipub geſtis, Scodra ab obſidione liberata, profligatis hoſtibus ad Moſinellam locum in Bononienſis agri finibus, Coritta ſeu Veglia inſula conſeruata, in bello demum Ferrarienſi fortiſſimè dimicans, tormento bellico ictus occubuit. Melius Cortona IurisConſultus & Cæſar nepotes, auo paterno poſuere.

NICOLAVS CRASSVS.

Primùm forum, dein nauigationem ſecutus ab aduerſa fortuna fortunis omnibus ſpoliatus, ad forum iterum reuerſus, hunc poſtremò locum laborum omnium & miſeriarum quietem ſibi & poſteris poſ: M. D. LXIII.

LIVIVS PODACHATARVS.

Cyprius, Archiepiſcopus Leucoſien: ex teſtamento. Obijt M. D. LV. XIV. Calen: Febr: V. ann: LXXXI.

M. ANTONIO GRIMANO.

Senatori integerrimo, & tàm ſubeundis magiſtratibus quàm optimis conſilijs domi foriſq; optimè ſemper de Repub: merito, ac poſt Vincentium ac Petrum fratres procuratoriam dignitatem ampliſſimis ſuffragijs adepto. Obijt anno ſalutis

M. D. LXV. Martij XI. Vix: ann. LXXXI. Aloyſius & Octauianus filij pientiſſimi H. P. M.

HIERON: REGAZOLAE. I. C.

Io: Auo AEgidio Lauræ parentib: opt: Arianæ inf: filiæ ſuauiſs: vita functis, Dariæ coniugi cariſs: AEgidio, Simphroſæ, liberis dulciſs: V. ſibi poſterisq; Hieronymus Regazola H. M. P. M. D. XLVIII.

DOMINICVS BEVILAQVA.

Excelſi Decem virûm Conſilij à Secretis minimus, heredumq; cineribus ad nouiſſimum diem viuens hoc voluit poni monumentum. M. D. LXXV.

IN S. ROCCO.

PEREGRINI BASELLI GRILLI.

Bergomatis equitis oſſa. Huic Veneti exercitus magiſterio diù functo ac memorabili aduerſus Heluetios Barthol: Liuiani auſpitijs inter L. milites ad Marianum pugna maximè claro, inde redeunti dum Atheſin ponte iungit, ictu tormenti ſublato, magno omnium mœrore fratres pientiſs: egregiæ fortitudini M. P. M. D. XVIII.

IOAN: DE CHIADO MORIACO.

Claremontano Auerrorum L. equiti præfecto, cum omnibus bellis quæ tùm in Gallia, tùm in Italia, Carolus, Ludouicus & Franciſc: Galiæ Reges clariſſimi geſſerunt, fidem, fortitudinem virtutemq; egregiè probaſſet, Venetiasq; veniſſet, vt in Syriam transmitteret, Chriſti ſepulcri viſendi gratia, dum Patauium proficiſceretur, vt D. Antonij corpus veneraretur, latronum inſidijs circumuento, miſerabiliterq; interfecto, Franciſcus Rubeus, Franciſci Regis legatus pientiſs: poſ. M. D. XX. IIII. Non: Iunij. Vixit annos XXXVII. Menſ: VIII. elatus eſt cum maximo principis vniuerſæq; ciuitatis gemitu.

Πάρθενε χαῖρε θεοῦ τε μεγίστου πότνια μῆτερ.

AD S. FRANCISCVM.

DOMINICVS TRIVISANVS.

Eques, Procurator D. Marci, Venetæ Imperator claſſis, inuicti animi ſenator, in Deum pietate, in patriam caritate, in ſummis Reipub: negotijs innocentiſſimus deceſſit memorabile poſteris exemplum M. D. XXV. Decemb: XXVIII.

M. ANTON: TRIVISANVS.

Dominici fil: princeps integerr: vitæ, & paterna virtute ac gloria ſemper clarus, omnibus honoribus egregiè perfunctus, à patribus inuito eius genio princeps cooptatus, cum annũ Remp: ſanctè gubernaſſet religionis amantiſſimus, dum ſacris in imaginum aula intereſſet, nulla ægritudine flexis ante aras genibus in gremio patrum moriens migrauit ad cœlum beatiſſimus, M. D. LV. ætatis LXXIX. Octobr: I.

M. ANTON: MAVROCENO.

Equiti & Procuratori viro eloquentiſſimo, rerum doctrina, ciuilibus negotijs & bellica virtute clariſſimo. Qui cum omnia ornamenta, quæ in Repub: ſunt ampliſſima, virtute adeptus eſſet, maioribus tamen ſemper digniſſimus eſt iudicatus, legationes innumeras, maximasq; ſapienter fortiterq; geſſit, repreſſa præſertim apud Maximil: Imp: quorundam legatorum temeritate, legatus in caſtra Imperatoria omnia munia feliciter obijt.

Inſubrico bello Magiſter Eq: deſignatus, mira celeritate tranſmiſſo Abdua ſe Gallorum Regi coniunxit, & Lodouicum Sfortjam victoriæ ſpe iam exultantem, armis regnoq; ſpoliauit.

Cremona capta, Mediolani principis inſignibus potitus, ea ſuis ædibus affixit,

quæ

quæ & ſuæ virtutis & præclaræ victoriæ poſteris monumenta eſſent, exacta iam ætate dum videt totam Europã armari contra Remp: & luctuoſi belli præcidere cauſſas contendit, diuino conſilio è vita diſcedit, ne vrbem, quam auctam Imperio & potentem opibus reliquerat, paulo poſt multis cladibus afflictam videret. Obijt Anno ſalutis M. D. IX. VI. Id: April: omnium ferè ſuorum bonorum Syluestro Mauroceno Ioan: F. Q. S. M. & ab eo vni ſemper ex eadem familia vſufructu legato. Vixit ann: LXXV. Procuratores S. Marci poſuerunt.

FRANCISCO BARBARO.

Equiti Procuratoriq; D. Marci, militiæ, literarumq; ſplendore inſignito, multiſq; magiſtratibus, legationibus & præfecturis innocentiſſimè functo, ac de patria vel ob liberatam Brixiam ab obſidione triennij aduerſus Philippi conatus, benemerito. Franciſcus pronep: poſ:

ZACHARIAE BARBARO.

Franciſci filio, Equiti & Procuratori S. Marci, viro humaniſſimo & clariſſimo, Hermolaoq; filio eius integerrimo & doctiſſimo, linguarumq; peritia celebratiſſimo Franciſcus nep: poſ:

D. O. M.

LAVRENT: IVSTINIANO.

D. Marci Procuratori Ant. f. & Franciſcæ vxori amantiſs: M. D. LI.

ANTON: IVSTINIANO.

Senatori Antonij F. & poſteris Anno M. D. LII.

HIERON: IVSTINIANO.

Ant: F. Senatori ſumma prudentia & integritate claro, S.ti Marci Procurationem adepto, perq; omnes ferè vrbanas dignitates multa cum laude verſato, qui vixit ann: LXII. D. XIX. Agneſina Baduaria Hieron: F. coniugi vnanimi, ſibi poſteriſq; ſuis F. C.

HIERONYMO BADVARIO.

Sebaſt: F. & Hieronymo Baduario Iac: F. viris & ſanctitate vitæ, in Repub: adminiſtranda conſilio ac fide cùm priuatim tùm publicè fructuoſis, Agneſina Baduaria heres patris magniq; patruo opt: de ſe meritis, ſuæ in illos pietatis teſtimonium H. M. P.

M. ANTON: IVSTINIANO

Pluribus legationibus in Italia, Gallia, Hiſpania, Germania, Conſtantinop: & AEgypto funct.

Ducis ANDREAE GRITI ſepulcrum inſcriptione adhuc caret. Item Ducis Franciſci Carmignuolæ Generalis Reip: Venetæ. Bibliotheca in monaſterio eſt inſtructiſſima.

IN AEDE S. SALVATORIS.

Eugenius Condelmarius IIII. Pont: Max: ob ſuum in Canonicos hoſce animum, Canonicam hanc Domini Saluatoris gratuitò contulit. M. cccc. xLII. Cal. xI. Iulij.

FRANCISC: VENERIVS.

Princeps priſcæ maiorum virtutis ac diſciplinæ verè imitator, nullo nec adumbratæ laudis ſtimulo, nec priuatæ vtilitatis errore vnquam permotus, in regendis populis ſummæ clementiæ, in dicenda ſententia ſenatoriæ grauitatis,

tatis, pacis & concordiæ amantiſſimus, in omni ſermone ſapientiſſimus, ſemper in principatu nihil præter ornamentum principis, quod eſt iuſtum imperium, pulcerrimum liberis ciuibus exemplum. Vixit ann: LXVI. Dies IIII. in principatu ann: I. Dies XXII. Obijt IIII. Non: Iunij M. D. LVI.

GREGORIO XII. CORRARIO.

Pontifici Max: cuius autoritate Cananicorum ordo Domini ſaluatoris inſtitutus fuit, monumentum hoc grati animi teſtimonium poſitũ eſt Anno M. CCCC. VIII.

IN SACELLO VBI SEPVLCRVM Domini, ad ſimilitudinem Hieroſolymitani.

Hoc mirum ſpectetur opus compagibus auctum,
Rupibus artifici ſaxa reuulſa manu.
Gens Mauſoleum ſileat veſana ſepulcrum,
Quod fuit & Domini Martia Roma ſui.
Illa duo congeſta viris monumenta fuere,
Hoc Chriſto tanta mole paratur opus.
Quantò homini ſuperûm præſtat Rex ſummus & autor,
Tantò hoc eſt alijs clarius & melius.

D. PALLADIVS SOTRANVS

PIO LECTORI DE PASSIONE Domini.

Huc me ſydereo deſcendere iuſsit olympo,
Hic me crudeli vulnere vixit amor.
Langueo, nec quisquam noſtro ſuccurrit amori,
Quem nequeunt duræ frangere iura crucis.
Pungentem capiti Dominum geſtare coronam,
Fortis amor docuit verbera tanta pati.
Felle ſitim magni Regis ſatiauit amaro,
Pectus vt hauriret lancea fecit amor.
De me ſolus amor potuit perferre triumphum,
Ille pedes clauis fixit & ille manus.
Si cupis ergo animi mihi ſigna rependere grati,
Dilige, pro tantis ſat mihi ſolus amor.

AD IMAGINEM CHRISTI MORTVI.

Quis iacet hic? rerum Dominus. Cur merſus acerbo
Funere? quo lectis gentibus aſtra daret.

ANTE INGRESSVM SEPVLCRI.

Quale iter ad Chriſti tumulum? ſi ſcire laboras,
Lumina circumfer, moles inſcripta loquetur.

MATTHAEO ZANTANI.

Antonij viri clariſs: f. in medio Methoni foro, dum præfectus pro patria viriliter pugnaret, à Turcis interfectus, Marcus Leonardus & Lamentius fratri optimo ſibi poſteriſq; benem: poſuêre M. D. XLIIII.

IN S. STEPHANO.

IACOBI SVRIANI.

Hic ſitus eſt Veneta Surianus in vrbe Iacobus,
Vrbe nihil Veneta dignius orbis habet.
Nati & poſteritas ſecum mens reddita cœlo
Phyſicus, & patria natus Ariminea.

Rura, domus, nummi, felix hinc gloria fluxit.

ANTONI CORNELII.

Antonij ad cineres viator adſta:
Hic Cornelius ille quem ſolebant
Rerum principia & Deos docentem
Olim Anthenoreæ ſtupere Athenæ,
Accitus patrias ſubinde ad oras,
Ornatus titulisq́; faſcibusq́;
Doctrina Venetam beauit vrbem.

Obijt ætat: ſuæ anno LII.

IOSAPHATO.

Scientiæ bonorum amico, vitiorum hoſti acerrimo, qui eloquentiam verè Romanam, bonasq; artes Venetam iuuentutem per multos annos docuit, ac tandem pietate ac innocentia clarus, annum agens quintum & octogeſimum, ex nullo niſi ſenectutis & oculorum imbecillitatis morbo infirmus, placidè cum familiarib. loquens, naturæ conceſſit, filij innocentiſſimi poſuêre.

MARINVS GEORGIVS.

Philoſophus, orator, Senator clariſſimus, qui propter optimarum artium ſtudia fuit tota in Italia exterisq; gentibus ſummo honore ac nomine, legatus innumerabiles prouincias obijt, domi foriſq; magiſtratus ampliſſimos quoſq; facilimè adeptus eſt, & ſumma cum laude geſſit, inter quos captiuus pro Repub: factus, in diuturnam valetudinem cum incidiſſet leges Vrbanas ex S. C. corrigens, lugente ciuitate extinctus eſt H. S. M. quod Helena Maura vxor ſequatur T. F. V. Vixit ann: LXVI. Obijt M. D. XXXII.

IBERTRANDO TOLOSANO.

Senonenſi Archiepiſcopo Cardinali, pro illis optimis ac maximis duobus Galliæ Regibus Franciſco & Henrico II. clariſſim: magiſtratus & honores ampliſſimos, quos ſoli excellentes Iureconſulti conſequi poſſunt in patria, cunctaq; Gallia honorificè adepto, in Germaniam legato, in Subaudiam pro Rege miſſo, tandemq; Procancellario facto & Cancellario etiam deſignato, cum Romam Pontificis Max: deligendi cauſſa profectus, in Galliam Pio III. Pontif. creato rediret, ſenio iam confecto Venetijs morbo prid. Non: Decemb: oppreſſo Iacob: Faber Toloſanus Caſadei Abas libell: ſupplic: regius Magiſter ſummus amicus & Boſchedonus nepos M. P. quousq; heredes pro tanti viri dignitate reficient: curabunt. M. dictante F. Palmilio • • • • • auditore ſuo M. D. LX.

LAVRENTII ROCCHAE.

Qui Reip: in adminiſtratione verſamini, & ad ampliſſimos in ea gradus ritè contenditis, Laurentij Rocchæ Vlyſſis Doctoris F. magni Venetorum Imperij Cancellarij vitam vobis imitandam proponite. Nam cum virtutes ipſe reliquas, quarum cultor vſquequaq; ſtudioſiſſimus extitit, ea ſemper bonitate & innocentia decoraret, vt ſui ordinis principatum incredibili omnium conſenſu fuerit conſecutus, annos ſeptuaginta iam natus è tenebris in lucem excedens, certiſſimam veræ gloriæ & honorem adipiſcendorum cunctis rationem declarauit, Georgius Stephanus nepos gratiſs: poſ. V. Id. Iunij. M. D. LIX.

IACOBI DE VERME.

Hanc quia ſemper erat concorde affectus ad vrbem,
Interiora ſuo hic voluit cum corde locari,
Cætera ſed reddi patriæ ſua membra Veronæ,
Iacobus armorum princeps de Verme, Latinæ

Militiæ

Militiæ ſublimis honos, quem gloria rerum
Geſtarum in bello, quem pacis facta togatæ
Conſilia illuſtrem, & nulli fecère ſecundum.
Ipſius Anguigera iam ſummum pondus in vrbe
Mox habuit, cepit Gallos, virtute fugauit
Germanos, hic Italiam bis victor ademit
Gentibus externis, alijs ac ſæpe ſubactis
Hoſtibus imperio Ligurum Ducis oppida & vrbes
Addidit, in toto fama notiſsimus orbe.
Hic quoq; pro augenda Veneti ditione Senatus,
Cuius erat pars ipſe, tulit feliciter arma,
Luce obijt Ianum biſſena in menſe ſecuta
Mille nouem centum ac quatuor currentibus annis.

IBIDEM.

Frequentiſſimo centum ac mille patrum peracto conuentu, cui præſedit ex ampliſſimo ordine Cardinalis AEgidius ab extremis Hiſpaniæ oris huc vſq; magnis itineribus profectus, publicaq; impenſa ex S. C. cura vniuerſis concilij patribus honorificentiſsimè acceptus, declaratoq; votis omnibus Gabriele Veneto familiæ totius Heremiticæ ſupremo Magiſtratu Aloyſij Nicolai Lucæ Cypriani Petri Aurelij Venetorum Theologorum pietas perpetuum poſteritati monumentum Leone X. Pontif. Max: ac Leonardo Lauredano principe opt: M.D. XIX. Menſ: Iun: XI.

IOAN: BAPT: FERRETO.

Vincentino Iur: vtri: Doct: præſtantiſs: & integer: viro Iulia vxor pijſs: & ſibi poſuit.

IN AMBITV TEMPI S. STEPHANI.

CONTARENORVM.

Siſte quisquis es gradum, & cineribus nobilium Contarenorum ritè ſaluere iuſſis felix abito.

Cum venerit dies Domini, in miſericordia eius egrediemur.

GREGORIVS MAINARDVS.

Et Anduana Marcheſina vxor, humanæ conditionis memores, vt qui ſine querela vnà vixiſſent diu, eorum quoq; oſſa in nouiſſimum diem ſimul quieſcerent. P. P.

IN FANO APOSTOLORVM.

MARCO CORNELIO.

Equiti Georgij pace belloq; clari fil: Marci Ducis ex Andrea pronepoti, Senatori optimo, ſumma ſapientia, maximo rerum vſu, maximis opibus ac beneficentia, & Catherinæ Cypriæ Reginæ parenti, Georgius Eques filius pientiſs: Diui Marci procurator, Marci S. R. E. Card: genitor patri meritiſſimo poſ:

GEORGIO CORNELIO.

Equiti, D. Marci procuratori meritiſsimo, genere atq; opibus claro, virtute verò ſummisq; ſuis erga Remp: meritis clariori, cuius vnius opera Catharina ſorore Regina, eiusq; poſteris mira pietate poſthabitis, imperium Venetum Cypro Inſula auctum ornatumq; eſt Franciſc: Cornelius S. R. E. Cardinalis Iacobi; D. Marci Procurator, Hieron: ac Ioannes frat: ſuo ac patriæ parenti poſ: M. D. XC.

VALENTINO AB ARNIM.

Certa mors: Incertum mortis genus.

Marchia-

Marchiaco nobili Germano, natione, gente, virtutibus, eruditione clariſſimo viro, homini ad omnem ſummam laudem nato, niſi eum è medio gloriæ curriculo immatura mors, ſumma cum ſuorum ac bonorum omnium luctu & mœrore eripuiſſet. Obijt ann: M.D.LXXIX. Idib: Martij, ætatis XXIX.

IN S. ANTHONIO.

AD PORTAM SACRARII.

Anno Domini M.ccc.xLvi. in la feſta d'ogni Sancti in lo tempo dello Inclyto Signor Mixier Andrea Dandole Doxe de Venetia & dol R.do in Chriſto padre Mixier Nicolao Morexini Veſcouo de Venetia, fo metuda la prima petra da queſta Benedetta Gliexia de Mixier Sancto Antonio de Viena, & cantada la prima meſſa. Et fu dado la dido luogo per lo honeſto religioſo Mixier Franciotto delli Abbati de Florentia, dello ordine de Mixier Sancto Antonio de Viena, primo Prior & fondator di queſto logo. Si ando li nobili & ſaui ſignori M. Lorenzo Minio, M. Criſtofalo Iſtrigo M. Cane Becin, M. Girardo delli Nouedi, & M. Nicholo Magno Procuratori! dello ditto luogo per lo qual ſia ſemper fatta Oratione per tutti quelli li quali ha dato & dara delli ſoi beni per leuar queſta benedetta Gliexia, e Mixier Marcho Catapan, e Mixier Vielmo Siracarol.

DEIN.

Petrus Grimanus Prior Vngariæ amplicauit.

AD RELIQVIAS SANCTORVM.

D. O. M.

Martyrumq; X. millibus Hector Othobonus patruus templi Antiſtes vouit in peſtilentia, Antonius Contarenus ex Canonico loci Pont: Venetus, ligno crucis, ipſorumq; martyrum additis reliquijs, ſacrauit M.D.XII.

OTTOBONORVM.

Stephano patri Antonio auo Hector Ottobonus monumentum. Hic Eubolicum portum ab hoſte occupatum trepidante claſſe naui ſua ſolus ingreſſus eſt M. CCCC. LXX.

Ille prælio nauali ad Coryphaſium expugnata Turcarum maxima naui incepto comburitur M. CCCC. XCIX. patriæ vterq: natus non ſibi.

NICOLAO CAPELLO.

Qui claſſi præfectus Baiaſite Otthomann: Imperatore Remp: perſequente eam fortiter feliciſſimeq; tutatus eſt, Cypro Inſula ſeruata, dum Venetias ouans reuertitur, Corcyre laboribus confectus, cum ſatis gloriæ vixiſſet, fato ſuis ac patriæ iniquo præripitur. M. CCCC. XCI. Vix: ann: LV. Menſ: X. Vincentius & Dominicus filij pietatis & virtutis ergò poſ:

VICTORIS PISANI.

Inclytus hic Victor Piſanæ ſtirpis alumnus
Armorum hoſtilem Venetum caput æquore claſſem
Tyrrheno ſtrauit, hanc patria claudit, at ille

Egreditur clauſam reſerans vbi Brundulus altis,
Stragibus inſignis deducit in æquora Brintham,
Mors heu magna vetat, tunc cùm mare claſsibus implet.

PETRVS PASCALICVS.

Doctor celeberrimus, eques præclariſſimus, perfectus orator, optimus Senator, legationibus ad Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Hungariæ Reges, Imperatoremq; Maxmilianum & Burgundos feliciter geſtis, legatus ad Franciſcum Galliæ Regem Mediolani diem ſuum obijt M. D. XV. Franciſcus Gallorum Rex Paſcalici virtutes tanti fecit, vt eius funus magnifica & pub: pompa Mediolani celebrandum, & Oratore ad hoc ipſum deſtinato cadauer honorificè comitante in patriam reportandum curauerit, quod in hoc monumento conquieſcit Vix: ann: XLIII.

IN MAGNA MINORVM AEDE, Vulgò FRARI.

Frequentiſsimo huius religionis conuentu, qui eo ipſo anno quo frater Donatus P. eſt declaratus in hiſce ædibus præfectus eſt, vbi mille & quingenti illi patres multa quotidie doctrinæ & probitatis exempla edidêre, & florentiſsima hæc ciuitas ex S. C. publico ære ipſorum inopiam ſubleuans, à vetere ſuo inſtituto non diſceſsit, nec non Bonauentum Coſtazaro præſidi idem honos propter virtutem eſt prorogatus, huius templi præfecti notum eſſe poſteris voluêre M. D. xLvi. Iunij xiiii.

NICOL: LEONO.

Senatori opt: oratori huius atq; monaſterioli benefico fundatori. Ob: anno Chriſti M. CCC. LVI.

AD ARAM PIETATIS.

Si quis Miſſam ad hoc altare fieri curabit, plenariam peccatorum remiſsionem conſequetur. Si verò pro defuncti alicuius anima ad idem altare legatur miſſa, ſtatim in ipſo actu & celebratione miſſæ anima defuncti ex purgatorio in cœlum aſcendet & ſaluabitur.

Nihil certius.

NICOLAI FALEDRI.

Hic ſacrum meritis Nicolai corpus humatum eſt,
Procuratoris dignos cui Marcus honores
Contulit, & ſanctus patre hoc ditauit egenos,
Huic omnis magni virtus clariſsima mundi
Effulſit, fidum fuit hic iuſtiſsimus, altæ
Conſilium patriæ, & totis lux ampla Faledris
Pupillis viduisq; pater gratiſsmus ergo
Si quis in aſtra ſedet cœlo decus eſt Nicolaus.

M. CCC. LXXIIII. Die XXVIII. Octobris.

IACOBVS PISAVRVS.

Paphi Epiſcopus, qui Turcas bello, ſeipſum pace vincebat, ex nobili inter Venetos ad nobiliorem inter Anglos familiam delatus nobiliſſimam in illa die coronam, iuſto iudice reddente hic ſitus expectat. Vixit annos Platonicos. Obijt M. D. XLVIII. IX. Calend: April:

FRANCI-

FRANCISCI FOSCARI.

Accipite ciues Franciſci Foſcari Ducis veſtri imaginem, ingenio, memoria, eloquentia, adhæc iuſtitia, fortitudine animi, conſilioq; ſi nihil amplius, certè ſummorum principum gloriam æmulari contendi, pietati erga patriam meæ ſatisfeci nunquam. Maxima bella pro veſtra ſalute & dignitate terra mariq; per annos plus quam XXX. geſſi, ſumma felicitate confeci, labantem ſuffulſi Italiæ libertatem, turbatores quietis armis compeſcui, Brixiam, Bergomum, Rauennam, Cremam imperio adiunxi veſtro, omnibus ornamentis patriam auxi, pace vobis parta, Italia in tranquillum fœdere redacta, poſt tot labores exhauſtos ætat: anno LXXXIIII. Ducatus IV. ſupra XXX. ſalutiſq; M. CCCC. LVII. anno. Calend: Nouemb: ad æternam requiem commigraui.

Vos iuſtitiam & concordiam, quò ſempiternum ſit hoc imperium, conſeruate.

NICOLAVS TRONVS.

Optimus ciuis, optimus Senator, optimus Ariſtocratiæ princeps fuit, quo feliciſſimo Duce florentiſſima Venetorum Reſpub: Cyprum imperio adſciuit, cum Rege Parthorum contra Turcam ſocia arma coniunxit, fraudatam pecuniam viua illius effigie reſignauit, cuius innocentiſſimis manibus hanc meritam diuini operis molem Philippus filius perenni æternitati poſuit.

LODOVICVS FOSCARENVS.

Diui Marci Procurator, vir & ſummæ eloquentiæ gloria, & ciuilis Pontificijq; Iuris ſcientia, atq; omni Philoſophiæ ſtudio præſtans, patriam conſilio & induſtria ſemper tutatus, XXIIII. legationes diuturno morbo contractus, ante diem vita degreſſus, filij pientiſſimi patri benemerito poſ:

NICOLAO BERNARDO.

Diui Marci Procuratori, qui cum pulcerrimè in Senatu ſemper ſtetiſſet, profuit patriæ conſilio & autoritate, amicis maximis beneficijs, ſibi innocentia, & cum immortalem hanc laudem in familiam intuliſſet, deceſſit à nobis optatiſſimus. Vix: annos LXXXV. Obijt M. D. XLVIII. Hieron: Bernard: fil. poſ:

FRANCISCO BERNARDO.

Benedicti filio, qui cum adhuc adoleſcens apud Britannos ageret, pacem fruſtrà antea ab illuſtriſ: viris tentatam, inter Henricum Angliæ, & Franciſcum Galliæ Reges compoſuit. Ob quod egregium facinus equeſtri dignitate ab vtriſq; Regibus inſignitus, tandem in patriam reuerſus Reipub: muneribus tanta aſſiduitate & diligentia interfuit, vt gratus omnibus Tribunitio magiſtratu nondum exacto Senatus conſulto, ad Turcarum Imperatorem legatus deſignatus, annum vix nonum ſupra trigeſimum attingens, diem ſuum obierit, certiſſimam de ſe ſummæ dignitatis expectationem ſecum abſtulerit, poſteri mœſtiſ: poſ. M. D. LVI.

IOANNI MAGIO.

Puero incomparabili, qui ob imperitiam obſtetricis ex vtero ſtatim tranſlatus eſt ad tumulum die XXI. Decemb: M. D. XXII.

MELCHIORI TRIVISANO.

Qui Ferdinandi Regis claſſem Veneto ſinu depulit, cum Carolo fratre Regis ad Tarſum proſperè conflixit, Cremonam Veneto adiunxit imperio, tertiò Imperator. Obijt M. CCCC. filij pientiſſ: poſ:

MELCHIORI TRIVISANO.

Pauli Triuiſani filio, qui cum Galliarum Romaniæ Præfectus eſſet, ex Conſtantinopoli patriam rediens, pretioſiſſimi ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti ſaguinis guttam Mariæ Magdalenæ vnguento infuſam diuino nutu adportare meritus eſſet, in

vrbe iam ductus eandem ſacro huic conuentui benignè & piè donauit, ex quo non ingrati tanto muneri huius conuentus fratres præter nonnulla alia ſpiritualia dona, vnà cum claue ſacri eius depoſiti, ſacellum hoc ſub D. Archangeli Michaëlis auſpitijs, prout extat extructum, eidem largitori & poſteris perpetuo benem: dicauere M. CD. LXXX. Calend: Maij.

FEDERICO CORNELIO.

Opum, familiæ, virtutis eximio ſplendore claro, qui Genuenſi bello laborantem fame publicam rem ſuſtinuit, opes cum amicorum vſui, & patriæ laboribus, tùm diuinis rebus magnificè pieq; ſemper impertijt, ex modeſtia etiam atq; iuſtitia primam tulit laudem, ingenti omnium mœſtitia extincto, teſte funere, non minus omnium lacrymis quàm meritis laudibus celebrato, & eius poſteris, Ioannes filius hoc ſacell: dicauit.

VRBANO BOLRANIO.

Bellunenſi, Minoritanæ familiæ ſacerdoti, ſummæ integritatis & innocentiæ, qui Græcas literas extorres iampridè & procul à terra Italiæ exulantes nobis ſumma tùm dicendi, tùm ſcribendi laude princeps aſſeruit. Pierius Valerianus Bolranius ex frate nepos inſtitutionis educationisq; memor poſ: Vix: ann. LXXXI. Menſ: III. Dies XII. in voluntaria paupertate feliciſſimus, in omnes quoad potuit ſemper officioſus, nulli vnquam iniurius, locum præceptori maiorum ſuorum conceſſere Cornelij patroni.

PIERIO VALERIANO BOLRANIO.

Bellunenſi, eius ſi negotia diù apud ſummos principes curata noris, nihil eum vnquam legere, nedum ſcribere potuiſſe dicas: Si quàm multa, quæ tàm doctè ſcripſerit, inſpicias, nulli hominum otia quietiora contigiſſe iudices, Ioannes Cornelius Fantini patricij F. & fratres locum amico ſuo intimo vnanimes conceſſ:

BENEDICT: PISAVRVS.

Venetæ claſſis Imperator, Turcarum claſſe altera ex Ionio in Helleſpontum fugata, altera in Ambraccio ſinu vi capta, Leucade & Cephalenia expugnatis, alijsq; recuperatis inſulis, Nauplia obſidione liberata, Recchio ſæuiſſimo pyrata interfecto, Diui Mari procurator creatus, pace compoſita Corcyre obijt, Hieron: filius parenti optimè de patria merito poſ:

IACOBO MARCELLO.

Chriſtophori filio, viro innocentiſſimo & clariſſimo, ſummis domi foriſq; dignitatibus ex Repub. functo, qui cum poſtremò difficilioribus Reip: temporibus, quibus cum vniuerſa Italia bellum gerebatur, claſſis imperatorem ageret, ora maritima fideliter conſtanterq; defenſa, vrbem Gallipolim in Salentinis aggreſſus expugnauit, in ipſa victoria intrepidè occumbens, veteris diſciplinæ documenta ciuibus ſuis reliquit, cauſſam honorificis præbitæ pacis conditionibus dedit, publicis lacrymis in funus elato. Lodouicus & Petr: filij pientiſſ: poſ: M. CCCC. LXXXIIII.

BENEDICTVM BRVGNOLLVM.

Veronens. virum integerrimum, optimum Grammatices, Rhetorites Philoſophiæq; profeſſorem, literarum bonarum parentem, vtriusq; linguæ peritiſſ: ac in erudiendis per XL. amplius ann: publico ſtipendio diſcipulis de Repub: Veneta optimè meritum Ioan: Querinus Nicolai beneuolentiæ gratitudinisq; gratia hoc ſarcophago decorauit. M. D. V.

SIMONIS DANDALI.

Sepultura Domini Simonis Dandali, amador di iuſtitia & deſidoroſo de accreſcere & ben: commun:

PAVLI SABELLI.

Hic iacet armipotens Paulus de ſtirpe Sabellus,
Incolumi quo Roma parens gaudebat alumno,

Hæc

Hæc ſibi ad extremum ſtatuebant ſemina priſcæ
Reddita virtutis non hic Scipionibus impar,
Nec Fabijs virtute fuit, belloq́ domiq́
Magnus erat vir, Marte ferox prudensq́ togatis
Conſilijs, hic Apuliæ victricia campis
Agmina direxit Caroli ſub nomine Regis:
Et cum Dux Ligurum Galeaz, iuſtiſsimus heros,
Creſcit in Italia, multa cum laude ſub illo
Hic tulit arma, acies ſtrauit, terrasq́ ſubegit.
Poſt ea cum Veneti virtus animoſa Senatus
Carrigeram delere domum cupit, obſidet vrbem
Euganeam, belli ductor caſtrisq́ locatis
Ad Baſanellum cum iam propè victor abiret,
In manibus Patauum melioris ad aſtra triumphi
Gaudia, peſte ſuum eſt corpus rapiente vocatum
Phœbus adorato Chriſti dum voluit ab ortu
Luſtra ducenta vnum & centum quater aureus annis
Tertiaq́ Octobris lux infauſtiſsima fulget.

Antiquiſſimæ familiæ monumentum, ſitu vetuſtatis ita obſitum, vt vix ſuis eſſet notum, M. Antonius Iacobi Canalis fil: renouandum curauit, vt nunc, quam poteſt, viuus mortuis maioribus gratiam referat, mox eodem vita functus ſepulcro contabeſcat M. D. XLII.

FRANCISCI DANDVLI.

Laudibus innumeris meritisq́ patentibus iſte
Franciſcus, virtute nitens clariſsima proles
Dandula quem genuit patriæ venerabilis, huius
Dux fuit illuſtris, qui libertatis amore
Perdomuit faſtus tumidos, & vincla reſoluit
Marchia quas dudum nimium quoq́ preſſa iacebat
Teruiſana quidem, vicinaq́ caſtra ſalinis
Attentata fuit, clarus dum rexit habenas,
Quaq́ decus terraq́ mari ſucceſsibus auxit.
Hic Venetum patriam hoſti magis eſſe timendam
Fecit, at vndeno ſolij præſignis in anno
Deceſsit felix, Domini tunc mille trecentos
Ter denosq́ annos Phœbus deuoluerat octo
Luxq́ Nouembris erat cunctis celeberrima ſanctis

IACOBI CONTARENI.

Hic eſt ſepulcrum Iacobi Contareni, quondam Ducis Venetiarum M. CC. Lxxx.

Item Ducis Gradenici & Andreæ Cornelij ibidem, quorum Epitaphia collapſa legi non potuerunt.

FRANC: BARBARI.

Si quis honos, ſi fas lacrymis decorare ſepultos,
Flecte ſuper mœſtis locum complecte querelis.
Franciſcus cui priſca parem vix ſæcla tulerunt
Barbarus hic ſitus eſt linguæ decus omne Latinæ,
Fortia facta viri pro libertate Senatus
Brixia quam magno tenuit ſudore fatetur,
Hic ſummi ingenij ſcriptis monumenta reliquit

Gracaq́ꝫ præterea fecit Romana, tenet nunc
Spiritus aſtra, ſacros tumulus complectitur artus.

PETRI MIANI EPISCOPI.

Qui columen patriæ fuerat, ſpes fida Senatus,
Pontificis ſacri præmia promeritus,
Enituit Latio, pariter ſermone Pelaſgo,
Hic decus & ſanctæ relligionis honos.
Occupat hoc tandem AEmilianus marmore Petrus,
Quem Vincentini congemuere patres.

Sui poſ: M. CCCC. LXIIII.

IN S. MARIA AB HORTO.

VALERIO VRSINO.

Iul: Aſculan: princ: & f. per omnes bellicæ laudis gradus terra mariq;, ſumma animi fortitudine, prudentia & fide ab ineunte penè ætate ſub Ducibus, Pontificibus, Imperatoribus & Rebuſpub: perſuncto, ſub Venetis demum iam multis annis, omni ſummi ac fidelis Ducis munere functo, cum in medio ætatis & rerum gerendarum curſu eum inuida mors ſuſtuliſſet, vnà cum totius Reipub: mœrore vxor & filij dolentes poſ: Vix ann: xLvI. Menſ. v. Dies xxvIII.

ALOYSIO BARBARO.

Patricio Senatoriq; Veneto Ferrarienſi in bello prouiſori optimo, qui ſuam pro Rep: fudit animam hoc Mauſoleum ſui ſtruxere germani pientiſs: hæredibusq; M. cccc. Lxxxv.

MARTII DE MARTIIS.

Corpus Martij de Martijs de Medicis Epiſcopi Marſienſis, exiuit de ventre matris ſuæ anno currente M. D. xI. die xxI. Nouemb: hora media cum xxII. dereliquit autem alma Anno M. D. LxxIIII. Menſ: Nouemb: die xI. nunc verò cadauer eius etiam in ventre reuerſus hic iacet.

DOMINICVS BON' AMOR.

Q. D. Bartholomæi cauſidicus & notarius Venetiarum, rector huiuſce collegij ſeu fraternæ S. Mariæ Miſericordiæ Mercatorum eam ex anguſto loco vbi primò poſita erat, ſuo ſtudio huc transferendam duxit, & locum hunc olim fraternæ S. Chriſtophori ei modò vnitæ vetuſtate collabentem inſtaurandam, & in hanc venuſtiorem formam ipſius collegij Mercatorum conſenſu & ſumptibus reducendam curauit. Anno ſalutis M. D. Lxx. vI. Calend: Decem: Vrbis verò conditæ M. C. L. Mundi autem vI. v. II. Lxx.

IN TEMPLO D. ZACHARIAE.

MARCO SANVTO.

Franciſci filio, Senatori in Repub: primario, eloquentia omniq; eruditione præſtanti, fratres pientiſs: poſuere.

IOAN: CAPELLVS.

Eques, poſt adminiſtratam multos annos innocenter Rempubl: præfecturis & legationibus magnificentiſſimè functus, magna ſua cum laude legatus ſecundùm ad Hinricum Gallorum Regem Luteciæ Pariſiorum obijt, magno cum huius ciuitatis mœrore, eius oſſa tranſlata ſunt Petri filij cura, vt patri, ſibi & poſteris hoc monum: eſſet Vixit ann: Lx. Menſ: x. diem I. obijt M. D. LIX. Septemb. xIIII.

PETRO CAPELLO.

Ioannis Procuratoris digniſſimi filio Senatori optimo M. D. xxIV.

IOAN: RICCII.

Hic iacet venerabilis vir D. presbyter Ioannes Riccius Venetiarum Archidiaconus, & Sereniſs: D. Ducis Cancellarius.

APVD VIRGINES VEL SERVITAS.

DE CONSECRATIONE.

Anno M. ccc. Lxxvi. de Septembrio fo ſacra da queſta Capella per M. Giouanni de Placentino veſcouo de Venexia in lo ſo primo anno, & per M. Ploto Nadaluesſcouo de Jeſolo.

FRANC: LILIO.

Benedicti filio, ſacræ virg: procuratori, vita cuius tam varijs virtutum laudibus clara fuit, vt veteris probitatis exempla ſuperarit, Nepotes patruo benem: poſ: Vix. ann: xLv. Menſ: vi. Dies xviii.

NICOLAI DE PARTE.

Manes ſuperis, fama viuis, oſſa hic Nicolai de Parte de Coluna teguntur. Michaël frater pientiſſimus poni iuſſit S. P. P.

BARTHOLOM: DONATO.

Viro clariſſimo, S. Marci procuratori, ac eius filio Andreæ ordinis equeſtris viro, multis domi foriſq; ac diuerſorum locorum dignitatibus inſigni, poſteriſq; omnibus ſepulcrum poſuerunt.

IOAN: HEMO.

Equiti aurato, Senatori grauiſſimo, qui domi foriſq; ampliſſimis magiſtratibus ſummiſq; in Aſia & Europa legationibus functus, cum Pado ponte ſuperato publica ſigna Ferrariam admouiſſet, non minore exercitus, quàm ſuorũ luctu interijt, filij pientiſs: poſſ:

VIRIDIS SCALANA.

Martini olim Veronæ Ciſalpinæq; Galliæ principis filia, Nicolai Eſtenſis Ferrariæ Ducis vxor, Obijt anno M. ccc. Lxiv. ne præſtantiſſima matrona ignota inhumataq, iaceret, pientiſſimi procuratores de Citta aram hanc tumulumq; poſ. M. D. xxiiii.

VALERIO SVPERCHIO.

Piſaur: Poëtæ illuſtri, oratori maximo, medico conſummatiſſimo, qui facundia ſua medicorum ordinem in Senatu ab oneribus publicis liberauit, vxor liberiq; poſ: benem: Obijt xL. Die xxiii. Nouemb.

LVCIAE LAVREDANAE.

Antonij Equitis D. Marci Procuratoris f. Georg: Nemus Io: eq. f. coniugi cariſs: humanæ conditionis felicitatem rogus conſummat.

IBIDEM.

Hic Lucana manus ſancti vultusq; verendi
Diuino fabricam glorioſæ virginis atq;
Cultu millenis vrbis currentibus annis
Cum nonaginta tercentum exinde duobus
Exceptis medio cœperunt menſibus æquis
Octobris dandam ſocijs ac ſemper egenis.

IN S. MARINA.

MICHAEL: STENI DVCIS.

Iacet in hoc tumulo Sereniſs. princeps & D. D. Michaël Steno olim Dux Venetiarum, amator iuſtitiæ, pacis & vbertatis, anima cuius requieſcat in pace. Obijt M. cccc. xiii. Die xxvi. Decembr:

NICOLAVS MARCELLVS.

Dux clariſs: iuſtus, pacificus, cunctis gratus, vbertatis annonæ ærariiq; publici conſeruator, Cypro in poteſtatem redacto, Scodra acerrima Turcarum obſidione liberata, curis Reip: anxius, viuens moriensq; in pauperes pientiſs: animam cœlo, hic tradidit oſſa. Obijt M. CCCC. Lxxiiii. cum vnum annum tantùm præfuiſſet.

THADAEO VVLPIO.

Imolenſi equiti aurat: præfecto fortiſſimo receptæ vrbis Patauij ſacra D. Marinæ luce autori prudentiſſimo, Carniæ oræ propugnatori acerrimo, exercitus Veneti ad Bononiam ſeruatori præcipuo Andreas Grytus Dux Senatusq; gratiſſimus optimè ſemper de Repub: Veneta merito, monumentum æternum hac potiſſimùm ſede iure poſ: Vix: ann: Lx. Obijt M. D. xxxiiii. in Ianuario poſitum anno M. D. xL.

IN TEMPLO DIVORVM GEMINIANI ET MENAE.

Hanc vrbis ædem non vetuſtiſsimam ſolùm, ſed etiam auguſtiſsimam Senatus Venetus, antiqua religione obſtrictus, magnificentius pecunia publica reficiendam curauit, Anno poſt Chriſti natalem M. D. Lvii. Summa Benedicti Manzini Antiſtitis cura.

IBIDEM.

Lignum crucis à Pio IIII. Pontif: Max: dono datum Melchiori Michæli S. Marci procuratori & equiti ab eodē Pontifice dilecto, cum ſecū initio ſui Pontificatus pro Repub: orator Romam congratulatum adiſſet. Quod quidem lignum crucis idem Melchior, cum magis conueniat loco ſeruari ſacro, hic reponi voluit, vbi tumulum oſsibus præparauit M. D. Lxx.

IOAN: PETRVS STELLA.

Eques, carus Senatui Veneto, gratus cæteris principibus, Magni Cancellarij dignitatem ingentibus meritis conſecutus, vt poſteris quoq; memoria prodeſſet, exemplum ciuibus tàm magnificè reliquit.

MELCHIORIS MICHAELIS.

Auratæ militiæ equitis, ſacri Lateranens: Palatij Comitis, Diui Marci Procuratoris ornamenta, iuſtitia & fortitudo, quibus ad ampliſſimos dignitatis gradus elatus, terra mariq; Remp: prudenter ſapienterq; adminiſtrauit, Dalmatiæ militiæ legatus M. D. xxxix. Corcyræ M. D. LV. Claſſis mariſq; Imperator M. D. Lxv. vrbes muniuit, populos in officio & fide continuit, hoſtium impetum repreſſit, diligentiſſimè omninò Reipublicæ incolumitatem dignitatemq; ſeruauit.

LVDOVIC. SPINELLVS.

A ſecretis, de Rep: opt: meritiſs: vxori poſteriſq; monumentum hoc viuens poſ: M. D. Lxxiii.

IACOBO SANSOVINO.

Qui Romæ Iulio II. Leoni X. Clem: VII. Pont: Max: maximè gratus, Venetijs architecturæ ſculpturæq; intermortuum decus primus excitauit, quiq; à Senatu ob eximiam virtutem liberaliter honeſtatus, ſummo ciuitatis mœrore deceſſit. Franciſcus F. hoc mon: poſ: Vix: an: xciii. obijt v. Cal. Debemb: M. D. Lxx.

FLORENTIAE SANSOVINI.

Iacobi patri opt: Florentiæ filiæ dulciſs: ſibi ſuiſq; Franciſcus Sanſouinus P. M. D. Lxx.

AD S.

AD S. BARTHOLOMAEVM.

IOANNES VLDARICVS LINCKIVS.

Patric: Auguſtan: Anno Domini M. D. Lxvi. Februarij die xxv. piè hic obijt.

Clauſit Ioannes Vldricus Linckius annos,
Vndenos bis agens hic ſua fata piè.
Auguſtæ ciuis, ter quingenteſimus annus,
Ille fuit Chriſti ſextus & vndecimus.

IN S. DOMINICO.

HIERONYM: QVIRINVS.

Ne ſerui cadauer inferretur, vbi corpus conficitur Domini, hic voluit humari, vbi adoleſcens Thomæ Donati verba primùm iurauit, quem monaſtica dignitate ſubſecutus, & patriarcha patriarcham iuſti tenax imitatus. Obijt M. D. LIIII. Thomas verò diuino eloquio & omni clarus virtute M. D. IIII.

S. ANTONII DIEDI.

Qui domi foriſq; non minus fortiter, quàm iuſtè Rep: geſta, Procurator D. Marci factus eſt, atq; in eo magiſtratu piè caſteq; verſatus. Obijt ciuitati carus & iucundus M. CCCC. LVIII.

ANGELAE RVPERTAE.

Coniugi pijſſimæ opt: de ſe meritæ Ptr: Brixien. & parentibus cariſs: & ſibi monumentum perpetuum.

NICOLAI MARSAE.

Magni Philoſophi ac Medici Maria f. poſuit. M.D. Lxix.

APOLLONIO MASSAE.

Philoſopho & Medico filio Antonij poſitum monumentum, vt eſſet eius inditium virtutis ad familiæ nominiſq; memoriam ſempiternam M. D. Lxxxii. Cal: Auguſti.

CAESARI ALBERGETO.

Iuriſconſultiſs: dum Herculis II. Ducis Ferrariæ decreto Magnacaballi inſigni cum laude præeſt, immatura morte præuento Albergetus pater pientiſs: poſ: Vix: ann: xxiiii. dies xx. Obijit anno ſalutis M. D. xLiii. vi. Calend: Septemb.

IN TEMPLO MARIAE. FORMOSAE.

VICENTIO CAPELLO.

Senatori, Imperatori, Procuratori, viro domi foriſq; illuſtri, & optimè de Repub: merito Vincentius filius ſibi & poſteris ponend: curauit. M. D. xL.

Vincentius Capellus maritimarum rerum peritiſſimus & antiquorum laudibus par, triremium onerariarum præfectus ab Henrico vii. Britanniæ Rege inſigni donatus, claſſis legatus, quintò Imperator deſignatus, ter claſſem deduxit, collapſam naualem diſciplinam reſtituit, ad Zacynthū Auriæ Cæſaris legato priſcam Venetam virtutem oſtendit, in Ambraccio ſinu Barbaroſſam Othomannicæ claſſis ducem incluſit. poſtridie ad internecionem daturus, niſi fata Chriſtiana aduerſa vetuiſſent, in Ryronico ſinu caſtro nouo expugnato D. Marci procurator vniuerſo Reipub: conſenſu creatus, in patria moritur totius ciuitatis mœrore, ætatis Lxxiiii. Anno M. D. xLi. xiiii. Calend: Septemb.

IN S. MARIA LVBANICA. VEL ZEBENIGO.

DE FVNDATORE.

Qui ſuperis patriæq; dedit ſua vota perennis,
Virgineas inter tollitur ecce manus.

SEBA-

SEBASTIANI FOSCARINI.

Accipite Veneti ciues, quod eſt optimum in rebus humanis, humanas res contemnere. Vixi Reipub: quamdiu potui, mihi certè parùm & hic vno ictu extincto.

HIERONYMO MOLINO.

Vero Muſarum alumno, qui huc cineres imaginemq; nobis, cœlo animam dicauit, VII. Calend: Ianuar: M. D. LXVIII. Iulius Contarenus D. Marci procurator inſigni amore & pietate hæc fieri curauit.

IN S. LAVRENTIO.

DOMINICVS MARIPETRVS.

Franciſci filius, domi foriſq; bello & pace clarus, hoc monumentum ſibi teſtamento fieri iuſſit M. D. XIII.

NICOLAI PAVLI.

Sepultura D. Nicolai Pauli de Confinio S. Ioannis Chryſoſtomi Marci Pauli Veneti Patricij pater, qui de ijs, quæ in Aſia vidit, commentarium ſcripſit, annis abhinc CC. LXX.

IN S. BENEDICTO.

PETRO TRIVISANO.

Marci fil: bello Ferrarienſi fiſcali Procuratori, Bouici, & omnium eius inſulæ oppidorum Præſidi, qui in ea prouincia ex corrupto aëre exitiali morbo oppreſſus interijt ætatis anno XLVIII. Marcus & Paulus filij poſ: M. CD. LXXXIIII.

DOMINICVS CONTARENVS.

Maphæi fil: maximis muneribus in Repub: functus, poſtquam ex caſtris vbi legatum egerat, in patriam reuertitur Maph. Aloyſ. Franc: Hieronimiq; nomine ex Angelo fratre nepotum aram hanc erigi curauit M. D. XX.

ANGELVS CONTARENVS.

Franciſci opt: Senatoris fil: ære ſibi ex patris teſtamento piè commiſſo, ſuaq; induſtria ac diligentia adaucto, reſtituit, ornauit, deoq; hanc ipſam dicandam curauit M. D. LXXII.

AD FANVM S. CRVCIS.

DOM: MOROCENI DVCIS.

Hic iacet Dominicus Morocenus quondam Dux Venet: cum Sophia vxore ſua Duciſſa, qui Dux fuit bonus & prudentiſſimus, plenus fide & veritate, & amator patriæ. Iſte fuit primus expugnator Tyri. Tempore iſtius capta eſt Iſtria & Pola cum L. galeis. De quibns galeis erant capitanei D. Morocenus filius eius, & Marinus Gradonicus. Iſte glorioſus Dux fecit pacem cum Eccleſia, quia ante illum magna diſcordia fuit inter Polanum & Henricum Dandalum Patriarcham. Iſte dux nobiliſſimus fecit pacem cum Rege Siciliæ VVil. ideò quia in magna diſcordia erant Veneti cum illo, pro Imperatore. In tempore iſtius Sereniſſimi principis fuit renouatum priuilegium à F. Rom. Imperat: Princeps Dominicus Maurocenus, · · · inde ducis filium debere hic comitare celebrandum atq; honorandum obitum eius Ducis fel: memoriæ An: M. D. LV. Menſ: Feb. Ind. IV.

CONSTANTINVS BOCALI.

Vt Nicolai patris fortiſſimi viri Megalopolitani principis & maiorum gloriam adæquaret, rei bellicæ diſciplinam ſecutus, militauit primùm ſub Diuo Franciſco Maria Vrbinatum Duce, Venetiq; exercitus Imperatore inuictiſſimo, & cum in maximis Italiæ bellis multa deinde fortitudinis exempla edidiſſet, nunquam à præſtantiſſimo Imperatore illaudatus diſceſſit, quo teſtimonio aliorum egregiè geſta facillimè ſuperauit, demum ab ampliſſima Venetorum Repub: centum cataphractis equiti-

equitibus præfectus, poſt demandatam ei Fori Iulij prouinciam, ſtatim obijt in medio ætatis curſu, omnium bonorum luctu maximo, totiusq; familiæ iactura incredibili.

AD S. CRVCEM IN IODECCA.

IVSTINIANVS.

Laurentij Iuſtin: fil: cuius è regione imaginem vides, patricij ſanguinis vir, è ſua & maiorum ſuorũ virtute præclarus, Hieroſolymitanæ religionis eques, Magnæ crucis, illiuſq; magni præfecti Promagiſter, animi etiam bonitate & religione & pietate in Deum & homines cultor eximius V. P. Vix: ann: Lxx. IIII. M. x. D. Obijt x. Decemb: M. D. Lxii.

IN TEMPLO D. LVCAE.

PETRI ARETINI.

D' infima ſtirpe à tanta alterra venne Pietro Aretin bias mando il vitio immendo che da color che tributaua il mondo per temenza di lui tributo Ottenne.

IN AEDE CRVCIFERORVM.

HIPPOLYTO VERARDO.

Ceſenati, rariſſimæ indolis puero, in quo exornando dum natura cum arte, & virtus cum doctrina certatim contendunt, fati vis inuida pulcerrimum certamen mala diſparauit manu. Vix: annos xvii. M. iii. Obijt M. D. III. Camillus eques Pontificius & Sigiſmundus mœſtiſs: frater poſ:

Stemmata, forma, pudor, facundia, gratia, virtus,
Clauſa ſub hoc tenui marmore cuncta iacent.

IN TEMPLO MISERICORDIAE.

IACOBI MAVRI.

Qui decus vrbis erat, patriæq; fidelis amator,
Conſilium Venetis adhibens vbicunq; ſalubre
Maura dedit ſoboles Iacobi cui ſplendida nomen
Continet hic tumulus, ſua fama ſed vſq; ſonabit,
Curantis cenſum Marci ſapientius almi,
Prodiga pauperibus Chriſti manus extitit eius,
Qui maris in bello & terræ capitaneus vnquam
Fundere non proprium timuit probitate cruorem,
Occubuit nimio Venetumq; labore gerendis
Laudibus, vnde micet celebri memorandus honore.

Obijt M. CCC. LXXVII. Ianuarij X.

FRANCISCVS TRIVISANVS.

Vir præclarus Ludouici fil: Marci quondam Triuiſani Doctoris eximij atq; Theologi perſpicaciſſimi nepos, cuius quamuis tumulo ſub hoc ſuperiore oſſa humata fuerint, celeberrima Theologiæ commentaria tamen Philoſophum tantum immortalitati dedêre, hoc ſibi ſepulcrum viuens conſtituit & poſteris.

IN AEDE D. IOBI.

Deæ rariſſimæ, mulieris Illuſtriſſimi Ducis Venet: D. Nicolai Throni coniugis, humili hoc in loco corpus iuſſu ſuo conditum eſt; animam verò eius propter vitæ virtutumq; & morum ſanctitatem ad cœleſtem patriam aduolaſſe credendum eſt. Anno ſalutis M. CCCC. XXVIII.

CHSISTOPH: MAVRVS.

Princeps hic ſitus eſt, M. CCCC. LXX. Menſ: Septemb:

AD CAR.

AD CARMELITAS.

VENERII DELPHINI.

Venerius Venetæ Delphinus maximus vrbis
Splendor, in hoc paruo marmore tectus agit.
Hic bello atq; mari belloq; togaq; domiq;,
Atq; foris miro cultus honore fuit.

AD. D. IACOBVM.

IN TEMPLI EPISTILIIS.

Fundamenta huius templi D. Iacobo Apoſtolo ex voto erecti iacta fuere Chriſtianœ ſalutis anno cccc. xxi. Die xxv. Martij, Zoſimo Romano Pontifice, Honorio imperante dedicatio celebrata ſequenti anno eodem die per quatuor Epiſcopos, Seuerianum Patauinum, Hilarium Altinatem, Iucundum Tauriſinum, & Epodium Opiterginum: Cura verò felici ſacerdoti primum delegeta.

IBIDEM.

Corruptam templi exteriorem partem Natalis Regia Plebanus, & Proton: Aplicus, interioris etiam reſarcitor in hanc auguſtiorem formam exornandam non parum curauit, anno à iactis vrbis & templi fundam: ex ſupra milleſimum. Non: Calend: April: Anno verò Chriſtianæ ſalutis M.D.xxi. viii. Cal: April: vrbis & templi die natalitio.

FRANC: MARINI.

Hic de patricia Franciſcus prole Marinus
Compoſitus molli membra quiete iacet:
Nec ceſsit fato totus, pars viuit in aſtris,
Diuiſumq; hominem terra polusq; tenet.

Gentis patriciæ religionis, boniq; p. frugalitas & parſimonia, quam luxus faſtusue aut diuturnarum cultricis Franciſc: Marinus Antonij f. in humanæ neceſſitudinis præſentaneum & ſalubre monumentum, propriam ipſius & ſobolis Sanothecam f. iuſſit, te futura progenies & hinc monens, vt veluti obſequioſa progenies, mores ac vitæ rationem amplectare. Quorum ſi te adoleſcentem fortaſſis piguerit, aliquando ſenem certè, ſi ſapies, non pœnitebit. Quod ſi ſanis neglectis monitis contrariam inuaſeris viam, carmen hoc tibi teſtis & conteſtator eſto, te in grauem atq; vtinam non ſeram pœnitentiã caſuram. Obijt anno M. D. II. Die XXV. Decemb: Chriſtoph: f. patri pientiſs: poſ:

IN AEDE CASTELLANA D. PETRI.

Cernitur in hac æde cathedra D. Petri marmorea, ex qua Antiochiæ conciones habuit, dono miſſa ab Imp: Michaële Paleologo Reip: Venetæ.

IN PORTA.

Hæc porta Domini Iuſtin: Trabo per ea Cooperſimus Deus Detus & vitalis vital: Tribuno.

PRAESV-

PRAESVLIS VEL DVCIS.

Hic ô Marce piæ pater optime & arca Sophiæ,
Viuis per merita virtutum laude polita,
Cum careas ſtella qua fulgebas lacrymari.
Debes Eccleſia dehinc caritura pari,
Non modicum flere debes, modicumq́; dolere,
Amiſiſſe bonum cum Præſule patre patronum,
Hic pugnando tua pro libertate putreſcit,
Cleri præſidium via pacis cuius honori,
Et laudi viuens occumbere neſcia fama,
Vos qui tranſitis hic omnes atq; reditis
Dicite, quod Chriſti pietas ſit promptior iſti.
Anno M. CC. xxxv. Menſ. Martio.

PHILIPPI CORRARII.

Pars fluida ingenij iacet hic humata Philippi
Corrarij, ſed mens indicat vnde fuit.
Virtute & prole patrios complexus honores,
Gregorio Papa fratre leuatus erat.

PRAESVLIS MARCI.

Præſulis hoc Marci tenebroſo clauſa ſepulcro
Oſſa iacent, quem laude domus generoſa creauit.
Macte ſenex ætate virens, compeſcuit acri
Errantem clerum ſtudio, quæ mille laborum
Cauſſa fuit, verum metuendi nulla pericli
Tempeſtas, aut vanus honor, non vlla poteſtas
Hunc à iuſtitiæ potuit diuertere curſu,
Eccleſiæ ſic iura ſuæ protexit & auxit,
Quod mortale fuit, morbo correptus in vrbe
Exuit, ætherias petijt pars cœlica ſedes.

BARTHOL. QVIRINI.

Eccleſiæ recto conſtans certamine præſul,
Duxq́; viris fractis indefeſſus, venerandus,
Inclytus & grandis virtutum plebis amator,
Bartholomæus adeſt Venetorum ſemper & vrbi,
Quirinus genere orphanorum tutor & altè
Hîc iacet, hîc tegitur, cubat hîc, ſilet, & requieſcit.

BEATVS LAVRENTIVS.

Iuſtinianus, primus Venetiarum Patriarcha die VIII. Ianuarij Anno M. CCCC. LX.

BERNARD. IVSTINIANI.

Leonardi procuratoris fil. Beati Laurentij Patriarchæ nepos, miles, orator & procurator.

MAPHAEVS GERARDVS.

Patriarcha, Venetiarum & Dalmatiæ primas, S. R. E. Cardinalis.

Locus carnis propriè terra eſt.

VINCENTII PRATI.

Longè vir vnus omnium humaniſſimus,
Vincentius dixêre Pratum agnomine,
Veronæ honeſtis editus parentibus,
Candore mentis par item columbulæ,

Cuius ſuauitate amabiliſſima
Poterat acerba quæq; temperarier,
Dum Triuiſano antiſtite integerrimo
Gaudet patrono, cui libenti pectore
Seſe perenni ſeruituti addixerat,
Oſſa hic reliquit condita in cœlum euolans.

Obijt die IX. Nouemb. M. D. LXV. ætat. XXVIII.

AD AEDEM CELESTRIAM.

LAVRENTII CELSI DVCIS.

Funera dux Venetum Laurentius ultima Celſus,
Hæret in hoc ſaxo titulis clariſſimus altis,
Magnanimus, patriæq; pater iuſtiſſimus heros,
Hic moderans animis vigilantibus urbis habenas,
Hoſtibus ut fulmen, ſic verum ſidus amicis
Sub iuga mox Cretum reuocauit priſca rebellem,
Tranquilla tandem patria ſub pace relicta,
Ad cœlum æterno celebrandus nomine migrat.

AD FANVM ANDREAE.

Peremiſti ſæuiſſima Mathalim in Teucrorum ſeruitute demerſa Peſarcum Angelum te Saluatarum claſſi Venetæ imperantem, Chriſtianas gentes à Barbaris redempturum.

Fantinus iacet hic generis lux clara Georgi,
Eloquium, probitas, gloria, fama gemit.
Oſſa tegit marmor, famæ lux verberat aſtra,
Stellifero gaudet umbra beata polo.

Obijt die XXI. Iunij M. CCCC. XCIIII.

IACOBO BARBARICO.

Senatori integerrimo, bello Peloponneſiaco legato pro Chriſti fide patriaq; pulcerrimè interempto ac Hieron. clariſs. indolis filio M. CCCC. LXVI. Id. Auguſti.

HIERON. BARBARICO.

Proc. Pranc. Proc. fil. Flaminia in expeditione veneno hoſtili patriæ, cui vixerat, extincto E. P.

ORSATI IVSTINIANI.

Ille procurator Veneta modò maximus urbe,
Orſatus iacet hic Iuſtinianus eques.
Qui Turcos bimari claſſis præfectus ab Iſthmo
Dum fugat, ô fatum quanta trophæa rapis!

Deceſſit Anno Chriſti M. CD. LXIIII. Quint. Id. April.

IACOBO SVPERANTIO.

D. Marci procuratori, Senatori grauiſs. ſummæ integritatis & innocentiæ viro, ampliſs. in Republ. honoribus functo Franciſcus F. Senator patri opt. Ceciliæ Iuſtinianæ matri offic. & pietat. ergo, ſibique & heredibus poſ. V. ann. LXXXIIII. Obijt III. Id. Nouemb. M. D. LI.

ANTONIO SVRIANO.

Patriarchæ Venetiarum Anthon. eques & Auguſtinus f. S. Michaelis filij patrono benè merito D. M. P. Vix. ann. LII. M. V. D. XXIIII. Obijt M. D. VIII. Anno patriarchatus ſui IIII.

FRANCISCO GRIMANO.

Petri filio M. Anton. Vincentius & Petrus D. Marci Procuratores atque

Andreas filij amantiſs. poſuêre, Obijt Ann. M.D.xxxix. die 1. Martij Vix: ann. Lxxxv. Menſ. xi. D. xxiii.

ANTON. VINCIGVERE.

Viro doctrina, eloquentia, fide, & integritate apud Venet. Senatum clariſs. Me. T. I. M. D. xvii.

IN AEDE D. CANTIANI.

IOAN. VICTVRIVS.

Eques hic heu inuictus maneo, qui cara relinquo pignora, & pro patria quæ ſubeunda forent expendo, Lucretia f. Andreæ Bernardi vxor patri optimè merito. M. D. xLiii. inſtaurauit.

FRANC. ANTISTITIS TEMPLI.

Quod iam vides, ô viator, non eſt Franciſci Cica huiuſce templi antiſtitis ſepulcrum, ſed perpetuum religionis & pietatis eius monumentum, non enim terra tegi potuit, quem iamdudum ſpectata virtus ad ſuperos euexit. Obijt M. D. Lxxi. Idib. Iulij.

IN AEDE D. MICHAELIS VERSVS MVRANVM.

SCORTI INSIGNIS.

Margaritæ AEmilianæ teſtamento matronæ pietate inſignis procuratores D. Marci fide optima à fundamentis extruendum curarunt.

IN TEMPLO IOANNIS APVD IODAICAM.

LAVRENTII CAGNOLINI.

Bergomenſis viri ingenui hic ſita ſunt oſſa, cuius virtus, prudentia, & animi magnitudo tanta fuit, quod ne dum ex operibus ſuis ac ſeruitijs, quibus toti Venetæ Reip. profuit, nomen famamq; immortalem adeptus eſt, ſed ob eius deceſſum filios ac patriam hanc nobiliſſimam mœſtiſſimos reliquit. O mirum probitatis ſpecimen, ô mortem infeliciſſimam. Indicium quod omnia mortalia citò euaneſcant Obijt Anno M. D. xxvi. Iulij xiiii. fundata prius capella hac & completa M. D. xi. die vii. Iulij pro ſe & heredibus.

IN ALBERGO, vt vocant.

Si quando fratres oculos huc adieceritis Beſſarionis Cardinalis memoriam piè colere ne grauemini. Qui maiorum veſtrorum in ſe animum atq; obſeruantiam gratè reputans, ligno crucis ſanctiſsimo, Seruatoris Chriſti tunica, multisq; præterea religioſiſsimis ac precioſiſsimis muneribus ſeipſum priuans, ijs ſacrarium veſtrum & vetuſtate & ſanctimonia apud omnes clarum, viuens perpetuo donauit.

IN AEDE D. GEORGII MAIORIS.

PETRI DVCIS.

In tua damna vides & ferrea vincula pontus,
Rapta gemens fractasq; rates per littora cernens,
Raptorem ſpolij depromit fletibus iſtum,
Deſtinat hunc Venetum ſapiens cenſura ſecundo.
Vt tua caſtra ruant, qui plura per æquora bella
Obſeſsis tremebunda tuis direxit & auxit,

Hic patrias laudes, aciem tenuitq; potentis
Hungarici Regis, hunc quem Veſania ſantis
Exciuit populis, & ad Hungara compulit ire
Oppida, nec ſiſtam dum prælia concipis iſtum,
Tertia geſturi Venetos tunc pectore toto,
Excipis in dominos, reſonet precor inclyta Petri
Acta per egregios ciues populumq; fidelem.

DVCIS DOMINICI MICHAELIS.

Terror Græcorum iacet hic, & laus Venetorum,
Dominicus Michael quem tenet Hemanuel.
Dux probus & fortis, quem totus adhuc colit orbis
Prudens conſilio, ſummus & ingenio.
Illius acta viri declarat captio Tyri,
Interitus Syriæ, mœror & Vngariæ.
Qui fecit Venetos in pace manere quietos,
Donec enim vixit patria tuta fuit.
Quiſquis ad hoc pulcrum venies ſpectare ſepulcrum,
Ante Deum genua flectito propter eum.

Anno Domini M. C. XVII. Indict. VII. Obijt Dominicus Michel Dux Venetiæ.

SEBASTIANI ZIANI DVCIS.

Hic dux egregius, ſapiens, diues cinereſcit,
Viuit cum Chriſto, mundo ſua fama niteſcit,
Sebaſtianus vocitatus in orbe Zianus,
Cum Papa princeps, clerus, plebs, hunc recolebam
Iuſtus, purus, caſtus, mitis, cuiq; placebat
Conſilio pollens, bona plantans, & mala tollens,
Robur amicorum, patriæ lux, ſpes miſerorum,
Et flos cunctorum, dux electus Venetorum,
Binos coniunxit gladios & more refulſit
Eloquium, ſenſus, bonitas, clementia, cenſus
Illi parebant, nulla virtute carebat.

Obijt Anno Domini M. C. LXXVIII. Menſ. April.

AD S. IOANNEM IN OLEO.

FRANC: LANDAE.

Franciſcum quem Landa pium tulit alta propago,
Functus in hoc tumulo continet oſſa breui.
Quem doctor, quem clarus eques virtute decora,
Duxit vitalis gentis & orbis honor.

MALAMOCCEN: PISCATORIS.

Qui Brigenti io ſon da Malamocco
Che per deſperation ando à peſcare
Onde ſaltette vn vento di Sirocco
Et per non hauer timon me reuerſa
Si che da gran fortuna mi ha anega
Et per honor de noſtro parentao
Son qua dendro à couerto in ſagrao.

ANONYMI.

Ogni huomo die morir chi è naſuo
Et tanto pirchi è de curta vita
Onde ogni bon Chriſtian è ottenuo
Laudar dio padre & gli Santi de dio
Che mi dia il paradiſo à mi Tonno.

AD S.

AD S. PROCVLVM.

M.CCC. LXXXIX. die XXIIII. Decemb. factum fuit hoc opus in remiſsionem peccatorum ſapientis & catholici viri D. Amadæi de Buonguadagnis Commendabilis Vicecancellarij communis Venetiarum.

PETOLOTI.

In hoc Caſſano de marmorea petra,
Sepultus quondam fuit Petolotus,
De Poleſinis cognomento dictus,
Prouiſor Lagunarum & gleborum,
Qui cum vxore cariſsimè vixit,
Calcans in hebdomada ambo terrena fixit.
Vixit annis centum atq; tribus.

Et obijt in vigilia S. Mauri apud Eccleſiam Cathedralem Ieſulanum M. CCCC. XIX. Calend. Auguſti.

Per che voio ch ogniun me intenda
Se ben io non ſaueſsi de latin
Son Petoloto de ca Puleſin
Et prego St. Alban ch mi defenda.

AD S. MOYSEN.

BERNAR: GEORGIVS.

Nicolai filius Heliſabeth Valeriæ vxori Claræ f. coniugate de prole, ſibiq; viuentibus poſt fata nouiſs. ſolis p. Anno Chriſt: ſalutis M.D. Lx. ætatis verò ſuæ ann. LXXIII.

BOVOLETI ROSI.

Bouoleto de Roſi da Buran
S' ha fatto ſepelire in Sto. Caſſan
Il poueretto mori à Muran
Et fu portato qui con proceſsion.

ANONYMI.

Chi naſce die mori care perſone
Pur me ha grieuao anda cuſsi d' inſta
Senza cerca do fette di pipone.

VICTORIS GAATAE.

Niſum ſe Mirauegia ch ſia morto
Coſsi da boum bnello inanzi al tempo
Vittor Gaata m' ha fatto S. Torto
Chi mi de vn cortello ſtando in vale
Mori, ch fu ferito da drio le ſpale.

ALTERIVS.

Queſto huomo è morto il nome viue,
Viue il homo per morire, & mori il nome per viuere.

IN S. IVLIANO.

THOMAS PHILOLOGVS.

Rauennas Phyſicus ære honeſtis laboribus parto, ædes primum Paduæ virtuti, poſt hàs Senatus permiſſis pietati erigi fecit, illas animi, has etiam corporis monumẽtum, Anno mundi M. DCC. LIIII. VI. Non. Octob. Ieſu Chriſti M. D. LIIII. Vrbis M.C. XXXIIII.

IN S. MARIA NOVA.

Fortunius Spira omni literarum laude præſtantiſſimus hic iacet.

SYLVIAE MATRONAE.

Sunt Charitum hi tumuli? Charitum ſunt, non tamen hic eſt
Sola Charis, ſed & hic ipſa ſepulta Venus.
Sunt tumuli hi Veneris? Veneris ſunt, non tamen hic eſt
Sola Venus, ſed & hic ipſa Minerua iacet.
Hicnè Minerua iacet? iacet hic, ſed non tamen illa hic
Sola iacet, ſed & hic caſta Diana iacet.
Ergo etiam periere Deæ? dubitaſnè periſſe
Ipſe Deas, potuit Syluia ſi ipſa mori.

IN S. MARIA DE CROCCHICIERI.

LAVRENTIO MASSVLO.

Viro patricij ordinis optimo, in cuius obitu tota & nobilis Maſſulorum familia finem habuit. Iſabetta Quirina vxor pientiſs. M. P. Obijt anno ſalutis M. D. LVI. Menſ. Ianuar.

IN S. CATHARINA.

NICOLAVS PRIOLVS.

S. Marci Procurator Iacobi fil: hic iacet Obijt ann: M. D. XXVIII. anno ætat: ſuæ XCVI.

IN S. HIERONYMO.

NICOLAO CONTARENO.

Aloyſij fil. Senatori optimo filij mœſtiſs. poſuêre, Vix. annos LXIII. Menſes VI. Obijt M. D. LXXI. prid. Id. April.

IN S. IOANNE EVANGELISTA.

Illuſtri Baduariorum familiæ Io. Andreæ Baduarij è regione ſepulti affinium & cognatorum commune ſepulcrum M. D. LXVIII.

IO: ANDREAE BADVARII.

Huius loci Prioris permirabiliter ducta effigies, magni index animi, & maritimæ diſciplinæ ſimulacrum. Qui cum honores omnes eſſet conſecutus, pietatem in pauperes vnùm coluit, ſenexq; triremem illam nobilem adinuenit pugnæ naualis propugnaculum, & virtutis præſtantis viri apud poſteros clariſs. teſtimonium. Vixit annos LXXXII. Obijt M. D. LXVI.

ANGELI BADVARII.

Prioris, Senatoris optimi, qui priuatis rebus gerendis, publicis adminiſtrandis, hoſpitale pauperum regendo, ſedulam animi virtutem, ſummam ingenij probitatem claritatemq; præſtitit ſingularem, Albertus ac Petrus filij caros parentis cineres pietate debita proſecuti hic oſſa quieſcenda curarunt, Vixit ann. LXXXII. M. VI. Obijt M. D. LXXI.

AD S. MARIAM MATREM DOMINI.

ANDREAE TREVISANO.

Filio & Helenæ filiæ, illi bimo, huic ſexenni vtriſq; acerbè defunctis, & Annæ vxori incomparabili cum qua iucundiſs. vixit ann. XIII. Paulus Treuiſanus Andreæ filius & ſibi & poſteris vult fieri.

AD S. MARIAM DELLI CARMINI.

M. ANTON. VENERII.

Phil. opt. mer. D. Marci procuratoris oſſa Vix. ann. LXXII. M. IX. obijt M. D. LVI. IIII. Non. April.

DANIEL

DANIEL VENERIVS.

M. Anton. Phil. D. Marci procuratoris optime meriti filius ſibi & poſteris viuẽs P. M. D. LVII. III. Id. Ianuarij.

MARINO ET DIONORAE POLANI.

Parentibus optimis Franciſco fratri cariſſimo ſibi & poſteris Triphon Bernardus & Bernardinus filij mœſtiſs. poſuêre M. D. LXVI.

LVCAE CIVRANO.

Senatori opt. & ampliſſimis honoribus functo Petrus Georgius ex ſorore nepos ponendum curauit, Deceſſit anno M. D. III.

ANEREAE CIVRANO.

Qui rei militari annis XX. ſtrenuè operam nauando, Muglam totamq; Iſtriam ab Hunnorum impetu ſeruauit, Turcarum vim in Dalmatia repreſſit, Cremam cum exulibus obſidione cinxit, Apuliam à Cæſarianis recuperauit, atq; ideo de Repub. optime meritus anno ætatis ſuæ LVIII. feliciter obijt: Andreæ dein ſummæ ſpei adoleſcente poſt naufragium, morbo ſublato, Petrus Ciuranus, illi filius, huic verò pater pientiſſimus H. M. P. M. D. LXXII.

IBIDEM.

Petri Gorij oſſa hic ſita ſunt.

IN S. HELENA.

ALEXAN; BONROMEI.

Mitis Alexander vir Bonromeus Etruſcus,
Natus enim Sancto Miniate propagine clara,
Frater & ipſe ſuus quoq; Bonromæus amœnis,
Sortibus exhibitus, fieri fecere Capellam,
Hanc Helenæ ſuum honore ſacro fulgente paratu.

Hoc ſepulcrum eſt Magnifici & generoſi viri D. Alexandri de Bonromeis Q. Domini Philippi & ſucceſſorum ſuorum, qui ex hoc ſæculo migrarunt die VIII. Menſ. Iulij M. CD. XXX.

BONROMEI COMITIS DE VALTARO.

Inſignem virtute virum Comitemq; Tiare,
Vallis & Arquati dominum, celeberrima præſens
Vrna tenet, tantam genuit Florentia prolem,
Hic pietatis honor grauis & ſectator honeſti,
Bonromeus erat iuſtus, ditauit egenos
Semper, at his meritis ſuperûm penetrauit ad aulas.

Matthæus de Reuettis Mediolan: fecit M. CD. XXII.

THOMASI TALENTI.

Hoc iacet illuſtri concluſus marmore Thomas,
Qui de Talentis clarus, ſed clarior altis
Artibus, ingenijs iuſtis, clariſſimus autem
Moribus & vita, proprio teſtatus vt ære.
Hac maris incoleret ſedem ſanctiſſimus ordo,
Montis olineti meritis nunc congrua ſumit
Suffragium heres, ſancta tuo precis Helena tanto,
Fac quod parens horum concreſcat agmina fratrum.

IVSTINIANORVM PATRIS ET FILII.

Ioannes Iuſtinianus pater & Franciſcus filius Senatores opt. facundia & dignitate equeſtri inſignes hic clauduntur M. CCCC. LXXIX.

VICTORII CAPELLI.

D. Imp. Victor Capellus Imperator maritimus maximis rebus geſtis Illuſtr. III. & LX.

& Lx. annos natus ab anno ſalutis M. CCCC. Lxxx. Id. Martias ex Euboeia perit, hîc eius oſſa, in cœlo anima. Andreas Ludouicus Paulus filij pientiſs. parenti opt. poſuêre.

ALOYSIO LAVREDANO.

Pauli filio M. D. Petri Diui Marci Procuratoris nepoti, claſs. Venetæ Prouiſori IIII. Id. Martij defuncto M. D. II. eiuſq; poſteris conditum:

PATRIS ET FILII LAVREDANORVM.

Petro & Iacobo Lauredanis patri & filio, ambobus viris ſummis & triumphatoribus fortiſſimis, pacis belliq; artibus clariſſimis, alter virtute ſua Dalmatas domuit, expugnato munitiſſimo Tragurij oppido, Turcas & Genuenſes fregit, formidoloſus vtriſq; duplici victoria, altera ad Gallipolin, altera ad portum Delphinum: Demum bello Philippico Padaneæ claſſis præfectus per inſidias hoſtium veneno ſublatus, ætatis ſuæ Lxvi. ann. Alter autem rerum geſtarum magnitudine vel munerum varietate tanto parente par, Reip. nunquam non bellator ſimul ac conſultor illuſtris, exanimatam & ruentem Græciam Conſtantinopolitana clade ſuſtinuit & recreauit, prædatorias naues Turcicas ad duo deuiginti captas incendit, Rhodios contumaciter ſe habẽtes claſſe cinctos imperata actutùm facere coëgit, mare infeſtum prædonibus expurgauit. Sicq; III. Imp. Virtutis ſuæ fama & ſplendore nominis fuit terrori, hoſtibus prodire in aciem eo imperante non audentibus, vt quam fortuna patri conceſſerat formido hoſtilis filio benè gerente de Repub. ademerit occaſionem. Vixit innocentiſs. conceſſit naturæ annum agens Lxxv. cariſs. & optatiſs. patriæ, quod funeris ſui mœrore declaratum eſt. Anton. & Petr. Lauredani nepotes & filij pientiſs. memoriæ & pietatis ergò ſimul item & poſteris dedere.

FRANCISCI RVBEI.

Ex Britannia citeriore monumentum. Quod miſerum putatis feliciſsimum experi: mortuus ſum tum, cum ſuaue mihi erat viuere. Trium prouinciarum Senator legatus ad Venetos ætate florens ſuffectus Anton. Talentus de Florentia, Mediolani Pariſij Senator condi apud gentiles ſuos curauit M. D. xxi.

NELLA IODECA.

Vt ſancti Athanaſij Alexandrini Patriarchæ corpus condigno veneraretur honore, ex veteri ſepulcro in hac auguſtiori forma pietas matrum poni cur. M. D. XXXVI.

AENIGMA QVODDAM IN EPISTYLIIS ECCLESIAE POLEN. AD S. GERMAN.

Pater cum filia, frater & ſoror, ſocer & nurus: hic tantum duo iacent. Euticus & Enonia Nata H. Sedem S. V. P.

IN GYMNASIO BIBLIOTHECAE.

Beſſarionis Cardinalis ex legato Senatus iuſſu, procuratorum D. Marci cura Philippi Truno, Anton. Capello, And. Leono, Victor. Grimano, Ioan. à Lege eq. Bibliotheca inſtructa & erecta M. Antonio Triuiſano principe Anno ab vrbe condita M. C. XXXIII.

INSCRIPT. STATV: EQVESTR:

Nicolao Vrſino Petiliani Nolæq; principi longè clariſsimo, Innocentij Alexand. Pontiff. Rom. Ferdinandi Alphonſiq; iunioris Reg. Neapol. Imp. feliciſsimo, Venetiæ demum Reip. per XV. annos magnis clariſ-

ſimiſq; rebus geſtis, nouiſsimè à grauiſsima omnium obſidione Patauio conſeruata virtutis & fidei ſingularis S.V.M.H.P.P.

IN TRIBVS COLOSSIS ANTE S. MARIAM.

Leonardo Lauredano Venet: Duce anno eius IIII. opt. principe.

IN PALATIO DVCIS.

Leonardo Lauredano principe, cum is annonæ prouiſum iri ſtatuiſſet, quod non modò vrbi Venetæ, ſed Vicinis ciuitatibus, quæ ob bellorum tumultus ſumma cum caritate laborabant, ſubſidio fuit, quindecies centies mill. ſex frumenti Michaeli Salomono, Marco Contareno, Aloyſio Barbaro rei frumentariæ præf. curantib. ſunt intra menſes XVI. id quod anteà nunquam ex varijs regionibus Venetiaſq; aduecta Anno M. D. XI. & XII.

IBIDEM ANTE PALATIVM.

Henricus III. Galliæ Rex & I. Poloniæ Chriſtianiſs. accepto de immatura Caroli IX. Galliæ regis fratris coniunctiſs: morte triſti nuncio è Polonia in patriam, ad ineundum regnum hereditarium properans, Venetias anno ſalutis M.D. LXXIII. XIIII. Calend. Auguſt. acceſſit, atq; ab Aloyſio Mocenigo Ser^mo^. Venetorum principe & omnibus huiuſce Reip. ordinibus, non modò propter veteris amicitiæ neceſsitudinem, verùm etiam ob ſingularem de ipſius eximia virtute atq; animi magnitudine opinionem, magnificentiſs. poſt hominum memoriam apparatu, atq; alacri Italiæ propè vniuerſæ ſummorumque principum præſertim concurſu exceptus eſt. Ad cuius rei memoriam ſempiternam Senatus hoc monumentum fieri curauit Arnoldo Ferrerio ſecretioris eius conſilij participe Regio apud Remp. Legato id etiam poſtulante.

AD CISTERNAM.

Parcior è cœlo quum quis deſcenderit imber,
Hic erit ingenti quod leuet ora ſiti:
Nec tantùm hoc hominum potuit ſolertia, verùm
In medio dulces æquore ſeruat aquas.

IBIDEM DE LAVDE VENET.

Tu verò Venetûm ſalue ſanctiſsima tellus,
Salue cara parens Diuûm fœcunda virorum,
Ingenijſq; opibuſq; potens ac pacis alumna,
Quam neq; Tyrrhenæ pelago bella aſpera gentis,
Nec ferus Odryſiis Mauors excitus ab oris,
Non acti furijs Itali, non Gallia duces
Non coniurati potuerunt perdere reges,
Neu belli terrere nimis, ſed conſcia recti,
Hoſtibus vt pelagi rupes immota reſiſtens
Læta eſto, quoniam ipſa tibi facis ocia, ſerua.

IN PA-

IN PALATIO CONSILII MAGNI.

Omnibus qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, certum eſt, eſſe in cœlo definitum locum, vbi beati æuo ſempiterno fruantur, quod quidem in terris fiat acceptius, quàm concilia cœtusq; hominum iure ſociati, qui ciuitates appellantur, hac etiam in Rectores & conſeruatores cœlo profecti illuc reuertantur. Auerſamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas opes animum ſubleuate, humiles preces in excelſo porrigite. Magna vobis eſt, ſi diſsimulare non velitis neceſſitas inclytæ probitatis, cum ante oculos agitis Iudicis cuncta cernentis.

IBIDEM SVPRA SEDE PRINCIPIS
Ad paradiſi picturam.

L' amor che moſſe gia l' eterno padre
Per figlia hauer di ſua deta trina
Coſtei che fu del ſuo figlio poi madre
De l' vniuerſo qui la fa regina.

IN EODEM PALATIO AD EFFIGIES OMNIVM ducum Venetorum depictas.

AD OBELLERIVM I.

Fratris ab inuidiam Rex Pipinus in Riuoaltum
Venit, defendi patriam ſibi gratificatus.

Hic Obellerius propter appoſitam inſcriptionem habetur pro primo duce, cum tamen VII. ipſum præceſſerint, qui inſcriptionibus & elogijs carent, vtpote:

Pao Lucius Anafeſtus Dux I. Anno 693.
Marcellus Tegalianus Dux II. Anno 717.
Vrſus Hypatus Dux III. Anno 726.
Theodatus Hypatus IIII. Anno 742.
Galla Corſus V. Anno 755.
Dominicus Monegarius VI. Anno 756.
Mauritius Galbaius VII. Anno 764.
Obellerius VIII. An: 804. Primus tamen qui habet Elogium.

Ponemus itaq; Angelum Participatum pro IX. Duce, & ſic ſequentes cæteros in ſuo ordine cum adſcriptis elogijs.

AD ANGELVM PARTICIPATVM. IX. Anno 809.

Tecta Palatina communis paruula fundo,
AEdifico ſanctum Zachariamq; Ilariumq;.

AD IVSTINIANVM PARTICIPAT: X. Anno 828.

Corporis alta datur mihi ſancti gratia Marci.

AD IOAN. PARTICIPATVM. XI. Ann: 829.

Sub me S. Marci Eccleſia conditur.
Ibiq; corpus deponitur. Primicerius ordinatur.
Sancti Iuliani Eccleſia erigitur: Tandem clericus diem clauſi.

AD PE-

AD PETRVM TRADONICVM. XII. Ann. 837.

In Dalmatas & Sarracenos mare ſuperum infeſtantes claſſem inſtruxi, apud ædem D. Zachariæ interemptus occubui.

AD ORSVM PARTICIPATVM. XIII. Ann. 864.

Furentes Dalmatas compeſcui, Sarracenosq; Italiam vaſtantes apud Tarentum feliciter profligaui.

AD IOAN. PARTICIPATVM. XIV. Ann. 881.

Comaclenſem vrbem Senatui Veneto infenſam victricibus armis noſtris ſubegi.

AD PETRVM CANDIANVM. XV. Ann. 887.

Conſenſu patrum populiq; iterum electus dux menſibus ſex, diebus tredecim peractis inualeſcente morbo Ducatu denuò me abdicaui.

AD PETRVM TRIBVNVM. XVI. Ann. 888.

Ab ingentibus vndiq; bellis patriam ingenti claſſe tutatus ſum.

AD ORSVM II. PARTICIPATVM. XVII. Ann. 912.

Quoad decuit Iuſtitiam & Pacem colui, tandem concepto voto in Monaſterio S. Felicis diem clauſi.

AD PETRVM II. CANDIANVM. XVIII. Ann. 932.

Comaclum expugnaui, ac Iuſtinopolim cenſuariam reddidi.

AD PETRVM PARTICIPATVM. XIX. Ann. 939.

Multa Berengarius mihi priuilegia fecit,
Et mihi monetam cudere poſſe dedit.

AD PETR. III. CANDIANVM. XX. Ann. 942.

Sub me reliquiæ S. Ioannis Bragoræ Eccleſiæ deponuntur. Obij paulò poſt ſubſtitutum filium.

AD PETR. IIII. CANDIANVM. XXI. Ann. 959.

A populo ſpretus Dux eligor, occidor, fœdor ferro.

AD PETRVM ORSEOLVM. XXII. Ann. 976.

Eccleſiam S. Marci prior ædificaui, deinde & Monachus factus miracula plurima egi.

AD VITALEM CANDIANVM. XXIII. Ann. 978.

Ciues diſcordes ſedo, morior Monachatus.

AD TRIBVNVM MEMVM. XXIIII. Ann. 979.

Regis ab inſidijs defendens Imperialis,
Otthonis patriam pondera multa tuli.

AD PETR. II. VRSEOLVM. XXV. Ann. 991.

Subiugo Dalmatiam communis commoditate,
Sponte bona multi colla dedere iugo.

AD OTTHONEM VRSEOLVM XXVI. Ann. 1009.

Marte gradum redimens quem vi Patriarcha tenebat,
Vrbis Aquileiæ demum de ſede repellor.

AD PETRVM CENTRANIGVM.. XXVII. Ann. 1026.

Præceſſore meo priuato ſceptra guberno.

AD DOMINICVM FLABANICVM. XXVIII. Ann. 1032.

Sub me ſalubre decretum, ne quis conſortem ſeu ſucceſſorem in Ducatu ſibi viuens faciat.

AD DO-

AD DOMINICVM CONTARENVM. XXIX. Ann. 1043.

Bello conuictam Iadram caſtigo rebellem.

AD DOMINICVM SILVVM. XXX. Ann. 1071.

Obſeſſum repuli Guiſcardum marte Robertum,
Dyrachij hinc Dominum me vocat præſul Alexis.

AD VITALEM FALETRVM. XXXI. Ann. 1084.

Clare fit occultum corpus mihi Sancti Marci.

AD VITALEM MICHAELIS. XXXII. Ann. 1096.

Piſanam claſſem ſacræ telluris vt hoſtes
Præpoſitum Caifam AEgypti iure repulſi.

AD ORDELAFFAM FALETRVM. XXXIII. Ann. 1102.

Addo Croatiam titulo iungo Ducali.

AD DOMINICVM MICHAELIS. XXXIIII. Ann. 1117.

Tyrum cum Syria preſens tibi Chriſte redemi.

AD PETRVM POLANVM. XXXV. Ann. 1130.

Fanum ſub me tributarium efficitur. Monaſteria SS. Clementis & Iacobi de Palude conſtruuntur.

AD DOMINICVM MORVSINVM. XXXVI. Ann. 1148.

Sub me admirandi operis campanile S. Marci conſtruitur, & vniuerſæ Hiſtriæ tributa renouantur.

AD VITALEM II. MICHAELIS. XXXVII. Ann. 1156.

Imperium vaſto triremibus vndiq; miſsis,
Vrbis Aquileiæ Patriarcham trado tributis.

AD SEBASTIANVM ZIANVM. XXXVIII. Ann. 1173.

Ducatum titulis dotaui ingentibus, atq;
Papa liber minis fit Federice tuis.

AD ORIVM MASTROPETRVM. XXXIX. Ann. 1178.

Ducatum deſero, Monachus fio, moriorq;.

AD HENRICVM DANDALVM. XL. Ann. 1192.

Henrico Duci eſt titulus quartæ partis & dimidiæ totius Imperij Romaniæ dominatoris.

AD PETRVM ZIANI. XLI. Ann. 1205.

Bellipotens tota mihi ſubditur inſula Cretæ.

AD IACOBVM TEPHOLVM. XLII. Ann. 1229.

Armis recupero Iadram, legeſq; reformo.

AD MARINVM MOROSINVM. XLIII. Ann. 1249.

Primiceriatum baculo mitraq; ornaui.

AD REINERVM ZENVM. XLIV. Ann. 1252.

Ex Acre pulſos Ianuenſes dat Mare victos.

AD LAVRENTIVM TEPHOLVM. XLV. Ann. 1268.

Clauſtra marina tuens, profligo Bononienſes.

AD IACOBVM CONTARENVM. XLVI. Ann. 1275.

Fit Iuſtinopolis Venetorum ſubdita regnis.

AD IOHANN: DANDALVM. XLVII Ann. 1280.

Inſula, Piranum ſubduntur, cudo Ducatum.

AD PE-

AD PETRVM GRADENICVM. XLVIII. Ann. 1288.

A faciendo ſalem Paduanos Marte coëgi.
Vrbem purgaui propulſis ſeditioſis.

AD MARINVM GEORGIVM. XLIX. Ann. 1311.

Tempore meo rexi Iadram & rebellantem purgaui.

AD IOANN. SORANTIVM. L. Ann. 1312.

Tragurium, Spalatrum, & Sibinicum ſub iuga mitto.

AD FRANCISCVM DANDALVM. LI. Ann. 1328.

Marchia tota diu mecum bellando ſubacta,
Taruiſium tandem ſub mea iura dedi.

AD BARTHOL. GRADENICVM. LII Ann. 1339.

Pacificè rexi publicumq; & mente protexi.

AD ANDREAM DANDALVM. LIII. Ann. 1343.

Alta trium probitas mihi quarto ſuggerit inſtar,
Qui de Dandalea prole fuere Duces.

AD MARINVM FALETRVM. LIV. Ann. 1354.
carentem effigie.

Temeritatis meæ pœnas lui.

AD IOANNEM GRADENICVM. LV. Ann. 1355.

Memoria & Iuris peritia clarus,
Cum Ianuenſibus vtile fœdus inij.

AD IOANNEM DELPHINVM. LVI. Ann. 1356.

Taruiſium obſidione liberum feci, pace cum Hungaris inita.

AD LAVRENTIVM RELZI. LVII. Ann. 1361.

E mare Dux vocor, Cretæ liberator opimæ.

AD MARCVM CORNARVM. LVIII. Ann. 1365.

Reſidua rebellantis Cretæ funditus extinxi.

AD ANDREAM CONTARENVM. LIX. Ann. 1367.

Hic ſacer Andreas ſtirps Contarena moratur,
Dux patriæ precibus Senior, qui Ianua ciues
Marte tuos fundens, & victor claſſe potitus,
Amiſſam Veneto Clugiam pacemq; reduxit.

Me nulla tacebit ætas, cum Ianuenſes fugauerim, Clodiamq; receperim, & à maximis periculis patriam liberauerim.

AD MICHAELEM MOROSINVM. LX. Ann. 1381.

Pauca damus patriæ, feſtina morte repreſſi.

AD ANTON. VENERIVM. LXI. Ann. 1381.

Cretæ Præfectus dux eligor, meq; auctore vnicus in vinculis damnatus filius, etſi triſte, ſalubre tamen exemplum Iuſtitiæ, poſteritati mandandum.

AD MICHAELEM STENVM. LXII. Ann. 1400.

Sub me capta venis Ianuenſis plurima claſſis,
Saxoſa & Dominum noſti me pulcra Verona,
Tu quoq; Patauium, tu Vincentina propago.

AD THOMAM MOCENIGVM. LXIII. Ann. 1413.

Hungaros bello domui, Turcarum claſſem deleui, pyratas vbiq; fugaui, Imperio noſtro Tragurium, Spalatrum, Catharum, Feltrum, Cenetamq; adiunxi.

AD FRANCISCVM FVSCARVM. LXIV. Ann. 1423.

Poſt mare perdomitum: poſt vrbes Marte ſubactas,
Florentem patriam longæuus pace reliqui.

AD PASCHALEM MALAPETRVM. LXV. Ann. 1457.

Me duce pax patriæ data eſt, & tempora fauſta.

AD CHRISTOPH. MORVM. LXVI. Ann. 1462.

Iuſtitiam colui pius, & ſi fata fuiſſent
Pro patria in Turcas Dux moriturus eram.

AD NICOLAVM THRONVM LXVII. Ann. 1471.

Hic Thronus ætherijs dux eſt demiſſus ab aſtris,
Vt Perſam Veneto iungeret imperio.

AD NICOL. MARCELLVM. LXVIII. Ann. 1473

Me populi pietas & opes exponere nouit
Et vitam ciues colere, Scodramq́ recepi
Obſeſſam Teucris, ſeruaui in pace Latinos.

AD PETRVM MOCENIGVM. LXIX. Ann. 1474.

Ille ego qui Phrygias vrbes, Aſiæq́ potentis
Oppida, qui Cilicum claſſem, Cyprumq́ recepi,
Æquora pyratis, Scodram obſidione leuaui.
Patrum conſenſu, populi Dux voce creatus.

AD ANDREAM VENDRAMINVM. LXX. Ann. 1476.

Senio iam confectus Rempub. diuturno bello vexatam intrepidè gubernaui. Domi iuſtitiam adeò colui, vt proprio nec pepercerim filio. Foris quidem Naupactum, formidanda hoſtium obſidione liberaui.

AD IOANN. MOCENIGVM. LXXI. Ann. 1477.

Hic bellum Herculeum extinxit. Italiam totam terra mariq́; furentem repreſsit, Imperium auxit, auctumq́ reliquit.

AD MARCVM BARBARICVM. LXXII. Ann. 1485.

Seruaui morbo patriam, belloq́, fameq́,
Iuſtitiam colui, plus dare non potui.

AD AVGVSTINVM BARBARICVM. LXXIII. Ann. 1485.

Rheticum bellum confeci, Cyprum recepi, Ferdinandumque Iuniorem in regnum reſtitui, hinc maritimis Apuliæ vrbibus, Cremona inde Abduanaq́ Glarea imperio adiectis, publicæ tranquillitatis conſeruator, cum nullos in libera ciuitate titulos, præter ciuium meorum beneuolentiam, quod eſt veri principis officium, reſpexerim.

AD LEONARD. LAVREDANVM. LXXIV. Ann. 1501.

Pace cum Baiazete Turcarum Rege conſtituta, omnium propè Europæ principum in Remp. conſpirantium arma compreſſi, liberos & fortunas pro Reip. incolumitate deuoui; eo exitu, vt cum ad exemplum Romanæ conſtantiæ atq́ virtutis nunquam de Rep. deſperarim, ab omnibus Europæ Regibus oppugnatus, ac pluribus prælijs penè victus, vniuerſo demum bello victor euaſerim.

AD AN-

AD ANTON: GRIMANVM. LXXV. Ann: 1521.

Attollentis prementisq́; fortunæ mirabiles ludos ſemper deſpexi, cum infracto animi vigore firmus & conſtans ab hoc ſalubri temperamento me ipſo maior & clarior euaſerim.

AD ANDREAM GRITI. LXXVI. Ann. 1523

Imperium quod armatus foris, ſummis meis periculis amiſſum reſtitueram, domi princeps, & acerrimis hoſtibus & fame ſæpe oppugnatum, ita conſeruaui, vt nulla ex parte imminutum moriens reliquerim.

AD PETRVM LANDVM. LXXVII Ann. 1538.

Pace cum Solymanno Turcarum Imperatore facta, patria ab annonæ caritate liberata, imperium validis munitionibus egregiè munitum, omnibus æquus, in priuatam domum nihil præter gloriam intulit.

AD FRANCISCVM DONATVM. LXXVIII. Ann. 1545.

Curiæ parte luculento ædificio exornata, omni belli ſuſpicione ſemota, dum Reſpubl: ſub mea ſalutari tutela ſecurè admodum reſpiraret ſeptimo Principatus anno, vitæ amplius octuageſimo, in vnam publicæ ſalutis atq; opulentiæ curam excubantem, mors oppreſſit.

AD MARCANTON: TRIVISANVM. LXXIX. Ann: 1553.

Religionis amantiſſimus, anno circumacto moriens in gremio patrum ante aras, in cælum vnde veneram, vitæ integer euolaui.

AD FRANCISC: VENERIVM. LXXX. Ann: 1554.

Biennium magna animorum propenſione cum in principatu vixerim, non ſine abſoluta religionis ac prudentiæ laude, Bonam Sfortiam atq; Aragoniam Poloniæ Reginam in Italiam aduentantem, nullo non honoris genere excepi.

AD LAVRENT: PRIOLVM. LXXXI. Ann: 1556.

Optimarum artium ſtudijs clarus, peſtilenti lue ſedata, admirabili prudentia adminiſtrata Republ: Pontificem ac Cæſarem Neapolitano bello diſtractos in priſtinam amicitiam reduxi, vt ex Italia diuturnis bellorū incōmodis afflictata irruptiones atq; arma exterarum gentium ſalubri conſilio pellerentur.

AD HIERON: PRIOLVM. LXXXII. Ann: 1559.

Clementiæ cultor & ſæuitiæ deteſtator acerrimus, principatum animi candore, liberalis ingenij bonitate ac religione fraternæ virtutis æmulus ſuſcepi.

AD PETRVM LAVERDANVM: LXXXIII. Ann: 1567.

Inuſitata annonæ penuria, frumento ſumma prudentia importato publici naualis incendio compreſſo, exortum Turcicum bellum conſtanter ſuſcepi, ſic vt non dubia victoriæ ſpe, maxima eius conficiundi oportunitas pararetur.

AD ALOYSIVM MOCENIGVM. LXXXIV. Ann: 1577.

Depulſa fame, conſociatis Chriſtianorum principum viribus, Selymi

Turcarum Regis claſſe profligata, atq; inde victoria vna omnium nobiliſſima parta: Henrico Gallorum Rege magnificentiſsimè excepto, Seruatori Deo æde dicata, vrbe bello, fame, incendio, peſtilentia liberata Rempubl. florentem reliquimus.

AD SEBASTIAN. VENERIVM. LXXXV. Ann. 1577.

Lauream ſeruatæ patriæ, quam armatus Imperator ad Echinadas paulò antè in triumphum retuleram, Princeps vna omnium ſententia creatus, ita ciuili moderatione muniui, vt dubium reliquerim, fuerimnè in Rep. adminiſtranda princeps iuſtior & ſanctior, an in rebus bellicis fortior & felicior Imperator.

AD NICOLAVM DE PONTE. LXXXVI. Ann 1578.

Rempub. grauiſs. ære alieno liberatam, ac plurimis belli ſubſidijs & pacis ornamentis auctam reliqui.

IN CONCLAVI MAIORI AD HISTORIAM FRIDERICI IMPERAT.

Adrianus Pontif. Max. Federicum Ænobarbum Romani Imperij inſignibus in D. Petri decorauit M. C. LXII.

AD ALIAM HISTORIAM.

Romani familiam Imperatoris à Prato Neronis profecti ad molem Adriani aggrediuntur ad tentorium vſq; Imp.

AD ALIAM.

Alexandrum III. Pont. Max. ritè creatum, & Octauianum vitio factum, Imp. Federicus Ticinum euocauit. Alex. dicto eius audiens non fuit: Itaq; Federicus id ægrè ferens, Octauianum qui ad ſe ijt, Pontificem declarauit ac veneratus eſt.

AD EXCOMMVNICATIONEM FEDERICI IMP.

Inſolentes Federici conatus Alexander Pont. anathemate & bello indicto deprimit & propulſat. Federicus Imp. iniquo edicto ſubditos ſuos ab Alexand. Pont. alienat.

AD PICTVRAM PRAEPARATIONIS BELLI.

Prætulit Rex inclytus bellum quieti, vt Pontificis dignitatem tueretur, parantur vtrinq; arma: adſunt Federico Boëmi, Daci, Getæ, Germani, & Itali: Regi Franciæ fauent Anglici, Britanni, Flandrenſes, Burgundienſes & Vaſcones.

AD RECESSVM PONTIFICIS VENETIAS.

Pontifex ne tot Chriſtianorum millia ſua cauſſa hoſtiliter confligeret, celata perſonæ dignitate, è medio exceſsit, Venetiaſq; liberam vrbem ſe contulit, gregarij ſacerdotis habitu, fuitq; hic ſeptuageſimus ſeptimus ſupra centenſimum & milleſimum annum.

AD EXCEPTIONEM PONTIFICIS COGNITI.

Prima nocte declinauit apud Canonicos S. Saluatoris, qui duxerunt eum ad monaſterium S. Mariæ Caritatis, ibiq; in forma - - - ſeruiebat.

Quidam

Quidam peregrinus nutu Dei ex voto venerat Venetias, qui dum viſitaret Eccleſiam ſuprà ſcriptam, cognouit Papam: notificat Illuſtri D. Sebaſtiano Ziani tunc inclyto Venetiarum Duci, qualiter ſummus Pontifex eſt in tali Eccleſia.

Dux, Conſiliarij, nobiles, & tota Venetiarum ciuitas, ſimiliter Patriarcha Gradenſis, & Epiſcopus Caſtellanus, cum toto clero perueniunt cum crucibus ad D. Papam, dubitantem de tali concurſu, deuotiſsimus Dux genibus flexis dedit oſcula ad Beatiſs: pedes, præſentans chlamydem, mitram, & ornamenta pedum, & confortans, vt metu depoſito aſſumeret animum & Pontificalia ornamenta, quia eſt in vrbe tutiſsima, libera & potente.

AD PROCESSIONEM AD ECCLESIAM D. MARCI.

Dux vniuerſo populo comitante ad altare Eccleſiæ S. Marci Papa cum cantibus & deuotione perducit, vbi perſonam, facultatem, magnitudinem ciuitatis & totum dominium in protectionem ſuam & Eccleſiæ contra quoſlibet offert.

Papa præſtat Duci cereum album, quo ipſe & Ducantes poſt eum perpetuò in ſuis proceſsionibus vteretur.

AD ABLEGATIONEM PRO PACE.

Pro pace tractanda mittuntur ad Imperatorem, tum in Apulia reſidentem, ſolemnes Ambaſciatores cum literis Ducalibus, quas Papa mandat per Ducem muniri bulla plumbea cum figura S. Marci vtq; Duce.

AD ADVENTVM LEGATORVM AD IMPERAT:

Imperator primò Ambaſciatores lætàter recepit, ſed audito, quod venerant ad tractandam pacem, regidè reſpondit; quod Papam fugitiuum ſibi tradant & nolint facere guerram alienam ſuam, nec ſuſtinere quem totus mundus ſequitur, alioquin parare ſe ad bellum.

AD REDITVM LEGATORVM.

Legati referũt Papæ & Duci rigidũ Imperatoris reſponſum, Papa plurimùm expauit, ſed benigniſsimus Dux ipſum hortatur dicens: ob reuerẽtiam fidei Catholicæ ac Sᵗᵉ matris Eccleſiæ viriliter defendetur.

Papa Alexander hortatur Principem & Venetos, vt cum XXX. triremibus publicè ab bellum inſtructis, pro pietate & religione fortiter in hoſtem moueant, datq; inclyto Duci & ſucceſſoribus enſem perpetuum Iuſtitiæ inſigne habendum: cæteris ad bellum euntibus pleniſsimam dat veniam.

Poſtquàm trepidè nunciatum eſt, quinq; & ſeptuaginta hoſtium triremes Otthonis Imperatoris filij ductu aduentare, tum Venetus Dux circa Sal-

ca Salbloicum Hiſtriæ promontorium ſuos ad pugnã hortatus edicit, vt cum ferrum à ſe in hoſtem vibratum viderint, ſuo exemplo dimicarent.

AD PVGNAM.

Atrox vtrinq; prælium committitur, demum dux fortiſsimus diuina ope Venetaq; virtute nixus, Imperatoria claſſe diſiecta, Otthonem cũ triremibus LX. capit, reliquis, præter paucas, quæ celeri fuga abierant, aut igne abſumptis, aut alto mari depreſsis.

AD DVCIS REDITVM ET EXCEPTIONEM.

Complectitur lætabundus Pontifex Venetum Ducem inclytum, victoriam reportantem, & pelagi Dominum ſalutat. Tradit & annulum, quo ille & reliqui principes in veri perpetuiq; Imperij argumentum quotannis ipſum ſibi mare deſponſarent.

AD DIMISSIONEM OTTHONIS.

Ottho Imperatoris filius, diuina motus voluntate, ſe futuræ pacis cum Federico patre arbitrum Pontifici, & Venetis pollicetur, atq; ita fide ab eo accepta, cuſtodia liberatur.

AD ADVENTVM OTTHONIS IN AVLAM IMP.

Lætatur Imperator viſo filio, cuius conſtantia, quod alioquin abhorruerat animus, tandem victus, & tractandæ pacis tribuit poteſtatem.

AD CONGRESSVM PAPAE ET IMPERATORIS.

Imperator Otthoq; filius, hic pridie feſto, ille Chriſtianæ aſcenſionis die, triremibus Venetias aduecti, eodem die cum Rom. Pont. Venetoq; Duce pacem firmarunt.

AD CELEBRAT. MISSAE PONTIF. IN S. MARCO.

Operatus ſacris in D. Marci æde Alexander P. M. omnibus Dominicæ aſcenſionis die intra binas veſperas F. . . . adeuntibus, plenam delictorum veniam perpetuò conceſsit, ſeptima peccatorum parte per octauam frequentantibus remiſſa.

AD ADVENTVM VEL INGRESSVM IN VRB. ROMAM.

Proficiſcuntur hinc Romam cum celeri equitatu Alex. Pont. Imperator & Dux Venetus, quibus ibi appropinquantibus omnes ſupremi ordinis antiſtites cum toto clero prodeunt obuiam, ſequuti primores ciuitatis totaq; nobilitas, poſtremò multitudo ingens ſtudio & gaudio effuſa, venientes cum multa lætitia & veneratione excipit.

AD DONATIONEM PONTIFICIS FACTAM VENETOR. DVCI.

Obtulit Romanus populus Alexandro ingreſſo octo varij coloris vexilla, totidemq; argenteas tubas, quæ dignitatis ornamenta vltrò Pontifex Veneto Duci detulit, quibus ipſe & omnis Ducum poſteritas ſolemni pompa vterentur.

AD PROCESS. IN S. IOANN. LATERAN.

Inuiſit Alex. Pontifex Lateranenſem Baſilicam cum Imperatore & Ve-

& Veneto Duce. Hic cum fortè ſella eſſet vna Pontifici, altera Federico Imperatori ſtrata, tertiam Veneto ſterni iuſsit, deditq; tàm illi ad curulis ſellæ inſigne, quam poſteris Venetorum Ducibus perpetuò habendum.

DE PICTORE OPERIS.

Gentilis patriæ dedit hæc monumenta Belinus,
Otthomano accitus, munere factus eques.

FAMILIAE NOBILIORES VENETORVM.

Cornelij.	Baſſadonna.	Falerij.	Gabrielli.
Piſani.	Griti.	Canaſij.	Ponti.
Capelli.	Landi.	Guſani.	Nauagerij.
Mocenigi.	Baroci.	Salomoni.	Auantij.
Marcelli.	Mauri.	Polani.	Barbi.
Treuiſani.	Mauroceni.	Pontremuli.	Vendaremeni.
Erici.	Bembi.	Cicagni.	Raynerij.
Diedi.	Carari.	Malpetri.	Magni.
Quirini.	Baduarij.	Cadamuſti.	Barbari.
Piſauri.	Contareni.	Nani.	Maſſoli.
Tepholi.	Prioli.	Foſcarini.	Minij.
Throni.	Soranci.	Foſcari.	Gerardi.
Barbadici.	Bernardi.	Iuſtiniani.	Leoni.
Fiſij.	Bragadeni.	Legæ.	Zacchariæ.
Grimani.	Donati.	Paſqualigi.	Contareni.
Lauredani.	Bizamani.	Lombardi.	Prioli.
Gargoni.	Valerij.	Bataij.	Marcelli.
Muli.	Natali.	Valareſci.	Steni.
Venerij.	Orſi.	Manoleſci.	Moroſini.
Beneditti.	Mulini.	Ziani.	Zeni.
Gradanigi.	Lollini.	Dodi.	Candiani.
Baldi.	Georgij.	Dandali.	Ponte.
Marini.	Delphini.	Suriani.	Orſeoli.
Micheli.	Bolani.	Seueriani.	Faletri.
Premari.	Vitturi.	Madazi.	Participati.
Longi.	Sagrei.	Feni.	Tradonici.
	Raymundi.	Commenduni.	Micheli.

IN PALATIO PATRIARCHAE.

SEXTERIVM S. MARCI.

OBEALTVS MAXIMVS.

Primus Epiſcopus Venetus D. CC. LXIIII.

Hic primus Venetis Antiſtes præfuit oris,
Primus & hic ſacris ordo torusq; venit.

S. Bartholomæus.	S. Baſſus.
Chriſtophorus.	Chriſtophorus.
Damiatus II. Græcus	Tancredus III. Græcus
D.CC.XCII.	DCCC.IX.
S.Iulianus.	S.Geminianus.
Vrſus.	Ioannes.

Paduarius IIII. Venetus.
DCCC. XLI.
S. Moyſes
Maurus.

Sannutus V. Venetus.
DCCC. XLIII.
S. Maria Zubenicho
Dominicus.

Vincentius VI. Venetus.
DCCC. LV.
S. Mauritius
Craſſus.

Paduarius VII. Venetus.
DCCC. LXII.
S. Angelus
Ioannes.

Faccius VIII. Venetus.
DCCC. LXXIII.
S. Fantinus
Ioannes.

Sannutus IX. Venetus.
DCCC. LXXXIX.
S. Vitalis
Laurentius.

Auenturanus X. Aquilinus.
DCCC. XCI.
S. Samuel
Dominicus.

Timens Deum XI. Venetus.
IXC. XVII.
S. Benedictus
Dominicus.

Maurus XII. Venetus.
DCCCC. xxxvi.
S. Paternianus
Petrus.

Dauid XIII. Venetus.
DCCCC. xLvi.
S. Lucas
Vrſus.

Malfachus XIV. Patauin.
DCCCC. Lxxi.

Magadicius XV. Venetus.
DCCCC. Lxxxi.

SEXTERIVM DORSI DVRI.

Dominicus
Paduarius XVI. Venetus.
DCCCC. xci.
S. Hagnes
Gregorius.

Petrus
Quinauallenſis XVII. Venet.
M. I.
S. Vitus
Marinus.

Gregorius XVIII. Venetus.
M. ix.
S. Bernaba
Dominicus.

Caſſianus XIX. Venetus.
M. xx.
S. Baſilius
Dominicus.

Gradonicus XX. Venet.
M. xL.
S. Euphemia
Dominicus.

Gradonicus XXI. Venet.
M. Lix.
S. Nicolaus
Henricus.

Contarenus XXII. Venet.
M. Lxx.
S. Raphael
Vitalis.

Contarenus XXIII. Venet.
M. xci.
S. Margarita
Bonifacius.

Michael XXIIII. Venetus.
M. c. xxi.
S. Panthaleon
Ioannes.

Falletrus XXV. Venetus.
M. c. xxxi.
S. Georgius
Vitalis.

Popillanus XXVI. Venetus:
M. c. Lv.

Michaël XXVII. Venetus.
M. c. Lxxviii.

SEXTERIVM RECHIAE S. CRVCIS.

Philippus
Caſſiolus XXVIII. Venet.
M. c. xcix.
S. Geruaſius
Vitalis.

Marcus
Nicolaus XXIX. Venet.
M. cc.
S. Iacobus de lupis
Marcus.

Michae

Michaël XXX. Venet.
M.cc.xxxv.
Maria mater Domini.

Maurocenus XXXI. Venet.
M.cc.xxxvi.
Petrus.

Pinus XXXIII. Venetus. M. cc. Lii.

Pina domus Petro fulget inſignis alumno,
Vrbs Venetum hoc gaudet præſule clara pio.

S. Simeon Propheta.
Gualterius.

S. Simon Apoſtolus.
Thomas.

Agnus Dei XXXIII. Venet.
M. cc. Lxviii.
S. Euſtachius.
Thomas.

Arimondus XXXIV. Venet.
M. cc. Lxxi.
S. Ioannes decollatus.
Bartholomæus.

Franchus XXXV. Venet.
M. cc. Lxxii.
S. Antonius.
Simeon.

Quirinus XXXVI. Venet.
M. cc. Lxxiiii.
S. Lucia.
Rambertus.

Maurus XXXVII. Venetus.
M. cc. Lxxxii.
S. Ieremias.
Iacobus.

Polo XXXVIII. Bonon.
M.cc.xcii.
S. Leonardus.
Bartholomæus.

Contarenus XXXIX. Venet.
M.ccc.iii.
S. Hermocoras.
Michaël.

Quirinus XL. Venetus.
M. ccc. xxv.
S. Magdalena.
Angelus.

Chalergus XLI. Venetus.
M. ccc.xxii.
S. Martialis.
Nicolaus.

Delphinus XLII. Venet.
M. ccc. xxxvi.
S. Fuſca.
Ioannes.

Maurocenus XLIII. Venet.
M. ccc.xL.
S. Felix.

Barbus XLIIII. Venet.
M. ccc. xLix.
S. Sophia.

Paulus Fuſcarus XLV. Venetus. M.ccc. Lix.

Eccleſiæ Præſul conſtans certamine virtus
Cognita, nec noſtris nunc referenda modis.

S. Apoſtolorum.
Ioannes.

S. Cantianus.

Amadeus Epiſcopus XLVI. Venet.
M. ccc. Lxxix.
S. Maria noua.
Angelus Cararius.

Card. creatur anno Chriſti
M. ccc. Lxxix.
S. Ioann. Chryſoſtomus.
Pontif. Max.

Epiſcopus XLVII. Venet.
M.ccc. Lxxix.

Gregorius XII. Anno
Chriſti M. cccc.vi.

SEXTERIVM CANALIS REGII.

Ioannes.

Franciſcus.

Lauredanus XLVIII. Venet.
M.ccc. Lxxxv.
S. Ioannes Elemo:
Leonardus.

Faletrus XLIX. Venetus.
M. ccc. xc.
S. Matthæus.
Franciſcus.

Delphinus L. Venetus.
M.ccc. xcii.
S. Sylueſter.
Marcus.

Bembus LI. Venet.
M. ccc. xcviii.
S. Apollinaris.
Franciſcus.

Landus

Landus LII. Venetus. Maripetrus LIII. Venet.
M. cccc. xvi. M. cccc. xxv.
S. Eubaldus S. Auguſtinus.
D. Laurentius Epiſcoporum vltimus Venetus
M. cccc. xxxii.

SEXTERIVM CASTELLI.

Beatus Laurentius Iuſtinianus Patriarcha
I. Venetus M. cccc. Li.

Qui meritis Patriarcha ſuis Laurentius vrbem,
Hanc refouet Venetam primus ad aſtra volat.

S. Blaſius. S. Petrus.
Maphæus Contarenus II. Patriarcha Venetus.
M. cccc. Lv.
S. Ioan. in Bragola. S. Martinus.
Andreas Bondimerius III. Patriarcha Venetus
M. cccc. Lix.
S. Trinitas. S. Antonius.
Gregorius Corarius IIII. Patriarcha Venetus
M. cccc. Lxv.
S. Maria formoſa S. Ioann. nouus.
Ioannes Barotius V. Patriarcha Venetus.
M. cccc. Lxv.
S. Maria S. Leo.
VI. Patriarcha Venetus.
M. cccc. Lxvi.
S. Proculus. S. Seuerus.
VII. Patriarcha Venetus.
M. cccc. xcii.
S. Paulus. S. Iuſtina.
Antonius Surianus VIII. Patriarcha Venetus.
M. D. iiii.

SEXTERIVM S. PAVLI.

Ludouicus Contarenus IX. Patriarcha Venetus.
M. D. vii.
S. Stephanus S. Thomas.
Antonius Contarenus.

AD VLTIMAM EFFIGIEM.

Quos ſpectas Antiſtites, ex ijs vnus Antonius Contarenus Patriarcha X. tibi ſpectandos pia mente curauit M. D. XVIII. anno ſuo XII. Ipſi namq; ſunt omnes, qui ab hac C. V. fuére. Hæc forſan ſcire volebas, abi nunc & vale.

IBIDEM: AD CAMINVM.

Caleat & ardeat absq; fumoſa ambitionis imagine.
Foueat & Faueat.

AD FONTEM.

Huius nympha loci ſacri cuſtodia fontis
Dormio, dum blandæ ſentio murmur aquæ:
Parce, meum quisquis tangis caua marmora, ſomnum
Rumpere, ſiue bibas, ſiue lauare, tace.

AD TRI-

AD TRIBVNAL TRIVM VIRORVM. REI AQVARIAE.

Venetorum vrbs diuina diſponente prouidentia, in aquis fundata, aquarum ambitu circumſepta, aquis pro muro munitur. Quiſquis ergo quomodocunq; detrimentum aquis publicis inferre auſus fuerit, & patriæ hoſtis iudicetur, nec minore plectatur pœna, quàm qui ſanctos muros patriæ violaſſet. Huius edicti ius ratum perpetuumq; eſto.

IN PALATIO.

Iuſticiæ ac legis radio confuſa reſoluo.

IBIDEM.

Dirigit iudicium librata ſententia laudum
Forenſib: nauibus ciuibus penſionibus auctis.

ITEM.

Fraudibus oppreſſos redimat ſententia laudum,
Reijciatq; dolos nec legum condita rumpens,
Sed cum iura tacent æquo moderamine cauſſas
Suſcipe quas alij nequeunt audire querelas,
Reddere iura deo iuſſus cum lux erit ima. M.CCCC.Lxxvii.

Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed rectum iudicium iudicate.

E REGIONE.

Res, fortuna, gradus, locus hæc ſunt conſona, tempus
Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,
Et fortuna, fides, in teſtibus illa requires.

Iuſtè iudicate, in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.

In dilectione & Iuſtitia vnanimes.

IN ARCV PROPE S. NICOLAVM.

Henrico III. Franciæ atq; Poloniæ Regi Chriſtianiſs. & inuictiſs. Chriſtianæ religionis acerrimo propugnatori aduenienti, Venetorum Reſp. ad veteris beneuolentiæ atq; obſeruantiæ declarationem.

IN ALTERO LATERI.

Henrico III. Franciæ & Poloniæ Regi optimo atq; fortiſs. hoſpiti incomparabili Venetor. Reſp. ob eius aduentum feliciſsimum.

IN QVADAM PORTA NAVALIS MAIORIS.

Leo de Molino. M. Contareno. Al. Capello
Duce inclyto Paſchali Maripetro.
Chriſti incarnatione M. CCCC. Lx.

DE CIVITATE VENET. DIALOGVS AD S. MARCVM.

A. *Dic antique ſenex Venetæ quis conditor vrbis?*
S. *Iuppiter.* A. *Vnde arces?* S. *Attica.* A. *Scorta?* S. *Venus.*
A. *Mœnia?* S. *Neptunus.* A. *Nummi?* S. *Dio.* A. *Bellica?* S. *Mauors.*
A. *Artes?* S. *Mercurius.* A. *Iura?* S. *Minerua dedit.*

Non mirum eſt ſi alias inter caput extulit vrbes,
Cum tot cœleſtes compoſuere deæ.

Quin

Quin cum tot ſimul hanc ſolus Vulcanus olympi
Sedes, huic credo ceſſerit aula Ioui.
Verùm ego cùm poſſem cœlum conſcendere, dixi
Mutet hic potius corpore marmore ero.

DE VENETORVM VRBIS FATO GAVRICVS poëta inſignis ita luſit.

Virginei partus ſæclis bis octo peractis,
E pelago emergens tellus fœcunda colonis,
Præbebit miſeris alimenta è frugibus altis.
Nec nautæ piſces capient in litore ſicco,
Sed varios pueri flores, & gramina pingues
Læta boues, haſta non remis pulcra iuuentus
Certatim ludent, mœſto ſpectante Senatu.

Quibus verſibus Venetis dominium pollicetur vſq; ad annum M. DCCC. Lxxx. & ex Inſula in terram continentem commutandam. Si modò verum cecinit. Iſta enim omnia in prouidentia & diſpoſitione omnipotentis Dei conſiſtunt, qui mutat & tranſfert imperia: florere & perire ciuitates ſinit & permittit.

FINIS TERTII LIBRI ET ITINERIS.

MONVMENTORVM ITALIAE,

Quæ hoc noſtro ſæculo & à Chriſtianis poſita ſunt,

LIBER QVARTVS.

Editus â
LAVRENTIO SCHRADERO HALBERSTADIEN: Saxone.



Cum Gratia & Priuilegio Cæſareo.

HELMAESTADII
Typis Iacobi Lucij Tranſyluani.

M. D. XCII.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO, DOMINO Simoni, Comiti Lippiæ, Domino ſuo benigniſſimo.

CVm Illuſtritati tuæ, Generoſe Comes, monumenta hæc Italiæ manuſcripta aliquando exhiberem, viſus mihi es ea magno gaudio arripere, ac tanto ſtudio euoluere, vt ſi in publicum prodire noluiſſem, propter exactam accuratamque, licet breuem, ſingulorum enarrationem, quæ in ciuitatibus Italiæ, nobiliſſimæ illius prouinciæ, occurrebant, animumq; tuum mirè oblectabant, deſcribere voluiſſes. Quocirca vt ederentur non ſolùm hortator & ſuaſor illuſtris, ſed etiam adiutor fuiſti. Quæ ſanè ſingula dum mecum acuratius penſiculatiuſq; reputo, nulla alia ratione me præclaræ voluntati tuæ, vt æquitatis & iuris ratio exigit, reſpondere poſſe autumo; quàm ſi Lombardicum & Inſubricum iter, ſub auſpicio nominis tui illuſtris publicarem. Quod vt in præſentia factum exopto, ita intelligis. Nec verò eſt quod celebrem poſteris, inſignem benignitatem tuam, cum ſumma virtute, nec vulgari eruditione, linguarumq; exoticarum cognitione coniunctam: (vt enim illa omnibus paſſim ſunt cognita, ſic nulla ætas conticeſcet) ſed eo nomine te ſaltem interpello, vt quod ex obſeruanti & grato animo profectum vides, id eo loco habeas, quo tibi dicatū nuncupatumq; agnoſcis: atq; Illuſtres & Generoſi Domini & affines tui ENNO & IOHANNES Oſtfriſiæ: ERNESTVS Holſatiæ & Scaumburgi, Comites, qui nuper Italiam viderunt, & in hiſce libris omnia quæ oculis ipſorum obiecta fuerunt, recognoſcere poterunt, labores hoſce meos & dedicationem

hanc, tecum communem habeant, & quid in illarum collectione præſtitum ſit Illuſtritati tuæ teſtentur. Exiſtimauerim eam vobis omnibus probatam minimeq; contemnendam fore. Deus opt. max. Illuſtritatem tuam tueatur, eidemq; omnia benignè concedat. Oſnabrugæ Calen. Septemb. Anno M. D. XCII.

Illuſt. tuæ

Seruus.

Laurentius Schradæus.

LIBER

LIBER QVARTVS.

CONTINENS ITER INSVBRICVM ET LIGVSTRICVM EX VENETIIS

NOM: ANTIQ:	RECENT:	MILL.	REGIO.	DITIO.
Venetiæ	Vineggia			
	Lucifuſina	V.		Venetorum.
Padua	Padoa	XX.		
	La brenta	I.		
	Ruban	II.		
	Meſtrin	II.		
	Alliſaia	III.		
Vincentia	Vicenza	X.		
	Montebello	X.		
	Caldere	X.		
Verona	Verona	X.		
	Villa franca	VI.		
	A. S. Zein	V.		
Mantua	Mantoa	X.		Ducis Mantuæ.
	Al hoſte di letto	X.		
	Al Caſteluchio	II.		
	Marcheria	III.		
	S. Martin	I.		
	Bozolo	I.		
	S. Iacomo del Po.	IIII.		Ducis Mediolani.
	Alla buona voglia	X.		
Cremona	Cremona	X.		
	Rubech	X.		
	Ponteuigo	I.		
	Manerbe	VI.		
	Banguil	VI.		
Brixia	Breſcia	VIII.		
	Hoſleria diluto	VII.		
	Cucaia	V.		
	Palazol	VI.		Venetorum
	Bettolin	III.		
	Bettula	V.		
	Seneat	V.		
Bergamum	Bergamo	I.		
	Codonia	IX.		
	Mutzegania	X.		
Crema	Crema	VI.		
	Vmbria	II.		Regis Catholici.
	Turmo	V.		
Laus Pompeia	Lodi	III.		
	S. Angelo	VII.		
Papia vel Ticinum	Pauia	XIII.		
	Certoſa	V.		
	Binaſcho	V.		

 Mediola-

NOM. ANTIQ.	RECENT.	MILL.	REGIO.	DITIO.
Mediolanum	Milano	X.		
Comum	Como	XXV.		
	Alla roſa	X.		
	S. Pietro in Vlmo	II.		
	Sidriano	I.		
	Magenta	IIII.		
Theſis fluuius	Theſin fluu:	V.		
	Gaie	II.		
Nouaria	Nouara	IV:		
	Borgo	XII.		
Vercellæ	Vercelli	III.		
	Selaſco	VII.		
	Brandis	IV.		Ducis Mantuæ
	Liuorno	II.		
Salutium	Saluzo	V.		
	Cinas	V.		
	Setta	III.		
Auguſta Tauri-	Turino	V.		Ducis Sabaudiæ.
norum	Brandis	II.		
	Chierium	V.		
	Riuodel Chier	II.		
	Villa nuoua	III.		
Aſta	Aſte	X.		
	Iſula	III.		
Alba Pompeia	Alba	IX.		
	A reodde	II.		
	Verdun	I.		
	Cheiraſco	IV.		Ducis Sabaudiæ,
	Bene	V.		
Mons regalis	Mondeui	VIII.		
	Roceadi Moderaglia	VII.		
	Minazan	IV.		
	Monbarcar	IV.		
	Cameranda	III.		
	Sercei	II.		
	Orcingo	II.		
	Caſſaria	II.		
	Le calcare	II.		
	La alta	III.		
Sauona	Sauona	VII.		
	Albiſolana	II.		Genuenſium.
	Valaſci	II.		
	Cugaron	III.		
	Alinzein	III.		
	Vtri	V.		
	Reggei	V.		
	Seſtri	II.		
	S. Pietro de Arena	II.		
	Sena	II.		
Genua	Genoa	II.		

Ponte de-

NOM: ANTIQ:	RECENT:	MILL.	REGIO.	DITIO.
	Pontedecimo	VIII.		
	Preallauaſara	VI.		
	Ficcon	IIII.		
	Votaggio	III.		
	Gocci	V.		
	Teſſarol	III.		Imperij
	Franca villa	II.		
	Bazalutz	II.		
	Il Boſcho	V.		Ducis Mediola-
	Il Conuento di Boſcho	$\frac{1}{2}$		nenſ.
	Fergeruolo	$\frac{1}{2}$		
Alexandria	Aleſſandria	V.		
	S. Iuliano	VII.		
Terdona	Tortona	V.		
	Pontequiron	V.		
	Voghera	V.		
	Schiatezo	V.		
	Alla ſtradella	IX.		
	Il fiume Berdoneza	VI.		
	Caſtel S. Giouanni	II.		
	Rotofredi	VI.		
	Il fiume Trebia	IIII.		
Placentia	Piacenza	III.		Ducis Parmenſ.
	Pontenudo	V.		
	Fiorenzuola	VII.		
	Borgodi S. Domin.	VIII.		
	Caſtel ghelfo	IX.		
Parma	Parma	VI.		
	S. Hilario	V.		
	Alla Maggione	III.		
Regium	Reggio Lepidi	VII.		Ducis Ferrariæ.
	Rubiera	VII.		
	Marzaia	I.		
Mutina	Modena	VII.		

Hinc recta & breuiſſima via vel Patauium vel Venetias vel Tridentum potuiſſem peruenire. Verùm cùm in primo itinere ex Venetijs per Hetruriam & Latium Romam proceſſeram, Imola, Fauentia, Foro Liuij & Ceſena non viſa & ad læuam relicta, volui exin diſcurrere, & per iſtas ciuitates Venetias redire, atq; hac occaſione & ratione eas eodem ordine, quo cæteras, deſcribere.

Bono-

NOM. ANTIQ.	RECENTIA.	MILL.	REGIO.	DITIO.
	Caſtel franco	V.		
	Samagia	V.		
	Lauein	V.		Pontificis.
Bononia	Bologna	V.		
	S. Nicolao	X.		
	Alla mazon	II.		
	Caſtel S. Pietro	I.		
	Tuſcanella	III.		
	Pradello	II.		
Imola	Imola	II.		
	Caſtel Bologneſe	V.		
Fauentia	Faenza	V.		
	Alla Coſma	V.		
Forum Liuij	Forli grande	V.		
	Forli picciolo	II.		
Ceſena	Siſena	VI.		
	Ceruia	III.		
	Sauio	V.	AEmilia	
Rauenna	Rauenna	X.	La	Pontificis.
Spineticum	Primaro	XV.	Romagna	
Capraſiæ	Magna Vacca	IX.		Ferrarienſis ducis
Volanæ	Volarni	XVIII.		
Gorum	Goro	XVIII.	Venetia	
Fornaces	Fornace	XVIII.		
Philiſtinæ foſſæ	Foſſon	VIII.		
			Marca	
Brundulum	Brondolo	IV.	Triuiſana.	
Foſſa Clodia	Chioza	III.		Venetorum
Portus Medoaci	Malamocco	XV.		
VENETIAE	VENETIA	X.		

VICENTIA

VLGO VINCENZA, GALLIÆ CISalpinæ vel Marchiæ Triuiſanæ vrbs, peroportunè ædificata, non vſq; adeò elegans & magna, ſed populoſa ad radices collis ſita, & duobus amnibus Bacilione videlicet & Rerone non tamen æqualiter diuiſa: Condita ab Hetruſcis, & ſic dicta, vel à centum vicis, quorum habitatores vnum in locum collecti ciuitatem primum effecerunt, vel quod vicerit niimicos. Thuſcis pulſis Galli eam tenuere: pòſt Gothi & Longobardi: Quibus deuictis Caroli Magni bello ſub imperij Romani nomine diu manſit, & ijs paruit, quos Carolus Italiæ præfecit. Poſtmodùm cum in libertatem ſe vindicaſſet, creatis ſibi Antianibus & prætoribus annuis à Frider: II· Imp: capta & cremata eſt. Dein ab Actiolico Tyranno, Carrarienſibus Patauinis, Scaligeris Veronenſibus, & vicecomitibus Mediolanenſibus occupata. Tandem Veneti ea potiti ſunt: fuereq; eius incolæ omnium primi, qui in eorum ditionem tanquam ſalutis portam confugere ſeſeq; ipſorum imperio ſponte ſubiecerunt, eoſq; in occupandis alijs vrbibus plurimùm adiuuerunt. Qua de cauſſa inſignem Venetorum meruêre laudem, & pluribus immunitatibus ſunt donati, de quibus Baptiſta Paliarinus, ſicuti & de vrbis origine, amplitudine, imperio, familjs, viris illuſtribus & ciuium fide VI. libr. edidit. Multa quidem incommoda ſenſit bello Veneto cum Maxmiliano I. Imp: geſto, & nunc ab Hiſpanis nunc verò Venetis cum non ſatis munita eſſet, & defendendi ſui ratio nulla ſupererat, capta fuit, & vniuscuiusq; ſumpſit & poſuit imperium. Sed Verona & Brixia Venetis reſtituta adeò refecta & inſtaurata eſt, vt detrimenti nihil accepiſſe videatur.

Tria habet notabilia: Palatium Prætoris magnificentiſſ: cum campanili & tecto plumbeo: Pontem vnius arcus: & ſaxum ſolidum aræ maioris in Eccleſia D. Laurentij admirandæ longitudinis: quibus & quartum, Theatrum ſcilicet vulgò L' Academia annumerari poteſt. Cœnobium D. Coronæ ſodalium prædicatorum ornatiſſ: eſt, & habet pulcerrimam bibliothecam. In fano ſpina ex corona Saluatoris eius loci Epiſcopo Barth: Vicentino, à Ludouico Gall: Rege dono data, & huc allata, magnaq; in veneratione habita. Abundat hæc ciuitas omnium rerum copia, propter ſummam agri amœniſſimi vbertatem.

Tanta quoq; in ea & campis vicinis mororum arborum, quarum fronde bombyces aluntur, frequentia eſt, vt ex ijs Vicentini, alioquin

ingenijs viuidi, & ad mercaturam, literas, militiamq́ promptiſsimi, & in refacienda quotidie deſudantes, magnum quæſtum faciant. Poma ferunt alba, quamobrem hoc ſericum non eſt tam robuſtum ac illud quod vermes genuêre folijs earum arborum nutriti, quæ mora nigra producunt. Laute hic viuitur, & gens magnæ fiduciæ honeſtè veſtitur, & habet nobiles & antiquas familias.

Extra vrbem locus, quem Mottam vulgò vocant, vbi intra duos montes à Venetorum copijs, quæ vtrinq́ plana tenebant, exercitus Maximiliani Cæſaris concluſus fuit, atq́ ob loci iniquitatem ad deſperationem redactus impunè occiſus fuiſſet, niſi Ducis Georgij Fronſpergij confidentia ipſos milites animaſſet. Et quia viribus atq́ numero impar videbatur, ſtratagemate feliciter vſus eſt: Fugam enim per ardua montium ſimulans, in eaſdem anguſtias hoſtem illexit, atq́ ſubitò conuerſus ad vnum penè omnes trucidauit. In agro Vicentino duæ nobiles lapidicinæ ſunt, in monte Cornelio ciuitati proximo, vulgò monte Couelo, opus propter anfractus & cauernas viſu digniſsimum.

IN AEDE CATHEDRALI.

Semper in aduerſis tibi ſit patientia Chriſtus,
Cuius ab exemplo regula, Diſce mori.
Ecce Deus cœli cunctorum conditor vltrò
Probra tulit, colaphos, ſputa, flagella, crucem.
Tu quoq́ quidquid erit patiens ſufferre memento
Pro Chriſto, patiens deniq́ victor eris.
Ne dubites, ſpera hunc quem tu proſtratus adoras
In lætum tenebras vertere poſſe diem.

HIERONYMO SOLEDO EPISCOPO.

Vaſionenſi, Clementis VII. Pont: Max: domus Magiſtro in Hiſpaniam legato ab eo ad Carolum V. Imp. miſſo, rebus ſupra omnem ſpem eius prudenter & ex votò confectis, affinitate etiam inter illos coniuncta, Cæſare in Italiam adducto cum Venetis cæteriſq; Italiæ principibus fœdere inito, Duce Inſubrum Cæſari conciliato, in Belgis etiam apud eundem legatione functo, Romæ in maiori de ſe expectatione ſublato, Ioan: Petrus fratri opt: ac innocentiſs: p: Vixit ann: LII. Di: II. Obijt. M.D.XXIII.

CAIETANO THIENEO.

Hier: F. Curiæ nouæ Domino ſub Fride: ac Mimil: II. Impp: Equitum Duci, & Hungariæ vexillario ſupremo, Bapt: fr: p. M.D.LXXXIII.

LAVINIAE THIENEAE.

Virgini F. cariſs: Alexa: Thieneus & Laura parentes pientiſs. p: Vix: ann: XVII. M. I. D. X. Obijt V. Non: Iul: M.D.XLII.

Vt ſaltem cara cum nata in morte quieſcant,
Hoc quoq́ ſe tumulo condi ſtatuere parentes.

NICOLAO LVSCO.

Viro clariſs: Gallorum Regibus Franciſco I. Henrico II. Carolo IX. ſub quibus omnes militiæ ordines duxit, obſequentiſſimo, Equiti S. Michaelis, Regis Mirandulæ Commiſſario, Picorumq; deditiſs: parentes opt: merito pp. Vix: ann: LXI. Ob: Mirandulæ XIII. Cal. April. M.D.LXXIIII.

IN AE-

IN AEDE D. LAVRENTII.

Hic iacet Guido, filius nobilis viri Domini Nicolai de Lucio.

SEP. DOMINI FERRETI ET SVORVM.

Hic ſitus eſt clara Ferretus origine Vates,
Scaligeros decuit quem ceciniſſe Duces.
Scripſit & annales, Genuenſe & in ordine bellum,
Et noua de priſcis carmina temporibus.
Eſt decus hic patriæ, Ferretæ hic gloria gentis,
Hic locat æternus nomen & oſſa lapis.

AMELII AB AQVINO.

S. Clariſſimi Equitis, & conſummatiſs: IC. ac vtriuſq; ſacræ paginæ Profeſſoris, qui obijt IV. Id: Martij. M.D.XXXIX. C.P.

ZAMPERII.

Militis armati lapis hic ciuiſq; togati
Oſſa tenet, quem pro patria belloq; domoq;
Sollicitum cari populus vice patris amabat,
Larga manus, fidum pectus, lingua inſcia falſi,
Et pietas, & pacis amor cum ciuibus illum
Carum, Principibus famoſum ingentibus, ipſi
Dilectum fecere Deo, tria publica geſsit
Officia, & tanta virtute vt clarior alter
Vrbe Veronenſi Prætor Seniſq; Senator
Nec Pataui fuerit Capitaneus vltimus heros
Prothorum egregias Zamperius honoribus amplis
Clarificauit auos, & te Vincentia, cuius
De gremio ciuem illuſtrem ſumpſere, ſuoq;
Inſcripſere Patres Veneti cum laude Senatu.

Qui obijt M. CCC. XII. die penult: Mens: Auguſti.

ISABELLA ALLIDOSIAE.

Genere, moribus, & innocentia illuſtri, immatura morte omnium mœrore præreptæ, coniugi dilectiſſimæ, cum qua in mutua beneuolentia amoreq; incomparabili per luſtrum vixit, Agrippa Prioratus indiuiduæ ſocietatis memor mœſtiſs: p: Vix: ann: XXII. M. VIII. D. XV. Ob: prid. Calen: Mart: M. D. LXXI.

SANGALANDI.

Heu iacet hac petra miles celeberrimus actis,
Atq; comes meri mixtiq; ornatus honore
Imperij, Proceris gratus probitatis amore
Sangalandus heros, cui dat Florentia caſtrum
De Sangalando multas qui rexerat vrbes.
Sic ſenio finemq; dedit vitæq; labori,
Regna Dei repetens veneranda conditus vrna,
Mille trecentorum dum quinquaginta nouemq;
Curſus erat, Ianiq; cadens lux dena rigentis.

LEONARDO PORTO.

Nobiliſſimo, Iuris & bonarum literarum peritiſſimo, qui nummos, menſuras, & pondera antiqua ad noſtri temporis rationem deducendi autor fuit, atq; octogenario maior deceſſit, & eius filius. Ob: XVII. Cal: Octob: M. D. XLV.

FRATRVM A STEIN. S.

Petro, qui ſub Carolo V. equitũ & peditum Ductor Foſſanum regens conſeruauit, Andeſſanum recepit, Cunniumq; à Gallorum exercitu irruente tutatus, Mondeni ad deditionem compulſi particeps fuit, & tandem Bargenſi arci occupandæ intentus, hoſtili tormento interijt, annum agens xxxvi.

Ludouico, qui C. Equitibus à Carolo V. præfectus, poſt multa præclara geſta, dum Caſalem Ferratenſem ab hoſtibus occupatum recuperare animoſius ac nimis ſtudet, glande plumbea victor occubuit ann: agens xxii. Paul: Io: Camillus Stein fratres patri ac fratrib. mœſtiſs. pp. Cal. Ian: M. D. Lxiv.

ALEXII.

Marmoreus Veneti ſarcophagus hic tenet oſſa
Alexi, gaudet ſpiritus alta petens.
Proh dolor, vt luget Raynerius ipſe Ioannes
Filiolus, luget mæſtus vterq; parens.

PETR: MARANEN:

Voluerat orbe ſuo tunc annos mille trecentos.
Sol quater atq; decem, quartaq; meſſis erat,
Cum tibi mirificis Laurenti ſplendida ſaxis
Structa fuit templis ianua bina tuis.
Hac ſatus egregia votiuo munere Petrus
Stirpe Maranenſi condidit arte fores.
Frater & hoc voto ſibi pax ab origine Lugi
Conſuluit, nitidum quo duce fulſit opus.

LEONARDO PLVENO.

Thomæ F. Equiti clariſs: ac diuini humaniq; iuris ſcientia per vniuerſam Italiam celeberr: vxor & filij quinq; vnanimes ac mœrentes p: Vix: ann: Lviii. M. vi. D. xv. Ob: viii. Id: Septembr: M. D. Liv.

Quis iacet hoc tumulo? Leonardus nempe Pluenus
Et patriæ & gentis gloria magna ſuæ.
Quos meruit titulos? Iuriſconſultus, Equesq;
Eſt habitus. Qualis? Clarus & eximius.

AD SERVOS.

POLIXENAE CESENATAE.

Serius aut citius nihil eſt, bene viuere vita eſt
AEterna, & cœlum, qui bene vixit, habet.

Polixenæ Ceſenatæ Sigiſm: Iræi f. Petrus Atrudus Cond: f. iv. Coſ: qui Vicentiæ I.V.D. triennium duob: Præt: aſſedit, coniugi dulciſs: & incompa: mœſt: p: Vix: ann: xxv. D. xviii. perijt ab ortu anno Chriſti M. D. xxv. xvi. Cal. Iul.

GEORGIO CATHENAE.

Fortiſſimo iuueni, qui apud Scandianum ſingulari certamine victor extitit, & Io: Bapt. Cremonen: victum armis & gloria ſpoliauit, vitæ tamen eius benignè pepercit, quod ſibi fata facere noluerunt, Nam victor à victo vulneratus paulò poſt deceſſit. Vix: Ann: xxvii. M. ii. D. xii.

Et Vincentio Cathenæ Philos: egregio, qui & ipſe iuuenis Romæ abreptus eſt, Vix: ann: xxx. M. vii. D. viii.

Simon Cathena pater infeliciſs: turbato ordine fecit heu filijs opt: à quibus id ſibi faciundum optauerat.

Bene valeas, qui hoc legis, benè ſit tibi filijsq; tuis, qui nec vel immaturi, nec te viuente obeunt, M. D. xxxv. xii. Cal: Nouemb:

AD S.

AD S. CORONAM.

THOMAE SCROPHAE.

D. O. M.

Nomen erat Thomas, ſtirps Scropha, profeſsio fides,
Seruandi ſtudium iuris & æqui animus.
Vita, fides, pietas, rectum, conſtantia, nec me
Vis, fortuna, minæ, gratia, dona mouent.
Dum viuo, viuoq; Deo patriæq; ſaluti;
Cui do præſtita poſt omnia tandem animam.
Dantibus inſtanti cunctis nam terra procellæ,
Solus opem afflictæ conſiliumq; fero.
Hæc ſic ærumnas precor exantlauerit omnis,
Luce ego cum ſuperis vt meliore fruor. M. D. XII.

Siſte ſi vacat, & ſpecta viator.

FEDERI: BAMBALIONVS.

M. H. V. F. C. quod filij, nepotes, pronepotes & deſcendentes, maſculi tamen I. Anno Chriſti M. D. xLix.

RILIAE.

Infauſtum nomen gero Rilia, me quoq; ſæuo
Formoſam partu mors inimica rapit.
Repperit amnicola Phrygio ſata rege maritum,
Concordi moriens auferor ipſa viro.
Fruſtra artes Bardine tuæ, licet omnia tentes,
Cum Lacheſis duro pollice fila metit.

GALEATIO.

Rom: IC. Io: Iacob: & fratres parenti opt: mœſtiſs: poſ: Vix: ann: Lxv. M. III. D. VIII.

BAPTISTA NEVVS.

Summum artium & Medicinæ decus, cui nemo ſuperior hic eſt, is hoc ſacellum ſua impenſa extructum, omni ſacrorum ornatu munitũ reliquit M. CCCC. LXVIII.

PARMERIO SESSO.

Dum quadraginta nouem daret annos mille trecentos
Virginis à partu iam lux viceſima Maij,
Seſsia progenies celeber Parmerius annis
Scaligeris ſtudioſus heris, dum ſpiritus aſtris
Inuehitur, dum fama manet, dedit oſſa ſepulcris.

BERNARDINO SESSO.

Vicentino ciui & Comiti, & non minus emendatis moribus, quàm Græcis Latiniſq; literis ornatiſſimo, & in Philoſophiæ ſtudijs eos iam progreſſus habenti, vt niſi immatura morte ſummo totius Patauinæ Academiæ luctu eſſet præreptus, præſtantes viros æquare vel ſuperare poſſet. Mœſtus Benedictus pater, mœſtiſs: Vrionome mater cariſs: f. poſ: M. D. XCIII. Vix: ann: XXI. M. IIII. D. III.

IOANNES.

Ex clariſſima ac vetuſta Thienæa gente, miles belli ac pacis artibus clariſs: Parthenopes Regum, Caroli & Ladislai conſiliarius & Brutiorum Prorex, ab ijsq; compluribus caſtris & iuriſdictionibus donatus M.º x. Inſubrũ Ducis Philippi conſiliarius & gubernator, à quo Pedeteſinæ LXII. pagorum & Laſici ſecundum maiorum ſuorum iura, & alijs bonis auctus tandem hoc decoro conſtructo ſacello, Anno Domini M. CCCC. XV. ætat: ſuæ LXXXV. Obijt.

MARCO THIENAEO.

Marcus in anguſto licet hic ſit marmore clauſus,
Mente colit ſine fine ſacros per ſæcula plauſus,
Vrbis honos, carusq; ſuis, mala ſubdere frenis
Nouerat, hic renitet ſoboles generoſa Thienis
Mars, probitas, virtus tulit hoc ſub pectore dotes,
AEquat auos, decorat per tempora cuncta nepotes.

VGOLINO SESSAE.
IN AMBITV.

Quem genus egregium, decus, ætas, gloria, fama,
Reddidit & teneros abſtulit hora dies.
Felix Vgoline bona ſatus indole Seſſæ,
Gemmaq; de Panuo virginitate nitens.
Hoc tua marmoreo requieſcunt corpora ſaxo,
Qui colis ætherei gaudia ſumma poli.
Mille trecentenos tum denos voluerat annos,
Phœbus, & in libra ſeptima meſſis erat.

BRVNONVS A VVLPE.

Hieronymi IC.ti filius, quiſquis ipſe fuerit, iacet hic.

IVDICIS.

Gallifer hoc ſaxo iudex clariſſimus actis
Reſte iacet tota, doleas Vincentia valdè,
Ipſe tibi vixit, fuit & tibi Tullius ore,
Conſiliumq; fuit longum, quo pectora grandis
Scaligeræ prolis ſe ſeptem veribus olim
Pulcri fulſerunt ad magna negotia regni.
Sol erat in libra ducens cum luſtra ducentis
Septuaginta duo terq; annos tres minus vno,
Mars fuit illa dies quum vitam reddidit aſtris
Quinta dies menſis Octobris pone Calendas.

M. CCC. LXXX.

BELDAE VXOR.

Proh dolor hic ingens grauidis formido puellis
Belda iacet partus flebilis vrna ſui.
Quam melioris aui proles Antonius ortus
Bononiæ caſto iunxit amore ſibi.

M.CCC. III. Indict: I. die IIII. Martij.

IBIDEM.

Beatus Bartholomæus Epiſcopus Vicentinus.

AD S: ANTONIVM.

BARTHOLOM: BONO.

Proh dolor hic recubat nunc Bono Bartholomæus,
Grammaticus, Rhetor celebris, quem laude Cremona
Progenuit, cuius profluxit ab ore poëſis,
Nouit & Apelles Romanos & peregrinos,
Deſtitit Auguſti vigena luce ſecunda
Luſtra ducenta dabat ſol octuaginta nouemq;

AD S. MICHAELEM.

IOAN: ALBERTO PLEGAPHETA.

Hieron: Phyſ: Clariſs: filio, quem in maiori de ſe expectatione immatura mors, proh dolor, eripuit: contra temporis impiam nimis æquè ac citam iniuriam æter: hoc ſepulcri monum: Alexa: Galear: & Cæſ: fratres mœſtiſs: pp: Vix: ann: xxix. D. xxix. Ob: die Veneris xix. Calend: Septemb: M. D. Lxii.

HENRICO ANTONIO GODO.

Equiti clariſſimo ICtorum eloquentiſſimo, eloquentium Iureconſultiſs°. quem vnum oratorem eius ætas maximè eſt admirata, M. Anton: Paulus Alexan: Hiero: Petrus filij. Vix: ann: Lxxxv. minus vno die H. M. H. V. F.

Eloquentiæ & Iuriſcientiæ ſtatuæ monumento appoſitæ.

PAVLAE VXORI. IN AMBITV.

Hoc tua Paula iacent nunc molliter oſſa ſepulcro,
Sed tu pro meritis regna beata tenes.
Clarus Alexander tuus hæc monumenta maritus,
Illa tibi ſuperum rex hominumq; dedit.

AD S. FRANCISCVM.

SVPRA PORTAM.

Carolus auratæ celeber cognomine vulpis,
Condidit hoc ſanctæ relligionis opus.

Hæc ſibi ſua nouiſſimè S. I.

Hic ſpecta quid eris, qui mundi gaudia quæris,
Per nullam ſortem poteris euadere mortem,
Nec modò lateris, quia forſan cras morieris.
Sunt tria quæ verè faciunt me ſæpè dolere:
Eſt primum durum, quoniam ſcio me moriturum,
Secundum timeo, quia tempus neſcio quando,
Poſterius flebo, quia neſcio quò remeabo.

CAROL: A VVLPE.

Vulpiger hoc templum Diuûm conſtruxit honori
Carolus, arte potens nec pietate minus.

ITEM.

Hoc templum Franciſce ſuis tibi ſancte parauit
Sumptibus eximia vir pietate nitens.
Carolus à vulpe, claro qui ſanguine natus,
Plus tamen ille ſuos nobilitauit auos.
Iſtius impenſis Claræ quoq; virginis ædes
Cernitur, eiuſdem Relligionis opus.
Tales terra viros ſi multos noſtra tuliſſet,
Non eſſet ſuperis altera grata magis.

M. D. vii. Calend: Auguſti.

Sepulcrum ſpectabilis viri Caroli à Vulpe, & nobilium eiuſdem prolis M. cccc. viiii.

ANTE INTROITVM ECCLESIAE.

Quid quæris? Viue memor lethi.

CONSECRAT:

Incolumis ſeruata luis Puſterta periclo,
Votiuum genitrix hoc tibi ſacrat opus.

AD S. BARTHOLOMAEVM.

HIERON: PRIORATO.

P. F. IC.torum eloquentiſſimo ac eloquentium iureconſultiſſimo, innocenti viro, pietate ac religione inſigni Heliſabeth Portia coniux dulciſſima p. Vix: ann: ætat: ſuæ xLIx. VIII. Id: Octob: M. D. LIV.

NICOLETTO VERNIO.

Theaſino, toto orbe ob Philoſophiam notiſſimo de Patauino gymnaſio optimè merito, à Vincentinis ciuitate donato H. M. H. N. S.

AD S. BLASIVM.

HIERONYMO FLORIANO.

Viro ſtrenuiſſimo, qui ann: xL. ſub auſpicijs Venet: fideliſſ: & inuictiſſ: peditatum duxit, Margarita Burges coniux Ant: Claud: & Pirrhus opt: merenti heu mœſtiſſ. p. c.

Anno M. D. LVII. v. Id: Aug: Vix: ann: LXIV.

LVDOVICVS CHEREGATVS.

Arciepiſcopus Antiburen: ac Seruiæ Primas moribus ac vitæ integritate probatiſſimus hic ſitus eſt, Vix: ann: XCI. M. II. D. V. Obijt Ann: Dom: M. D. LXXIII. III. Non: Iul:

AD S. STEPHANVM.

Nil mors ſi fides.

IN STATVA S. MARCI IN FORO MAGNO.

Hanc Marcus populo donatus tollere molem
Iuſsit, & ipſe humeris pertulit orbis onus.
Partem operis ſubit vt nulli ſuauitate ſecundus
Franciſcus Michaël, ſic pietate prior.

IN BASI II. STATVARVM IBID:

Belli ſecura quieſco.
Palmam genuère Carinæ.

ANTE AVLAM D. CAPITANEI.

Si quæ, cœlicolæ magni, Vincentia ponit
Vrbs, aræ & cum aris aurea templa iuuant,
Ingentem hanc molem Aeterni ſeruate per æuum,
Protegite & ſæclis innumerabilibus.
Nam ipſam æterno Bernhard erexit honori,
Grati æterna animi ſigna futura ſui.

ANTE AEDES COMITIS LEONARD: VALMARANAE.

Maria Auſtria Auguſta Caroli V. Maximil: II. Rodolphi II. Impp: filia, vxor, mater, à Philippo fratre Hiſpan: Rege potentiſſ: ad regendum Luſitanorum quondam Regum imperium nuper partum è Germania adſcita, per Italiã iter faciens in his ædibus, quod ipſa ob veterem Auſtriacorum Principum erga hanc domum clientelam maximè voluit cum Margarita Maximilianoq; filijs archiducibus à Leonarda Valmarana Comite, eiuſdemq; Philippi

Philippi Regis Penſionario ſplendidiſſimo apparatu accepta fuit, Anno M. D. Lxxxi. iv. Cal: Octob:

ἤταν ἔπιτας.

Vbi periculum ibi feſtinandum.

κάλλιστος πόνων.

Ars ſuperat naturam.

De duob. canib. altero ad venationem, altero in coquina educatis.

ANTE AEDES MONTIS IN FORO.

Pauperibus ſacrum ſtruxit Vincentia montem,
Hoc pietas Chriſti panditur hoſpitio,
Aut lingua aut manibus pœnas eſt ille daturus
Audeat hunc quiſquis contemerare locum.

Anno Domini M. CCCC. LXXXII. Die XII. Iunij

IN AEDIBVS HERCVLIS THIENAEI.

Vis conſilij expers mole ruit ſua.
Cœlum ipſum petimus ſtultitia.
Noſtrum ſcire eſt reminiſci.
Futuri prouiſor & diuinus Propheta eſt æquiparandus.
Inuentum medicina meum eſt.

IN PALATIO MAIORI.

ANTONIO BERNARDO.

IC.[to] præſtant: & patri opt: ob Rempubl: domi foriſq; feliciter adminiſtratam, vrbe pontibus, carcere, foro, templis, exornata, Iudæis & noxijs eiectis, ciuitate in priſtinam dignitatem & ocium ſtudijs & ſanctis moribus reſtituta, monte pietatis fundato, grata Vincentia poſ: M. cccc. Lxxxvi.

IBIDEM.

Tranſlata ex Turri portæ Puſterlæ iuſſu, M.M. DD. deput: die xvi. octobr: M. D. Lxxxiiii.

M. cc. Lxi. Indict: iiii. die Veneris xiiii. exter: ang. datæ func. per commune Vinc. nomine cambij pro decimis totius culturæ ciuitatis Vincent: capitulo Eccl. Vincent: & Capellis ciuitatis Vincentinæ ſibi ſuietis poſſeſſiones quas habebat amne Vincent: in villis & Slauone longæ etiam Conſ: f. aunes & pondere quod fuit princiorum & vna poſta Molendini deſtructa in Camixano. Et hoc ſine comitatibus, iuriſdictionibus, Vaſall: & Mat. natis & earum peculijs, Et Pilius Not: Magiſtri Pilij fecit inſtrumenta

IN COLVMNA QVADAM

Queſto è il luogo, doue era la chaſa de ſceleratiſſimo Galeazzo di Roma,

Roma, il qual con Iſoppe Almerigo & altri ſuoi complici commiſero atrociſſimi homicidi in queſta citta dell anno M.D.xLix. eie iii. Iuglio.

IN TVRRI IN MARMOREA TABVLA.

Februs erat Chriſtoq; ſuis hiberna pruinis
Tranſierant nato, luſtra ducenta decem,
Cum ſedata fuit Pataui diſcordia Luci
Hos inter ciues altigradumq; patrem
Dalesmanina Manfredus origine clarus
Mente ſenex, iuuenis corpore rector erat.
Dignus ad imperium tolli, cui prouida turba
Iuris amans, cultrix iuſtitiaeq; fuit.

IN FORO ANTE ECCLESIAM.

Hæc tibi dum populus Vicentij templa dicauit,
Cimber ad hoc motus Simon de gente vocatus
Serratici, primus dum dotat pingit & auget
Tale ſuum meruit Donatus habere ſepulcrum.

VERONA.

VLGO VERONA NOMEN ANTIQVVM retinens. Egregia & magna ciuitas, vijs rectis atq; amplis coctili lapide ſtratis, condita à Tuſcis, atq; à nobili eorum familia Vera dicta Verona. Dein à Cænomannis refecta & aucta eſt, atq; ab ipſorum Duce Brenno appellata Brennona. In fide Romani nominis vſq; ad principium inclinationis Imperij ſtetit, & poſt eadem conditione fuit, qua cæteræ Italiæ ciuitates. In primis cum magna gloria illa potita eſt Illuſtris gens Scaligerorum, quæ CXXIIII. annis in ea dominatum habuit, ſed intercidit, vt nunc ex illa reperiatur nemo. Sita ad exitum camporum Veronenſium, qui patent XX. mill: paſſ: loco nobili, lauto, & peroportuno. Ad Septentrionem enim illi tellus leniter aſſurgit, & iuga theatralem penè formam exprimunt. Vallis vineta habet, & pomeria amœniſſima, quæ blandè ſpectantibus arrident. In ſummo cliuo duo caſtra, quorum vnum Piſceriam verſus, vetus appellatum & à Cane magno ædificatum Atheſi incubat: alterum S.ti Felicis iminentiore loco vrbis mœnia reſpicit, & latè pandit proſpectum: Tertium S.ti Petri ad D. Georgij portam habitatoribus fere vacuum eſt. Hæ arces cum Citadella inter vtrunq; Vrbis mœnia extrinſecus in ſemicirculi formam coniunguntur, interius verò muro inter duas ampliſſimas foſſas (quod ſpacium D. Zeni ſuburbium dicitur) extructo conectuntur. Magnificis & ſplendidis ornata eſt ædificijs: inter quæ peruetuſta ædes Cathedralis cuius chorus columnis marmoreis fulcitus, & Numidico, Porphyretico & Pario lapide incruſtatus eſt. Arca item in qua Euchariſtia reponitur ænea, gemmis varijs ornata. Altera D. Anaſtaſij ſodalium prædicatorum. Reliquæ numero XXXIII. viſu non contemnendæ, & ſunt:

Abbatia S.ti Zenonis, à Pipino fundata, & quam ſoli Germani inhabitant monachi.

Abbatia S.ti Lazari.

Templum S. Stephani.
M. Scalæ.
Laurentij.
Thomæ
S. Spiritus.
Mariæ Citadellæ.
Omnium SS.rum
Mariæ Paradiſi.
Proculi.
Ioannis in foro.
Petri martyris.
S.ti Angeli
Apoſtolorum.
Fauſtini.
Petri.
Benedicti.
Rochi.
Mariæ antiquæ.
Bartholomæi.
Firmi.
Franciſci.
S. Georgij
Bernardini.
Bernardi.
Coſmi.
Antonij.
Chriſtophori.
Mariæ organæ.
Euphemiæ.
Pauli.
Crucifixi &

Monaſteria monachorum & monialium X.

S. Claræ.
Dominici
Danielis.
Beatæ Mariæ Magdalenæ.
Luciæ.
Margaretæ.
Agnetis.
S. Spiritus
Catharinæ.
Ioſephi &

Antiquorum ædificiorum poſt Romam multa & præclara quoq; habet veſtigia. In primis amphitheatrum Flaminij, vulgò Arena, quod proprijs ſumptibus condidit teſtante inſcriptione: ſex habuit porticus, quarum extrema non niſi vna parte eſt reliqua, intima ferè obruta tellure. Sedilia ex quadrato lapide nonnihil collapſa. Diameter de extremo ad extremum videtur habuiſſe DC. ped: & eſt totius Italiæ celeberrimum. Theatri alterius pars & arcus triumphales aliqui laceri apparent & ferè diruti.

Saxorum antiquas inſcriptiones, cum omnibus huius vrbis memorandis refert Taurellus Sorayna, ad quem lectorem remittimus.

Atheſi amne diuiditur & munitur: Is pontes habet quatuor antiqui & eximij operis. Agro eſt optimo, frumenti, olei, cæterarumq; frugum fertili. Roſmarinus in murorum ruinis ſponte naſcitur, & ad arboris mediocris proceritatem peruenit: horti cultiſsimi. Vellerum quoq; nobilium copia incolæ quæſtum non leuem faciunt.

Lacus Benacus, hodie de Garda appellatus à caſtro ei vicino & incumbanti, in quo Berengarius III. Alundam Lotthary Cæſ: vxorem diu detinuit in carceribus, eſt totius Italiæ amœniſsimus, in longitudinem XXX. in latitudinem XV. mill. Italica continens, piſces lautiſsimos ſubminiſtrat, maximè truttas & carpiones, qui adeò ſuaues & delectabiles ſunt, vt coloni referant eos auro nutriri. Pomorum cytrinorum, auraicorum, granatorum, amigdalarum atq; aliarum frugum tanta copia, vt delicatè & minori precio hic

viuatur quàm alijs Italiæ locis. Populus magnificus & ſplendidus, & maximè ad literas idoneus, abundans delitijs & voluptatibus, erga hoſpites & peregrinos beneficus, humanus & liberalis. Vinum Rheticum quod producit Theodorus III. Oſtrogothorum Rex Atheſi & mari Adriatico, ac dein iumentis Romam vſq; ſibi deferri curauit. Caſsiodorus Acinaticum vocat, eſt coloris nigri, ſaporis regij & optimi. Imminet ciuitati & mons Baldus herbis & plantarum varietate celebratus, & cæteros altitudine ſuperans, nec amœnitate & pulcritudine alijs cedens.

In eum ex omnibus Europæ partibus confluunt herbarij ad radices medicas herbasq; morbis quibuſcunq; maximè ſalutares colligendas. Pluribus etiam fontibus hic ager ſcatet, & cernuntur ibidem horridi & inacceſsi montes ſaxeæq; crepedines & rupes mirandæ. Oppida quoq; & vrbes circumiacentes tàm lucidæ, ac ſi in aliqua tabella vel linteo depicta obijcerentur: oræ oleis & myrtis refertæ, colles odoratis & denſis lauris veſtiti. In ipſo monte aëris & tempeſtatis maxima diuerſitas & inæqualitas, & ea locorum & rerum varietas, vt longùm foret illa commemorare & ordine recenſere, & inſpiciendo & contemplando coram lectori & peregrinanti relinquo.

IN CATHEDRALI.

COTTAE.

Sperabas tibi culta nouum Verona Catullum,
Experta es duros bis viduata Deos.
Nulla animum poſthac res erigat, optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quæ tamen vt vidit morientis frigida Cottæ
Ora, ſuum faſſa eſt crimen & erubuit.

AVGVSTINI DE IVLPINIS.

Auguſtinus ego fueram qui munere quondam
Aſpera pro patria multa notanda tuli.
Orator merui Monarcham viſere vtrumq;,
Ars ſtudiumq; mihi Iuſtinianus erat.
Deprecor ex animis, rogo te per numina lector,
Manibus vt tribuas nunc pia vota meis.
Mille trecentenas cum ſex & ſeptuaginta
Verteret aßiduo Cynthius orbe rotas.
Mars quartum decimumq; diem dabat, inclyta poſtquam
Cœleſtis partus gloria parta fuit.
Cum mihi languenti rapuit mors effera lucem,
Membraq; ſarcophago contumulanda dedit.

S. Sapientis viri Domini Auguſtini de Iulpinis Iudicis Veronæ & ſuorum heredum M. CCC. Lxxvi.

PHYSICI FIVOCENI.

Conditus hic ingens Fiuoceni gloria caſti,
Phyſicus heù paribus quo non ſolertior vllus
Militiæ, morum Dux inclytus & Medicinæ,
Quo melius morbis æquauit pharmaca nullus.
Cæſaris imperio Latium monumenta miniſtrans

Phyſis

Phyſis promeruit comes Palatinus haberi,
Marmorea dilectus erat donatus & urbe,
Quem Deus æthereo dignetur ſanctus honore.
Cum ſuperis ceſſit, currebant mille trecenti,
Ac deni nouies anni, ſeptenaq; meſſis.

LEONARD: BARB:

Hic iacet inſigni Venetorum ſanguine natus
Barbo Leonardus, mors cita quem rapuit.
Mille quadringentis decies ſeptem addis, & octo
Septembris nono cœlica regna petit.

SPINETAE MALASPINAE MARCH:

Illuſtribus titulis, tàm equeſtris quàm pedeſtris militiæ apud Carol: V. Imp: ac Philip: Hiſpan: Regem, eius F. in bellis, quotquot fieri contigere, diu verſato, clariſs: nominis ob victorias cùm in ſingulari certamine, tùm in acie partas exuuiæ laudes, quod foris per annos VI. & XL. inter præclara facinora, quàm domi ocioſus degere maluerit, Hieron: Malaſpina Marchio fratris f. p. Obijt XIIII. Cal. Decemb: M.D.LXXI. AEtat: ſuæ LXIV.

IN MARIA ANTIQVA.

CANIS MAGNI DE SCALA.

Si Canis hic grandis ingentia facta peregit
Marchia teſtis adeſt, quam ſæuo Marte ſubegit,
Scaligeram qui laude domum ſuper aſtra tuliſſet,
Maiores in luce moras ſi Parca dediſſet.
Hunc Iulij geminata dies vndena peremit,
Iam lapſis ſeptem quater annis mille trecentis.

CONSIGNARII DE SCALA.

Scaliger hac nitida cuba Conſignarius arca,
Vrbibus optatus Latijs ſine fine Monarcha.
Ille ego ſum geminæ qui gentis ſceptra tenebam,
Iuſtitiaq; meos miſta pietate regebam,
Inclyta cui virtus, cui pax tranquilla, fidesq;
Inconcuſſa dabunt famam per ſæcla diesq;.

Hoc opus ſculpſit & fecit Boninus in de Campigliono Mediolanen. Diœces: M.CCC.LXXXV. Octob: XVIII. Ob: Mag: Conſignarius.

Vt fieret pulcrum, pollens, nitidumq; ſepulcrum,
Vere Boninus erat ſculptor, Gaſparq; recuſor.

MASTINI SCALIGERI.

Scaligera de gente fui, celebriq; ferebar
Nomine Maſtinus, claras dominabar in vrbes.
Me dominum Verona ſuum, me Brixia vidit.
Parmaq; cum Luca, cum Feltro Marchia tota,
Iura dabam populis æquo libramine noſtris
Omnibus, & fidei & Chriſti ſine ſorde ſecutor,
Occubui primò poſt annos mille trecentos
Et decies quinq;, lux ibat tertia Iunij.

COMITVM.

De Nogarolis ſepulcrum M.CC.X.

ALIVD.

Siciliæ Delp: optimæ ſpei puellæ Hier: p.

AD S. MARIAM SCALAE.

FRANCISCO.

S. Bonifacij Comiti equiti, quondam de Rep: Veneta benè merito, marito rariſs: & Iulio Cæſari Filio dulciſs: & ſibi Angela Spolucuna vxor & mater mœſtiſs: fieri ordinauit, & hic iacet M. D. LI.

IOANNI ARCVLEO.

Hæc ſunt Arculei quæ cernitis ora Ioannis,
Cui ceſſit medicæ quisq; repertor opis.
Cura mulphe pari ſtatuam de marmore fingis,
Dignior è ſcriptis viuit imago ſuis.
Saltem aliquo effigies quam ponis corruet æuo,
Altera, nil poterunt ſæcla, perennis erit. M. CCC. XLIIII.

AD S. ANASTASIVM.

GERARDO BOLDERIO.

Sui temporis Phyſicorum principi Franciſcus & Matthæus nepotes pp.

PETRO MERZARIAE.

IM AMBITV.

Fortis & acer eram Mauortia Petrus ad arma,
Indole MerZaria quem lapis iſte tegit
Concidit octaua Febrilis luce Calendas
Sol Ganimedis aquas in ſua tecta trahit.
Voluerat & Domini tunc annos mille trecentos
Et decies octo iunxerat octo ſimul.

LEONARDO COMITI IN ORTENBVRG.

Illuſtri ex antiquis Imperialibus Bauariæ regulis Comiti, indolis & ſpei incomparabilis iuueni hanc mœroris & amoris ſedem ſuperſtites ſorores Veronica & Anna Maria proh dolor contra votum dedicarunt, autore Agnato Ioachimo eiuſq; filio Antonio procurante. Obijt die XVI. Iulij ann: M. D. LXI. ætat. XIX. cum ex Gymnaſio Patauino hanc ſibi fatalem auram pauculos dies captaſſet.

HIRONYMO FVRLEGER.

Norebergenſi Guolfgangi F. adoleſcenti ingenuo, morte præmatura abſumpto mater mœſtiſs: multis cum lacrymis p. c. Vix: ann: XVI. moritur XXVII. May Anno M. D. LXXXII.

HORESTILIAE.

Si munera aut lacrymæ Parcarum fila placarent,
Fatorum immobile hæc non iudicium pateretur.

Nam hoc, quod cernis ſaxum, Horeſtiliæ coniugi incomparabili Cyrillus Fa-ella III. Vir fac. cura:

IN SACRISTIA.

LAELIAE PERPETVITATI.

Lælij Iuſti Equeſtri ac Iurisconſ: dignitate, eloquentiæ laude florentiſs: vrbium Magiſtratibus glorioſè geſtis, oblatis plurimis præ modeſtia non aditis, amore erga patriam, fide integra erga inuictiſs: Venetorum Imperium, pia in Deum religione, vitæ omnis innocentia clariſsimo, qui funeris pompam ſepulcri faſtum teſtamento à ſe abdicauit, optimatum omnium lacrymis vdos cineres Iuſtus Ideo Patr: Zentronelluſq; liberi pientiſs: propiore hoc ſarcophago collocarunt, animam non ignari æuo perfrui ſempiterno. Obijt Enterocelis morbo ad III. Id: Octobr: M. D. LXXXII.

IOANNI SALERNO.

Nobilis hoc ſaxo Salærna ſtirpe Ioannes
Clauditur, in viuis vtilis vrbis honor

Pronus

Pronus ad omne bonum fuerat qua parte poteſtas
Ciuibus & cunctis fundere grata libens
Octoginta anni ſeptem dant mille trecenti,
Scorpion, & menſis dena, ter orta dies.

LVCIANEOLO.

Angelo auo, Martinoq; patri ex vtriuſq; teſtamento Angelus & Ioannes Fratres Lucian: F. C. M. D. Lxxx.

IN CHORO.

CORTESIAE.

Maraſſi Scaligerum Ducis inuictiſs: iuſſu hoc inſigne monumentum & aram Corteſius F. Poſtumus Comesq; Seraticus poſuit, quod ad Seraticæ familiæ decus & memoriam Cort: III. cæteriq; fratres Equitis Antonij Mariæ F. virtutibus opibusq; inſignes ornauêre.

GVILHELMVS DE BIBRA.

Nobilis & ſtren: Dn. Eques auratus ex Ducatu Franciæ Oriental: oriundus, Sereniſſimorum Federici III. Inuictiſſimi, & Maximiliani eius nati inclyti Rom: Regis conſiliarius, ad S. D. N. Innocentium PP. VIII. Orator & Nuncius, atq; R.mi Domini Hermanni Archiepiſcopi Colonien: principis & Electoris Magiſter Curiæ & Conſiliarius, quùm perfecta legatione ex Romana curia domum regreditur, obijt in hac inclyta vrbe Veronæ Die XXVIII. Auguſti Anno M. CCCC. Lxxxx. cuius anima requieſcat in pace. Pelegrinorum familia pietatis gratia mihi in hoc ſuo ſacello tumulum conceſſit.

TOMAXII DE PELEGRINIS.

Nobilis viri, & ſuorum heredum ſepulcrum, qui obijt XVI. Iunij M. CCC. Lxxxxii.

NOBIL: DE CAVALIS.

Nobilis & egregij viri Federici, & egregij ac ſtrenui viri Domini Nicolai de Caualis ſepulcrum, ſuorumq; heredum, qui ſpiritum redd: aſtris Ann: Dom: M. ccc. Lxxxx.

LEONARDI DE QVINTO.

Hic ſita de Quinto Leonardi terrea moles,
Cuius ad æthereos pars ſcandit cœlica colles;
Doctus erat bifidi iuris vir tollere nexus,
Conſuluit mundo ſtellarum tempora greſſus,
Auſtrorum mores & amœna poëmata nouit,
Fidus amicus erat, virtutum grandia fouit.

Et obijt VI. Iun: M. ccc. XCII.

Sepulcrum Spect: D. Marci de Surri D.ris LL. & ſuorum deſcendentium.

Ant: Dionyſij Paul: Philip: Fil: & heredum perpetua manſio M. D. Lxxix.

Petrus Bentacondus Phyſicus ſibi & ſuis viuens parauit. M. cccc. Lxxii.

Sepulcrum Dn. Bartholomæi quondam Domini Nicolai de Deximis & heredum & ſucceſſorum ſuorum.

Sepultura Dn. Guincelli de principibus de Bononia & ſuorum heredum M. cc. Lxxxiii.

ANDREAE BIVELAQVAE.

Laziſio, qui cum ingenuarum virtutum omnium ſpendore penè extinctus eſt liberi & coniux mœſtiſs: ad tempus pp. M. D. Lxvii.

Χρυσοῦ δοῦλος ὁ πιστοῖ οὐκ ἀπέθανε.

D. O. M.

IOANNES FREGOSIVS.

Ligurum princeps, ac Venetæ Reip: terreſtrium copiarum omnium Præf: vbi fortiſſimi Ducis officia domi foriſq; præſtitiſſet ſacrum h. t. f. q. Hercules Frater pa-

ternæ pietatis memor p. abſolutum opus anno Domini M. D. Lxv. Daneſio Caſaneo Carrarien: Sculptori & Architecto.

IN S. PETRO.

S. VALENTIS EPISCOPI.

Hic requieſcit in pace S. Valens Epiſcopus, qui vixit annos plus minus xLv. & poſſedit Epiſcopatum annos vii. & dies xviii. & receſſit ſub viii. Cal: Auguſti P. C. Lampadi & Oreſtes VV. CC. Indict. ix.

IN S. PETRO MARTYRE.

BAVASINI.

Annorum primum lux ſexta Decembris agebat,
Poſtq; decem quatuor luſtra ducenta nouem.
Cum clari medica Bauaſini ſpiritus arte
Oſſa dedit terræ, dum petit aſtra poli.

IN S. EVPHEMIA.

IOANNI LEONAR:

Dulciſs: filio, in quo pro commodis huius vitæ poſita fuerat tota ſpes, nunc tranſlata ad animi bona, Luc. Rom: architect: Pater pientiſs: filio & ſibi Vix: ann: vii. M. x. M. D. xxxvii.

IBIDEM.

Innocentiſs: Tiberiz manibus, in primo lucis limine fatorum iniuria prærepti, Paulus Ramuſius Ariminenſis Iureconſultus pientiſs: Pater poſ: M.cccc. Lxxxii. Ianua: vii.

LVDOVICAE VBALDINAE.

Inclyta Vermigenæ Iacobi quæ militis vxor
Gentis Vbaldinæ de ſanguine nata vetuſto,
Virtutum cultrix & moribus æqua mariti,
Hanc Rex alme tibi vouit Ludouica Capellam
Dum probat in terris, in qua tua ſancta vocari
Numina, & emeritos fieri mandauit honores,
Illa ſed æthereo poſtquam fuit addita cœlo
Hoc vir amans animam, cum primùm corpus amarat,
Impleuit votum & ſacratam condidit aram.

MARCO DE VERITATE.

Comiti & Equiti Gaſpar Fil: faciund: curauit M. D. Lxvi.
Nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus.

VERMIGENARVM.

Hic duo Vermigenæ natusq; paterq; ſepultus
Illuſtres virtute viri, famoſa ſub armis
Nomina, & inſignes bello meruêre triumphos.
Miles vterq; potens diuerſis finibus ambo
Spirauêre animas: Natum imperioſa tenebat
Conſtantinopolis, ſublatum morte Luchinum,
Brixia ſeruabat Petrum vicina parentem,
Et ſic diuiſo dudum iacuere ſepulcro.
Tertia ſed clari lux ſanguinis inclytus Heros
Iacobus huc patria ſimul vt tellure iacerent,
Tranſtulit oſſa patrum & cineres collegit amatos
Matris & ingenti plenus pietate nepotes
Iunxit auos pueris: Tuq; ô digniſſima tanti
Sola viri conſors Cia ſanguine nata vetuſtæ
Gentis Vbaldinæ decus, & rariſſima ſexus
Gloria fœminei, cuius per ſingula laudes
Non lapis iſte capit, nec carmina dicere poſſunt,

Virtu-

Virtutum cultrix, & moribus apta mariti
Natis iuncta iacet; cumq; illum fata vocabunt
Debita, funereasq; feret mors liuida pœnas,
Huius amor tumuli eſt, huic illum reddite Parcæ
Eſſe parentum inter natorum & coniugis oſſa.

ITEM.

Hanc tibi virgo parens ſumma pietate Capellam
Iacobus inſtituit, vir ſanguine clarus ab alto
Vermigenûm, Latijs ductor famoſus in armis,
Clarior idem animo, patris poſtrema ſecutus
Iuſſa, aliam ſancti ſtatuit Michaëlis honori,
Conditor ambarum donauit dotibus ambas.

ALIVD.

Vermigenæ mandata patris deuota ſecutus
Luchini, quo non Latijs in finibus alter
Tempeſtate ſua claris fuit altior armis,
Iacobus haud genitore minor, quem fama per omnes
Euexit titulis illuſtribus inclyta terras,
Hanc aram inſtituit Sancti Michaëlis honori,
Cuius opem contra ſceleratas Dæmonis artes,
Rebus & in duris non fruſtra optare ſolemus.

DOMINICVS GVANTENVS.

Cæſareo Pontificioq; iure celebris, patriæ parens, ciuium decus, ſuorumq; præſidium hic ſitus eſt, quam pullata Verona non ſecus, ac pia mater filium defleuit. Ob: die xxii. Maij. M. D. Lxxxxiii.

Nulli mors inuida parcis.

CLAVDII BAROCERII.

Dulcis amor, ſolamen, delitiæq; parentum,
Marmoreo tegitur Claudius hoc tumulo.
Debentur lacrymæ triſtes, debentur honores,
Mors immaturo funere quem rapuit.

Obijt anno M. D. LXXXII. V. Non: Martij.

IOANN: IVRIST:

Hanc ego, ſerua Deûm proles, Iuriſta Iohannes
Aram conſtitui, largis quoq; dotibus auxi,
Vt tibi diuini cultus celebrentur honores
Ante Deum prime ſacer orature Ioannes.

AD S. ZENOMEM.

Zeno pater tua te ſupplex Verona precatur,
Sis memor ante Deum, ſe precibusq; iuues.

Anno Domini CCC. L. Beatus Zeno moritur XII. April.

IN AMBITV MONASTERII.

IOANN: A KVNYSECK.

Nobilis ingenua Kunyſeck de ſtirpe Ioannis,
Germani proceris continet oſſa locus.
Inclytus hic natus doctrina inſignis & armis,
Cæſaris ad Teucros nuncius iſte fuit.

Præſes ſollicito rexit moderamine Veldtkirch,
It labor & probitas munera nulla manent.
Ceſſat honos, ſpernuntur opes, modò ſtemmata vilent:
Triſte genus mortis ſi nece fama perit.
Exercent Parcæ fatalis ſtamina fati
Nil cumulant penſo, terminat hora diem.
Quingentis ternis bis quinis bis lege binos,
Septembris ſeno ter petit aſtra die.

ALBERICI.

Oſſa ſepultura Patrum conduntur in vna,
Vt Dominis paribus manſio ſit parilis.
Hic quoq; manſurus præſens herus atq; futurus,
Hic animabit eos ceu ſua grana θεος.
Alberici fatis capies meliora patratis,
Dant benefacta ſoli clauſtra ſuperna poli.
Exequias patrum repetat deuotio fratrum,
Vt Patriarcha ſinum pandat in arce pium.

ARNESTI DE VVALTZFELDT.

Germani ingenui ac nobilis viri hic iacet ſepultum corpus, qui obijt XII. Septembris M. D. X. cuius anima requieſcat in pace.

BIVILAQVA LAZISIVS.

Eques & ICtus, inſignis apud ſuos exterosq; nominis H. S. M. T. F. I. Ex eorum. T. B. M. Anna Caballa vx: f. p. M. D. LXVIII. Vixi, at pulcrum eſt, vt aiunt, fama ſuperuiuere; ſed quid tamen, niſi iterum vt moriar: Satis eſt ſemel perijſſe Domino, vſq; ad cenſorium illum diem, quo in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.

AD S. FIRMVM.

MOTVRRIANI.

Vixit pater ann: LXII. Neq; vlli tamen ob præclaras ingenij artes, quæ tùm maximè in illo florebant, non immaturè eripi viſus eſt. Filius, cum is iam patriæ non ſolum laudi æquaretur, ſed in maiorem etiam, neſcio quam, ſui expectationem homines erexiſſet, XXX. ætat: anno acerbiſſimo fato perijt.

Hieron: Moturriano patri opt: & M. Antonio fratri maximè vnanimi Iulius Baptiſta & Raymundus fratres p. Viſum eſt his, ſuæ in illos pietatis eſſe, amborum oſſa, quæ diuerſis prius in locis, vt quemq; mors occupauerat, contegebantur, in patriam translata eodem vno tumulo collocari.

LVDOVICO ALIGERO.

I. V. Conſultiſs: omnibus virtutibus ornatiſs: fratribus amantiſs: ac ſibi Franciſcus Aliger f. c. H. M. H. N. S.

FAMILIAE SORAYNAE.

Toſello Soraynæ Iureconſ: quod Veronæ patriæ antiqua monumenta conſcripſerit & perquiſiuerit, eaq; ab edacitate temporis eripuerit, ſuorum quoq; ciuium geſta conſcripſerit, & æternitati conſecrauerit. S. P. Q. Veron: b. m. ciui dd.

IACOBI BRENZONI.

Hic data Brenzono requies poſt fata Iacobo,
Franciſciq; eadem marmora corpus habent.
Ipſe etiam patris cultor ſanctiſſime legum
Iunxiſti cineres Bartholomæe tuos.
Nec ſatis hoc ſuperi lacrymas duplicaſtis equeſtri
Quum cecidit clarus munere Nicoleos.

Si tan-

Si tantum in proauos libuit, concedite ſaltem,
Poſteritas Pylios vincat vt ipſa dies.

GASPARIS PERVSINI.

Mente grauis, pietate, fide, probus, inclytus armis
Ductor, agens Veneti Martia caſtra Ducis,
Te Gaſpar Peruſine tegunt hæc marmora: vos hæc
Marmora mens, pietas, arma, fidesq; tegunt.
M. CCCC. LXXXIX.

Siſte gradum quamuis fugiat breuis hora viator,
Sic fati nullus te dolor examinet.

AD S. THOMAM.

IN AMBITV.

De Griſalcopis ſunt hoc ſituata ſepulcro
Corpora nobilium clara de gente virorum,
Reſtruxêre ſui poſt annos mille trecentos,
Regni Scaligerûm bis ſeptem tempora luſtra.

IN TEMPLO.

Dum fluet vnda maris, curretq; per æthera Phœbus,
Viuet Carmeli candidus ordo mihi.

AD S. STEPHANVM.

PETRI SCAEVOLAE.

Hic iacet, hic ſitus eſt, Petrus hic Scæuola quieſcit,
Quo melior nemo Phyſicus alter erat.
Vir placidus, prudens, ædis renouator auitæ,
Magnatum medicus Scaligeræq; domus.
Vndecies ſeptem decimo poſt mille trecentos,
Luna dies Gallum tertius ante fuit.

AD S. IOANNEM MONTIS.

ANGELVS CABALLVS.

Ortu nobilis, optimusq; viris
Conſtruxit ſibi, poſteris ſuisq;
Hunc viuens tumulum Angelus Caballus.

AD S. TVSCANAM.

NICOLAO MAGNO.

Magne Nicolaë, doctor clariſſime legum,
Conſultor procerum, conſultor maxime Regum,
Deditus obſequio Chriſti, ſanctiq; Ioannis,
Clauderis hic cunctis noſtris venerabilis annis.

ALIVD.

Hic iacet corpus B. Tuſcanæ Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani.

AD S. ANAZARIVM DE CELSO.

Anno Chriſti	τέλος
III. die Octob:	VIIII. Id: April:
M. CCCC. LXIV.	M. CCCC. LXVI.

Diſce vtrumq; ſimul Græco ſub grammate tempus,
Id mihi principium, finis & ille fuit.

CLARAE SPOLVERINAE.

Vxori benè merenti, & ſibi & ſuis, Iacob: Zuchus maritus viuens p. monumentum. M. D. XLII.

INSCRIPTIO COLVMNAE ANTE S. GEORGIVM.

Hos inter fines reuerenter figite plantas,
Limite ab hoc etenim ſunt ſacra iura loci.

IN ALTERA PARTE COLVMNAE.

Corpora dira lues rapiat ſi heu fortè gregatim,
Vaſto hoc ſarcophago condere functa licet.

IN AREA FORI AD CAMERAM FISCALEM.

Ne colite hanc Cererem, populi, quia picta, ſed ipſam
Prætoris curam, quæ expulit vrbe famem.

ET MOX:

Marce potens hic æra tui ſunt publica Fiſci,
Hic etiam cauſſas audit vterq; Regens.

IBIDEM.

Sic complexa ambos iunxit amicitia.

IBIDEM PROPE HOROLOGIVM PVBLICVM ſub ſimulacro Veronæ quieſcentis, ex nubibus S. Marcum proſpicientis.

Fidelis Verona ſecura quieſce ſub numine & iuſto imperio Diui Marci tui

IN VEXILLO QVOD DEXTRA TENET.

Fide & caritate in æternum non deficiam.

IBIDEM SVB VENETORVM INSIGNIIS.

Marmoris vrbs lætare meo ſub numine tuta,
Nunc alis protecta meis requieſce ſub illis,
Irrequieta diu, lata ſpaciare ſub vmbra,
Reddita libertas, ſpes reddita, ſæcula reddi
Auſpice me cernes nunc aurea. Nam mihi virgo
Hinc Aſtræa tenet cœleſtis pondera libræ,
Blanda pijs, truculenda malis: hinc alma virago
Terrea Nemæo præcordia tergore cincta
Summouet incurſus irritamenta repellens.
Tutus erit ceruus metuendos ante leones,
Et lepus ante canes. Tu felix numine tanto
Necte roſas capiti, candentia lilia necte,
Feſta choros agita noſtris ſecura ſub alis,
Aurea cuncta dabo tibi, Marcus & aureus ipſe.

IN PALATIO.

Vos omnes moneo cauete noſtrum numen lædere; Sum ſeuera vindex.

Iuſticia è cœlo terras dum proſpicit alto
Procedit recto tramite iudicium.
Ancipidem timeat gladium lancemq; bilinguem,
Qui temerat ſanctæ fœdera Iuſtitiæ.

IBIDEM

IBIDEM AD IMAGINEM PANTHERAE.

His maculis quanquam nullos offendo clientes
Tu tamen ô Iudex ius dabis abſq; notis.
Te nunquam affectus moueant ratione carentes,
Sic erit & iuri iuſtitiæq; locus.

SVPRA ARCVM FORI IN BASI STATVAE marmoreæ tenentes pomum aureum in manu.

Hieron: Fracaſterio Pauli Philippi F. ex publica autoritate dicata, Anno ſalut: M. D. LIX.

IMAGO EX ANTERIORI PARTE Virgo, poſteriori Leæna.

Mira arte artificis iungor Regina Leænæ,
Iuncta vt ſic placidis iura ſeuera forent.

ITEM.

Incuruos vngues, magnum & ne reſpice roſtrum,
Ante oculos iudex ora tonantis habe.

ITEM.

Iudicium ex animis purgatis rectius exit,
Clarior & puro eſt pectore iuſtitia.

IN NOVA VRBIS PORTA MVNITISSIMA.

Verona non minus nobilis quàm antiqua ciuitas, ac priſcæ virtutis memor, Venetæ Reip: beneficio non ſolùm muros temporis corruptos iniuria in melius reſtituit, ſed ea quoq; ſibi templorum, viarum, pontium ac portarum ornamenta adiecit, vt publicorum ædificiorũ magnificentia nulli vrbium poſtponenda videatur, tantum illi profuit bonorum Principum tutela ac fauor.

IN PONTE NOVO AD ATHESIN.

Qui fluminis vim paſſus annos plures iacuerat, ciuitatis ornamento & commodo pons tandem eſt reſtitutus.

EX ALTERA PARTE.

Fluminis impetu diſiectum pontem diligentia Ioa: AEmi: penè reſtitutum, Franciſci Foſcaris ſucceſſoris cura perfecit.

IN QVADAM DOMO SEX SIBYLLAE PICTAE ſingulæ ſcutum tenentes, cum inſcriptionibus:

ECCE.

Veniet Deus.

OBVMBRAT.

Illuminabit denſa tenebrarum.

ORNAT.

Inuiſibile verbum placabit.

FORTIA.

Vincetur humanitate diuinitas.

ET MO-

VERONA.

ET MODOSA.

Egredietur de vtero virginis.

QVERCVS.

Magnus ſæclorum naſcitur ordo.

EX EPIGRAMMATIB: ANTIQ: PRAECIPVA.

I.

L. V. Flaminius Rom: Cos. vniuerſæ Græciæ domitor, amphitheatrum Veronæ proprijs ſumptibus erexit anno ab vrbe condita.

II.

Spontè fui pauper, tàm re quàm nomine Felix,
Quæſiui nomen, quærat auarus opes.

III.

Colonia Auguſta Verona nouo Carleniana Valeriano II. & Lucillo Coſs: muri Veronenſium fabricati ex die III. Non: April: dedicati Non: prid: Decemb: iubente Sanctiſs: Galieno Auguſto N. inſiſtente Aurelio Marcello V. P. duc. curante Iulio Marcellino.

IIII.

D. M. Mitrius Pius diues, decrepitus, mendicans, luce carens, à tribus liberis & duabus libertabus expulſus, ſiti perij, ſacrum mihimet conſtitui, hìc humatus ſum, cineres & oſſa hos natos renuo, in hoc vt requieſcant nolo, ſobolem nego, priuo poſteros, omnes me legitote & ſinite. Vix: ann: cxxv. Menſ: III. di: II. & nemini poſteri.

SVB VERONA.

Eſt iuſti latrix vrbs hæc, & laudis amatrix.

MANTVA.

VVLGO MANTOA: VETVSTA ET NOBILiſſima vrbs Anno mundi MM. DCCC. X. & trecentis ante Romam, & ante bellum Troianum annis LX. poſt Thebanum excidium ab Ocno Bianore, filio Tyberis et illius Manta filia Tirreſiæ Thebani vatis ædificata, habitata primum à Thuſcis, dein Gallis Cænomannis, à quibus Romani hunc agrum cepere. Eorum imperio inclinante, â Gothis & Longobardis poſſeſſa. Iis pulſis in Impp: poteſtatem redijt, & ab Otthon: II. Theobaldo Comiti Canoſſano propter benè merita erga Rom: Imperium dono data fuit: Ex cuius filiæ Mathildis fœminæ perilluſtris manibus ſeſe in libertatem vindicauit, & ſub nomine Rom: Imperij à varijs regulis gubernata extitit, donec eius principatum caperet Illuſtris Gonzagarum familia, eiſdemq́ ſub Marchionatus titu-

lo à Si-

lo à Sigiſmundo IIII. Imp: concederetur. Sita eſt in medio paludium, quas Myncius amnis, egreſſus Benaco è lacu, inq́; Padum ſe effundens, creat, atq́; ob id natura loci munitiſsima, ampla, ſuperba, ſplendida, & multis ſumptuoſiſsimis ædificijs ornata: Inter quæ eximium palatium vrbis in foro D. Petri domus & turris ei contigua: curia Senatus, in qua columnæ egregiæ, & locus ille pernobilis, quem Criptam vulgò la Grotta vocant, rebus precioſiſsimis refertus ab Iſabella Franciſci Marchionis vltimi vxore. Videntur in illo duo Cupidines excellentis operis: cornu inſigne Monocerotis, precioſiſsimæ gemmæ & vaſa argentea & aurea quàm plurima. Organa ex ſolido alabaſtro dulcis harmoniæ & magnæ impenſæ. Prætorium nobiliſsimis picturis And: Mantognæ decoratum eſt, & extant in illo tabulæ VII. quibus triumphus Cæſaris excellentiſsima arte eſt expreſſus Arcem habet munitam, & conclauibus regijs, picturis & ſtatuis illuſtrium virorum re bellica ſuperioris & noſtri temporis claris, exornatam, cui adiacet ſtabulum generoſiſsimis refertum equis. La corte Vecchia domus eſt ampla habens amænas habitationes cum picturis antiquo triumphorum ordine ingenioſiſsimis, hortisq́; & iconibus Virgilij, Petrarchæ, Boccatij, & Marchionum aliquot Mantuæ, quibus adſcriptum:

Armis, conſilio, fide, maxima parantur
Imperia, ijs demum parta tutò ſeruantur.

Forum eſt ſatis amplum, in quo horologium cum indicatione curſus ſolis, lunæ, planetarum & omnium ſignorum circuli Zodiaci artificioſiſsimum & miraculoſum, quod cum foſſa à Goito ad Mapellum abſoluit & poſuit Ludouic: Gonzaga, qui Ioanni Franciſco ſucceſsit, & à Sigiſmundo IIII. Imp: manibus & ore Marchio Mantuæ deſignatus eſt in foro D. Petri, Anno M. CCCC. XXXIII. vti inſcriptio turris horologij inferius poſita indicat. Ædificauit is in vrbe etiam multa alia magnificè, & ædis D. Sebaſtiani iecit fundamenta, & ſumptuoſiſs: templi D. Andreæ. Templum Cathedrale in admirandam pulcritudinem quotidie augetur. In eo, tempore Mathildis, quæ Mantuam mirificè ampliauit, Nicolaus II. Pontifex Concilium celebrauit. Tempore Caroli Magni ſanguis Chriſti miraculoſus hic apparuit, quem videndum Leo II. Papa acceſſit, inde in Germaniam ad Carolum. Carolus Caluus, Magni filius, Mantuæ veneno perijt, Hebræo Medico pecunia corrupto. Ædes ciuium & nobilium, item pontes ſuper lacum eximij ſunt, Palatia regia. Vngari locus ad perpetuam rei memoriam ita vocatur, quod Vngari vrbem aliquando euerterint & inuaſerint.

Extra portam S. Sebaſtiani aliud palatium eſt, à Fridrico Duce extructum, amœnitate loci, hortorum iucunditate conſpicuum.

Item picturis ſculptis imaginibus & varijs antiquitatibus inſigne. Equi ad viuum planè depicti, & in conclaui quodam, Camera Iouis appellato, tale artificium vt tribus ordine ſtantibus duo extremi ſeſe intelligant, medius nihil.

Villa Marmiroli vltra lacum maximo ſumptu extructa eſt, & tantam multitudinem & oportunitatem conclauium habet, vt principibus aliquot ſuſcipiendis pro tempore ſufficiat: In vno depicta Geographia mundi admodùm præclarè, notatis populis, terris et maribus diligenter, additoq́ pictoris ſymbolo: quod huic deeſt, me cruciat. *Lacus itidem in quo fonticuli vndiq́ prorumpentes aquarum copiam perfundunt, & in eo exiſtentes madidos reddunt: opus ſummi artificij. Villam cingunt amœniſsimi & cultiſsimi horti, & pergulæ vitium elegantiſsimæ, aliaquè ædificia ſplendida permulta, ac domus religioſæ, inter quas monaſterium Angelorum ordinis prædicatorum.*

Seraglium partem Mantuani agri concludit forma triquetra & foſſa aggereq́ valido xxx. ferè mill: in cuius ſeptis circa ripam ſtagni, nitentes horti, culta vineta, & perpulcræ habitationes. Ad duo milliar: pagus Andis, vulgò Petula, in quo Virgilius natus, in eo muro adſcripta erant hæc:

Il duca d' Mantua piglia vna' Marcheſa de Mont ferrato Lo qual piu fico & riccho de Caſtelli ch. è il ducato.

IN AEDE CATHEDRALI.

Aduentare mihi extremam dum ſuſpicor horam,
Oßibus hanc poſui viuus in æde domum.

AD IMAGINEM RESVRGENTIS.

Nos quoq́ qui ſolus ſuperata morte reuixit,
Sumpturos carnem rurſus & oſſa docet.

IBIDEM.

Te nato bis Chriſte annus ter, ſecula quinq́
Ter fluxit luſtrum, ter trieteris abit.

IACOBI CARRAR:

Laus trifer eximius celebrandus morte Redemptor
Et domitor ſuperum cognominis arce Boëtes
Delitioſa iuuenta potens proauis generoſa
Cui Gonzaga domus matrem, Carraraq́ patrem
Exhibuit, ſic planta fuit ſic fructus honori,
Clauditur hic Iacobus vt ſanguine moribus altus
M. ſemel, L. ſemel X. q́. C. ter, ter & I. ferit hunc lux
Auguſti lacrymoſa nimis bis denaq́ ſena,
Erutus à pœna rogo pace fruatur amœna.

IN S. ANDREA.

LAMPRIDII.

Lampridium carum Muſis hic Mantua ſeruat.

MAVTINIAE.

Eſſe parem hunc noris, ſi non præponis Apelli,
AEnea Mautiniæ qui ſimulacra vides.
M. D. LX.

CAROLO NAVOLONO.

Carolus eques clariſsimus Nauolonus

Belli

Belli magiſter & equitum inclytus ductor,
Prudens duorum tum ducum gubernator,
Patriaq́; militum optimus fuit rector,
Nunc ſuperis ob integerrimam vitam
Receptus, hoc reliquit oſſa ſub ſaxo.

Obijt anno ſalutis M. D. Lix. ætat. ſuæ Lxxix.

MARTIAE NAVOLONAE.

Nauolona vixit Martia omnibus grata,
Et ciuitatis gaudium & decus noſtra,
Præſtans decore, moribus, venuſtate,
Felixq́; pulcra numero parens prolis
Et viro amata, quantum amabitur nulla,
Nunc cœlum adepta cinerem hoc tegit marmor.

Obijt anno ſalutis M. D. Lviii. ætat. ſuæ xxxviii.

FRANCISCO GONZAGAE.

Equiti ornatiſs. Polyxena Caſtilion Dorcheti Comes genero dulciſs. mœrens p.

LONGIVI.

Eius, qui latus Chriſti percutit, oſſa.

BARTHOLOMAEI BONATI.

Inſignis in principem fide ac in patriam pietate Logonz. ii. Mar. Mant. prouentuum magiſtri, totiuſq; Bonatorum ſtirpis reliquiæ hic ſitæ ſunt, Anno Chriſti M. CCCC. Lxxxii

DOMINICO PINO.

Huius Baſilicæ Canonico integerrimo, humanis diuiniſq; literis non mediocriter erudito, qui per annos Lii. vnà cum Ioa. Batta Luchino nob. Mant. ab adoleſcentia ſingulari fide ac paterna quadam dilectione in literis & moribus alumno ſuo, vitã ſumma cum vtriuſq; iucunditate duxerat vnanimem, nondum completo Lxx. ſuæ ætatis anno, die vii. Maij M. D. Lxxvi. defuncto, Ioa. Franc. & Euangeliſta frat. ben. mer. poſ.

IBIDEM.

Hic inſperata requieſcit Carolus vrna,
Crudeli rapuit quem modò Parca manu.
Hac quicunq́; via tranſis, mihi crede Viator,
Heu nota eſt nulli mortis acerba dies.

Sapiens dominatur aſtris,
Sola virtus expers ſepulcri.
Nemo naſcitur otio.
Par obitus memoria diſpar.

IOANNEM CATANEVM.

V. I. Interpretem, oratorem facundiſſimum, protonotarium Apoſt. Mant. Præpoſitu: Archid. interq; Marchio. Senatores primario loco decoratum, pro quibus in vrbe xix. annorum curriculo legationibus apud IIII. Pontif. fideliter functum, ac tàm externis quàm patriorum honoribus inſignitum, à Pio III. ad moderandam patrimonij S. R. Eccl. prouinciam conſtitutum, ſuæ xLiii. ætatis anno properanti fato raptum die ii. April. M. D. v. Federicus Cataneus Eques fratrem dulciſs. hac qua potuit memoria donauit M. P.

FRANCISCVS SYLVESTER.

Nobilis, Sylueſtrorum familiæ decus, ciuisque Mant. Cæſaris Car. ſob. immat. mort. xLviii. diebus ægre ferens, non ſine ingenti vxoris & filiorum omniumque ſuorum

orum dolore vitam cum morte commutauit, ætatis ſuæ anno xLvi. natus verò xv. Hieron. Archipresbyter Capacien. & Iacob. Ant. huius Eccl. Canon. fratres ſuperſtites, ſed mœſtiſs. cum ijs poſt fata quieſcere cupien. quibus cum cariſſimè vixerunt, hoc Mauſoleum Germ. & Nepoti ſibiq; conſtruxere, anno M. D. Lix.

IN AEDE D. FRANCISCI.

Domine ecce quem amas, infirmatur.

Rex tremendæ maieſtatis,
Qui ſaluandos ſaluas gratis,
Salua me fons pietatis.
Recordare Ieſu piè,
Quod ſum cauſſa tuæ viæ
Ne me perdas illa die.
Quærens me ſediſti laſſus,
Redemiſti cruce paſſus,
Tantus labor ne ſit caſſus.
Iuſte vindex vltionis,
Donum fac remiſsionis,
Ante diem rationis.
Ingemiſco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus,
Qui Mariam abſoluiſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoq; ſpem dediſti.
Preces meæ non ſunt dignæ,
Sed tu Bone fac benignè,
Ne perenni cremar igne.
Inter oues locum præſta,
Et ab hœdis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro ſupplex & accliuis,
Cor contritum quaſi cinis,
Gere curam mei finis.
Lacrymoſa dies illa,
Qua reſurget ex fauilla,
Iudicandus homo reus.
Mihi ergo parce Deus,
Pie Ieſu Domine,
Dona mihi requiem.

LAMPVGNANI.

Priſca fides taceat Fabios, duroſq; Catones,
Virtutum hic cenſor nempe perennis erat.
Lampugnana domus tulit hunc, hunc inclyta Mondo
Magnificum bello conſpicuumq; toga.
Quaq; fide vixit, populuſq; duceſq; probarunt
Inſubrij, quorum gloria ſumma fuit.

Nomine

Nomine Principalis fuerat, pietate Metellus.
Heu bona tot tumulo clauſit acerba dies.
M. CCCC. XXCVII.

HIPPOLYTI ALTERICI.

Potius quid ſit bonum & æquum quærendum eſt, quàm quid iure fieri poſſit.

D. O. M.

Fatis Hippolyto impijs adempto
Maximo Altericæ domus honore,
Conſulto egregio vtriusq; Iuris,
Oratoreq; & optimo poeta,
Deplorat frater, ingemunt clientes,
Flet Mantua, Aonidesq; lacrymantur.

Obijt anno ſalutis M. D. Lxviii. ætat. ſuæ xxx.

AVGVSTINVS DE ANCICONIBVS.

Cum ſæpius tàm conſilio quàm manu pollens, ex periculoſa Martis alea de hoſtibus victoriam reportaſſet, àb Emanuele Philiberto Subaudiæ Duce Illmo. ſub cuius ſtipendio diu meruerat, aurato equiti creato, immatura mors ſibi corpus, quod vnũ poterat, vendicauit, fama erit ſuperſtes. M. D. Lxi

PANDVLPHI FREGOSII.

Cuius maiores Genuam rexêre potentem,
Magnifici terra, magnificiq; mari.
Pandulphus iacet hic Fregoſi gloria campi,
Speſq; ſuæ auxilium conſiliumq; domus.
Tempore cui paruo Fliſcorum ſanguine nata
Fida thori conſors iuncta Maria fuit.

M. CD. Lxxv.

PERETI.

Mantua clara mihi genitrix fuit, & breue corpus
Quod dederat natura mihi me turba Peretum
Dixit, naturæ ſcrutatus ſum intima cuncta.

M. CD. xxiv. Men. Maio.

IBIDEM.

Hac Pœno Chiron Phœbus Phœbeia proles,
Hac Amithaonius contumulatur humo.
Vnicus Andreas Hiſpanis ſex fuit vnus,
Proh dolor vno obitu ſex periere Dei.

LAELII CAPILVPI.

Mantua te Læli merito ſe iactat alumno,
Nam Maro quod ſonuit tu quoq; voce ſonas.
Et tua ſint quamuis ex omni parte Maronis
Carmina, non eadem quæ canit ille, canis.
Non igitur mirum, ſi te modo Mantua ademptum
Certatim ſpargit floribus & lacrymis.

Vix. an. Lxii. dies. xv. Obijt ann. M. D. Lx. iii. Ianuar.

ANTONII CORNICII.

Tam nimis humanum celeri genus interit hora,
Turgida quàm pluuiæ bulla liqueſcit aquæ.
Nec quiſquam hanc potuit fatorum auertere legem,
Tam rata ſunt ſtabili vellera tracta colo.
Ecce iacet dignus longis Antonius annis,
Heu quanta Ocneæ gloria gentis obit.

Fauſtus Poëta Forliuien: Epitap. hoc D.

Vt nec mors, ſi fas eſſet, eos ſolueret, vniri hoc ſaxo dilectæ vxori Catharinæ Franc. Bocc. Maj. V. I. Doctor extrema eius die viuens iuſſit. Ann. M. D. LVIII. Ob. die xx. Octobr. ætat. ſuæ LXXIII.

CHRISTOPHORI SCARAMVZAE.

Gloria Martigenûm iacet hoc Scaramuza ſepulcro,
Chriſtophorus genuit quem Ranuſina domus.
Maria Franciſcus quorum pars prima Ioannes
Nominis eſt, fratres hoc poſuere patri.

PETRA SACCA.

In hoſpitali magnum Mantuæ prioratum XV. annos verſata, cum vt virgines fidei ſuæ creditas irreprehenſa ſeruaret, nunquam quieuit, hic tandem quieſcit.

THOMAE DE ROCCHIS.

Hoc Thomæ eximij natorumq́ ossa ſepulcro
De Rocchis paruo marmore clauſa iacent.
Mandabat Thomas te namq́ venantibus ipſe
Depoſitus fuerat gratus ab hoc domino.

HIPPOLYTI FOGGIAE.

Hippolyti claro genuit quem ſanguine proles
Foggia, conſulti Iuris hic oſſa iacent.
Flectere non potuit lacrymis fata aſpera ſoror,
Sternere Veronica at marmora digna poteſt.
Obijt XXXI. Octobr: M. D. LX. Vix. ann. XLIII.

IACOBI FILENGI.

Quem Falicæ antiquæ liquidis Iacobe crearant
Fluctibus, heu nimium gaudia cara tibi!
Te iuuenem ereptum querulos nunc inter olores
Flet, lacrymisq́ replent ſtagna lacusq́ ſuis. M.D.LIX.

GVIDONIS GONZAGAE.

Quem Gonzaga domus genuit, tua frigida, Guido,
Marmora membra tegunt heu nunc; heu funera plorant
Impenſis erecta tuis tot templa, quis alter
Tecta ſuos poſuit totidem ſacrata per annos?
Tu princeps rectorq́ piæ patronus & auctor
Relligionis eras, non te tenuêre labores,
Non te corporeus languor, non dura ſenectus,
Quin diuina vigil ſemper mandata ſubires.
Oſſa tenet tellus tua nunc terrena, ſed altè
Cœleſtis gaudet cœleſti ſpiritus aula.

ANTONIO GRADO.

Medico Lucia Grotta, de quo nihil niſi mortem queſta inuita ſuperſtes coniugi b. m. p. & ſibi filijsq; Vix. ann. LXII. M. V. D. VII. in matrimonio fuit ann: XXXIV. Dies XIV. ſine diſcordia.

IVLIAE GONZAGAE.

Si neq́ fata queunt animos coniungere amicos,
AEternùm hic Blanca eſt Iulius & probitas.

D. O. M.

Si fata venderent aut permutarent animas,
Iulium Gonzagam probitas redimeret,
Et vxor vita permutaret propria:
At quia neutrum licet, probitas raptum luget,

Et vxor Blanca amoris æquè ac doloris,
Hoc illi monumentum viuens collocat.
Die 1. Ianuar. M. D. xxxi.

ANNIBAL CONSTANTIVS.

Neapolitan. eques, præſidio equeſtri principis præfectus ſibi ac Scipioni Calderino, qui ſæpius ordinem duxit, viuens faciundum curauit, ne quos beneuolentiæ caritas in vita arctiſſimo vinculo coniunxerat in morte diſiungerentur.

PAVLO ARRIG: BARDELO.

Honeſtiſſimis Magiſtratibus ab eius perfecta ætate & citra tùm foris tùm domi aſſiduè decorato, & Lx. agenti annum apud Claram Gonz: vx: & filiol. lethi memor araæq; ornatum ſepulcrum hoc parauit M. D. Lxxxv.

IO. FR. DE GROSSIS.

Quod D. Fr. Gonz. Mant. Marchio IIII. alumnus fuerit Groſſinus magnam adeptus eſt gratiam: maiorem quod D. Fr. Filium Mant. Ducem I. ſtudioſiſſimè educauerit; maximam demum, quod D. Fr. vix nato per Ducem Patrem in curam aſſiduam addictus ſit. Illis feliciſſimos ſucceſſus precatus, mortali nil iam ſupereſſe putat. Precor vos omnes, vt deprecemini ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro me peccatore, Io. Fr. de Groſſis D. Groſſinus.

MARGARITAE GALEOTAE.

Inclyta marmoreo requieſcunt oſſa ſepulcro,
Margarita tui genuit quam maximus olim
Militiæ ſublime decus Galeotus in orbem,
Quem Malateſta tulit plenis fulgoribus aula,
Hæc generoſa ſuum ſtaret dum virgo pudorem
Nupta dedit Franciſce tibi clariſſima proles,
Gonzagæ præclara viro meritisq; parentum,
Tempore labenti datiua lege ſoluta,
Carcere corporeo cœli migrauit ad aulas,
Hanc Deus extremo rapuit tunc mille trecentis
Nonaginta nouem Domini currentibus annis.

MARGARITAE DVCISSAE.

Optima Margaretha ſumma Bauariæ domus gloria, conſanguinea Imperatoris Auguſta altera Lampido magnanimi Principis Federici coniux Euadne Alieſteque fidior, humo recondi volens eodem autore hoc ſub ære conquieſcit.

ALDA ESTENSIS MARCHIO.

Cuius in hoc modico requieſcunt oſſa ſepulcro,
Mensq; polum ſublimis habet, clariſſima multis
Alda fuit titulis Eſtenſis Marchio quondam,
Hanc Obizo genuit Ludouico coniuge claro,
Sceptra ſuæ patriæ cura ſtudioq; regente,
Mantua magnificam fecit virtutibus altis.
Plus tamen enituit, quibus hæc conſortia linquens,
Intulit heu terris luctus & gaudia cœlis.
Ann. M. CCC. Lxxxi. D. xxi. Octob.

LVDOVICVS CALVENEVS.

Mant. Philoſoph. Medicus Poëta ſumm. ne amicitiæ cum Fiæra olim ſuo ſimulacrum vel morte prorſus deliteſceret.

T. S. F. I.

Euangeliſta Carlonus ex aſſe heres procurauit Anno Chriſti M. D. xix.

BAPTIST. FIAERAE.

Futuro quod fuit, & proprijs hic ſub ædibus quod curauit tumulando nemo inuideat, quoniam ſolus vult eſſe M. D. xiiii.

SIXTO.

Qui Chriſto immaculatæ conceptioni vſq; ad LXX. annos indefeſsè vigilauit. Quid qui boni conſulunt ſperabunt? Nonnè indigentem putabunt? putatum eſt & viuentem, qui dum viueret aliquando miraculis claruit Ob. die XVII. Nou. M. D. XXXII.

CONIVGVM.

Io. Mar. Gonzagæ & Io. Stephano Rozzono coniugibus, Galeatioq; & Hippolytæ filijs Conſtantia Suarda vxor & mater infeliciſſima ſuperſtes p. Anno M. D. XXXV. vt qui vna caro exiſtentes & quietè viuentes vnanimes, vno clauſi quieſcant ſepulcro.

LVDOVICO MAINOLDO.

V. I. peritiſſimo, cuius domus quaſi oraculum vniuerſæ patebat ciuitati, à Carolo Cæſare ob egregias virtutes equeſtri dignitate ornato, Barbara Andreaſia Vx. Iul. fil. mœſtiſs. poſ. Anno Domini M. D. XXXVIII. D. XXVI. Iul.

HIPPOLYTO GALVAGNO.

Equiti Clariſs. varios fortunæ caſus in Italia & Pannonia experto, ſua virtute hoſtibus fugatis à Carolo Galliarum Rege equeſtri ordine primario S. Michaelis ornato, & aula Regia donato, per honorum gradus ad militiæ ſummum elato, præ labore laboranti morbo domi demum oppreſſo, fortiſſimo Militi militaria ſigna & familiæ ſtemmata Ioa. Franciſcus & filij de Saluagnis heredes poſ. obijt die XXVIII. Octobr. Anno M. D. LXXIX. ætat. ſuæ LVII.

CVCIO GVENERIO.

Non tàm atrocem, quàm immaturam mortem doleo, ſed dolui, doleo & dolebo ſemper, quod mihi Cucio Guenerio, vt Diuæ Mantuæ primo Domino meo, vt optabam, diutius ſeruire fata non conceſsêre.

Heû. Heû. Heû.

FRANCIS. DELA RAMA.

Ad laudem & gloriam omnipotentis & æterni Dei ſpectabilis & præſtantiſſimus vir Franciſcus dela Rama, Illuſtris & Excelſi Principis D. Ludouici Marchionis Mantuæ ſocius & commenſalis, qui ſub hoc lapide reconditus fuit, anno Domini M. CCCC. LXX. deuotione Seraphici Franciſci ductus honore capellam adhuc viuens conſtrui & picturis ornari iuſſit.

HIERON. NIGISOLAE.

Forma eminentiſs. cui ſummus fauor, qualem mores meruêre, non defuit. Vmbra ſuperbiat, Quod D. Franc. Mant. Marchio IIII. raptum luxit. Vix. ann. XVII. M. VIII. D. XVI. lapſu corruentis equi infeliciter obijt M. D. XII. prid. Cal. Octob.

FRANCISCO IOAN. MALATESTAE.

Clara diu ruitura licet ſint omnia quondam,
Franciſco hæc mandaſſe tamen monumenta Ioanni
Fas ſit, vt in duris ſatis eſt voluiſſe propinquis.

DE EODEM.

Quis credat? Malateſtam equitem vix abſtulit vt mors
Pœnituit ſortem, fuſaq; humi eſt ſuperis.
Pandulphus ex aſſe heres patrueli obſequentiſs: p. curauit.

ANTE ECCLESIAM DE DEDICATIONE.

Mille quadringenti anni quinquaginta nouemq;
Menſe Decembris erat Domini ſub luce ſecunda,
Nobilis antiſtes decus atq; corona Veronæ,
Hermolaus Venetis oriundus Barbara proles,
Hoc pater alme tibi templum Franciſce dicauit.
Cultum namq; Pio Papa præſente ſecundo,
Cardinibusq; ſuis ter denis præſulibusq;
Pluribus, ac cœtu fidei celebrante dietam,

Perpe-

Perpetuò Pius hanc iuſtè viſentibus ædem,
Septem quadragenas ſeptem indulſit & annos.

M. CD. LIX. die XXVII. Maij PP. Pius venit Mantuam.
M. CD. LX. die XIX. Ianuar. inde receſſit.

IN COEMITERIO AE EFFIGIEM CARMELITAE
Baptiſtæ Spagnoli à Friderico poſitam.

Baptiſta Spagnolus Carmelitarum prior generalis, poëta ac Theologus præſtãtiſſimus M. D. XVI. Menſ. Mart.

Alter hic iacet à Marone vates
Natus Mantuæ, & quidem Poëta
Dignior titulo, niſi incidiſſet
In fluctus varios ſcientiarum,
Quò Muſas coluit minore cura,
Primus hic tamen à Marone natus
Mantuæ coluit Poëta Muſas,
Andinosq; bibit ſacro ore fontes,

Vix. ann. LXXX. natus M. CCCC. XLIV. anno, XII. April. quod monſtrat hic verſus:

NaſcItVr In terras MonaChVs BaptIſta, ſVosqVe
VatICIna VerſVs è genItrICe bIbIt.

Vicina huic eſt ſtatua Publij Virgilij, cum tali inſcriptione.

Publius Virgilius Maro.

IN AEDE S. PETRI.

Sub Deo Opt. Max. omnia tuta.

Benedicti Thomarė huius templi manſ. cineribus factus eſt locus An. M. D. LXX.

D. O. M.

MARIVS GONZAGA.

Qui primus Auxeren. Epiſcopus Tridentino concilio interfuit, pòſt Seren. D. Guil. Mant. Ducis III. intuitu ad hanc Cathedralem Eccleſiam translatus, ei annos ferè IX. præfuit, hic quieſcit, Eudemione eius fratre Ferdinandoq; & AEmylio ex eodem fratre nepot. & hered. eum hic tumulari curantibus, ann. ſalut. M. D. LXXXIII.

FRANCISCO PREMOLAE.

Opt. viro Philoſopho & Medico, illius erga ſe fidei beneuolentiæq; obſequij & meritorum memor Feder. Gonzaga Card. poſ. Ann. Dom. M. D. LXIIII.

IN SACRISTIA.

HERCVLIS GONZAGAE CARDINALIS.

Et Epiſcopi Mant. magni conſilij magnæq; prudentiæ viri, dum ſacro Concilio Tridentino præſidet vita functi cadauer.

FERDINANDI GONZAGAE.

Arian. Ducis, Melfitæ principis, S.R.E. Sacriq; imperij Capitanei generalis oſſa.

BONIFACII MARCHIONIS.

Hic iacet egregius Dn. Bonifacius Illuſtris Marchio, & pater Sereniſſimæ Dominæ Comitiſſæ Mathildis, qui obijt M. D. LII. die VI. Maij.

EVGENIAE SERRAE.

Vxori obſequentiſſimæ ſextum & decimum annum vix agenti, Federicoq; filio, quinquageſimum tantum diem nato, Hippolytus Calandra Eques vtriuſq; tam acerbo fato deſolatiſs. communem tumulum curauit, Anno Chriſti M. D. XXVIII. Fed. Gonzaga Mant. Marchio V. ad dulciſſimi alumni ſortē infeliciſſimam collacrymauit.

LVDOVICVS TASSVS.

Dum cœlum ſuſpicit, & ad illud totus aſpirat, ſuimet & ſuorum hominem intimum.

timum religione præcipuè & fide fingens & ornans, ne extimum tamen prorſus neglexiſſe vnquam arguatur, hunc tumulum ſuis & ſuorum cineribus erigi curauit Calend. Decemb. cIↄ. Iↄ. LXXIIII.

ALEXANDRO PALVMBO.

Qui rem familiarem Herm. Card. Mant. multos annos diligentiſſimè procurauit Vix. ann. LI. Obijt XI. Cal. Mart. M. D. LVI.

Te tua fecit hero carum bonitasq́; fidesq́;,
Et tumulo dignum reddidit & lacrymis.

CATHARINA SENVCCIA.

Non obſcuro genere apud Teuthones prognata, multa probitate maximaq́; tolerantia conſpicua hic condita eſt: Hæc namq́; ſumma cum integritate & elegantia morum vitam duxit, ſicq́; conſtanti & propenſo animo in Sereniſſimam ſuam Dominam ſemper extitit, quod proprij commodi rationem nullam vnquam habuerit, neque vltimæ eius ſenectæ quicquam pepercerit vt Diua Leonora Ferdinandi Cæſaris Filia Opt. Mant. principis vxor fidem eius & beneuolentiam erga ſe experiretur, ad poſteros itaq́; perpetuum tam ingenij quàm beneuoli animi ſemper extabit teſtimoniũ. Ex hac luce migrauit VI. Calend. Octob. Anno ſalut. M.D.LXII. annum agens LXIII.

Occiduas petijt partes liquitq́; Triones,
Auſtriacam cupiens te Leonora ſequi.
Contempſitq́; lares patrios, requiemq́; ſenectæ
O Domina memori digna reperta fides.

BONACVRSORVM.

Struxit Alexander patrijs pius oſsibus vrnam,
Hacq́; ſuos cineres claudet acerba dies.
Nec minus hæc capiet fratres carosq́; nepotes,
Vt Bonacurſorum nota perennè domus.

α ☧ ω.

Ioan. Baptiſtæ & Petro Ioan. Bonacurſijs fratribus Camillus Ioan. Bapt. fil. patri & patruo poſ.

V. Ioan Baptiſta ann. XXVII. D. II.
V. Petrus Ioan. ann. XXXV. D. IV.
Obiêre anno M. D. LXII.

Vnanimes tumulo fratres iunguntur eodem,
Et cœlo æterna concordes pace fruuntur.

IN S. DOMINICO.

ALEXANDRO SABLONETAE.

Archid. M. Senatu D. Apoſtol. Potonot. cuius virtute & ſapientia Pont. Iul. II. & Franc. M. IIII. ad legationes magnis de rebus vſi perſæpè fuerunt. Hier. Fr. Medic. D. poſuit Trecen octauo Chriſt. olymp. anno II. in Maio.

CLARAE PIPERARIAE.

Vxori dilectiſs. Bartholomæus Pendulea deſolatiſs. poſ. anno ſal. M. D. LIX.

D. O. M.

BARTH. DE GAZIIS.

Memoriæ clariſſimi ICti. Barth. de Gazijs, def. die XV. Menſ. Auguſt. An. M. D. XLVII. & filiorum eius Car. Aug. Val. & Bel. qui eorum creſcente iuuentute in maxima ſpe excell. tum liter. tum arm. tum politiæ graui Gaziorum domus euentu potius quàm ſuo cecidêre. Iac. S. A. S. Protonotarius Gazius nuncupatus illi filius, his frater poſ. Ann. Dom. M. D. LXXIIII.

IOANNES MEDICES.

Hic ſitꝰ eſt inuſitatæ virtutis Dux, qui ad Mincium tormento ictus Italiæ fato potius, quàm ſuo cecidit M.D.XXVI.

LVDO-

LVDOVICI GENOESII.

Hac Ludouicus habet ſedem Genoëſus in vrna,
AEtas cui nunquam protulit vlla parem.
Siue vſum rerum ſeu iuſti æquiq; tenorem,
Seu fidei exemplar ſeu pietatis ames.
Naturam & cauſſas idem monſtrabat, & ægris
Pæonia vitam reſtituebat ope.
Non illum officij ratio morumuè latebat,
Non vaga, non ſummo ſydera fixa polo:
Extinctum Sophiæ ſectatrix turba Magiſtrum
Cum cunctis luget Mantua principibus.

IN CHORO.

GREGORIO BOLDRINO.

Epiſ. Mant. qui in prædicatorum ordine à prima adoleſcentia ſacris initiatus, eruditione & probitate tantum profecit, vt omnes illi honores fratres vltrò detulerint: à Pio V. demum Pontif. Max. ex Sereniſſimi Gul. ſententia ad Epiſcopatus apicem euectus, præclarum Pontificij muneris adminiſtrandi exemplum ſucceſſoribus imitandum reliquit. Hiero. Boldrinus fratris F. m. p. Vix. ann. LXIII. Menſ. VI. D. XII. Ob. IIII. Non. Nouembr. M. D. LXXIIII.

ANNAE HISPANAE.

Quid penſile Mauſoleum miraris hoſpes? Anna Hiſpana ex III. præd. ord. illa quæ Hieroſol. II. M. Magdal. Iac. Apoſt. Romamq; ſemel adijt, diuerſaq; ob Chriſtum luſtrauit loca, Franciſcoq; ac Iacobo Princip. ob inſignes virtutes fuit cariſs. heîc condi p. Ergo D. D. D. Cal. Mart. M. D. XVI.

Vltra mundano Deo.

BATHOLOMAEO CAPVANO.

Paulæq; conſorti & viuentibus idem velle & mortuis hoc ſufficit Mauſoleum M. D. XXXIII.

ALBERTAE CVSANAE.

Albertæ ex illuſtri Cuſanorum familia Mediol. vxori integerr. & dilectiſs. in Dariæ filiæ partu anno ætatis ſuæ XXXI. Nat. Dom. M. D. LXXVII. extinctæ, Flaminijs duobus Octauo Martiæ Vincentio & Ioſepho filijs prius, ipſiq; Dariæ poſterius matre defunctis ſibiq; demum & poſteris Ludouicus Panigarola Mediol. coniux & pater mœſtiſs. ſuperſtites.

Felices animæ cœlo poſt acta relatæ
Fata, viri memores eſte patriſq; precor.

NAIMI GONZAGAE.

Hic pius, hic prudens Naimus Gonzaga quieſcit,
Cui probitas omnis ſemper amica fuit.
Se ſibi, ſe patriæ genitum patefecit amicis,
Creditur hinc vita iam meliore frui.

OSAN: ANDREASIAE.

Diuæ Oſannæ Andreaſiæ tertij prædicatorum ordinis ſanctimonia miraculiſque clariſſimæ Iſabella Eſtenſis Mantuæ Marij conſtantiſſimæ probitatis rationem habēs b. m. p. à part. virg. M. D. V.

IBIDEM.

Cæcilia Franc: hic ſepulti mater,
Quod ſua Diua
Oſannæ mores imitata eſt,
Cœlo recepta
Benigno Dei aſpectu gaudere exiſtimatur.

THEODO-

THEODORAE SNARDAE.

Ex illuſtri Snardorum familia prognatæ, Carolus Micolonus cariſs. coniugis iactura mœſtiſs. poſ. Vix. ann. LXXI. XI. Mart. fato funct. M.D.XLIX.

MONFORTIS.

Nobilis Borcondius Caroli V. Cæſaris Scuterius, Deo Dominoq; ac hominibus gratioſus XV. April. M.D.XXX. hic oſſa reliquit, Aloyſio Rudolphi ex Marchionibus Gonzagis procurante, iuſſu Cæſaris.

Bondi Ferrari.

FEDERICO MALATESTAE.

Equiti præſtantiſſimo, Ferdinandi Rom. Imp. Secretario ac Conſiliario prudentiſſimo, Flaminia Cremuſca Malateſta vxor deſolatiſs. qui obijt Anno ſalut. M.D. LXVIII. ætat. ſuæ LV.

IOAN. FRANCIS. PVSTERLAE.

Nobiliſſimo atque eruditiſſimo iuueni, Muſis tàm Etruſcis, quàm Latinis ornato, qui immatura morte præuentus ingens ſui deſiderium Illuſtriſſimæ ſuæ coniugi ex Rangonca familia ortæ, ac omnibus ſuis amicis reliquit, Io. Bapt: Iul. Cæſar & Puſterla fratres non ſine lacrymis hoc breue ſuis meritis monumentum pp. Vix ann. XLII. M. V. D. XIII.

Gallorum veterum ſcribis dum ſtemmata Regum,
Quidquid & occiduæ contigit Heſperiæ,
Quot Reges pictis poſuerunt iura Britannis,
Quos Hunni & Ruſſi, quosq; Polonus habet.
Ecce immaturos carpſit mors inuida fructus,
Concidit & dura ſylua tenella manu.
Quæ ſi culta mea poterit repararier arte,
Floreſcet nitido marmore ſylua magis.

Obijt III. Id. Maij. M.D.LXXVI.

IN AEDE S. MARIAE CARITATIS.

ANGELICAE BVRGIAE.

Diuinum munus ſupremis ſedibus olim
Angelica ad terras Burgia miſſa fuit.
Has Deus angelico non dignas corpore ducens,
Angelicam ſedes traxit ad angelicas.

Obijt die vlt. Ianuar. M.D.XIX.

NEL CARMINE.

HIERONYMVS ANDREASIVS.

Eques & Ripaltæ Comes hic cum lectiſſima vxore poſt diem vltimum eſſe voluit. Hippolyta Gonzaga Comitiſſa Hieron. Andreaſij vxor voluntatem mariti lubens ſecuta eſt.

IN AMBITV.

ALEXANDRI MVSICI.

D. O. M. S.

Hoſpes Alexander triplici clariſſimus arte
Hic cubat, hic ſacer eſt manibus iſte locus.
Siue ſonum malles, ſiue inſtrumenta ſonora,
Nec melior pſaltes nec faber vllus erat.
Regia nemo pari ſeruabat vaſa decore,
Siue æs, ſeu gemmas, ſiue tenebat ebur.

Maiori

Maiori ſuperos nemo pietate colebat:
Qui legis ergo, piæ dic pia verba animæ.

PETRO SP. MODANO.

Conſummatiſs. virtutis viro, ſub tribus Mantuæ principibus fermè omnibus ſplendidiſs. magiſtratibus per annos L. integerrimè functo, ingenua ſobole feliciſſimo, literarum militiæq; peritiſſimo Ptolemæus F. pientiſs. Franciſci Mant. Marchionis IIII. ſcriba à Secretis V. P. M. D. III. AEternùm vale.

PETRO GOVASETO.

Nubilar. Carmelitæ oris dignitate conſpicuo, vitæ ſanctitate venerando, concionandiq; peritia incomparabili, ſui Carmelit. pientiſs. poſt eum obitum VII. Cal. April. M. D. IX.

Nunc quoq; vos homines moneo, velut antè monebam,
Ante oculos ſummum ſemper habete diem.
Hæc animi morbis cura eſt medicina, facitq;
Corda ſalutari relligioſa metu.
Sunt Deus & virtus duo, quæ ſuper omnia vobis
Sunt quærenda, via hæc, terminus ille viæ.

LVCRETIAE.

Accolit Angelicas quæ nunc Lucretia ſedes,
Frigida ſub paruo marmore clauſa iacet.
Ne ſtupeas, confeſſa Deo ſua crimina planxit,
Senſerat extremum cùm ſibi adeſſe diem.
Atq; comas neglecta crucem complectitur ipſa,
Cui lacrymas fundens baſia mille dabat.
O mirum, ò ſummi pietas immenſa Tonantis!
Quæ peccans vixit, facta beata nece eſt.

Obijt An. ſalut. M. D. XXXVII. die XX. Decembr.

Viuo è morte.

CONIVGVM.

Cui fuit vxoris reliquum perſoluere curæ,
Hæc vbi ſydereis aſtitit agminibus.
Adami veteris vita ſpoliatus amatæ,
Coniugis vtrumuis Ieronymus ſequitur.
Sic quos vnanimes Deus hic coniunxerat olim
Iungit, & exuuias obruit vrna duas. M. D. XXV.

SYLVIO ANDREASIO.

A. F. Duc. Mãtuæ Magiſtro integerrimo viro multæ in Deum religionis, in principem fidei, in ſuos pietatis XI. lib. prol. fel. ff. mm. pp. X. Calend. Martij M. D. LXVII.

Quæ tua promeruit pietas, quæ viuida virtus,
Hæc pia natorum munera ſume pater.

D. O. M.

GER: ANDREASIVS.

Ducalis & Cæſareus in Mediolanen. ſtatu Senator, & apud ſummos Pontiff. Clem. VII. & Paul. III. orator, demum Claſij Epiſcopus & Comes, apud Venetos Legati munere functus, poſtea dum Regien. Epiſcopus & princeps iam longis fatigationibus feſſus eundem clerum quietè regeret, ab improuiſa morte LXXXII. anno quaſi completo magna & patriæ & cleri iactura naturæ conceſſit, & ne tantorum laborum memoria ab edaci tempore penitus aboliretur, Marſilius & Syluius Andreaſij ex fratre Nepotes & heredes hoc ſub monumẽto cineres reponendos curarunt, anno ſalut. M. D. LI. natus eſt vlt. Ianuar. M. CCCC. LXIII. Obijt XXII. Ianuar. M. D. XLIX.

HIERO-

HIERONYMO MEDICES.

Lucens: clariſſimo I. V. Doct. conſummatiſs. Equit. aura. Com. Pal. Duc. Senat. Mant. Coſs. à ſecretis, vir religioſ. orat. max. omn. ſcient. peritiſs. pri. loc. (tanta eius fuere merita & opt. conſ.) penes Illuſtr. Princip. Gonz. tenenti, toti pop. ipſius humaniſs. iuſtiſs. inſtit. adminiſtr. gratiſs. pat. pijſs. ac pudiciſs. Matro. Mariæ Puglianæ matri b. m. Io. Paul. Medices S. & frat. m. p. c. h. m. ad h. n. tran.

Anno M. D. LVI.

AD S. MARTHAM.

ALEXANDRO GONZAGAE.

Friderici I. Ducis Mantuæ F. Carolo V. Imp. Auguſti & Philippi Hiſpaniarum Regis auſpicijs, maximarum rerum adminiſtratione & peditum equitumq; ductu, non minus pacis artibus & Chriſtianæ religionis cultu, quàm nobiliſſimi generis ſplendore & bellicæ virtutis gloria claro, Fabius & Alexander filij parenti optimè merito pp. mœſtiſs. Vix. ann. LX. M. X. D. IIII. Obijt XX. Kal. Septemb. Anno ſalutis M. D. LXXX.

D. O. M.

IOANNIS MICHAELIS PAVESII.

Equeſtris ordinis, Franciſco Mantuæ principi ob claras animi dotes cariſs. oſſa, Vix. ann. XXXI. M. XI. D. XIII. Ob. VIII. Calend. Iun. M. D. XII.

Iudicis æterni cum venerit hora reſurges,
Inde tibi Michaël vita perennis erit.

D. O. M.

ALBERTINO PAVESIO.

Ingenuis artibus erudito Ludouicus filio p.

Intempeſta mihi cur te mors abſtulit? heu heu
Debueras oculos claudere nate meos. M. D. XIII.

AD S. MARTINVM.

In lapide hoc dormiam & requieſcam, donec nouiſsima die à mortuis reſurgam in tuba Archangeli M. D. XXVII.

IN S. AGNETA.

DE D. AVGVSTINO MANTVAE CONSERVATORE.

D. Auguſtinus bis Mantuam liberauit à ſuis inimicis.

Vos patriæ ciues, quibus hic pater expulit olim
Bis Liguros, lætum dedit & bis habere triumphum,
Dum tua curriculo bis feſta darentur eodem,
Eſte boni memores & grata aduertite dona,
Et mecum huic laudes, mecum hos celebretis honores.
Protector patriæ ſpes ac tutiſsima noſtræ
Auguſtine parens, Doctor lux inclyte ſacri
Eloquij, innumeras Ocneas aſpice laudes,
Tendimus inde manus humiles oculoſq; precantes,
Nos & ab aduerſis, vt quondam, protege princeps.

M. CCC. LXXXXVII. Die XXVIII. Aug.

LVCIAE BENADVSIAE.

Lucia quæ terris ceu cœlo Luna nitebat,
Inter Mantoas clara pudore nitens.
Fraudauit poſtquam vitalibus Atropos auris,
Non micat æthereis igne minore plagis.

Luciæ

Luciæ Benaduſæ de Gandino, Iulius & Iulianus fratres matri, fœminæ optimæ mœſti poſuêre die xxvi. Octobr. M. D. xxxi.

BENEDICTI MEYE.

Facundi Meye Benedicti quem tulit vnum
Inter honoratos Mantua cauſidicos.
Hic Auguſtinus Meye cognomen adeptus,
Heres atq; nepos condidit oſſa piè.

Obijt xiiii. Id. Febr. M. D. xxxix.

MARGARITAE CANTELMAE.

Hæc Margaritam Cantelmam amplectitur vrna,
Magnam atauûm, magnam nobilitate ſua
Vir Sigiſmundus Dux Soræ raptus, ac illa
Ceu viuat viduum ſeruat amatq; thorum.
Hinc gemini nati primæuo in flore iuuentæ,
Alter pro patria, cum patria alter obit.
Flent alij, hæc immota manet Fortuna, nocere
Se voluiſſe probat, ſe potuiſſe negat.

D. O. M.

IOANNI LANTARIO.

Mineralium ſummo cognitori ac ſeparatori ſubtiliſſimo, ſub Federico & Sereniſſimo Guilielmo Mantuæ Ducibus pecunijs cudendis præpoſito, conſortij S. Nicolai à Tolentino benefactori, ac eius conſeruatori, Obijt anno ſalutis M. D. Lxxxi. ætatis verò ſuæ Lxxxii.

IN S. CHRISTOPHORO.

ROBERTI AVANZANAE.

Ortus Auanzana clara de ſtirpe Robertus,
Hic iacet argutæ nobilis arte liræ.
Clauditur ex natis hac ſecum Antonius vrna.
Immatura patri quem Libitina tulit.
Qui dulci mulcere Scythas cantu potuiſſent
Mitia tartarei reddere ſceptra Dei.
Hos raptos Phœbus, Charites, fleuêre Camœnæ,
Fleuerunt populi Mantua quos genuit.
Molliter ipſorum tumulo vt nunc oſſa quieſcant,
Vxor & huic mater marmore dicat opus.

IN AEDE S. BARNABAE.

Ob meritum caſti ſeruataq; fœdera lecti,
Hic tibi marmoreus conditus eſt tumulus.
Iſtaq; ſub titulo pergrati nominis ara,
Conſtructa eſt dulcis vel Catharina tui.
Quæ tibi fidus ego carusq; Antonius olim
Inſtitui pro te munera, mœſta tamen.
Vt quos vnus amor, quos velle & iunxerat vnum,
Horum perpetuus contegat oſſa lapis.
Iudicij manſura diem, qua corpora purus
Spiritus æternum conuehet ante Deum.

IBIDEM.

Hic ſoror oſſa iacent, animus victoria cœlum
Occupat, ætherijs perfruiturq; bonis.
Relligionis eras ſpeculum, ſpes vna ſalutis,
Hinc populi & ſuperum te gemit omnis amans.

CAROLI ALGORNI.

Flos patriæ, iuuenumq́; decus, qui duxit auorum
Algornis genus ordine longo,
Quo non vſq; animi fuerat præſtantior alter,
Furtim ignoto extinctus ab hoſte,
Hac Carolus paſſim fletus longumq́; per æuum
Deflendus requieſcit in vrna. M.D.LXIII.

IBIDEM, GEORGII STRATEN.

Vrna hæc quam cernis Strati tegit oſſa Georgi,
Ciuibus exemplum qui probitatis erat.
Hanc poſuit coniux ſancti quo pignus amoris
Et monumenta ſui cernat ab vſq; polo.
M.D.LXIII.

HIERONIMVS LAVDENSIS.

Hieronymum Laudenſem clarum ſanguine,
Gonzagæ alumnum Cardinalis Herculis,
Virtutibus probiſq; adauctum moribus,
Acerba adempti fratris fata ingementem,
Docorat ſepulcro lugubri Vincentius. M.D.LXII.

IBIDEM.

Proba pudictia vultu, laris arte regendi
Hoc tegit inſigni tumulo vir Iulius Annam. M.CCCC.XCII.

FIVRANARVM,

Læta Fiuranæ exurgant monumenta licebit,
Antiquæ ambibunt non tamen acta domus.
Sepiet his hominum exuuias atq; oſſa ſuperſtes
Fama, nec vrna breuis maxima geſta teget.

VXORIS HECTORIS DE CABALLIS.

Nobilis ex ſecto latitat Fabricia ſaxo,
Quam ſubito raptam turba Triaca gemit.
Duxerat hanc Hector clara de ſtirpe Caballus,
Quem miſerè triſtem fata miſella manent.

VXORIS VINCENTII DE FERRATIS.

Amici mei omnes deſinite luctu quietem nunc meam rumpere. Vixi namq; vt morerer, mortua ſum vt viuerem, vobiſcum victura demum, cum mortua mors fuerit. Dominicæ Vxor: dilectiſs: Vincentius de Ferratis & filij matri bene merenti pos: Ann. M.D.LV.

IOSEPHI CRISTINI.

Hoc tumulo fatis Criſtini frigida membra
Ioſephi oſſa cubant, Mantua quem genuit.
Talia cum cunctis ſibi qui monumenta reliquit,
Prolis Criſtinæ dum finis omnis erit. Ann. M.D.LXIX.

PANTHALEONVM.

Thomæ erit Hippolyti Benedicti Panthaleonis,
Oſsibus hic requies & Ludouice tuis.
Et quod concordi poſuiſtis mente ſepulcrum,
Perpetuò veſtræ poſteritatis erit.

IN S. NICOLAO.

IVLIANVS REGIVS.

Cum vitam cum morte commutandam nouerit Iulianus Regius anno M.D.LXX. die IX. Iulij ſibi & heredibus hoc præparauit.

IN POR-

IN PORTA SACRARII.

Spes præmij laboris ſolatium eſt.

FRANCISCI GISVLPHI.

Ex antiquiſſimo Longobardorum ſanguine hic oſſa clauduntur, donec immutatio veniat, & corruptibile hoc incorruptibile induat, & mortale immortalitatem.

MAXIMIANI BROILI.

Regibus hic Broilus gratus quos morte ſecutus,
Concilijs Diuûm Maximianus adeſt.

OCTAVIANI SCALDAMAZZI.

Scaldamazza cubat tumulo Octauianus in iſto,
Heu tantum ſuperi cur rapuêre decus?
Venit vt ante diem puero ſapientia, & acre
Ingenium, ſic eſt mortuus ante diem. M.D. LVII.

IBIDEM.

Mors depicta literulas duas manibus tenens in quarum vna hæc verba OMNIBVS ÆQVA. *In altera hæc:* OPTIMÆ EXVVIÆ. *Sub pedibus Parcæ depictæ cum his Elogijs.*

I. Dum licet hic veto vt operam & oleum non conſumas.
II. Et adhuc fas eſt rem in melius vertere.
III. Nulla iuuant . . . . artifici.

IN IPSA TVMBA.

Crudeles Parcæ, crudelia ſtamina & aras,
Sanguinea hic fato conſtituêre manu.

IN SVPERIORI PARTE.

Bonis Mercurialibus.

Exornat virtus nobilitatq; viros.

Stulta eſt ſapientia ſine Deo.

IN INFERIORI.

Sola clementia Principes Deo facit æquales.

AD EFFIGIEM VIRTVTIS TENENTEM
oliuam manu dextera.

Nec Iouis ira, nec ignes.

IN FORO.

Qui virtute nitet claris inſcribitur aſtris,
Sic homo fit fama non moriente Deus.

IBIDEM.

Hic qui non timuit terræ ſe mergere hianti,
Quàm ſit pro patria dulce morire docet.

IBIDEM.

Hoc mihi nulla dies tollet cum cætera conſtent
Fortuna, proprium eſt gloria ſola bonum.

IN PALATIO DVCIS.

Federicus Gonzaga Dux Mantua: p. has ædes, quò à curis publicis ſecedere, & vbi ocio frui poſſet, conſtrui fecit.

IN CAMERA' QVADAM.

Fridericus Gonzaga II. Marci Veneti S. R. E. & Reip. Florentinæ Capitaneus generalis, honeſto ocio poſt labores ad recuperandam virtutem quieti conſtrui mandauit.

AD DEPICTVM IVLII CAESARIS TRIVMPHVM.

D. Iulij Cæſaris, ob inuidiam conſtanter ſuperatam, & hoſtes fortiter deuictos, duplex victoria: VENI. VIDI, VICI.

S. P. Q. R. Liberatori vrbis. S. P. Q. R. Iulius Cæſar P. M.

S. P. Q. R. Iulio Cæſari dict: PPP.

Imperatori Iulio Cæſari ob Galliam deuictam militari potentia triumphus decretus, inuidia ſpreta ſuperataque.

IN TVRRE HOROLOGII.

Adi xvi. di Agoſto virilmente ſe fecæ Signor de, Mantoa il mag^co^. Miſſer Loys Gonzaga abauo del Illmo. Signor Marcheſe Giouan Franceſco di Gonzaga all qual ſuccedette nella ſignoria adi ix. di Marzo M. CCCC. vii. in la & à de anni xi. meſi. ix. di ix. quale à i. Vinti due di Settembre M. CCCC. xxxiii. Ser^mo^. Sigiſmondo iv. Conſor mani & bocca ereo & fece Marcheſe di Mantoa ſopro un trionphante tribunale ſuſa la piazza di S. Pietro di Mantoa Giouon Fran^co^. Predetto dipoini dono lo aquila negra ch lo partaſſe in campo Biancho con ven croce roſſa.

IN PALATIO VALENTIS.

Protectio Domini fundamentum ſtabile.

ITEM.

Seruus eó lætior quò patientior.

IN DOMO QVADAM NELLA CONTRADA di piſtera, di S. Sebaſtiano.

PHALARIS.

Non lex hac ſanctior vlla eſt.

M. CVRIVS.

Præſtat locupletibus imperare, quàm fieri locupletem.

CAMILLVS.

Non aliena virtute.

F. MAXIMVS.

Non minus cunctatione quàm celeritate hoſtes deuincuntur.

ALEXANDER MAGNVS.

Virum diu fidelem criminanti non facilè credendum.

T. VESPASIANVS.

Liberalis pro facultatibus ſubſtantiæ ſuæ merentibus libenter impartitur.

A. CAECINNA IVL: CAESAR.

Sola clementia principes Deo facit æquales.

EPAMINONDAS.

Verè naſcitur; qui ſic pro patria moritur.

C. POMPEIVS. TIGRANES REX.

Pulcrum eſt Regem vincere. Pulcrius verò facere.

ANTE AEDES PRIVATAS.

Amori Deo in æternitate idem.

Qui ventre Chaos vi magni Demogorgonis aperto proſiliens in Syrenas ſeſquitertium ſeſquialteræ producta Calliope conciliauit in duplum, hancq; temperatam ſonorum varietatem Pſychen arctè complexus ex trino concentu malleorum Tubal numeroſis docuit vocibus imitandam. Hic iam non idem, cum tamen ex eodem ad idem, & idem omnia. Vnde & ſeptem Deorũ domicilia malleis ſapientum diruta & contrita, ſi ab AEgypto ad penetralia ſolis aſcenderint, æternus ignis ignem ſuperans veniet à meridie in ſpeciem Regis aureo diademate coronati. Nam omnes Syrenæ idem omnia chaos æternum conſumpta diſcordia in officina Vulcani. Perlege, diſce, ſile.

CREMONA.

NOBILIS ROMANORVM COLONIA CVM Placentia deducta & primum ab Hercule Iaſonis comite, cum ad Padum ſuperaſſet Gigantem, condita, & ab eius matre Climona vocata, dein Cremona. Ciuitas pulcra magnas & latas habens plateas, caſtrũ munitiſſimum & inter prima propugnacula Italiæ referendum. Templum etiam Cathedrale cum baptiſterio, ædemq; D. Dominici cum monaſterio adiuncto ſumptuoſiſſimum. Turrim quoq; præclaram nulli totius Italiæ poſtponendam, quæ eam planè inſignem reddit, atq; extructa eſt anno Domini M. C. LXXIIII. cum poſt multos acceptas clades & varias paſſas direptiones ſub Triumuiratu Vitellio Imperatore Gothis, Longobardis, Friderico Ænobarbo, Guelphis & Gibellinis, à quibus omnibus euerſa & miſerè exuſta eſt, ſæpius inſtauraretur, ſplendidis ædificijs tam publicis quàm priuatis ornaretur. Pado tàm vicina, vt ab aquis quandoq; detrimentum patiatur, abundans omnis generis frumento & fructibus: ager enim campeſter eſt & vberrimus, vitibus & arboribus ordine poſitis, nitens. Subiecta Carolo V. Imp: & eius filio Plilippo Regi Hiſpan: ad quos deuenit cum toto Mediolanenſi Ducatu poſt obitum Franciſci Sfortiæ anno Chriſti M. D. XXXVI. & maximè claret ingenijs quæ magno numero procreauit.

IN AEDE CATHEDRALI.

ANDREAE ALLIAE.

Equiti ter. patriæ protectori Ioa. Petrus Allia Eques patruo v. f. M. D. XIII.

Famoſum virtute ſua quem pagina ſacra,
Artes & medicina ſuum fecere peritum,
Doctorem quo iure ſuo viuente Cremona,

Gaudebat multum natum de ſtirpe parentum,
Allia qui fertur bonus Archidiaconus huius
Eccleſiæ, ſitus eſt hic Lazarus ille Magiſter,
Annis mille ſuos Phœbus renouauerat ortus,
Trecentum noniesq; decem tribus atq; notatis
Illis Aprilis coniuncta luce ſecunda
A Chriſto nato, cum mors ſua lumina clauſit.

PAVLO ALAE.

Qui ob iuris ciuilis eximiam prudentiam in Senatum Mediolan. cooptatus cum Magiſtratum ea fide, grauitate, abſtinentia caſtè integreq; & ad priſcæ probitatis laudem geſſit, & longè maiores à Rege ſperare debuiſſet. Sed heu dum Reip. dignitati enixè priuatorumq; commodis benignè ſtudet, ſuis parum conſulens, perdita valetudine diu vſus vita ceſſit ſuo magis quàm aliorum tempore Vix.ann. IL. M. x. Ciuit. Cremon. decreto ſepulc. ſumptu publ. ciui b. m. parentauit.

BENEDICTO ALAE.

Non vnius tantum artis nomine præſtanti, ſed quocunque animum intendiſſet ſummo: meruit adoleſcens Imp. Carol. V. nec minus deinde Philippo Hiſpan. Regi cariſs. acri ad abditiſſima quæq; inueſtiganda ingenio, plurimis adinuentis domi belliq; adiumentis, quæ quiſquam alter ne ſuſpicatus quidem fuit antea Vix. ann. LI. M. IX. D. XVI. ab omni procul ambitione, homo frugi heroica quadam perhuman. deſpicientia inſignis Io. Baptiſta Daniel & Io. Petrus mœr. fratri opt. fec.

IOAN FRANCISC. ALA.

D. M.

Siſte parumper hoſpes gradum: Hic ſitus eſt Io. Franc. Ala, qui è pueritiæ ludo cum ſignis & imperio in Belgas Cæſarem ſecutus in Metis oppugnatione fortiter mortem oppetit, non modò à ſuis militibus, ſed & ab exercitu vniuerſo multùm diuque defletus, cum eo adoleſcente vel præter tantæ virtutis indolem nihil eſſet amantius, nihil amabilius, plurimum in vnum congeſtis ornamentis, quæ ſingula ſatis forent ad vnumquemq; præſtantem virum honeſtandum. Id volebam. Abi nunc in rem tuam ſi potes ſine lacrymis.

BLASIVS BARELLVS.

Huius templi prior & Canonicus, cum huic optimæ D. Araldi aræ præeſſet, ſibi & matri viuuns m. p. anno ſal. M. D. XLII.

IOAN. FRANCIS. CLOCIO.

Ciui Cremonenſi de Collegio Canonicorum huius Eccleſiæ opt. merito, viro ſumma pietate, & ſingulari vitæ innocentia ornato, Canonici ipſi ad ſempiter: beneficij accepti memoriam retinendam pp. Obijt anno Iubilæi M. D. LXXV. Prid. Id. Decemb. ætat. ſuæ LXII.

FRANCISCVS SFONDRATVS.

Hic acquieſcit Baptiſtæ illius F. qui & Senator & Conſiliarius Ludouico Sforitiæ valdè charus fuit, ob multas nobiles legationes, quas iuſſu ipſius obijt ad omnes & Reges & illuſtres Reſpubl. Hic Comes littoris Larij ad Orionem vergentis, Baroque Aſſinæ vallis ob egregiam fidem prudentiamq; in Republ. adminiſtranda, & admirabilem intelligentiam Iuris à Carolo Allobrogum Duce Senator illic creatus eſt: poſteaque à Franciſco II. Inſubrium Duce in ordinem Senatorium Mediolani adſcript. in ea dignitate à Carolo V. Imperatore, cum in ipſius ditionem ciuitas redijſſet, retentus fuit, auctuſq; conſiliarij gradu: Mortua verò vxore Anna Vicecomite lectiſſima fœmina, ab eodem ſumma cum poteſtate Senas miſſus eſt, vt eorum Remp. diſcordijs vexatam conſilio ſuo regeret, à quibus ob egregia ipſius merita & ciuitate donatus eſt, & Pater Patriæ appellatus. Poſtea Romam à Paulo III. Pontif. Max. euocatus in Germaniam paulò poſt miſſus eſt, ab eodemque in ampliſſimum Cardinalium ordinem cooptatus, ad Carolum Imp. magnis de rebus legatus eſt, ornatus demum à

mum à ſapientiſs. acerrimique iudicij ſene omnibus honoribus, quibus ſummi Antiſtitis perſona decorari poteſt. Mortem obijt anno M.D.L. Cremonæ patriæ Epiſcopus. Nicolaus & Paulus eximia pietate præditi filij hoc monumentum poſuerunt. Vix. ann. LVI. M. IX. D. VII.

INSCRIPTIO PORTICVS ANTE ECCLESIAM CATHEDRALEM.

Excellentiſſimi Ioan. Galeazzij Mediolani Ducis imperio, Diuo & inuictiſſimo Ludouico Sfortia patruo Gubernatore, ac Borrino Colla magnifico Proconſule ad laudem Dei & glorioſiſſimæ virginis ſpectaculum fact.

IN S. DOMINICO.

BAPTIS. ALBERICO.

Nouocomenſi ICto. integerrimo, qui poſt varios Magiſtratus præclarè geſtos, dum in hac ciuitate iterum Quæſtoris officio fungitur, iſchuria correptus naturæ cõceſſit XIIII. Calend. Octob. M.D.LXIIII. Albericus Aurelius Lucius FF. mœſtiſs. patri opt. pp.

SEBASTIANO PICENARDO.

Cæſareó armorum Ductori, victorijs innumeris clariſſimo, ſummis Principibus in arduis expeditionibus vndecunq; expetito, cui Inſubria Sfortiadæ, Liguria ciuibus, Hetruria Mediceo ſeruata, ipſa denique patria toties defenſa æternùm debent.

Ioan. Baptiſtæ Picenardo acerrimo peditum præfecto, virtutis paternæ æmulo & propagatori.

Sfortiæ item Picenardo fortiſſimo copiarum Imperatori, qui parentem non modò æquabat, ſed etiam longè ſuperaſſet, niſi in medio victoriarum curſu raptus eſſet, Valerius & Sfortia fratres opt. auo patruo & patri b. m. p. M.D.LXXVII.

IOAN: BAPTIST. RESTIO.

Mediola: Patricio ICto. viro AEdilitio, Fiſcj Aduocato, Seuat: Reg: Præt: Cremonen: omnibus muneribus quæ domi ac foris eſſent, honeſtiſſimè functo virtutis ergò ad retinendam rariſſimi viri memoriam Lauca Laudriano vxor pientiſs. coniugi ſanctiſs. b. m. p. M.D.LV. die XIII. Octob. Vix. ann. LI.

PE. PAVL PISCIVS.

Romæ ſub Aſ. Vicecanc. ſeptennium verſatus Domini à Rege Gallorum capti, apud Hiſpaniarum Reges liberatione feliciter procreata, ex terrena patria in cœleſtẽ ſpiritu aſcendit, corpore hic quieſcente, anno ſal. hum. M.D.V. VI. Non. Quint.

SFONDRATORVM.

Hoc eſt ſepulcrum ſpectabilium & clariſſimorum I. V. Doctorum Dominorum Frederici ac Nicolai, nec non Ioannis Caroli fratrum de Sfondratis & eorum heredum M.CCCC.LXXX.

ITEM.

Reliquum D. Guidonis de Zuſara legum Monarchæ.

TYDEO OLDOVINO.

ICto. Com. Pal. Equiti Ticini, Genuæ, Mediol. iterum ac Alexand. Præt. & rer. cap. ſeu præf. Diomedes fr. ſacrum p. M.D.XLVI. XVI. Cal. Octob.

D. O. M.

FRANCISC. MARIANVS.

Art. & Med. Doctor in Coll. Phyſ. Cremon. Papi. cooptat. primùm in Ticinen. Gymnaſio Logicen, Phyſicen, & Metaphyſicen annos XX. publicè legit, deinde ea vrbe à Gallis obſeſſa, Prianum Iſtriæ opima occaſione accerſitus, medicinam egregiè exercens, obijt anno Dom: M.D.XXVIII. translatusq; à Ioan: Bapt: frat: in com fam: ſepul: iacet. f. b. m. m. d.

IN S. FRANCISCO.

IOANNI BAPT. PICEN.

Medico, Phyſico clariſſimo, ob egregias eius virtutes Iſidorus Med. Phyſ. Gabr. Iul. F. pat. dulc. p. Vix. ann. Lxvi. M. iiii. D. xviii. Ob. iii. Cal. Ianuar. M. D. Lxv.

IOSEPHO LAVDAE.

ICto. clariſs. Equiti Bononien. Præturæ huiuſce ciuitatis adminiſtratori, cuius tota familia præclaris illius geſtis admodum illuſtratur, pij filij patri opt. pp. Vix ann. Li. Ob. M. D. xii. xiii. Cal. Iun.

IOANN. CAVALRABOS.

Cecropia nobilitate & Marchio inſignis Mel. Gentium omn. annis honoribusq; plenus, ſarcophago incluſus mortalitatis te monitum vult, qui tranſis, Vale.

AN S. ANTONIVM.

Conrado Io. Stangliæ Commendatario Baldeſtari nepos p. anno. Dom: M. D. Xiii.

Mille quadringentis & quadraginta ſub annis
Huic gratum tabulæ finem clementia Chriſti
Summa dedit: gaude fluxo celeberrime mundo
Tunc pater Ortoni, cui ſit laus, gloria, virtus.

MATTHAEI FOSSAE.

Præceptoris, de religione ac æde iſta benè meriti, vita moribusq; clari, ſacelli huius aræq; auctoris, quæ & à ſuis gentilibus dotari curauit, reliquum hic eſt. xviii. Martij. M. CCCC. Lxv.

AD S. VICTOREM.

LVDOVICVS BVRGVR.

Vir rei militaris ſcientia clarus, militiæ muneribus in bellis Gall. Pannon. German. Ital. primùm pro Cæſa. Caroli Auguſti, mox pro Philippi Hiſpan. Regis Mediolaniq; Ducis Imperio ſtrenuè functus, tyro princip. trib. magn. Præt. Præf. Guber. re bellica optimè adminiſtrata extinctus, autoritatis & prudentiæ ſuæ triſte nobis deſiderium reliquit. Vix. ann. Lviii. M. vii. D. xiiii. Obijt X. Cal. Septemb. M. D. Lvii. Barbara Ciria coniux Nicolaus eius F. ex teſtamento pp.

AD S. BARTHOLOMAEVM.

MELCHIORI AYMO.

ICto. clariſſimo, qui ob egregias eius virtutes & ſingularem in patriam caritatem non minori ciuibus ſuis commodo ac ornamento fuit, quàm Ioan. Balthaſar & M. Antonius illius maiores, qui cum in iure ciuili excellerent, ſuæ vtilitatem publicam præferentes, ſempiternam nominis ſui memoriam reliquerunt, Ludouicus ICtus. Vincentius Phyſ. Camillus, Ioa. Paulus & Ioa. Baptiſta filij patri cariſs. ac benè merenti mœſtiſs. poſ. Vix. ann. Lxx. P. M. Obijt prid. Id. Septemb. M. D. Lxx.

Etſi alterum pedem in ſepulcro haberem, non pigeret aliquid addiſcere.

VINCENTIO VRSELLIO.

Iuueni ſummo loco Aquilæ Neapolitanorum nato, maxima cum laude in re bellica verſato, quamdiu ſub M. Antonio Col. equo armato meruit, morbo in integerrima ætate conſumpto, Fulvius mœſtiſs. fr. cariſs. m. p. Vix ann. xxix. Obijt xv. Cal. Mart. M. D. Lxi.

HELIODORO OLDROANDO.

Philoſopho & Theologo ſummo, Ciſalp. Carmel. Præpoſito patriæ Cremonæ alumno non ingrato, templi huius reformatori relig. vnicæ exemplo M. H. P. Ann. Chriſt. ſal. M. D. viii. Cal. Aug.

CAMILLI BOCCATII.

Arte fuit nato prior & pater arte ſecundus,
Ergo erit arte minor, qui fuit arte prior.
Ob. M. D. xLvi. iiii. Non. Ianuar.

D. M.

Naturæ generator artifexq;
Viuas hic ſitus edidit figuras,
Cui nunquam ad veniam fuit recurſus,
Gratatæ Bocarinus hic Apelli.
M. D. xxiiii. v. Cal. Febr.

AD S. AVGVSTINVM.

LEONIS PICENARDI.

Ex voto Leonis Picenardi Homob. qui cum Venetijs anno ætatis ſuæ xxxiv. mortem obiret, pro ſua erga templum hoc pietate oſſa etiam ſua huc transferri, & ſub hac ara quieſcere voluit, Iacobina Ripa eius mater mœſtiſs. cum Balthaſar Leon. frater immatura & ipſe morte correptus non potuerit, hanc aram Virgini ab Aug. ſalutatæ dicatam & ad miſſam ſingulis diebus celebr. ex bonis ipſius dotat. erigendam curarunt. Anno à partu virginis M. D. Lxix.

CATALDO MANNAE.

Medico Clariſs. Petrus Manna Medicus F. patri b. m. & Thomæ Mannæ ICto. Oratori V. incomp. fratri cariſs. V. P. DD. ann. poſt Chriſti nat. M. D. xL. Imp. Cæſ. Corol. V. Aug.

CATHARINAE VICECOMITI.

Hieronymi F. Fœminæ pietatis eximiæ ac pudicitiæ ſingularis, Petrus Manna Medicus Phyſicus coniugi fideliſſimæ benemerenti V. P. anno à concept. virg. CIↃ. IↃ. Lvi. viii. Cal. April. Philippo Caroli V. Cæſ. F. Britanniæ Rege & Mediolani Duce.

A. L. C. V. M. A. A. T.

Conſummatæ Aſyro omnisque doctrinæ ſcientiæ lumen Baptiſta Piaſius hic requieſcit M. D. i. Eliſæus F. pp. i.

Superata tellus ſydera donat.

NICOLAVS PIASIVS.

Priomioris huiuſce vrbis excellent. Decanus & Canonicus xv. Cal. Febr. cœleſti patriæ, vnde vexerat, propè adoleſcens animam reddidit, hic in pace requieſcit, Ann. M. CCCC. viii.

IN AMBITV.

Approbare falſa pro veris non eſt natura hominis inſtituti, ſed pœna damnati.

Quod niſi præpotens atque pientiſs. Deus S. patrem Aurelium Auguſtinum fortunato tempore nobis conceſſiſſet ac donaſſet, ſanctificatio noſtra deſolata fuiſſet, dies feſti noſtri conuerſi in luctum, Sabbatha noſtra in opprobrium, honores & ſublimitas noſtra in mœrorem & planctum. Hæc Valerius ad Neſtorium.

HOMOBONO OFFREDO.

Philoſopho mortalibus non minus ob mores ſuauiſs. quàm medendi præſtantiam caro, omnibusque expetito, cuius domus ſanitatis officina, multis è rogo in vitam reſtitutis, tota Italia adibatur; At dum vndiq; à Principibus accerſitus amicorum ſaluti conſulit, ſuam perdit, luctu publ. ciuit: Italia mœrent. elatus Vix. ann. Lxxx. Petr. Io. Bapt. filij mœſtiſs. parenti ſanctiſs. p.

ALCIATI PIASII.

Lugete milites duceſq; militum,
Namq; Alciatus ille Piaſius heros,
Belliq; fulmen, & tubas & claſsica
Vitæ peractis quinq; luſtris deſerit,
Subitq; cœlo tibijs ſonantibus
Choriſq; concinentibus: Eia milites,
Eia tribuni militum compeſcite
Luctum, Alciatus Dux impiger teterrimo
E carcere & . . . . vos euocat
Ad ætheris ſublimioris curiam.

Alciato Piaſio ex familia non minus nobili quàm antiqua nato, Baptiſtæ viri fortiſs. & militum Ducis præclariſs. filio, in ætatis flore Præfectis militum adſcripto, & in expeditione Tunetana victori, hoſtiumq; ſpolijs triumphanti, in medio honorum curſu Neapoli è viuis ſublato, maioremq; in cœleſti patria triumphum agenti. Nicolaus Piaſius fratri cariſs. p. M. D. Lxxiii.

AD S. AGATHAM.

BARTHOL. CROTTO.

C. benemeritiſs. p. o. f. pientiſs. contra votum p. Vix. ann. Lxvi. M. viii. D. xvii. M. D. xxxviii vi. Id. Ianuar.

CAROLO RODENGO.

Brixiano, omnibus militiæ muneribus functo, Hieron. Rodengus p. mœſtiſs. f. cariſs. p. M. D. xLix. viii. Cal. Septembr.

MARGARETAE SPINETAE.

Veſtalis Carmelitanæ, quæ Chriſto ſponſo annos xxxv. ſumma corporis ac animi integritate in æde Diui Antonij parieti incluſa ſeruiuit: ab affinibus Procuratorum monum. Vix ann. Lxvii. Ob. xx. Iul. M. D. xxiiii.

AD S. ANGELVM.

LAFAITATORVM.

Ioa. Baptiſtæ Lafaitati Co. quod mortale fuit acerbo fato præreptum hoc heroico tegitur ſepulcro, reliquum ſuperi meritò vendicant. Vale hoſpes, & fati memor incerti. Vix. ann. xxviiii. M. iii. Iſab. Luna coniux & filij mœrent. b. m. h. m. pp. M. D. Liii. Non. Auguſt.

ἀνδρὶ τόδ᾽ ἡρώων μεγὰ γυνὴ πότνια θῆκε
τὸν θεὸν ἤδ᾽ ἔστη τοῦδε τάφου φύλακα..

ITEM.

Hic pietas in patriam & pauperes prompta monumento eſt vobis poſteri vbi iaceo, Antonius Lafaitatus nulli vnquam noxius, Deo proximus. Vale.

RIBALDORVM.

Hunc tumulum clari fieri fecere Ribaldi,
Nobilis æquorum cognatio magna virorum,
Eccleſias horum Sanctorum conſtituerunt,
Vitalis ſiquidem Coſmæ ſimul & Damiani,
Egregius miles Lantelmus nomine dictus
Hoc iacet in tumulo, vita præſente relicta,
Qui Ribaldorum de magna ſtirpe creatus,
Moribus & vita ſatis extat clarificatus.
Tunc erat ad finem lux menſis tertia Iani,
Iſtius mundi cum linquis omnia vani,
Ducenti atq; decem tunc quatuor octuageni,
Sunt anni Domini ſex & bis ſeptuageni.

IN MO-

IN MONASTERIO S. SIGISMVNDI. vno ab vrbe milliari.

AD ARAM.

Franciſcus Sfortiæ fil: ex Sfortia familia I. Mediolani Dux Plancam Mariam Philippi Vicecomitis filiam hic ſibi vxorem adiunxit,idq; per verbum & annulum de more ſignificauit, anno à Chriſto concepto M. CD.L V I.

Plancha Maria Franciſci Sfortiæ vxor m. p. q aram atq; ædem felicis matrimonij M. F. C.Hieronymianisq; monachis ædit: ac ſacr: miniſtris victum annuum de ſuo H. P. Cremona dotali vrbe D D. decreuit legauit anno à Chr. nat. M.CD.L X I X.

M. ANTONIO SISVLPHO.

Claro Bagorota Con: b. m. Virgineæ Siſulp. f. poſte: pat: cariſs: faci: carauere M. D. XLIX.

AD INGRESSVM TEMPLI.

Qui ſancta requiris ingredere non negotiationis ſed orationis domum.

ITEM.

Adſum è deſideratis deſiderata.
Noſtri ſimilib⁹, egenis amicis, virtutib⁹ ornatis reſerata ſemper.
Ab omnibus ſum adipiſcenda.
Ingreſſus multi ad ſolā honeſtatē terminati reprehēſione caret.

IN CHORO.

Monachi D. Hieronymo addicti, Chriſto ſemper viuentes hîc quieſcunt M.D. LXVIII.

AD PICTVRAS.

Pietas.	Scala cœli.	*Charitas.*	Omnium regina.
Iugum.	Sponte non vi.	*Caſtitas.*	Angelorum amica.
Monialis.	Inimica mundo.	*Deus.*	Vnaquæq; dare poteſt,
Mors.	In ſalatijs ponenda.		(quæ homo preſtare nequit.

BRIXIA.

VVLGO BRESSA OPPIDVM NON ADEO magnum ſed antiquū, benè munitum, pulcrum & populoſum, loco planè fertili & amœno ſitum. Habet enim in tractu ſuo lacus aliquot, maximè Iſæum & Idrinum & conualles cum montibus & collibus, in quibus tantus pagorum, caſtellorum, & vicorum numerus, vt paucos ſimiles reperias. Populus eſt ſolers & ex mineris ferri & æris, quibus abundat, quæſtum facit. Caſtrum munitiſſimum è vertice vrbem ſubter deſpicit, & valido tenetur præſidio à præfecto Venctorum, quibus paret. Et quanquam diuerſis temporibus maximis & miſerabilibus vaſtationibus, direptionibus & mutationibus obiecta fuerit, prout de ijs hiſtoriæ, maximè Capreolus, qui vrbis ſplendorem & dignitatem longè proſequitur abundè referunt: Ita tamen denuò creuit, ac ſi nulla calamitate vnquam fuiſſet afflicta. Protulit multos præclaros viros, ab alijs paſſim celebratos & relatos. De autoribus eius variant, plæriq; tamen Brinonem conditorem ponunt, & ab arborum feracitate & fructuum vbertate ſic appellatam, id enim vox Bertea ſignificat. Aucta plurimum à Cænomanis, & ad

Chriſti

Chriſti fidem conuerſa, anno Domini centeſimo nonageſimo, per D. Apollinarem Rauennatium præſulem & martyrem ac D. Petri diſcipulum. Etiam factiones Guelforum & Gibellinorum non ſolum intra muros, ſed per omnem eius agrum pernitioſiſsimè ſenſit, olim libera Imperij ab Otthone Saxone Imp. facta, ſed ab Henrico VI. populata, & multis immunitatibus priuata. Sic multorum Regulorum imperio ſubiecta fuit, donec ad Venetos deficeret, vſq; erepta denuò reſtitueretur, ſeſeq; recolligeret. Percurrit illam amnis Farcia, quem aliqui Melam appellant. Forum habet amplum, prætorium marmoreis columnis & artificioſiſsimis picturis ita ornatum & extructum, vt vix ſit cum alijs comparandum. Eccleſia Cathedralis antiqua & ornatiſsima eſt. Apud Ieſuitas monumentum militis Martinengi cuius familiæ palatium in vrbe magnificentiſs. Organum & picturæ in Eccleſia S. Petri artificioſiſs. Monaſteria admiranda, hoſpitale pulcrum, Prætorij in parietibus Impp. antiqui & illuſtres Romani collocati addito elogio.

Fidei pietati fidelis Brixia collocauit.

IN CATHEDRALI.

DOMINICO BOLLANO.

A Brixiana Prætura ad Epiſcopatum diuinitus vocato, paſtorali munere vigilantiſſimè ſanctiſſimeq; perfuncto, hoc in diem dormitionis monum. poſitum. Deceſſit ann. Dom. M. D. LXXIX. prid. Id. Auguſti annos natus LXV. M. V. D. II. Vixit in ſancta vigilia annos XX.

DOMINICO DE DOMINICIS.

Omnium liberalium artium & ſacræ Theologiæ Monarchæ, Præſuli Brixien. viro ob ſingularem in omni genere literaturæ doctrinam, in rebus gerendis ſapientiam, Nicolao, Calixto, Pio, Paulo, Sixto, Pontificibus caro, Io. Iuſtus Can. & Viced. Brixien. Proton. & Aloyſius fratres auunculo ſuo pientiſs. benè meritoq;. Is vero Nicolao ſedente Eccl. Torcelle, inde regnante Paulo Brixien. donatus plures in Aſtrologia, Phi. Theologia, Epiſcopali dignitate Papæ poteſtate libros, orationes, ſermones edidit, Referendarius aſſiſtens multorum Pontificum, Vicariusq; vrbis Romæ à Pontifice Pio ad imperium alioſq; Germaniæ principes & populos miſſus, pacis & concordiæ ſequeſter Matthiam Pannoniæ Regem reſtituta corona, Ludouicum Bauariæ Ducem & alios, Auſtriam, Viennenſes ad obœdientiam redeuntes cum eodem Imp. Federico fœderauit atq; pacauit, ab eodem ad Xyſtum IIII. Senatum Venetum legatus altero LX. ætatis ſuæ anno M. VII. D. II. Brix. hora fati ſui prædicto religioſus in Epiſcopatu ſuo moritur M. CCCC. LXXVII. XIII. Cal. Mart.

LAMBERTINI DE BONONIA.

Reuerendi in Chriſto Patris olim bo. memoriæ Epiſcopi Brixien. ſepulcrum: qui obijt die III. Septemb. M. CCC. XLIX.

PAVLO SCALVINO.

ICto. Proton. Apoſtolico atque huius Eccleſiæ Canonico, viro fortitudine prudentiaque præclaro, Andreas Scaluinus frat. p. Vix. ann. LVIII. M. IIII. D. VIII. Ob. III. Non. Iun. M. D. LXXXIIII.

PAVLO ALENIO.

ICto & Canon. Brixienſi, And. Cornelij S. R. E. Cardinalis ampliſs. & Epiſcopi Brixien. dum vixit: deinde al Lipp[mi]. Epiſcopi Veronen. in concilio Tridentino præſidentis, viri doctrina & ſanctitare vitæ præclari, locumtenenti & Vic. generali iuſtitiæ, & religionis, & pauperum amantiſs. Ob. ann. M. D. LXXII. Non. Maij.

IO. PAVLO FEDERICO DE CVRTE.

Cathedralis Eccleſiæ Brixien. Canonico atq; Præpoſ. nec non ſacri palatij aulæq; Lateranen. concilij Comiti ac Protonotario, bis conclauiſtarum priuilegio decorato

corato, auratæ militiæ militi, religione doctrinaq; inſigni Obijt M. D. Lxxxiii. Id. Nouembr. ætatis vero ſuæ anno Lxiii. Guffredus fr. mœſtiſs. p.

D. BERARDI MADII.

Epiſcopi ac princip. vrb. Brixien: ſed: M. CCC. viii.

GASPARI MAIAE.

Hac in ſede iacent venerandi Gaſparis oſſa,
Qui genus & patriam miro celebrauit honore,
Hunc ſtirps clara dedit, quam Maia nomine dicunt,
Hunc Diaconi coluere virum ſummumq; parentem.
M. CCCC. LXV.

Conditorium Bartholomæi Mari Petri Epiſcopi Brixien:

ALIVD.

Vixi, & ſecurus mei poſſeſſor fui, quæ dederat mihi Deus in curſu peregi, pietate Chriſti optimi meliores ſedes ſpero. Valete Brixienſes mei, cœlum ſpectate, Deo parete. Nam quàm fragilis & caduca ſit vita mortalium meo exemplo diſcite. M. cccc. Lxiiii.

BABTISTAE PLANERIO.

Archidiacono Brixienſi M. D. vita functo dicata vrna.

NICOLAVS MARIPETRVS.

Primus Brixianorum præfectus dira peſte diem in præfectura ſua clauſit extremum: Animam Deo opt: reddidit, Corpus autem auara terra hic ſaxis ſolennibus excepit M. cccc. xxix.

IN AEDE S CHRISTOPHORI.

THOPHILO MARTINENGO.

Comiti Equitiq; clariſs: patri auoq; pijſſimo Curtius Com: F. & Nepotes F. C.

GASPARI MARTINENG:

Vtinam fata venderent animas, eximerent te quæ cari pendebant religio, militia, Reſpub: Gaſpar: Martinen: ſacrum p: Id: Septemb: M. cccc. Lxxxi.

Quem non mille artes potuerunt perdere Martis,
Heu miſero, potuit mors violenta nimis.

AD S. CLEMENTEM.

Liuij Mauri hortulus cura & impenſa Vergerij Luzagi Iulij Barbiſoni IC.ti ac fratris, ipſiusq; Liuij & Georgij Piſchariæ in plateolam hanc conuerſus fuit anno Domini. M. D. Lxxvi

AD S. FRANCISCVM.

MARCO MARINO.

Senatori opt: prudentia cæteriſq; animi dotibus Brixiam moderanti, diem ante præfecturam functo Carol: filius p. p. p. c. H. M. D. Lxxiii.

ALOYSIO BONO.

Animi bonitate æquè ac iuriſprudentia præſtantiſſimo viro, qui dum Tribunitium munus ex principis delegatione Brixiæ in annonæ anguſtijs ſtrenuè proſequitur, naturæ prius quàm operæ ceſſit, anno M. D. xxviii. Maichaël F. Syndicatus dignitate inſignis, totam recenſens Venetiæ continentem oram, quod infans præſtare non potuit, nunc qualicunq; hac tranſeunti, & paternos manes ſalutanti eſt datum bene mer: patri piæ gratæq; memoria monumentũ perſoluit Anno M. D. Lxvii.

VIADANE MARCHIO CACIALCEBOS.

D. O. M.

Ducite Duces militum cateruas

Cogor hoc antro inſigniter locato,
Sculpite carmen inibi Camœnæ
Quod buſto gentes relegant miratæ,
Flectite nati ô ratibus Olympum,
Migrabo hinc, viſam ſuperos, hæc quies.
Die xxix. Menſ: Iunij Ann: M. cccc. xLi.

GASPARI BRVNELLI.

Prudentiâ, fide, religione, Deo, patriæ, amicis ſpectatiſſ: ſacelli huius conditori M. D.

Tendimus huc omnes.

ODOFREDI.

Prima dies Iani ſpirat dum nobilis, exit
Qui iacet incluſus, Odofredus nomine dictus,
De Iſio miles, cuiuſq; fidelis amicus,
Ipſe potenſq; fuit, ſtudio obſequioſus ab omni
Parte, Deus quare cum ſanctis collocet ipſum.

AD S. IOANNEM.

ZACHARIAE PETIANO.

Nobili, diuiti, probo, in egenos miſericors Camilla Suarda vxor pientiſſ. b. m. p. anno ſalut: M. D. xLii.

VERGILII BORNADI.

Vrbibus emenſis decimum iam lapſus in annum,
Bellorum triſti quondam vexata tumultu
Ad te nunc redeo nutrix mihi dulcis, & omni
Sub cælo regione prior pietate fideq;
Vrbs ſancta & dilecta Deo, ſplendorq; decusq;
Nominis Auſonij, cunctis opulentior oris:
Excipe Vergilium Bonrada ſtirpe creatum
O patria, atq; ſinu foueas: adſum pia mater,
Iactus ad occiduas partes modò iactus Eöas
Nunc Arcton gelidum, pluuium nunc pulſus ad Auſtrum,
Attamen & cæli & pelagi terræq; periclis
Seruatus, feſſum refero tibi Brixia corpus. M. CCCC. LX.

ORPHEO BORNADO.

Viri integerrimi & Equitis inſignis, Vergilj Bornadi, orbis terrarum ſcrutatoris eximij, primogenito, in caſu acerbiſſimo intercepto Vix: ann: iii. M. v. D. xiii. Modeſtiſſima Gabriela pia mater ſaxum hoc lugubre poſ: anno incarnationis verbi M. cccc. Lxxi. xiii. die Maij

LVDOVICVS BORNADVS.

Clarus ſtemmate, militia clarior, pro Rep: Veneta ductor peditum contra ferociſſ: German: & Hiſpan: obſeſſæ Cremonæ vall: alacriter cuſtodiens miſto Marte dimicans interemptus hic quieſcit, Seuerus P. vnico F. P. DD. M. D. xxvi. vii. Sept. Vix: ann: xxiii. m. v. d. xv.

AD S MARIAM.

Hieronimus Vgenus & Thadara Luziaca vxor eius hic ſimul iacent, Obierunt Anno Chriſti M. D. Lxiii.

PETRI NASINI.

Nobilis Brixien: hic oſſa quieſcunt xxx. Ianuar: migrauit M. D. Lxvii.

APVD

APVD CARMELITAS.

FRANCISCO CABALO.

Brixien: Philoſophorum in Patauino Gymnaſio, medicorum in vrbe Veneta, ſui temporis principi, quatuor filiæ pientiſsimæ patri amantiſſimo pp. M. D. xxii.

Cœlicolis auſpicijs.

HELIAE CAPREOLO.

Stemmate, doctrina moribuſq; præclaro, municipalibus ferè omnibus honoribus perſuncto, Hieron: atq; Probus filij pientiſs: patri b. m. pp.

IO: PETRO AVEROLDO.

Summo in vtraq; fortuna viro, patri Altobelius Aueroldus Epiſcopus Polenſis filius p. H. M. H. N. S.

IN S. DOMINICO.

THOMAE MADIAE.

Hunc ſibi delegit tumulum tituloq; notauit
Thomas, quem Madia ſtirps veneranda dedit.
Bernardus miles pater eſt, quo præſide multæ
Exultant vrbes, Imola corpus habet.

ALOYSIO CONFORTO.

Iure conſultiſſimo, Sarræ Durchæ coniugi pudiciſs: filij b. m. p. Obijt hæc prid: Cal: Maij. M. D. Lv. Ille verò x. Calend: Nouemb: M. D. Lx.

D. O. M.

HIERONYMO PEPVLO.

Comiti Bononien: ſumma & virtut: & generis nobilitate, qui dux Equit: peditumq; prudentiſs: & acerrimus cùm Florentinis Clem: vii. Pontif: Max: & Piſtorienſibus adſuiſſet, ad vltimum adminiſtrandæ rei militaris ergò Brixiæ præf: ab ampliſſimo Senatu Veneto, & maximis laboribus ſubita vi morbi extinct: luctuoſum acerbumq; graueq; deſiderium reliquit. Heredes inconſolabiles patri opt: pp. Vix: ann: Lvii. M. iii. D. v. Obijt iii. Id Quintil:

LEONIS DOVDAE.

Hic iacet inſignis Venetæ patricius vrbis,
Quem genuit Douda ſtirps generoſa Leo.

Obijt Prætor vrb: xiii. Auguſti M. cccc. Lxv.

CORNELII MICHAELIS.

Heu Corneli, quæ ſors tua?
Sum felix, ne me vexes.
Cur in pube læta obijſti?
Satis vixit, qui benè moritur.

Ioa: Michaël Illuſt: Præf: Nep: Non: Iul: M. D. xviii. I. F. M. ætern.

IN S. LAVRENTIO.

BARTHOL: AVEROLDO.

I. V. Doctori conſultiſs: Epiſcopo Chalamone integerrimo, Alex: Decret: Doctor poſuit.

IN S. ALEXANDRO.

DICIO GAVDIOSO.

Brixiano Antiſtiti, Galaſſius Fenarolus Eques auratus iuris Pontificij ciuiliſq; celeberrimus Doctor monum: dicauit. M. cccc. Lxxxviii.

ANTONII BOTTANI.

Antonij hic puluis clara de ſtirpe quieſcit,
Clamoſi viguit gloria vera fori.
Bottanæ hunc fati rapuit ſors inuida genti,
Conſilio fidum vel probitate virum.

Prid: Calend: Septemb: M. D. XLIX.

EPITAPHIVM.

Noſtræ Somuicæ Peregrinæ cùm generis nobilitate præditæ, tum probitate & omni virtute ornatiſſimæ:

Quo prius imbuerat dulci me munere tellus,
Hoc penitus totum contegitur tumulo.
Quem ſuperi dederant omni compage ſoluta,
Fertur ad aſtra animus redditus ille Deo.
Non me ſolliciti torquebunt ſæpè dolores,
Inſidiæ, curæ, iurgia, damna, pudor.
Quid mihi diuitiæ? quid clari à ſtirpe parentes?
Quid, quo plus potui, profuit ingenium.

Hæc Deo opt: Max: deditiſſima matrona LXVI. ætat: annum agens Non: Iulij perijt. M. D. LVIIII.

IN S. BARNABA.

SERVATI SOCCI.

Magnifici Domini ſepulcrum, qui deceſſit M. D. VIIII. Hieron: Bocatio & Suſannæ coniugi hoſpitalis Rectores P. M. D. LV.

Lætare felix Brixia
De tanto patre Barnaba,
Cuius iuſſu Anatholon
Lucem dedit in populum.

IN S. AGATHA.

BAPTISTAE BLASIO.

Patauino, Pontificijq; Cæſareiq; iuris conſultiſſimo Prætorij Aſſeſſori æquiſſimo M. CD. XCII.

IN S. FAVSTINA.

PAVLO AVEROLDO.

Clariſſimo viro Iuris Doctori eximio, Sopiana Laura & Leonora ſumma affectæ pietate hunc patri & ſibi extruxêre ſarcophagum, die xv. April: Anno M. D. LII.

LVCRETIAE.

Coniugi pud: Mil: Doradi Capani Ne. Apol: Euangeliſtæq; AEmiliæ parent. opt: nato P.G.K. DD. Monacho Bartholomæo relig: q; all: vir. pient: ius: Phyſ: Lateran: q; Comes Thomas Lambertus voti mode: ſarcophagum hunc M. D. III. KL. Scorpij S. P. Q. PP. M. P.

C. a Q. F. vſq; Q.

EX PRAECIPVIS INSCRIPTIONIBVS ANTIQVIS.

I.

Coll: Fabr: & Cent: Sex: Sextio Oreſigeni ornamentis Decurionalibus Brixiæ VI. vir, Auguſta patrono coll. Fabr: & Centonarior: & dendrophororum.

Coll:

II.

Coll: Fabr: & Cent: L. Cornelio Proſodico VI. vir, Aug: Brix: & Veron: ſacerd: colleg: iuuenum Brixianorum primum inſtitutis ob merita eius honore contentus inpendium remiſit 15 in tut. HS. N. D.

III.

Qui me volent.
Valete matronæ matresq́ familias,
Vixi, & vltra vitam nihil credidi,
Me me Veneri alumnæ addixi,
Quos potui pellexi philtris & aſtu,
Viro humato non vidua fui,
Nec mariti nomen adepta quæſo non inuidete,
Portia familia eſt, Veneris domus, ilicium Cupidinis.
Caue viator ne me diu calcatam calces.

IV.

Creſcio P. FF. AEuiliano ſeniori æquo publico omnibus honoribus municipalibus perfuncto.

V.

Magno Auguſto principi Max: Imp: fortiſſimo conſeruatori orbis L. Domitio Aureliano P. F. Pont: Max: Trib: pot. v. PP. Coſ: III. Procoſ: Goth: Max: Palmyr: max: Germ: max: ordo Brixianorum.

IN FORO.

SVB VENETORVM INSIGNI:

Iura Phalerus agit fulgens hæc ſigna Leonis
Priſca tuum felix Brixia nomen habet.

IN CASTRI PORTA.

Aurea cur ferro cedant modò ſæcula quæris?
Hoc ferri virtus inclyta quippe facit.

SVB PORTICV IBIDEM.

Marcus bella fugat, Marcellus iura tuetur,
Aurea quis nobis ſæcla rediſſet neget?

SVB CVIVSDAM INSIGNIIS.

Hic palmæ ſemper, ſemper quoq́ lilia florent.

SVB PRAETORIS INSIGNIIS.

Marmora quid faciunt? viuet virtute Capellus
Chriſtophorus, Venetum ſplendor belliq́ togæq́.

IN SAXO ANTIQVO.

Q. Cornelius Q. F. Ful. Fronto AEdilib: Q. T. F. I.

IN PALATIO CAPITANEI.

Hic locus odit, amat, punit, conſeruat, honorat,
Nequitiem, pacem, crimina, iura, probos.

Eſt principis munus vnicum alijs proſpicere, & publicis conſulere commodis.

ANTE AEDES PRIVATAS.

Intrent fidenter amici,
Oculatior Dominus.

Sic blandimur patriæ.
Cur oculi nos lares.
Arridet genius luci,
Non ex domo dignitas tua quærenda,
Introitus lucis exitus ſalutis.

BERGOMVM.

VVLGO BERGAMO, ANTIQVISSIMA vrbs annis Dccc. ante Chriſtum natum à Cidno, Liguris Hetruſcorum Regis filio ex interitu Barcæ Orobiorum oppidi, condita, olim veterum Gallorum, à quibus inſtaurata eſt, regalis, & Romani Imperij cliens fidelis, aliquando etiam ſui iuris, & varijs iniurijs iactata & multorum dominatum perpeſſa, donec ad Venetos deuenit, ſub quibus diuturnæ pacis otio fruitur & feliciter quieſcit. Poſita eſt in montibus, loco amœniſſimo, cuius ambitus cum IIII. *ſuburbijs adiacentibus non minor eſt opinione hominum ambitu ciuitatis Mediolanenſis.*

Nitet vbiq; ſplendidis ædificijs, tàm rei diuinæ quàm habitationi dicatis. Iuxta forum in æde D. Mariæ magnificum eſt ex marmore ſepulcrum Bartholomæi Coleonei ſtrenui olim militiæ cùm Venetorum tum aliorum principum Ducis, ornatum ſtatua equeſtri inaurata, & circumcirca depictis Papa, Imperatore, Rege Gall: & Duce Veneto, quibus is fideliter inſeruiuit. Templum ipſum magnificentiſsimum & admirandum ob chorum qui artificio ligneo hiſtoriarum Veteris & noui teſtamenti atq; ſplendido baptiſterio, Piſano tamen impari, forniceq; admirabili ad modum templi Laurentiani Mediolanenſis facto, magno eſt in precio. In cœnobio Prædicatorum presbyterium nobile opere ſegmentato factum ex ligno tâm excellenti & mirabili arte, vt depictum potius quàm è ligno iunctum conſertumq; videatur, autor Damianus eius ordinis monachus, qui in componendis ex ligno ſegmentis tanti ingenij fuit, quanti poſt hominum memoriam nemo ſcitur. In eodem Monaſterio eſt Bibliotheca ſpendida ab Alexandro Martinengo Malpaga fundata, cum cæteris præclariſsimis Italiæ conferenda. Palatium communitatis inſigne & pulcrè depictum eſt, varijs Bergomatum ciuium vel doctrina liberalium artium, vt Ambroſ: Calepinus vel iuris ciuilis, vt Albericus de Roſate, vel laude rei militaris, vt Barth. Coleonei, cuius inſigni adſcriptum. Semper honos nomenq; tuum, laudesq; manebunt, *illuſtrium inſignijs.*

Incolæ etiamſi ruſticano admodum ſermone vtuntur, pollent tamen ingenio, & cunctarum artium apud ſeipſos peritiſsimis hominibus abundant: agrum colunt fertilem præterquam ad Septentrionem, qua parte totus aſper, montoſus, rigidus & ſterilis eſt, Ferrum tamen habet & Cotarias & lapidem caduciam ex quo æs fit. Vellera quoq; ſuppeditat ex quibus confecta textilia per totam Italiam exportantur atq; vbiuis etiã in Germania cũ inſigni Cogliono, quibus proſtant, pro aulæis vtuntur.

Supra Bergomum Capella, munitiſsimo quondam ſitu propter montis cacumen, nunc autem ſemiruta & deſerta, in quo fundamenta Domiciani Monaſterij primum iacta, ſacellumq; conditum vnde Capella nomen remanſit.

IN

IN AEDE CATHEDRALI.

Duæ videntur ſtatuæ, quarum altera D. Iulij Cæſaris, altera D. Traiani Augusti.

BARTHOLOM: COLEONVS.

De Andegauia virtute immortalitatem adeptus, vſq; adeò in re militari fuit illuſtris, vt non modò tunc viuentium gloriam longè exceſſerit, ſed etiam poſteris ſpem eum imitandi ademerit: Multoties enim à diuerſis principibus, deinceps ab illuſtriſſimo Venetorum Senatu accepto imperio tandem totius Chriſtianorum exercitus ſub Paulo II. Pont. Max: delectus fuit Imperator, cuius acies XIV. annis ab eius obitu ſub ſolo iam defuncti Imperatoris tanquam viui nomine militantes iuſſa cuiuſcunq; alterius contempſerunt.

Obijt M. CCCC. LXXV. IIII. Non: Nouembr:

ACHILLIS BREMBATI.

Quæ te Achilles Bremb: Comes nefanda manus impiorum peremit, dum in ſacrificium Dei altiſsimi tota mente intueris, eadem afflictæ decus ciuitatis extruxit: Heu nimium tuæ virtuti inuiſum eſt, M. D. LXIII. Cal: April:

AD S. AVGVSTINVM.

IOANNI AVGVSTINO TVRRIANO.

Medico ſui temporis optimo & meritiſſimo, ſed dignam immortalitate virtutem corpus gerebat mortale, Vixit ann: LXXXI. Obijit VI. Id: Iunij M. D. XV. Nicolaus grati animi monumentum p:

APVD CARMELITAS.

Rariſſimæ pudicitiæ exemplum Lauram virtute Laurum heu crudelis nimium Parca abripuit: Marcus Anton: Longus Conſ: & Eques pater: Lucia ex præclara inter Venetos Marcella proſapia mater: Ioa: Hieronym: Albanus maritus, Iureconſultus inſignis & Eques ſuſpirijs, lacrymis, monumentoq; proſequitur: Vnanimes vixere annis X. Terra corpus, cœlum animam poſſidet

AD S. FRANCISCVM.

ANTE INTROITVM TEMPLI.

Morti morte tua mortem moriendo dediſti,
Eſt tua mors mortis Chriſte medela meæ.

IN TEMPLO.

Inclyta quæ Diuos coluit Reſpublica ſemper
Bergomum hoc fieri nobile iuſsit opus.

GROMVLORVM.

M. Antonio patri, & Petro patruo Gromulis, viris ornatiſs: genere, copijs, honore, nomine, virtute declarauit ciuitas quanti M. Antonium faceret, quem αὐτόνομον vnum ex his delegit, quibus habenas Reip: traderet, Ioa: Hieron: & M. Antoni Equites, translatis ex D. Stephani templo diruto amborum oſſibus M. D. LXXIIIX.

Ioanni Bapt: Gromulo Equiti omni virtutum genere eximio, in primis erga amicos caritate nobili & illuſtri Medea mater Ant: & Petrus filij amoris ſui monum: poſ: M. D. LXIII. Vix: ann: XXVII.

GVILIEL: DE LONGIS.

Hic quieſcit corpus piæ memoriæ Gulielmi de Long: Cardinalis.

CARARIENSIVM.

Laurentio Cararienſi abauo, Guidoni proauo, Michaeli auo, quem vltro Imp: Comitis honore, alijq; principes viri honoribus alijs affecerunt, magnis patruis Franciſco Io: Matthæo, Io: Paulo, ac Io: Guidoni patruo, & Io: Franc: patri, Michaël

filius philoſophus philoſophis, medicus medicis, domeſticæ laudis & virtutis antiquæ monumentum hoc, quò tàm generoſam ſapientiæ ſtirpem poſteri intuentes eam inertis vitæ dedecore contaminare vererentur po: cur: Anno CIϽ.IϽ. LXXVI.

Claruit & ante Laurentium Cararienſium familia viris præſtantiſſimis, in ijs Guido Theologus, qui annis abhinc CCC. huius vrbis Epiſcopus fuit, & plures alij, quorum virtus, præſertim in arte medica, non in patria modò, ſed Brixiæ, Pataui Ferrariæ ac Venetijs floruit. Sed infinitum erat omnium memoriam nominatim perſequi.

AD S. MICHAELEM.

ALEXANDRO CREMONAE.

Nobili patricio, vtriuſq; iuris conſultiſſimo, prius in patria cauſſarum Patrono diſertiſſimo, mox cum maxima ſui nominis celebritate per vniuerſas ferè vrbes Imperij Veneti aſſeſſori. Demum à Syluano Capello Senatore grauiſſimo Prætore criminum compeſcendorum gratia Bergomum aſcito, graui morbo confecto, ac non ſine vrbis mœrore ac lacrymis functo vita, fratres pientiſs. pp. Obijt anno ætatis ſuæ XLVI. Cal: Iunij M. D. LXXIX.

IN MONASTERIO CAPVZINORVM.

Vbi amici? vbi diuitiæ?
Finem tuum reſpice.

IOVI OPT: MAX: ET DIIS DEABVSQVE.
IMMORTALIBVS.

P. Mario Vot: Luperciano Eq: Rom: eq: publicos omnes honores municipales adepto, iudici de ſelecto Sacerdot: Cenienſi collegij Fabror: Centenar: Dendrophor: militiæ Bergomatis Patrono.

D. M. S.

Cornelij Q. L. Pſyches cineribus candidiſs: A: Seruius ater: flamen: dial: frat: & Cor: felix marit: M. P. S. F. C.

D. M.

Audaſiæ Q. F. Caleſe Q. Audaſius & Maron: VI. vir Aug. C. DD. Mediol: & Forepo pater, quæ vix: ann: V. M. IV. D. IIII.

C. CORNELIO.

C. F. Vot: Munitiano præfecto cohort: prim: damaſc: trib: mil: legionis III. Aug: præfect: Fabr: Curatori Reip: Oteſinorum IV. viro et Dic. Pontifici Flamini Diui Traiani Mediolani plebs vrbana.

PVDENS M. LEPIDI L. GRAMMATICI.

Procurator eram Lepidæ moresq; regebam,
Dum vixit manſit Cæſaris illa nurus.

IN PALATIO.

Bergomum vrbs vetuſtiſſima ante Seruatorem natum D.CCC. IIII. à Cidno, Liguris Etruſcorum Regis filio, extructa, aliquando in libertate, aliquando ſub Rom: Cæſarum, Regum ac Ducum imperio vario euentu iactata, ſub ſanctiſſima D. Marci alarum vmbra tandem diuturno pacis otio fruitur & feliciter quieſcit.

ANTO-

ANTONIAE.

Antonia ciuis Bergomi, virgo non minus animi quàm corporis pulcritudine pollens, cum à Friderico Imp: violentum in ſe ſtuprum parari videret, mortem pro conſeruanda pudicitia vili pendens, gladioq́; violatori erepto intrepidum ſibi pectus transfodiens, ſingulari caſtitatis exemplo vrbem hanc perpetuò illuſtrauit M. C. Lxiix.

BARTHOLOM: COLEONVS.

Qua fide, prudentia, ac fortitudine ſupremos in re bellica honores ſit adeptus, militarisq; diſciplinæ decus penè collapſum in priſtinum ſplendorem reſtituerit, docent inter cætera tot principum exercitus ab eo feliciter recti, Venetorum arma fauſtis auſpicijs ei, quoad vixit, credita, vniuerſæq; interea Chriſtianorum expeditionis in Turcas imperium demandatum, Gallos in Boſcu in Alexandrino agro obſidentes ingenti prælio vicit, caſtris exuit, & Renaldum Dieſnenſem hoſtium ducem cœpit.

Alcides vnum, geminos gerit ille Leones,
Vnde hoc? ille feras vicit, at iſte Duces.

ALBERICVS DE ROSATO.

Qui qualis fuerit, eius ſcripta venerandæ vbiq; autoritatis & vniuerſa IC.*torum* collegia atteſtantur, omni ferè ſed præcipuè legalis ſcientiæ genere toto orbe celeberrimus, vrbem iſtam ſummæ doctrinæ ſupremiq; ingenij virorum genitricem eſſe docuit M. ccc. Lv.

ADALBERTVS CARIMALVS.

Bergomi ciuis & Præſul tàm miræ fuit ſanctitatis, & in reſtauranda diruta ciuitate, & ſacris ædibus impiorum manu combuſtis ſolertiæ & probitatis, vt Berengarius I. Imp: ingentes eius virtutes admiratus, eum viſitare, & in eius gratiam Diui Alexandri noſtri tutelaris numinis templum ampliſſimis honoribus honeſtare voluerit. Anno D. cccc. III.

GRATAE FOEMINAE.

Grata ob proprias ac paternas virtutes regias meruit nuptias, & viro defuncto Bergomum redijt, vbi cum virgine Heſtoria eius ſocia pia in D. Alexandri cadauere funerando exhibita opera ſummo repleta numine, vnà cum Lupo Bergomi Duce & Heidleida parentibus populum hunc ad verum Dei cultum excitauit. Illam ideò parentes & Heſteriam in Diuorum numerum relatos, ciuitas inter patria numina colit; ac perpetuo veneratur, anno cc. ix.

Et quia ob præclara tum prudentiæ tum fortitudinis geſta Croatius à Probo Imperatore primus Bergomi Dux declarari meruit, & quia Lupum genuit, ſub cuius imperio Catholicæ fidei prius à D. Barnaba iacta ſemina vniuerſo populo floruerunt, ciuitas hæc perpetua illi venerandæ memoriæ monumenta dicauit. An: M. ccc.

Nemo Propheta acceptus in patria ſua.

In iuſtitiæ & æquitatis obſequium idem animus, eadem voluntas.

O quàm feliciſſimum & pium cum Caritate proferre Iuſtitiam.

IBIDEM.

Andreas noſtræ Præſes Cornelius vrbis
Pictura hunc iuſſit condecorare locum.

SVB ARMIS VENETORVM.

Semper eris mecum, mecum tua viuet imago.

IN CAN-

IN CANCELLARIA.

Lex prima conſilij liberè loquendi & patienter audiendi.

IN CAMERA.

Conſuetus vitio quisquis iuuenilibus annis,
Crimina non ſenio linquere poſſe puto.

Proſpicere & manſueſcere meum eſt.

Mali cognitio haud mala eſt, ſed actus implens malitiam.

Difficilis eſt virginitas, ergo rara.

Haud felix dicenda Reſpubl: ſtantibus mœnibus recentibus moribus.

Cartaſe gli denari delli Sacchetti
Che poi partiti non ſareti chatti.

IN PRIVATIS AEDIBVS.

Melius eſt puſillum requie, quàm plena vtraq; manus cum labore & affectione animi.

Non lapidibus & picturis, ſed inhabitantium virtutibus domus decoranda.

Neq; pro iuſtis orandũ, neq; pro iniuſtis exorandũ apud iudices.

Vera Iuſtitia compaſſionem habet.

Auarus, niſi cum moritur, nihil rectè facit.

Mors honeſta vitam etiam turpem exornat.

Heu quàm difficilis eſt gloriæ cuſtodia.

Homo extra corpus ſuum eſt cùm iraſcitur.

Laus in amore pati.

Dura vincula ſoluit amor.

CREMA.

OPPIDVM NOBILE IVCVNDA ET PVLcra planitie ſitum, ſpacijs amplum, mœnibus firmiſs: & inter quatuor Italiæ munitiora numeratum, & à Venetorum milite præſidiario, qui eo per fœdera ſunt potiti, quæ cum Franciſco Sforzia Mediolanenſi bello inita ſunt, cuſtoditum. Eoq; loco extructum, vbi fuit forum Diuguntinorum, atq; à Friderico Barbaroſſa poſt afflictam Cremonam in eius damnum & opprobrium amplè inſtauratum, vt frequenti & lauto ſit populo, ædificiorumq; ſplendore, rebusq; omnibus ad vitam mortalium vtilibus fulgeat & affluat. Agrum enim habet optimum, excultum, fertilem, aquarum riuos clariſsimos, & optimorum piſcium captura fœcundos, præcipuè muſtelarum & marſonorum. In foro depictus Leo Euangeliſta cum inſcriptione tali.

Leonem è Bergomo Mediolanum Galli rapuere, fidelis Crema redemit.

IN CATHEDRALI.

GASPARI ERICO.

Incomparabili integritate ac omni liberali doctrina politiſſimo, qui Syndicatus munere præclarè defungendo, reliquiſq; grauiſſimis rebus pro Veneta Rep: ſummo cum labore obeundis, in ipſa peregrinatione immatura morte præreptus eſt, mœſtiſſ: fratres tàm inſignis virtutis & pietatis memores pp.

EVANGELISTAE ZVILAE.

Cremenſis, triremis decreto patriæq; Ductori, qui expugnata in itinere biremi Columba pyraticam exercente, mox cœſa captaq; militari triremi præfecturam gerente, cum à ſanctiſſimi fœderis triremibus vniuerſa Turcarum claſſis eſt debellata, in ipſo virtutis ac victoriæ curſu Corciræ deceſſit M. D. Lxxi. Cal: Nou:

ALIVD.

Obſidione liberati patriæ victoriæ poſteris monumentum factum ad veſtigia Diuæ virginis ſpolia præfiximus. Anno M. D. xiiii.

AD S. BERNHARDVM.

MARINO GRADONICO.

Præſidi, qui tribus tantum menſibus magiſtratu functo, omnibus autem iuſtitiæ, integritatis, vigilantiæ muneribus pleniſſimè perfunctis, deceſſit. Bernardus Naui Bergami præf: ſucceſſor amico dulciſſimo amicus pientiſſ: p. M. D. Lxxx.

AD S. FRANCISCVM.

ANTONIO CASTELLO.

Viro integerrimo, artium & Medicinæ Doctori, qui annos viii. & xL. ſuam ægrotis operam perhumanè & fideliter præſtitit, filij pientiſſ: pp: Ob: Non: Mart: M. D. Lii. cum vixiſſet annos Lxxii. menſ: viii.

IACOBO BENZONO.

LL. Doctori patri, Io: Franciſco Equiti fratri, Felix & Blanca Lodouica moniales pp. Pater obijt M. D. Lii. Frater M. D. Lxviii.

IN FORO.

SVB IVSTITIA.

Nec prece nec precio ſto, ſed libramine recto
Sceptrum æquitatis, ne cuiquam oppreſſio fiat.

SVB VENETORVM INSIGNI.

Abductus à Gallis Aſtæ obſcurus iacui, nunc reſtitutus patriæ inſignis maneo.

ANTE AEDES PRIVATAS.

Aurea reſtituit nobis dum tempora, dumq;
Libertas patriæ reddita prima fuit.
Ante oculos en hic poſita eſt Mauortis imago
Arma tenens victi lumine prenſa manu.

LAVS POMPEIA.

LEANDER NOMEN HVIVS VRBIS A Pompeio Magni Pompei patre, qui vel Colonos huc deduxerit, vel eam refecerit, putat ortum: Alij à Boijs conditam produnt, cum trans Alpes proficiſcerentur anno M. C. LVIII. Euerſa & funditus deleta ob ciuiles diſſenſiones à Mediolanenſibus, & ab ipſorum hoſte Friderico Ænobarbo tertio lapide ab antiquæ vrbis ruinis anno XLIX. poſt felici au-

ſpicio condita noua. Eſt enim ciuitas perhoneſta, populoſa, diues, agrum habens amœnum, fertilem, & campos latiſſimos, & prata ad rem pecuariam admodum opportuna, adeò vt caſei tanta hic ſit copia, quanta in Italiæ parte nulla, & tàm amplis & ingentibus eum molibus figurant, quantis vix credere queas, ni videris. Eorum aliquando Comes Io: Franciſcus Somalienus IIII. tàm inſigni forma confici curauit, vt ſinguli pondo D. complerent. Tertium & quartum etiam fœnum his pratis ſecatur, nonnunquam etiam quintum, propter aquarum abundantiam, quibus vniuerſus ſitus eſt irriguus, adeò vt ternos quaternoſuè canales alios alijs ſuperinductos, vti locorum editior vel depreſſior eſt conditio, videas, mirabili planè arte, & ſummo cum fructu incolarum. Quamuis ad Venetorum ditionem nonnunquam aſpirauerit, non tamen illa diu potuit frui, ſed Carolo V. eiusq; filio Philippo Regi paret, qui in principatu Mediolanenſi Franciſco Sfortiæ ſucceſſerunt: Guelphorum & Gibellinorum factionibus aliquando flagrans, & aliorum tyrannidem experta.

IN CATHEDRALI.

LODOVICI VISLERINI.

Hoſpes, ſi forſan neſcis, hic ſitus Lodouicus Viſlerinus ille patriæ ſeruatæ parens, qui bellica laude ſecundus nemini ſuorum temporũ re benè geſta Cæſaris Fr. Sfortiæ & Genuenſium, propius acceſſit ad antiquorum Imperatorum gloriam: ex prouocatione ter victor ſæpè victis, ſæpè fugatis hoſtibus, morbo deniq; conſumptus magnum Italiæ ſui deſiderium reliquit, cum vixiſſet annos LXXVII. Iſabella Viſlerina perpetuum mœrens parenti h. m. p.

BASSIANVS PONTANVS.

Se & Vrſillam Spineam vxorem comparem vna hic condi mandauit. Quid quæritis? Sic ſe cum viuerent etiam amabant V. F. M.D.X.

AD S. FRANCISCVM.

SVB ISIGNIIS PAPAE SIXTI IV.

Euge caput mundi olim alter Patriarcha minorum
Eccleſiæ cardo ſanctæ Franciſce deinde,
Quem genuit Sauona parens, quemq; inclyta virtus
Suſtulit ad cœlum, atq; excelſa ſede locauit
Papa ſed & fato Sixtus nunc ordine Quartus,
Relligionis honos, fidei baſis, arra Sophiæ,
Tu ſtupor in terris, tu gloria magna Minorum,
Sydera te ſummum lumen venerantur, adorant.

GEORGIO BOSSONO.

Inſigni Iureconſulto Patricio Laudenſi vxor & lugentes filij pp. b. m.

AD IMAGINEM VIRG: MARIAE.

Virginis intactæ cùm veneris ante figuram,
Prætereundo caue ne taceatur AVE.

AD S. DOMINICVM.

RIPAE.

Ortum ſumma dedit claro mihi ſtemmate Ripa,
Dominicus mores, Lauda ſed exitium.

Obijt M. CC. LXXXXVI.

IN FORO.

POMPEIVS.

Ad quam ego vrbem à Ciſalpinis Boiis conditam iuſſu mandatoq;

datoq́; populi Rom: coloniam deduxi, hanc Philippe Hiſp: Rex Max: ſub tuo æquo imperio libenti animo degentem complectere & tuere.

FRIDERICVS I. IMP.

Quam bello dirutam longe ego meliori loco ac ſitu reſtituendam ædificandamq́; mandaui, noſtra è Germania oriunde Philippe Rex Max: vt ornes, ornatamq́; vt augeas oro poſcoq́;.

IBIDEM.

Tit. Cæſar Aug: F. Auguſtus Diuus Cæſar Aug: F. portam f. c.

TICINVM.

VVLGO PAVIA: PERBELLA VRBS, DVcum Longobardicorum & Mediolanenſium ſedes olim perpetua: multas turres habens atq; ad eiuſdem nominis fluuium ſita, qui ex monte Summano, hodie Gothardi, ex ſummis Alpibus cū Rhodano & Rheno oritur, diuerſis tamen partibus & in diuerſum fluentibus, & aquis tàm eſt perlucidus, vt quiduis imo in fundo luculentè monſtret, atq; hinc ad IIII. milliare oſtium efficit, & in Eridanum ſe effundit. Condita à Leuicis & Maricis, Liguribus, ampliata à Boijs & Cænomannis Mediolani tam valdè auctis, vt illius vrbis ſpacijs contineri haud poſſent, dictaq; Papia à papæ, quæ vox exultantis eſt, & non ineptè applicatur, cum breuiſsimo tempore ita creuerit, vt nullam circum vicinam potentiam videretur timere, vel quod ſit mirabili copia rerum omnium ad vitam hominum vtilium abundans & affluens. Ager enim eius mirifice fertilis eſt, & tantæ vbertatis, vt vulgò Mediolani hortus nuncupetur, ſuppeditans non ſolum frumentum, vinum, fructus, ſed etiam delitias & omnis generis ferinas carnes, aues, piſces, & alia mortalium vſui oportuna & neceſſaria. Gothorum quoq; Reges ante Longobardos propter aëris ſalubritatem lociq; amœnitatem hic conſediſſe legimus. Bellis ſæpius vaſtata, ac miſerè dilacerata fuit, plurimū & ſplendidis ædificijs ornata iterum â Ioanne Galeatio Vicecomite, & Imperio Mediolanenſi coniuncta. Dein in Sfortiarum & Regis Franciæ poteſtatem deuenit, quo apud Ticinum à Carolo Lanoio Neapolis Prorege, & copiarum Caroli V. Imp: præfecto in pugna, ex equi lapſu, cum Rege Nauarræ maximaq; principum parte, quos Franciſcus Rex Galliæ in comitatu ſuo habebat, anno M. D. XXV. die feſto Matthiæ in viuario capto, ad Carolum Imp: eiuſq; filium Philippum tranſijt, ſub quibus ex multis & diuerſis calamitatibus, de quibus hiſtoriæ referunt, recreari & refici nonnihil cœpit. Arcem habet pulcrè munitam, à Ioanne Galeatio Duce erectam. In ea præſidium Hiſpanicum, ſicuti portarum & oppidi Germanicum, Item pernobilis bibliotheca ſemiruta adhuc iacens: Cellæ quoq; tàm latæ vt duo æquorum millia in illis pabulari & abſcondi poſſint. Fora duo cum platea quæ in arcem ducit ampliſsima ſunt. Ante Eccleſiam Cathedralem ſtatua ænea equeſtris Antonini Pij. Templum D. Petri aureum habet cœlum, & ſumptuoſum D. Auguſtini marmoreum monumentū, qui à Luitprando Rege Longobardorum è Sardinia huc translatus & reconditus eſt, atq; etiam templū hoc cum cœnobio & D. Anaſtaſij æde extruxit: Regina Condiberta D. Ioannes Batiſtæ fanum: Petrus Epiſcopus Luitprandi conſobrinus D. Sabinæ: Regina Theodolina

D. Mariæ Perticalis ædem: Rex Perterit D. Agathæ ac D. Claræ monaſterium condidere. Gymnaſium à Carolo IIII. Anno Domini M. ccc. LXI. Galeatio & Barnaba Vicecomitibus poſtulantibus fundatũ, florentiſsimum ſemper fuit, ſed à Gallis cum vltionis cauſſa Odetto Fuxio Lantrecchio, & Comite Sanpaulij Ducibus, binis vicibus vrbem occupaſſent & omnibus direptis vaſtaſſent, admodùm ſicut & aliæ ædes deformatum. Papa Pius V. Rom: Pontifex patria Buſtoducen: comitibus ſuis hac noſtra ætate collegium Papia inſtituit: Et Cardinalis Boromæus, ſtudioſis palatium ſuum attribuit. Ericus quoq; Brunſuicenſis Dux huius vrbis & Italiæ delitijs ita delectatus eſt, vt relicto Ducatu hic in ſenecta conſederit, & vitam cum morte commutarit: De quo Poëta luſit:

Papa tibi Papia atq; fuit non patria curæ,
Hinc procul à patria te tegit vrbs Papia.

Pons ſuper Athiſum flumen longus eſt tectus, &c.

IN AEDE D. PETRI.

LVITPRANDVS REX LONGOBARD:

Luitprandus Longobardorum Rex inclytus ob translatum D. Auguſtini corpus templũ hoc, & Abbatiale cœnobiũ religioſiſſimè inibi degentibus reſtaurauit, ann: Dcc. XXII.

SEVERINI BOETII EPISCOPI.

Mæonia & Latia lingua clariſsimus, & qui
Conſul eram, hic perij miſſus in exilium.
Sed quid mors rapuit? probitas me vexit ad auras,
Et nunc fama viget maxima, viuit opus.

EIVSDEM.

Quisquis in hoc ſuperos templo ſubmiſſus adoras,
Deq; tuo fundis pectore in aſtra preces.
Huc prece finita clamat lapis iſte venito,
Carmina nec pigeat ſcire quid iſta velint.
Hic eſt quem ſpectas tumulus, quo condita Diui
Sancta Seuerini molliter oſſa cubant.
Vir fuit hic quondam Roma ſatus vrbe, propago
Manlia quem priſcis annumerauit auis.
Torquatum audacis quem pœnam ſumere nati
Heu nimium patriæ verus adegit amor.
Felix & ſocero, felix & coniuge caſta,
Proleq; cum gemina conſul in vrbe fui.
Sanguine non tantum titulisq; inſignis auorum,
Quantum virtute hic ingenioq; fuit.
Hunc equidem cunctas animum dimittere in artes,
Doctrinæ ſtudium magnaq; cura fuit.
Dicere longa mora eſt, quot ſcripſerit ille libellos,
Atq; referre ſuo nomine quemq; labor.
Quos inter fidei plureis munimina noſtræ,
Conditur in rebus pagina ſacra tuis.
Sed tamen immeritus fatis agitatus iniquis,
Pro meritis pœnas ſuppliciumq; tulit.
Nam Theodorici nunc Itala regna tenentis
Dùm benè nequitiam domat & imperium.
Infelix opibus dignoq; exutus honore,
Turpiter à patria pellitur exul homo.
Mæſtus, egens, nulloq; fugam comitante ſuorum,
Mœnia non fauſto contigit iſta pede.
Atq; iſtic reliquos vitæ miſerabilis annos
Exegit, ſtabili tot mala mente gerens.

Hic

Hic tenebris fœdoq́; abſtruſus carcere ditat
Solamen proprij dulce laboris opus.
Nec tamen his ſatiata ferox trucis ira Tyranni,
Hunc etiam ſæua morte perire iubet.
Impia funeſtus peragens mandata ſatelles
Sanctum lethifero ſecuit enſe caput.
Nec mora depoſito terreni corporis vſu,
Quæ meruit liber, ſpiritus aſtra ſubit.
Qui nunc ſanctorum numero turbaq́; receptus,
Magnaq́; Martini præmia laudis habet.
Laudibus ac toto nomen celebratur in orbe,
Perpetuæ famam poſteritatis habens.

IN AEDE CATHEDRALI.

MANFREDI DE BECCARIA ET FRAT: DVOR:

Tres ſucceſſiue ciues genuiſſe refertur
Roma ſecunda ſibi claros quos protulit vrbi,
Ordine quemq́; ſuo Murrum, Carumq́; ſecundo,
Terno Manfredum, quos omnes de Becaria
Protulit vnica ſtirps, populi totius honorem
Semper adornantes, populum nam ſemper amabant,
Et populus gratos dominos hos ſemper habebat,
Quos tribus hic tumulis noſcatis eſſe ſepultos.

M. CCC. XXII. die Lunæ Men: Mart: obijt Dominus Manfredus de Beccaria.

S. D. BELCARII DE BECCARIA.

Militis & legum Doctoris filij quondam Domini Nicoleti de Beccaria militis & ipſius deſcendentium militum legum & Decretorum Doctorum, & vxorum cuiuslibet ipſorum, qui D. Beccarius fuit, Poteſtas & Rector Modretiæ & ciuitatum Sauonæ bis, Cumarum bis, Mediolani, Bergami quater, Lucæ, Mantuæ quater, Vercellarum, Ianuæ. Aſt & fuit ſed non actu Poteſtas Piſarum & fuit electus, ſed renunciauit poſteriam ciuitatum Parmæ, Vercellarum quater, Piſarum, Nauariæ, Mantuæ bis, Sauonæ, Mediolani, Firmi, Cheni, aſt bis capitaneus Piſarum, Parmæ & Firmi, Anno Domini M. CCC. XXXVI. fecit fieri.

FRANCISCI DVCIS LOTHARING: RICHARDI GALAE POOLEN ANGLI DVCIS SVFFOLCHIAE.

Capto à milite Cæſareo Franciſco I. Gallorum Rege in agro Papien: anno M. D. XXV. XXIV. Febr: inter alios proceres qui ex ſuis in prælio occiſi ſunt, occubuerunt Domini Ill.mi Principes Franciſcus Dux Lotharingiæ, & Richardus Gala Poole Anglus, Dux Suffolchiæ à Rege Tyranno Henrico VIII. pulſus regno: quorum corpora hoc in cœnobio & ambitu per annos XVII. ſine honore tumulata ſunt.

Tandem Carolus Purcherus à Merleij Richardi proximus conſanguineus, regno Angliæ ab impia Eliſabeth ob cauſſam fidei eiectus, beneficentia tamen Philippi Regis Catholici Hiſpaniarum Monarchæ inuictiſſimi in ſtatu Mediolan: ſuſtentatus, hoc qualecunq; monumentum pro rerum ſuarum tenuitate cariſſimo propinquo erigi fecit Anno. M. D. XLII. maiora & honorificentiora commendans Lotharingicis. Viator precare quietem.

MICHAELI ZIEGLERO.

Patritio Sueuo, qui plurimis cùm Germaniæ & Galliæ, tùm Italiæ ciuitatibus peragratis, ob præclaras ingenij animiq; dotes multorum gratiam conciliarat, demum in hoc Ticinenſi Gymnaſio adeò in omni virtutum genere excelluerat, vt non minus in Philoſophia quàm in Iuris prudentia, ac in Muſicæ Modalis ſcientia floreret, quiq; cum in Syrij ardoribus æſtus leniendi cauſſa Ticino amni natans ſe credidiſſet,

diſſet, eius virtutibus inuolutus, diem obijt anno M. D. LXIX. Non: Quint: ætat: ſuæ XXVII. Ioannes Conradus Kottauiz, cui flebile ſui deſiderium reliquit, ſocius ſocio cariſſimo, & optimè merito mœſtiſs: p.

Sueuia me genuit, rapuit Ticinus, habet nunc
Vrna breuis, calidis ablue lector aquis.

EITEL FREDERICVS.

Comes de alto Zolleren ſacri Romani Imperij primus Camerarius Cæſ: & Cato: ma: ſuper pedites Germanos eo tempore in Italia capitaneus generalis, qui dum Papiæ à Rege Gallorum acerrimè obſeſſa, anno ætat: ſuæ XXXI. die XV. Ianuar: Obijt M. D. XXV.

IN AMBITV.

AD DEPICTAM HISTORIAM D. AVGVSTINI.

Cernite eremitæ tria veſtri lumina cœtus,
Auguſtinus Hyponæ Præſul, & ordinis autor
Qui medius ſedet, eſt, qui dextra parte Guilelmus,
A quo ſtructa domus fuit hæc: qui parte ſiniſtra
Hic Bonifacius eſt, qui vobis tanta reliquit:
AEternas tribus his memores perſoluite grates.

APVD CARMELITAS.

SIMONI TROAMVLAE.

Clarus in hoc tumulo Simon Troamula recumbit,
Iuncta cui illuſtris ſanguine Blancha fuit.
Hic nouus interpres ſacrarum dogmata legum
Nouerat, auratæ dignus honore togæ.
Pace loquor iuuenum, nulli fuit iſte ſecundus
Moribus, ingenio, nobilitate, fide.
Quod male mors tanto iaculata eſt ſpicula flori,
Concutit atq; auidas inuidioſa manus.
Scæuola vel Gallus meritis alterq; fuiſſet,
Cuius ob ingenium iura notata forent.
Plangite Doctores raptum ſuper aſtra decorem,
Defleat hunc, iuris quiſquis amator adeſt.
Si lacrymis iterum poſſet tua vita reuerti,
Care Simon lacrymis omnia plena forent.
Sed quia non poſſunt crudelia fata reuerti,
Gaudeat in terris nomen & aſtra polo.

MATTHAEI IC.ti

Vrna tegit cineres Matthæi induſtria cauſſæ
Concelebrant claro nomina digna viro.
Dicite vos Pauli, dic Scæuola, dicq; forenſis
Curia, quàm fuerit relligione pius.
Cura, labor, doctrina, fides colit æthera, virtus
Scandere ad excelſos hunc iubet ipſa Deos.

CATONIS SACCI IC.ti

Reliquum Catonis.

LAFRANCONI.

Reuerend: Carmelita D. Archangelus Lafranconus Papienſis inſula Theologorum redimitus Ticinenſi Gymnaſio viuens legit, legens obijt, legebat vt doceret, ſciebat vt benè ageret, Anno M. D. LXV. VII. Cal: Decemb:

IOAN: FRANCISCO DE S.to NAZARIO.

A Ripa, IC.to primi nominis, Senatori Duc: Com: Palat: Helena gentilis vxor & ſex liberi.

Hoc potes hoſpes æſtimare ſaxo,
Humani nihil eſſe non caducum.

NICOLINI DE S. NAZARIO.

Vita bonum mendax: longo digniſsime ſæclo
Hic tegit extinctum te Nicoline lapis.
Heu quantos Ticino luctus lacrymasq; relinquis
Interpres legum, conſilijq; pater.
M. CD. Lxxiiix. die xiii. Menſ. Maij.

BALTHASARO TORQVATO.

Balthaſar hic iaceo Torquatæ gloria gentis,
Oſſa hic, aſt animam clarus Olympus habet.
Pace, age quis neſcit? clarus, celeberrimus armis
Illuſtres miſi ſub mea iuga Duces.
Debuit æternos igitur quos terra triumphos
Hos parat ecce mihi regia tota poli.
Obijt Id: Mart. Anno. M. D. Lx.

IN S. FRANCISCO.

GOTHARDVS REGN: MEDIOLAN.

Ticinenſis Gymnaſij Rector inſtaurauit, anno M. D·XLVIII.

GRANCISCO MVGARO.

Ille decor fidei, Genuæ pius ille miniſter
Qui rerum cauſſas nouit & alta DEI.
Clauditur hac humili Franciſcus Magarus arca,
At tenet optatum Spiritus ipſe polum.

ANONYMI.

Non habita ratione ſoli nec ſtirpis auitæ,
Immiſere necem fata ſiniſtra mihi.
Nil hinc inde preces fuſæ, nil pulcra iuuentus
Profuit, inſtabilis ſtat ſua cuiq; dies.

BALDI IVRECONSVLTI,
cuculla Franciſcanorum induti.

Vita, labor, ſtudium, diuini cultus amoris,
Artes naturæ, Regis fulgentia dicta,
Legales normæ, Paſtorum cœlica iura,
Ornant Baldi animum, quæ pandit dogmate claro.
Et quia nunc linquit mortalis pondera carnis,
Dulcia iam guſtans autoris paſcua ſummi,
Clauditur hic Baldus, Franciſci tegmine fultus
Doctorum princeps Peruſina natus in arce.
Obijt M. CCCC. XX. IIII. April: in aurora.

Baldus editiorem locum ſortitus hic octo & decem ſupra centum annis obdormiuit. Gothardus Vregna Mediol: Ticinenſis Gymnaſij Rector inſtaurauit, Anno M. D. xLvii.

EIVSDEM, AB AMANTE NOMINIS
adſcriptum.

Filius Aſtrææ, morum pater, artis alumnus
Cæſareæ, verus relligionis honor.

Baldus Peruſÿ ducens cognomen ab vrbe
Clauditur hic, animam ſydera ſumma tenent.

FRANCISCI CVRTII SENIORIS.

Sacrarum interpres legum ſanctiſsimus olim
Franciſcus, patriæ gloria magna ſuæ.
Quem probitas, quem cana fides, pietasq; Deorum,
Fecerat, hoc poſitum marmore corpus habet.

Obijt M.CCCC.XCV. XXX. Iul:
Bernardinus Curtius gratus filius fieri iuſſit.

HIERONYMO BECCARIAE.

Iuniori, Comitis Franciſci Iunioris fil: bellicæ laudis gloria cumulatiſſimo, vel nomine ipſo hoſtibus formiduloſo, dextra & ſtratagematibus præclaro, qui in ſingulari certamine ſemper victor, plurium peditum cohortium, equitumq; turmarum Ductor Franciſco II. Mediol. Duci cuius fortunam ſecutus eſt, Laudæ Pompeiæ obſeſſæ maximo fuit adiumento, Barbara Soror B. M. P. M. D. XXX. Hieronymus Beccaria Cornazanus ex eadem Nepos Luſitaniæ religionis Eques ad perpetuam rei memor: inſtaur:

LVCHINI CVRTII.

Tegitur hoc Lapide Luchinus Curtius Iuriſconſ: patriæ decus, vitæ ſpeculum, pacis amator, præcipuus vitiorum malleus, Ob: M. D. II. III. Nouemb.

IN AEDE S. CLARAE.

Blanchæ Aiatiæ coniugi, Auguſtinæ Turrianæ matri, Blanchæ Salimbenæ ſorori, fœminis lectiſſimis, Ioſeph Salimbenius Eques tribus animis ſuis vnica pietate poſ: anno M. D. LXXIII.

IN S. EPIPHANIA.

ANDREAE ALCIATO.

Mediolan: IC.to Comiti, Protonotario Apoſtolico Cæſareoq; Senatori, qui omnium doctrinarũ orbem abſoluit, primus legum ſtudia antiquo reſtituit decori, Vix: ann: LVIII. M. VIII. D. IIII. Ob: prid: Id: Iauar: M. D. L. Franc: Alciat: IC. H. B. M. P.

Siſte gradum, quamuis fugiat breuis hora, viator,
Sic fati nullus te dolor examinet.

AD INSIGNIA.	*AD CORNVCOPIAE.*
μηδὲν ἀναβαλλόμενος.	Ανδρὸς δικαίου κάρπος οὐκ ἀπόλλυται.

In obitum eius notum eſt Et oſtichon.

IVra taCent ſtrepItVsqVè forI LegesqVè ſaLVbres,
CVr? IaCet AnDreas DVX & ApoLLo forI.

Domus Alciati prope D. Thomæ templum eſt, ampla ea & turri inuerſa, foribus, effigie & inſignibus additis cum inſcriptione:

AND: ALCIATVS IC: EQVES CAESAR: DVCALISQVE SENATOR.

Bibliothecam tenet Franciſcus Alciatus, in qua præ cæteris membranæ miræ vetuſtatis continentes formulam contractus antiqui, quam in monumentis antiquitatis ponit doctiſsimus Georgius Fabricius Chemnicenſis.

HIERONYMO TORNIELLO.

Iureconſulto maximo, quem ad intimam iuris vtriuſq; ſapientiam enucleandam, ac totius S.tis ac iuſtitiæ exemplum natura pepererat, hered: opt: M. M. ad tempus poſuere. Vix: ann: LXX. Ob: ann: M. D. LXX. Non: Calen: Octobr.

Credite nunc vaſe anguſto poſſe æquora claudi,
Cum quidquid legum eſt hæc breuis vrna tegat.

IN ECCLESIA CRVCIS.

BARTHOL: BECCARIA.

De S. Iuleta Philippo Mariæ Mediolanenſi Duci, inter cubicularios Proceresq; ſuos ob merita quamplurima gratiſſimi, eiuſq; poſterorum oſſa, Ioannes Baptiſta & fratres Beccariæ ſuperſtites, vt eadem vrna reconderent aliundè exportata, hic piè reponi curarunt, anno M. D. Lx. die xII. Ianuar:

IN AEDE D. THOMAE.

IN CAPELLA D. CATHAR: VIRG:

Hanc totus cœtus ſtudij Papienſis honori
Catharina tuo ſtatuit pia ſancta Capellam,
In qua conſtituit ſua quatuor eſſe ſepulcra,
Annis mille ſuos Phœbus tunc voluerat ortus
Tercentum his iunctis, qui ſecum iure tenebat
Luſtra nouem, bis iunctus erat quibus vnicus annus
A Chriſti natu numeri ratione notati
Principis illuſtris Geleazi Antiſtitis, atq;
Virtutum Comitis, ſub Papia diues habenis,
Vrbs erat, & ſtudio generali læta manebat.

HIERONYMO SACCO.

Et animi & conſilij maximo viro, qui bello pares fortaſſe aliquos, ſuperiores certè habuiſſet paucos, honeſtiſs: ductis ordinibus miram in varijs generibus bellorum & hoſtium adeptus eſt laudem, demum Gaſinariæ arcem oppugnans vulneribus quinq; affectus, natus annos vI. & xL. Nouariæ præfectus obijt anno M. D. LvI.

AVRELII TONNI MEDICI.

Ille Placentinus violenta heu morte peremptus,
Artis profeſſor Medicinæ hac Marcus in vrna,
Aurelius Tonnus ſacræ indolis ecce quieſcit,
Cum ſuperis gaudens ferè luſtris quinq; propinquus.
Obijt Cal: Febr: M. D. LII.

IACOBVS MANDELLVS.

Albenſis iuris vtr: interpres celeberrimus, Papiæ, Placentiæ & Piſis ſupremos honores conſecutus, cum deinde Patauium, Ferrariam, rurſusq; Piſas magnis præmijs vocaretur, vita functus Ticinenſem hanc cæterasq; lugentes reliquit Academias Vix: ann: xLv. Ob: xxx. Octobr: M. D. Lv.

CHRISTOPHOR: CASTALION.

Hic iacet clariſſimorum IC.*torum* ætatis ſuæ princeps Dominus Chriſtophorus de generoſa progenie Caſtalionenſis Comes, atq; illuſtriſſimi Domini Dn: Secundi Ducis conſiliarius, qui Papiæ, Taurini, Parmæ & Senis primam cathedram tenens legum Monarcha ſcribebatur, cuius anima die xvI. Maij anni M. CD. xxv. in feſto Dominicæ Aſcenſionis hic dimiſſo carnis onere cum Chriſto in cœlū aſcendit.

FRATRVM BVTIGELLARVM.

Quos genuit generoſa domus Butigella Ticini
Splendida progenies fratres Antonius aras
Ille Simon Thomasq; ſimul Franciſcus & iſtis
Additus has animæ voto Mena Pacius olim
Conſtituêre pio, quorum tibi ſancte dicata
Spiritus vna manet, Stephanum colit altera ſanctum

Quotidie quo miſſa loco celebretur in omnem
AEtatem, ſæclumq́ſequens, oratio calle
Quo leuiore polos animus cum liquerit oſſa
Quisq́ petens lætetur ouans tetigiſſe tonantem.

Supra ſcripti fratres hanc ſacriſtiam conſtrui fecerunt, anno Domini M.CD.xLii.

AVGVSTO SENAGO.

Medico & publico Profeſſori clariſſimo, florente eius ætate & gloria ad ſuperos vocato, Ioannes Baptiſta nepos poſ: nobiliſſima Butigellarum familia annuente. Ob: v. Maij M. D. Lxi.

IN S. AVGVSTINO.

CHRISTOPHORO TRVCHSES.

Sacri Rom: Imperij Hereditario Dapifero Baroni in VValdtburg, Tribuno mill: Cæſareor: in ditione Africana ornamentis equit: donato bis D. Caroli Imp: manu.

Auſtriacum in Turcas bellum, Caroliq́ triumphus,
Tuniſiæ fauces ſalſaq́ ſtagna maris.
Virtutis monumenta tuæ immortalia perſtant,
Corporis hic tantum ſtat fugitiuus honos.

Ottho Gynaſiarcha fratri cariſſimo P. M. D. XXXV.

CHRISTOPHORI DICTVM:
In hoc vici, mors irridet curas.

OTTHONIS:
Clementia principes dijs facit æquales.

PETRI DE CORTEVILLE.

Alcanteriæ Commendat: Pamel: D. Caroli V. Imp: Conſ: & geminar: cuſtod: quod mortale fuerat hic latet, reliquum ad aſtra volitauit. xii. Cal: Iul: M. D. xLiii.

AD S. MICHAELEM.

D. ELEVCADIO.

Diui Eleucadij delatum eſt corpus in vrbem
Ticini, Magno Canſtantino imperitante,
Paſtorem hunc habuit quondam longæua Rauenna,
Cuius translatas nunc maior continet arca
Relliquias, vbi ſculpta eius ſpectantur imago.

M. D. Lxxiii. à virgieo partu.

ENNODII.

Ennodius Vates lucis rediturus in orbem,
Hoc poſuit tumulo corporis exuuias.
Clarus prole quidem generoſior ipſe propinquis,
Quos functus laudum iuſsit habere diem.
Reddidit hos cœlo viuentibus ille figuris,
Cum fecit famæ viuere conloquijs.
Quid mirum ſi morte caret poſt buſta ſuperſtes,
Qui conſanguineos reſtituit ſuperis.
Ille fuit quantus mundi celebratus in ortu,
Nec ſilet occidui cardinis Oceanus.
Schiſmata coniunxit dudum diſcordia legum,
Atq́ fidem Petri reddidit Eccleſijs.
Pollens eloquio, doctrinæ nobilis arte,
Innumeros Chriſto reſtituit populos.
Largus vel ſapiens diſpenſatorq́ benignus,
Diuitias credens quas dedit eſſe ſuus.

Templo

Templa Deo faciens hymnis decorauit & auro,
Et paries functi dogmata nunc loquitur.

Depoſitus ſub D. xvi. Cal: Auguſti.
Eius reliquiæ in maius altare translatæ.

GEORGII ZVCARII.

Quos eidem lares atq; eadem coniunctiſſimæ ſtirpis caritas pietatis officio coniunxit, hoc eodem tumulo duo functi vita requieſcunt. Do: Georgius Zucarius ſpectatæ fidei cauſidicus patriæ defenſor, qui obijt ann: ſalut: M. D. LVI. XII. Septemb: Margareta eius filia.

ANTONII GVAYNERII.

Hippocrates medicæ baſis Galienus & Iſach,
Et quod Auicenna ſciuit humatur vbi.
Hac eſt Antonius Guaynerius abditus arca
Philoſophus, medicæ maximus artis honos.
Teſtantur plures libri, quos condidit ipſe,
Famaq;, qua celebris par ſibi nullus erat.
Par ſibi ſola fuit veritate & nomine coniux
Antonia, vt thalami ſic tumuliq; comes.
Hos Deus ad cœlos exutos corpore traxit,
Ne ſuperis ſanctis tantus abeſſet honor.

APVD S. IOANNEM IN SVBVRBIO.

Hic vir ſit limus Chriſti, dum vixit, amicus,
Pandit vt eius opus, & ſacer iſte locus.
Vites namq; dedit tibi, muris atria ſepſit,
Atq; domum ſtruxit qua melius potuit.
Presbyteris grandi fore quælibet vtilitati,
Nam ſimul hic prandent vt decet atq; iubent.
Vnde Deus grates ſibi det.

IN AEDE S. SPIRITVS EXTRA MVROS.

HIERONYMO DE BECCARIA.

Præclariſſimo equiti, illuſtriq; Comiti Montisbelli & Montiscalui ac Litubij Domino, inſigniq; pro Franciſco patre & Galeatio Maria filio Mediolani ducibus apud diuerſos principes legato, qui obijt anno M.D. tertio Non: Decemb: Comes Galeatius eius filius perpetuo mœrens hoc monument: poſ:

IN S. IACOBO EXTRA MVROS.

AVGVSTI DE BECCARIA.

Sepulcrum præſtantiſſimi militis Domini Auguſti de Beccaria Gambolati Trumelli & Burgi S.ti Cyri Domini, qui obijt anno natalis Chriſti M. CD. Lxxv. die vi. Ian: cuius hæc eſt effigies.

Luſtra nouem decies bis centum & quinq; peracta
Algentiſq; dies Ianuarij ſexta vigebat,
Poſt Chriſti natale Dei cum clara propago
Beccariæ Auguſtus ſuperas migrauit ad arces
Inſignis miles, templo hoc ſua membra recondi
Iuſsit, dumq; pijs quàm maxima prædia linquit
Nunc tibi dextra refert, vxorem læua potentem
Signat imago ſuam, qua nunc opus & monumentum
Hoc autore vides, ſi nomina fortè requiris,
Et genus egregium, dicam: Zacarina Lonata.

IO: AVGVSTINI VEGII.

Ticinenſis patricij ſplendidiſſimi ac Iureconſulti, quod mortale fuit, hic requieſcit.

IASON MAYNVS.

Iureconſultus, Comes & eques quisquis ille fuerit hic requieſcit.

Quis iacet hoc hoſpes tumulo? quis? ſummus Iaſon:
Ille ne Phryxeæ vellere diues ouis?
Clarior hic illo longè eſt. Quisnam oro? Maynus
Excellens iuris gloria Cæſarei.
Non fuit hoc quisquam iuris conſultior alter,
Qui extinctum poſſet reddere ius melius.
Sed tamen hoc ſummi vetuit mens dia Parentis,
Cæſaribus cupiens vſq; fauere ſuis.
Te audiijt ô nimium felix qui iura legentem
Damnantemq; acri plurima iudicio.
Nec tamen infelix, tua qui monumenta reuoluit
Et memori condit lecta, tenetq; ſinu.
Et quanquam obloqueris, plebs inuida, ſolus Iaſon
Hic legum nodos difficiles ſoluit.
Amborum ſic fama omnem vulgata per orbem,
Ille nitens belli laude, ſed ille togæ.

LANCELLOTTVS DECIVS.

Iurisconſultiſſimus & in Ticinenſi gymnaſio interpres gratiſſimus, magno Gymnaſij & totius vrbis dolore obijt anno M. D. xv. IIII. Febr:.

Bina trophæa ſuis Decij peperere, ſed vnus
Huic patriæ lux, ſpes, præſidiumq; fuit.
Sæua prius quàm clara fuit ſua dextra, triumphum
Aſt ego diuerſa conditione tuli.
Signa mihi leges pax & victoria, & arma
Iuſtitiæ, eloquium cum pietate fuit.
Ergo pro meritis functus iam munere tandem
Ad ſuperos reduci ſpiritus igne redit.

HIERONYMI TORTI.

Iureconſulti reliquum quod ſupereſt hoc marmore reconditur, hic Ticini tribus Gymnaſijs legendi perfunctus munere, graui correptus morbo. Obijt anno natiuit: Domini M. CD. XXCIV.

Cæſarei iuris terrarum ſplendor in orbe,
Tortus in hac vrna nobile corpus habet.
Ingenio leges illuſtres reddidit ille,
Luce par eſt Phœbo qui loca clara facit.

IOANNIS GIRINGELLI.

Summi Philoſophi & Medici intus oſſa quære, extra nomen, quod tàm paruo ſaxo claudi non potuit.

AD S. MARIAM IN PERTICA.

ANDOALDI DVCIS.

Illuſtris Dux Liguriæ ſub regibus audax
Andoald armipotens claris natalibus ortus
Victrix cuius dextra ſubegit fortiter hoſtes,
Belligeras domuit acies, hoſtilia caſtra
Cum laude ingenti proſtrauit Didymus iſtic
Cuius membra iacent huius ſub tegmine cautis

DVCIS

DVCIS CVIVSDAM.

Fama virum celebrat diuerſis plena triumphis
Immenſum qualis fuerit quantusq; per orbem,
Magna Duci pietas fuit iſti & bellica virtus,
Qui iam ſexaginta peractis circiter annis
Ad cœlos animam miſit, ſed membra ſepulcro
Huic tumulanda dedit, flueret cum indictio prima
Nonarumq; eſſet Iulij cum feria quinta.

DVCISSAE.

Conditur hic Duciſſa pijs memoranda loquelis
Cunctorum, è vita quam mors ſurgentibus annis
Abſtraxit ſubitò regalia ſceptra tenentem,
Quæ licet imperio paucis præfecta diebus,
Taliter ornabat conceſſi exordia regni
Templa Dei venerans, ſacerdotesq; miniſtrosq;
Eccleſiæ ſummo ſanctoq; colebat honore,
Purpureas toties, ſimul & diademata, veſtes
Depoſuit, Chriſto famulans in paupere geſtu,
Sicq; ſuis manibus ieiuna miniſtrat egenis.

MELCHIORIS GERMANI.

D. O. M.

Hic condit lapis oſſa Melchioris
A Germania, amice ne viator
Quæras qui fuerim diu: labores
Poſt multos varia & pericla rerum
Germano Latium mihi maiorem
Finem & perpetuam dedit quietem.

M. D. XXXVII. IX. Calend: VII bris.

IN INGRESSV CAROLI V.

IN I. ARCV.

ταὶς ἡμῶν οἰκίας ἐτρέψομεν πρὸς, ἀετὸν.

IN II. ARCV.

PAPIA.

In mœrore Lætitia.

Solatur cauſſa mœrentem.

Huic ex vtraq; parte tres tabulæ adiunctæ.

A DEXTERO LATERE.

I.

Defecere alij ſolum tu paſſa Papia,
Ii ſublimantur mœſta ſed ipſa iaces.

II.

Exemplum ſtabit populis ſubuerſa Papia
Par ſit pro populis tanta tuliſſe ſuis.

III.

Integra noſtra fides fulget ſi rupta corona
Hac capti Reges, reddita ſceptra tibi.

A SINISTRO.

I.

Diruta Cæſareo pro nomine celſa Papia
Inſtaurata tuo munere Cæſar eat.

Erepta

II.

Erepta Inſubræ Cæſar tibi ſceptra redemit
Quam deſolatam ne patiare precor.

III.

Cæſar ſi gratus, ſi iuſtus rector olympi,
Integra cernetur rupta corona mea.

IN III. ARCV.

Σε πτὴ δικαιῶς βασιλεία πολεμίοις δόναι μὴν ὑπακόοις φιλανθρωπίαν δεικνύειν:

IN PORTA TEMPLI.

Θεὸς οὐδενὸς κάρολος μόνε δεῖται θεοῦ.

Via qua Mediolanum itur viuarium eſt, vulgo dictum il Barro, cinctum vndiq; lateritio muro, & in formam redactum quadratam, cuius ambitus milliaria continuit & quodlibet latus D. paſs: nunc vero ſemilacerum deſinit ad nobile & famoſiſsimum illud Carthuſianorum monaſterium, quod vulgo la certoſa appellatur. Huius templum marmore mira arte elaborato incruſtatum vndiq; eſt: Altare verò ſummum ſolido ex ebore, figuris exilibus & operis admirandi. Fons itidem pulcerrimus & marmoreus. Fundauit id Ioannes Galeazius Mediolan: dux, & multis auxit reditibus, adeo vt xxv. mill aureorum in cenſu annuo habere iudicetur. In templo Ducis effigies cum ſuperbo & eximio eius & vxoris marmoreo monumento.

GALEAZIO Vicecomiti Duci Mediolanenſi ac Priori eius vxori Carthuſiani memores gratiq; poſuêre M. D. LXII. XX. Decembris.

IN MARMORE COOPERIENTE SEPVLcrum hæ habentur hiſtoriæ.

I.

Imperio auſpitioq; ſuo hoſtiles exercitus debellat.

II.

Præfecturam militarem à Patre accipit.

III.

Finibus prolatis Dux Mediolani à Vondeſlao creatur.

IIII.

Papiæ liberalium literarum ſcholas extruxit.

IOANNES GALEAZIVS.

ViceComes, Magni Matthæi Pronepos ſub Galeazio patre ad magna inſtitutus rem militarem primus in Italiam reduxit, bellator indefeſſus ſuo auſpicio & aliorum ductu Barbaros & hoſtiles exercitus, ſiue iniurias vlciſceretur, ſocios & amicos defenderet, ſiue regni fines ampliaret, occidione deuicit, Regum gener atq; ſocer, affinitatem, amicitiam & ſocietatem cum potentiſſimis Regibus iunxit, religionem Dei amplexus collapſa templa reſtituit, nouem magnifica & opulenta monaſteria extruxit, Hieroſolymis ſacellum & aras erexit, domi & bello diſceptator prudens, iuſtus, magnificas Papiæ ſcholas cuiuſcunq; ſcientiæ: Doctoribusq; annua ſalaria inſtituit, arces patrem imitatus partim ſitu & natura validas munitiores, alias manu & opere & manu inexpugnabiles fecit, gentes omnes à mari Tyrrheno ad Venetorũ vſq; litora ſub fidẽ & imperium redegit, ex Gubernatore regni Dominus & Dux creatus ad excelſa rerũ humanarũ faſtgia viam affectabat, niſi in Italiæ iacturã fata interceſ-

interceſſiſſent. Cæterum moriens, cor Viennam Allobrogum, reliqua inteſtina ad Callæcos deportari, & in ædibus Diuorum Iacobi & Antonij: oſſa vero in cœnobio Carthuſienſium iuxta Papiam condi teſtamento iuſſit. Vix. ann. xLviii. M. x. D. xix. Obijt M. CCCC. ii. Melignani regnauit ann. xxiiii.

IN CHORO.

AD CHRISTI EFFIGIEM.

Corpus virgineum Chriſti ſpectator adora,
Victima qui pro te ſanguinolenta fuit.
Hic tibi vitalis liquor eſt pergratior illo
Nectare, quod veteres antè bibêre Patres.

MEDIOLANVM.

VVLGO MEILAN EXIMIÆ DIGNITATIS vrbs, ſpacium complectens ampliſſimum, vt inter maximas Europæ cenſeatur, ſuburbia longa lataq; admodum habens, quibus plurimùm augetur: Ea ſicuti & ciuitatem latæ aquarum foſſæ cingunt, per quas vndiq; nauigijs annonæ magna defertur copia. Nobilis mercimonijs & mechanicis artibus, & tàm multa ac diuerſa hic artificum genera, tantaq; frequentia vt referri vix queat. Sita loco plano trans Padum inter Abduam & Ticinum fluuios, Alpibus vicina: ædificata à Tubale filio Iaphetis, tempore Iudicum 4840. ampliata ab Olano Hetruſcorum, dein Medo Gallorum Ducibus, dictaq; Mediolanum. Alciatus in Emblematis aliam nominis rationem affert, & à Celtico vocabulo Medel & Lano, id eſt, terra, quaſi dicas Terra Mineruæ, quæ hic præcipuè colebatur, appellatam prodit, atq; addit eam à Bituricis & Heduis conditam, & cum Heduorum inſigne eſſet ſucula, Bituricorum agnus, communi conſenſu ſtatum, vt porca lanata gentis vtriusq; ſignum eſſet, cuius ſententiæ etiam Liuius eſt cum Lucano. Floruit maximè Traiani & Adriani Impp: temporibus, qui eam magna ex parte habitarunt, Diruta miſerè à Gothis, pòſt Longobardis: Longinus Imperatoris Iuſtiniani Exarchus ijs pulſis plurimum inſtaurauit, atq; ibidem diem extremum clauſit, cum vrbem ſummo in otio & decore annis aliquot tenuiſſet. Fridericus I. Anno M. C. LXII. ſolo æquauit, & tria corpora Magorum Mediolanenſium odio tranſtulit Coloniam Agrippinam, de quo excidio hi verſus in quodam marmore reperti:

Rex eſt venturus Mediolanum tibi durus,
Rex tibi crudelis, per quadrum diminueris.

Poſt varias experta belli fortunæ & imperij vices etiam à Vicecomitibus poſſeſſa & gubernata eſt, quorum Ioannes Maria, Ioannis Galeazij I. Ducis præclariſſimi filius, ob immanem tyrannidem in gubernatione exercitam ad templũ Diui Gothardi trucidatus eſt. Simili modo perijt in æde Diui Stephani Galeazius Maria Franciſci Sfortiæ filius propter infandas libidines, cuius cædis patratores nulla habita ratione ætatis in quartum vſq; gradum occiſi, & ædificia ipſorum diruta, horti vaſtati, radicitus effoſſis fructiferis & reliquis ſuccisis arboribus. A Sfortijs eã ex ſucceſſione patris Caroli tenet Philippus Hiſpaniarum Rex, à cuius Vicario cum tota prouincia & vicinis ciuitatibus ad eam pertinentibus gubernatur. Arcem habet portam Iouiam munitiſſimam, & totius Europe propugnaculum, nullaq; vi expugnabilem; cuius munitionis ratio cum proſtet, eam hic non proſequemur: In maiori tormento æneo hæc:

Ich heiſſe Schmeis ins feld/
Dem Pabſt vnd Deuffel bin ich feind.

In altero quodam oblongo ad inſignia Elect: Saxon: & Lantgrauij Haſsiæ hæc:

Alle Obrigkeit iſt von Gott/
Ohn den Teuffel vnd die Babſtiſche roht.

Cætera quoq; ædificia tàm publica quàm priuata mirè ſplendida ac magnifica ſunt præſertim ædis Cathedralis, vulgo dicta Domus, quæ immenſo ſumptu atq; admirabili arte facta, cum paucis totius orbis templis, ſiue magnitudinem & artificium, ſiue precia marmorum & opera ſpectes, conferri poteſt: Eſt enim foris & intus niueo marmore ad tectum vsq; incruſtata, atq; ſtatuis marmoreis SS^torum. & Patriarcharum, veteris & noui teſtamenti hiſtorijs, quales etiam viſæ in Certoſa Ticinenſi, mira arte elaboratis, vndiq; ornata. Organum præterea in quod IIII. aureorum millia impenſa. Supra altare ſummum in fornice clauus oſtenditur, quo Chriſtus, Saluator generis humani, cruci affixus eſt, à Theodoſio Imperatore Mediolanenſibus dono datus, & hic religiosè poſitus & cultus. Martini V. Pontificis ſtatua in ea ſimiliter eſt marmorea, qui anno M. C C C C. ex conſilio Conſtantienſi rediens templum conſecrauit, & ſolemne ſacrum XVI. Octobr: celebrauit ipſe. Palatium hinc templo coniunctum hodie Corte Vecchia appellatur, extructum à Traiano Imp: & à Gubernatore Vrbis habitatum, tractantur in eo cauſſæ ciuiles. Inſcriptio ad lapidem in Prætorio inferius, fanum D. Laurentij ſolis fornicibus latiſsimis fultum, nec vllis columnis ſubnixum, vetuſtate admirandum, & à Maximo Herculeo Herculi erectum eſt. Extra eius fores columnæ ſtriatæ marmoreæ XVI. carie quaſi conſumptæ, in quo palatium Romanorum Cæſarum idem conſtituere voluit. Diui Ambroſij olim Prothaſij & Geruaſij frequens eſt ob ſerpentem æneum, qui in deſerto populo Iſraelitico propoſitus, & à Theodoſio Imp: Diuo Hieronymo dono datus & hic repoſitus eſt, cui è regione ſignum crucis rubeæ oppoſitum, ad effigiandam ſententiam Chriſti, ſicut Moyſes in deſerto exaltauit ſerpentem, ita exaltari oportet filium hominis, additoq; dyſticho.

Flecte genu, ſubmitte caput, ſed corda leuato,
Contemplare humilem quem teris ore Deum.

Dein patera lignea, argento in cruſtata, ex qua D. Hieronymus bibit, & libri aliquot hiſtoriæ Iudaicæ Ioſephi Longobardicis literis in cortice ſcripti. Altare D. Hieronymi laminas aureas habet, & ternis vicibus in anno populo conſpiciendum præbetur magno eius concurſu, circùm IIII. columnæ Porphyreticæ craſsiſsimæ. Effigies item eius prope organum tumulus communis cum SS. Geruaſio & Prothaſio, inter quos is eſt medius. In veſtibulo templi arbor omnium vitiorum picta, ramisq; ſingulis nomina ſua, vtpote, Ambitionis, Inuidiæ, Exultationis in aduerſis proximi, Afflictionis in proſperis, Detrectionis, ſimulq; emblemate agni demulcientis pede dextro leonem in humilitatis ſignum, addita, trunco hoc diſtichon appictum:

Hac vetita quiſquis decerpit ab arbore pomum,
Mors necat æternis legibus heù miſerum.

Demùm ad aram quandam vetuſtam ſepulcrum, quod Deſiderij poſtremi Longobardorum Regis aſſerunt, quia tamen literæ nullæ apparent, aliquibus videtur minus veriſimile. Statua item Herculis, ſeu vt quidam volunt Bacchi, læua canem, dextra clauam tenentis.

E regio-

E regione D. Franciſci templum, in quo monumentum ſumptuoſum marmoreum priuatæ familiæ. Fanum D. Maria ad Celſum nondum eſt abſolutum, futurum tamen omnium pulcerrimum. Diui Dioniſij omnium antiquiſsimum, in quo Pet: Anthon: de Leua honorificentiſsimè humatus erat, verùm quia ob nouas molitiones monaſterium ferè deformatum eſt, alium in locum eiuſdem monaſterij tranſlatus cernitur, cum inſignijs militaribus & vexillis plurimis. Ibidem extra portam domus hoſpitalis, quã il Lazaretto di S. Georgio vocant, forma extructa quadrata cuius vnumquodq́ latus CCCC. L I. paſs: conclauia L X V I I I. continet, ædificium planè regium. Alterum hoſpitale eſt ad S. Nazarum celebre per totam Europam. In templo Dominicanorum à S. Euſtorgio ſaxum monſtratur excauatum longum ped: X V I. latum V I. ex continuo & ſolido lapide, in quo dicuntur recondita fuiſſe corpora I I I Magorum, antequam hinc Coloniam transferrentur. In medio templi ſuperba ſepultura Petri Martyris anno M. CC. L X I I. excitata capite eius capſæ chriſtallinæ ſimilibus pilis ſub choro ſuſtentatæ à Lud: Sfortia incluſo. La Fontana monaſterium noui ordinis. D. Teclæ vel Saluatoris fanum in foro olim Mineruæ dicatum fuit. S. Gothardi nobilibus aliquot Vecomitum ſepulturis decoratum. Gratiarum ædis è regione caſtri ſumptuoſiſsimâ eſt hemiſphærio nobiliſsimo à Lud: Sfortia facto, ſub quo cum vxore poni volebat ſepulcro ibi conſtituto marmoreo cum ipſius ac ſui imagine, niſi in vlteriori Gallia in fata conceſsiſſet. Cœnobium huic cohæret inſigne Biblioteca & picturis Laurentij Vincij Florentini. In ſacraria quoq́ multæ aureæ & argenteæ veſtes à Ludouico Sfortia ad rei diuinæ miniſterium paratæ & donatæ.

IN AEDE CATHEDRALI BEATAE MARIAE VIRGINIS.

DE BEATA VIRGINE IN EPISTYLIIS.

Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis,
In tua ſe clauſit viſcera factus homo.
Vera fides geniti purgauit crimina mundi,
Et tibi Virginitas inuiolata manet.

IOAN: VICECOMITIS ARCHIEP: MEDIOL:

Quàm faſtus, quàm pompa leuis, quàm gloria mundi
Sit breuis & fragilis humana potentia quàm ſit,
Collige ab exemplo qui tranſis perlege, differ,
In ſpeculo ſpeculare meo lacrymabile carmen,
Qui ſim, qui fuerim dicet, qui marmore claudor.
Sanguine clarus eram Vicecomes ſtirpe, Ioannes
Nomine, nullus opes poſſedit latius orbe:
Præſul eram paſtorq́ fui, baculumq́ tenebat
Dextera Paſtoris, gladiumq́ ſiniſtra gerebat
Felicis Domini, magnusq́ potensq́ triumphans
Ipſe fui viuens, metuerunt nomina noſtra
AEthera, terra, mare, ſuberant vrbesq́ potentes
Imperio tituloq́ meo, mihi Mediolanum
Vrbs ſuberat, Londenſe ſolum, Placentia grata,
Aurea Parma, bona & Bononia, pulcra Cremona,
Bergoma magna ſatis lapidoſis montibus aucta,
Brixia magnipotens, Bobienſis terra, tribusq́
Eximijs dotata bonis Terdona vocata,
Cumarum tellus, nouaq́ Alexandria pinguis

 Et Ver-

Et Vercellarum terra atq; Nouaria & Alba
Aſt quoq; cum caſtris Pedemontis iuſſa ſubibat
Ianua, quæ antiquo quondam iam condita Iano
Dicitur, & vaſti narratur ianua mundi,
Et Sacronenſis vrbs, & loca plurima, quæ nunc
Difficile eſt numerare mihi, mea iuſſa ſubibant,
Tuſcia tota meum metuebat languida nomen,
Hinc obſeſſa fuit populo Florentia plena,
Bellaq; ſuſtinuit tellus Peruſina ſuperba,
Et Piſæ & Senæ timidum reuerenter honorem
Præſtabant, me me metuebat machina tota,
Nunc me petra tenet, ſaxoq; includor in iſto,
Et lacerum vermes laniant nunc vndiq; corpus.
Quid mihi diuitiæ? quid lata palatia proſunt?
Cum mihi ſufficiat paruo quod marmore claudor.

Et clauſi diem meum M. CCCC. LIIII. Octobr. v.

Dominus Gabrius de Samaroijs legum Doctor conſcripſit hoc carmen.

MARINO CARACCIOLO CARDIN:

Neapolitano illuſtri genere orto, qui plurimis pro Pontifice Cæſareq; functus legationibus, primam Carolo v. Imperatori ad Aquiſgranum coronam impoſuit, Anglos ei coniunxit & Venetos ac demum à Paulo III. Pontif. Max. in Cardinalium numerum cooptatus, dum prouinciam Mediolan. ab eodem Carolo ſibi creditam regeret, importuna morte maxima cum Reipub. Chriſtianæ iactura ſublatus eſt V. Cal. Febr. M. D. XXXIII. annos natus LXIX. Ioan. Baptiſta fratri opt. poſuit.

BAPTISTA BAGOROTTVS.

Placent. Epiſcop. Bobien. & Comes, dum ſe mortalem animo voluit, viuens ſibi poſ. M. D. XIX.

Ne quid expectes amicos, quod tu per te agere poſſis.

IBIDEM IN SACELLO.

Ioannis Andreæ Vicecomitis.
Friderici & Galeazij Mediolan. Duc.

POLYDORI SFORZIAE.

Sforzia aui, pater eſt Franciſcus maximus ille,
Cui virtusq; parens, ſors bona amica fuit.
Eſt Mediolanum patria hæc ditiſſima rerum
Atq; hominum, generis nomina fecit auus.
Corpore, mente, manuq; vigens Polydorus in artes
Et gentis titulos conſpiciendus eram.
Præter ſpem præſtare nihil ſed fas fuit, heu mors,
Tam bona vota heu mors præcipitata tulit.

Natus ann. XXIII. Ob. M. CCCC. LXXV. XXX. Martij.

IN MENSA MARMOREA EXTRA CHORVM AD LAEVAM. (+)

Circulus hic ſummum comprendit nomina Regum,
Quem ſine principio quem ſine fine vides.
Principium cum fine ſimul tibi denotat α ω.
χ α ρ Chriſti nomina ſancta tenet.

IN SEPVLCRO QVODAM IVNCTIS DEXTRIS.

Iuncta thoris quondam iungitur & tumulis
Iunia Appiani ſuo.

α & ω.

Vt maior ſit noſtra fides hunc eſſe per orbem
Principium & finem hunc α viderier & ω.

IN SEPVLCRO PVBLII ATTILII SEPHItani Grammatici.

Morborum vitia & vitæ mala maxima fugi,
Nunc careo pœnis, pace fruor placida.

IOA: IACOBO MEDICI ET GABRIE: FRAT:

Marchio: Meregnani eximij animi & conſilij viro, multis victorijs per totam ferè Europam partis apud omnes gentes clariſſimo, cũ ad exitũ vitalẽ ætatis Lx. peruenerat.

Gabrieli Medici ingenij & fortitudinis eximiæ adoleſcenti poſt cladem Rhetis & Franciſco Sfortiæ II illatam, nauali prælio dum vincit cum inuicti animi gloria interficitur.

Pius IIII. Pont: Max: fratribus fieri V.

CAROLVS CARDINAL: BOROMAEVS.

Tituli S. Praxedis Archiepiſcopi Mediolani, frequentioribus clerj populiq; ac deuoti fœminei ſexus precibus ſe commendatum cupiens, hoc loco ſibi monumentum viuens elegit.

Humilitas.

Vixit ann. XLVI. M. I. D. I.

Præfuit Eccleſiæ Mediol: ann: XXIV. mens: IIX. D. XXIV. obijt III. Non: Nouemb: ann: M. D. LXXXIV.

D. O. M.

Mentis conſilio, robore dexteræ,
Et corde intrepido, ac ore alacri valens
Conradus colui militiam, togæ
Cultor, coniugium, progeniem & opes
Senſi, & quæq; aderant munera cœlitum,
Franciſco minimum principe principum
Fratre an gloriei hic omnibus vt bonis
Fortuna & melior me fuit optima.

Natus ann: LX. Obijt M. CCCC. LXX. XXIII. Decembr:

BOSII SFORZIAE.

Nomen Boſius erat, genus parensq; vnum, generis origo Sforzia ille ille egregius eques pedes Ducum & Dux me fratre voluit eſſe glorioſum Franciſco, vbi Mediolanenſium auctus is re eſt fore hic putaui opes, vim, prolem atq; reliqua quæ abſtulit, poteſt ne mors ſæua rapere Martios triumphos Natus ann: LXV. Obijt M. CCCC. LXXVII. IIII. Martij.

D. O. M.

Virtutis ergo ſanguine & indole
Clarum Leonardum à titulis aut
Nec ſpiritus vim, nec bona corporis
Deſiderantem, Sfortia dum domus
Illuſtris annis vt foret & fide,
Franciſcus ingens Dux parci & bonus
Chriſto dicauit Protonotarium
Maiora fati vis properè abſtulit.

Obijt M. CCCC. LXXXIII. XVII. Septemb:

D. M.

Nolito mores, patriam, genus, nec rem
Inquirere hoſpes, manibus meis tantum

Lucem precare: orbi ipſe protuli lucem,
Vrbi quietem, Sfortiæ dedi magno
Cum maximum natum, quid aſtra, quid virtus
Poſsint hic oſtendit, Parentem an agnoſcis
Me Lucium Franciſci, & militem, quem armis
Vrbs ſenſit & felicitatis autorem.

IOANNI ARCIMBOLDO.

Presbytero Cardinali auo paterno legitimo, & Guid. Anto. Arcimboldo patruo magno Archiepiſcopis Mediolani, & ſibi Ioan. Angelus Arcimboldus ab Epiſcopatu Nouarien. cui XXIV. annos præfuerat, ad Archiepiſcopatũ Mediol. translatus V.F. Idem annos LXX, natus mortem obij XIII. Idus April. M. D. LV.

PHILIPPI ACHINTI.

Archiepiſcopi Mediolan. monumenti hic eſt titulus Vix. ann. LXII. Ob. II. Calend. Auguſt. M. D. LVIII.

IOANNES ANDREAS.

Vicomercatus Protonotarius Apoſtolicus, & huius Eccleſiæ ordinarius, ſæpè cogitans ſe moriturum hoc ſui corporis monumentum poſuit, altareq; dotauit.

MARTINI V. PP.

Cerne viator, aue, hic ſtat imago ſimillima Papæ,
Qui bonus Eccleſiam Martinus in ordine Quintus,
Paſtor alit tibi Roma, ſuæ tibi gloria gentis,
Quem parit alta domus celebrata Columna per orbem.
Mundus erat longo Eccleſiæ in annos
Schiſmate, concilium Conſtantia firmat, & ecce
Oddo Columna potens magno de Cardine ſummus
Præſul hic eligitur merito velut antè creator,
Surgentem Eccleſiam ſuper alta cacumina petræ
Mox voluit fundare, ſua ſic peſte cadentem
Schiſmatis hac firma ſtatuit ſtabilire columna
Hic repetens primæ ſua ſancta palatia Romæ
Hanc prius amplificans, quæ Roma ſecunda vocatur,
Vrbem adit, hoc altare ſacrat, celebrat quoq; Miſſam,
Primus & hic venias grandes nimiumq; ſalutis
Pro fabrica Eccleſiæ bona dantibus addit habendas.
Præſertim almifici cum feſta dicatio templi
Venerit, atq; die præſtante ſequenteq; feſtum,
Iſta duce Anguigero Ligurum regnante Philippo
Imperioſo Italis per iuſtaq; bella tremendo,
Mille quatrocentum octauo decimoq; ſub annis.
Et ſexto decimoq; die tum Octobris euntis,
Facta colenda manent ad honorem Virginis almæ.
Carminis eſt Bripius Ioſeph ordinarius autor
Doctor Canonici iuris, ſacræq; Magiſter.
Theologiæ, aſt hic præſtantis imaginis autor
De Tradate fuit Iacobinus in arte profundus
Nec Praxitele minor, ſed certè maior Apelle.

Thomas de Caponago ſcripſit.

IN AEDE D. AMBROSII.

H. LVDOVICI IVN. H. LOTHARII AVG. F. IMP.

Hic cubat æterni Ludouicus Cæſar honoris,
AEquiparat cuius nulla Thalia decus.

Nam

Nam ne prima dies regno ſolioq; vacaret,
Heſperiæ genito ſceptra reliquit auus,
Quam ſic pacifico, ſic forti pectore rexit,
Vt puerum breuitas vinceret, acta ſenem.
Ingenium anne fidem mirer cultusq; ſacrorum
Ambigo, virtutis an pietatis opus?
Huic vbi firma virum mundo produxerat ætas,
Imperij nomen ſubdita Roma dedit.
Et Saracenorum crebras perpeſſa ſecures
Libera tranquillam rexit, vt ante, togam.
Cæſar erat cœlo, populus non Cæſare dignus
Compoſuêre breui ſtamina fata dies.
Nunc obitum luges infelix Roma patroni
Omne ſimul Latium, Gallia tota dehinc.
Parcite, nam viuus meruit bona præmia, gaudens
Spiritus in cœlis, corporis extat honos.

HISPANI.

A qui yaze il ſoldato Villoria
Et qual mando il corpo alla ygleſia
Et il Corazon alla amiga.

HISPANAE.

A qui yaze la Sennora Duenna Marina
Que Murio treynta dios anteque fuſſe condeſſa.

IN ANTIQ. SEPVLC.

A qui yaze Iuam Huſillo Calbo
El qual en ſennaua á nadar á Cosmozos
Ya ballar à las mozas.

PISCATORIS.

A qui yaze Petro Calbo Capettro
Mæſtro de Obra prima
Y gran peſcador de Vara.

MODERATI.

A qui yazo Vaio bello
Hambre buen Ilidalgo
Que trazendo ſpada
A nigun mazo co ella

PORTVGALLI.

A qui yaze baſſo Figueyra
Mucio contra ſua volenta.

BONAVENTVRAE PRAESVLIS.

Felix, atq; ſuo dignus qui nomine vixit,
Hic Bonauenturæ contegit oſſa lapis.
Cui decus & claræ tribuit præconia laudis
Doctrina, ingenium, ſtemmata, vita, labor.
Hæreſeos vindex & relligionis amator,
Et ſacer Ambroſij Præſul in æde fuit.
Iulius hos cineris dedit & Gaufridus honores,
Vt patrui & luctus ſint monumenta ſui.

Vix. ann. LXVIII. M. II. D. III. Obijt IIII. Id. Iunij M. D. LV.

M. ANTONIO MAIORAGIO.

Dicendi magiſtro ſingulari, LatinisGræcisq; literis perpolito & libris editis illuſtri, qui publicè docuit ann. XIIII. Vixit XLI. Barthol. Comes vxoris fratris b.m.p.

IOANNI GEORGIO GVASCONI.

ICto: præmaturè mortuo, & Hieronymo eius fratri, & Franciſco patri quod nec filio pater fecit, vt cogitabat, nec frater fratri, vt debebat, ex teſtamento præfecto Scholæ Caritatis, quam ſuis heredem ſubſtituit, monumentum b. m. fecerunt anno M. D. LXXI.

BALTHASAR TACHO.

Vbi poſt multas ærumnas temporum varietatem & vitæ tædia Muſarum cultor poſt Deum & Principum Mediolan: Cancell: conquieſcat V. F. ne ſe poſteritati crederet M. D. XX. & ſolum ſupereſt ſepulcrum.

SVB CRVCIFIGATIONE CHRISTI.

Iurgia, vincla, alapas, ſentes, & vulnera Chriſtus
Ecce tulit pro te, ſuſtinuitq; mori.
Da lacrymas & funde preces, peccata remittet,
Nec quem ſaluauit deſtituiſſe poteſt.

LAVTERIVS.

Huc attende precor teq; hic cognoſcito Lector,
Qui mea verba legis quam cito puluis eris.
Clauditur anguſto Lauterius ecce ſepulcro,
Nuper clarus homo, corpus inane modo.
Si benè, ſi rectè, ſi quidquam geſsit honeſtè,
Hoc ſolo gaudet, hoc ſibi lætus habet.

DE FNNDATIONE CAPELLAE.

Quem prius informi cernebas fronte iacentem,
Hunc monachos noſcas condecorare locum.
Cœlum ſpiritus, Corpora terras.

LAPVGNIANI.

Siſte viator iter ſaxo nunc dirige mentem
Quo claudor iam ſum vermibus ipſe cibus.
Lapugnianus eram claro de ſanguine cretus,
Orbe Deoq; ſacer quæ bona fama manet.
Septuaginta annos ſex vixi ætate valente,
Heu caro ſum puluis factus, & oſſa tremor.

BERNHARDINVS ARLVNVS.

ICtus abſolutiſſimus, exquiſitaq; morũ elegantia conſpicuus, multa de iure Cæſareo luculenter ſcripſit, ſed periere omnia ab Hiſpanis copijs diſcerpta, & plæraq; omnia per hunc ipſum grauiter excogitata non omnia tamen virtutis huius monumenta interierunt. Nam extant adhuc præclari hiſtoriarũ libri, qui cum multis modo repertis per eundem inſigniter contextis Dei Opt: Max: nutu breui inlucem edentur.

IN AEDE S. NAZARI.

IOAN: FRANCISCO ROCIO.

Viro integerrimo, imperiali autoritate Comitis Palatini dignitate inſignito, qui publicis & priuatis negotijs ita ſe geſſit, vt omnibus ſemper præfuerit, nemini vnquã obfuerit, Io: And: Mediolan: Eccl: Ordin: & Octauianus Fratres patri benemerito, & poſteris pos: Vix: annos LXVI. Ob: Die V. Septemb: M. D. XLIIII.

TRIVVLTIORVM.

Ioan: Fran: Io: Nicolai filius Magni Triuultij nepos, Marchio Viglenani & Co: Muſoch. qui ab aduerſa fortuna frangi ſe nunquam paſſus eſt, poſt erecta ſepulcra parenti hoc ſibi poſuit viuens. Io: Iacobus Triuultius Magni filius, qui nunquam quieuit, nec alios quieſcere paſſus eſt, hic tandem quieſcit ipſe: Tace.

IN AE-

IN AEDE S. FRANCISCI.

ANTE TEMPLVM.

Mouetur pietate Deus.

ALOYSII MONTII.

Dicor Aloyſius, ſtirps Montia protulit artus,
Perpetuò noſtræ ſtant monumenta domus.
Omni me genuit clara virtute Ioannes,
Secreti ſocius magne Philippe tui.
Hoc opus vt fieret fratri iucunde Philippe
Curâſti, noſtræ pars quoq; laudis eris.

Obijt die X. Iulij, anno M.CCCC. LXXXIIII.

DAMIANI.

B. M.

Tolle tui læti pietatis nobile ſignum,
De cruce præclara lux Damiane domus.
Nunc tibi in ætherea ſedes conceditur arce,
Moribus egregijs officioq; pio.
Tu licet abnueris vanas in funere pompas,
Non tamen immemores nos decet eſſe tui.
En fratres gemini germani hæc dona ſepulcro
Incidunt, quæ olim poſtera ſæcla notent.

Obijt hic VI. Id: Decemb: Ann: M.CCCC.LXXVIII.

Cogitat qualis ſapiens non quanta ſit vita.
Id ago, vt mihi inſtar totius vitæ dies ſit.

IN IPSO TEMPLO.

O curas hominum.

EVSEBIO CRIBELLO.

Auo Equiti equitumq; præfecto, qui Leucum diu à Venetis mœnibus dirutis obſeſſum Philippo Duci mira ſeruauit conſtantia M. CCCC. XLVII.

Antonio patri, qui poſt equitum arces Cremonæ, Sauonæ Com: Placentiæ Tranſpadanæq; prouinciæ præfectus ſenator fato conceſſit, natus ann: LXXVII. Io: Iac. fil: pientiſs: & ſibi & ſuc: S. P. M.CCCC. LXXXXVII. Die IX. Nouemb:

IN CHORO.

PRAE FORIBVS ECCLES: FRAT: MINOR:

Alma nitet renouata pijs cultoribus aula,
Tempore quam modici fratres ſtatuere minores,
Ortus erat quondam locus iſte domuſq; Philippi,
Corpora martyrium pro Chriſto paſſa recondens,
Ortus fœcundus dictis domus vnde repletur
Fructibus immenſis totus generaliter orbis
Barnaban huc perhibent translatum ſcripta vetuſta
Fama refert, vſti cineres & plumbea tumba
Hic valor, hic felix, hic fortunatus habetur,
Et cum materno Gayus dictuſq; Philippus,
Nec non Sauinæ ſanctæ venerabile corpus,
Ambroſio Paulus cœlos hinc mente petente,
Protaſium cum Geruaſio pandendo reuelet,
Sanguine ſanctorum totus locus iſte ſacratus

Multi-

Multipotens factus delere piacula plebis
Atq; vnum ex pueris ſanctis, quos dira necauit
Ambitio Herodis pro Chriſto continet huius
Sacriſtia ædis, quo tota hæc patria gaudet,
Quàm benè nudipedes locaq; hæc ſanctiſſima ſeruent,
Cernere cum Moyſe Ioſuaq; Hierarchica digni.
Perpetuo ritu feria redeunte ſecunda,
Plebs prius Ambroſi meritum templumq; requirens
Huc venit, & Domini verbis impleta recedens,
Læta Deum laudat tantis dotata patronis.

Frater Gabriel de Barlaſſina prouinciæ tertiæ ſanctæ miniſter fieri fecit M. CCCC. Lxiiii.

NICOLAO ARCONBOLDO.

Quem genus & proaui, ſed plus probitasq; fidesq;
Extulit, & gemini iuris vtrumq; decus.
Arconboldus in hac tumba Nicolaus honeſta
Membra ſepulta dedit, ſydera mente petens.
Principis Anguigeri Conſulq; Paterq; Senatus
Inclytus ingenio, relligione pius.
Cana fides, probitas, pietas, ſapientia, virtus,
Surreptum hunc terris compoſuere polo.

Obijt D. CCCC. xLix. die vlt. April.

CHRISTOPHORO REINOSO.

Siſte gradum lector, & iacentem nobilem Chriſtophorum Reinoſum Hiſpanum ex oppido Bonadella libenter ſaluta, virum integerrimum, ex clara ortum familia, qui ſub Caroli V. Cæſaris auſpitijs cum diu ſtrenuè dimicaſſet maioris ordinatoris phalangis functus officio præfecti arcis Aronæ xL. ætatis ſuæ anno diſceſſit xi. Februar. M. D. Lxi.

FRIDERICO MAXIMIL. AB AMBERGK.

Ex Archiducali Auſtriaca progenie Imperatori Maximiliani Patre de Scenſo Cæſ. ped. Germ. Capitaneo, Illuſtriſſimiq; Domini Chriſtophori à Seiſeneck Baronis in VVeiſeneck Cæſa. Con^rij. & Germanici peditat. primarij Ductoris locum tenenti, ethico correpto morbo xxi. April. M. D. Liii. animam Deo reſtituenti, Eliſabeth Comitiſſa in Otting cariſſimo conthorali in perpetui amoris vtriuſq; teſtem dicauit. Vix. ann. xLii.

IVLII AEMILII FERRARII.

Memoriæ viri integerrimi, cuius eruditiſs. Profeſſoris vigiliæ ſub Io. Galeazio Ludouico ac Maximiliano Illuſtriſſimis Ducibus Mediolani deſeruiebant, Angela coniux eius, frater Hieron. hoc monum. mœſtiſs. poſ. Nat. ann. Lxi. Ob. M. D. xiii. iv. Calend. Auguſti.

ALFONSO DAVALO TOLETANO.

Illuſtri genere & claris orto parentibus, & præſtantis animi viro, qui Carolo V. Imp. & Philip. Regi huius F. multis in bellis bonam nauauit operam, Vix. ann. xLv. Ob. viii. Calend. Iunij Anno M. D. Lxxi. Don. Luylopez Daualus artis Placent. Præfectus fratri cariſs. & eidem Vicario f. c.

IBIDEM.

Ante Dei vultum componas virgo Maria,
Hos tibi deuotos manet in te diua Sophia,
Aſſiduè fundendo preces pro queîs, quia præſtant
Quattuor hi quorum muro veneratur imago.

CARODVLI DE PONTE.

Hac Dominus de Ponte iacet Carodulus in arca,
Qui fuit ipſe manu factus comes Imperatoris
Ambroſii Comitis vice factus miles atroci,

Riberiæ bello qui dextra militis alti
Sic humilis, nolens ornet quod floridus ipſum
Militiæ fulgor, quia MVNDI GLORIA VANA.
Artibus in cunctis ſecretis & peragendis
Feruidus ipſe fuit, Dominorum maxima complens.

ERASMVS REGGIVS.

Cæſareus Comes Palatinus Regij Ducaliſq; Inſubriæ magiſtratus Quæſtor, humanitate, officio, & doctrina admodum inſignis, quod mortale habebat hic per Ludouicum Caroli V. Imp. Comitem Palatinum & fratres & heredes deponendum curarunt M. D. Lxxv. Id. Octob. Vixit annos centum.

AD S. EVSTORGIVM.

AMBROSIVS CARCHANVS.

Otio inimicus, qui nunquam in vitæ ſuæ curriculo quieuit, hic requieſcit.

CHRISTOPHORI CONTRIGLINI.

Hic lapis egregium virtute & ſanguine corpus,
Sacra cohors animam, nomen at orbis habet.
Chriſtophorus Contriglinus celeberrimus vnus
Iuſtitia & magnus Quæſtor in vrbe fuit.
Hinc pietas, hinc priſca fides, hinc inclyta virtus,
Hinc micuit ſacræ relligionis amor.
Aſt ego, qui nunquam potui te extollere viuum
Laudibus, hæc cineri carmina ſculpta dedi.
Mille quadringentis triginta nouemq; ſub annis
Is prima Februi luce ſenex obijt.

DE PASSIONE CHRISTI.

Pungentem capiti Dominum geſtare coronam,
Fortis amor docuit verbera tanta pati.
Pelle ſitim magni Regis ſatiauit amaro,
Pectus vt hauriret lancea, fecit amor.
De me ſolus amor potuit perferre triumphum,
Ille pedes clauis fixit & ille manus.
Si cupis ergo animi mihi ſigna rependere grati,
Dilige, pro tantis ſit mihi ſolus Amor.

AD S. BARTHOLOMAEVM.

Bartholomæe comes Chriſti fidiſſime Ieſu,
Aſpice quas ferimus cum pietate preces.
Bartholomæus habens regalia ſceptra tenere,
Vt cui regnandi ius dabat alta domus.
Relligione Dei Chriſti ſuccenſus, honores
Abiecit fragiles, & diadema potens.
Mox cruce confixus vitam cum pelle reliquit,
Regnaq; nunc cœli victima factus habet.
Hunc venerare lubens, hunc hunc ô lector honora,
Te iuuet vt precibus ſeruet & ipſe ſuis.

AD EFFIGIEM S. BENEDICTI.

O Benedicte Pater per quos largimur honores,
Per quas ſæpe tibi fundimus & preculas.
Perq; tuas claſſes, quæ ter triplici ordine conſtant,
Et laudes Chriſto nocte dieq; canunt.
Redde tuis meritis propitia numina Chriſti,
Hanc quicunq; tuam ſuſpicit effigiem.

ASCA-

ASCALEON VALL.

Tam inſignis officij cultor, vt eum diem non computauit, quo prodeſſe cuiquam non potuit, hic ſitus eſt XIII. Octobr. M. D. XXXVIII.

CANDIDI PAPIENSIS.

Scandere ſydereas Virtus ſi nouit ad oras,
Candidus aſtra tenens templi dum numen adoras
Pontifici ſummo Regi populoq; Duciq;
Hic Ligurum ſecreta dedit laudatus vbiq;,
Miles & eloquio clarus, Graijsq; Camœnis
Inſtructus, Latium ſtudijs ornauit amœnis,
Mundanis feſſus curis, ac æthere pulcro
Elatus, gelido liquit ſua membra ſepulcro.

Natusq; eſt in ciuitate Papiæ anno M. CCC. LXXXXIX. die XXIIII. Octobr. Obijt in ciuitate Mediol. Anno M. CCCC. LXXVII. Die XII. Nouemb.

RVBERTO.

Sorte necis pariter ſtratis cum corpore membris,
Hic locus oſſa tenet Ruberti incluſa Decembris
Iſte Ducis Ligurum ſecreta peregit & vrbis
Platonicæ dederat translata volumina turbis,
Argiuæ & Latiæ linguarum dogmate fultus,
Vigleuani natus famoſa eſt vrbe ſepultus.
Non tamen extinxit ſæuo mors omnia telo,
Terrea pars terræ ceßit, pars optima cœlo.

M. CCCC. XXVII. die veneris XXV. Aprilis.

ARCHETYPOS D. BERNARDI.

Delineatus, qui laborantem ſciſmate populum Mediolanenſem reconciliauit Eccleſiæ, & multos dæmonibus oppreſſos curauit, inter quos hoc in templo ſacrificans liberauit & matronam quandam prænobilem diutiſſimè vexatam, & iam perditis ſenſibus in monſtrum propè conuerſam, tum Bernhardi Monachis extructum fuit Carauallis Cœnobium, tum ſacer ordo Ciſtertienſis vſque adeò fines ſuos promouit, vt nullæ ſint gentes Chriſtianæ tam barbaræ, quæ non euocauerint ad ſe pios Bernhardi comilitones.

AVSPERTI PRAESVLIS.

Hic iacet Auſpertus noſtræ clarißimus vrbis
Antiſtes, vita, voce, pudore, fide.
AEqui teſtator, turbæ prælargus egenæ
Effector voti, propoſitiq; tenax.
Mœnia ſollicitus commiſſaq; reddidit vrbi
Diruta, reſtituit Deſtilichone domum.
Quot ſacras ædes, quanto ſudore refecit,
Atria vicinas ſtruxit & ante fores.
Tuiſconi Satyro focumq; domumq; dicauit,
Dans ſua ſacrato prædia cuncta loco.
Vt monachos paſcant æternis octo diebus,
Ambroſium pro ſe, qui Satyrumq; rogent.

Obijt ann. incarnationis Dom. DCCC. LXXXII. VII. Id. Decemb. Indict. XV. Rexit Epiſcopatum ſuum ann. XIII. M. III. D. XI.

Præſulis Andreas præfati captus amore,
Hoc Leuita ſibi condecorauit opus.

IOAN. THOMAS GARBAGNATVS.

Patricius Mediolan. octauus Franciſci Garbagnati deſcendens, qui Hinrico Luceburgenſi imperante legibus & armis maximè floruit, cum Paula Caſtilionea coniuge

iuge relligioſa hîc quieſcit, donec humanum genus omne reſurgat, vt tunc audita cœleſti tuba exiliens, & obuiam Chriſto Redemptori per aëra procedens, cum bonis omnibus cœleſti felicitate perpetuò fruatur. Hier: Garbagnatus IC. filius, O. C. A. C. V. I. P. P. S. Q. E. P. P. Anno ſalutis M. D. Lxix. die xv. Calend: Februa:

AD S. VICTOREM.

ARDIOCI ABBATIS: IN ALTARI.

Hic tumulata cubant Ardioci membra beati,
Abbatis ſacri, mitis & ingenij.
Sub ditione ſitus victoris Martyris almi,
Illius vt meritis percipiat requiem.
Hîc altare Ducis Nicolai ſtruxit honori,
Cuius ſpe fidens vixit in orbe potens.
Chriſti pauit oues, & cuſtodiuit ouile,
Dæmonis inſidias quàm procul inde fugans.
Pro grege commiſſo ſiluit non ore remiſſo,
Factis & verbis cum decuit monuit.
Hoc meditans ſcriptum benedicat protinus ipſum,
Vt ſanctam requiem ſumere poßit, Amen.

AD S. MARIAM.

HIERONYMVS PICVS.

C. filius Io: Thomæ filij Io: Franciſci Mirandulæ Dominus ac Concordiæ comes mortis ſuæ & reſurrectionis memor, ad id temporis, quod inter vtrumq; illorum intercedit, viuens Patrono ſuoq; poſuit cadaueri. M. D. Lxxxvi.

LVDOVICO ROBINO.

Non aliud nomen melius daret optima virtus,
Splendida quale tibi gemma Robine dedit.
Principis hac fulget Ludouici pectus alumni,
Hac genus anguſta ſtat radiante domo.
Nec caret in tumulo cum ſancta coniugis vmbra,
Nobile ſed magno ſydus in orbe micat.

H. M. H. S.

BRANDAE CASTILIONEO.

Fr. F. cui ſynceritas in corde, in ore veritas, in operibus fides ſemper extitêre, Io: Stepha: Caſtilioneus Ducalis Senator, Catharina Malaſpina fratri & genero mœſtiſs: poſuere.

A. P. R. M.

Virtutem hinc gratam poteris cognoſcere Branda
Mœror in Inſubrica publicus vrbe fuit.

BEATO IACOBO SEXTIO,

Mediolanen: Quinto huius almi cœnobij Priori hîc corpore quieſcenti perenne monum: Huius patris inclytam vitam totam ſerenam, compluribusq; miraculis coruſcam, in ſecunda parte memorabilium ordinis graphicè exaratam ſuſpicito ſpectator F. Felix à Coluino Magiſter M. D. xxxiii.

MICHAELI GALCIO REVEVILE.

Nobili Domino, regio conſiliario bellorum Conterolatori Arſchleriæq; Præſidi, Claudia coniux, Maturinus filius pientiſs: quatuor annuo in anno aur: x. reddi Diuæ Virgini oblato mariti & patris benemeritis votum perſoluen: poſuêre, anno ſalut: M. cccc. iiii. viii. Cal: Auguſti.

LVCAS LEGROYNG.

Qui nulli mortalium virtute cedebat hic iacet ſtrenuus miles, ex illuſtri Grognorum familia, quæ ab Hiſpanis fluxit, oriundus, qui dum ſub Ludouico Gallorum Rege militaret, hac in vrbe iuuentutis ſpiritum Deo reddidit. Marcus Legroyng illius frater pientiſs: Vicecomes de la Mote Angroyg hoc illi dicauit.

S. FAMILIAE DE LA TVRRE.

Hoc monumentum Io: Franciſcus de la Turre comes Palatinus ac Ducalis Quæſtor, R.mo in Chriſto patri Dn. Iacobo Antonio de la Turre Epiſcop. Cremonenſi Ducali Senatori, patri ac benefactori ſuo optimo, Lezadræ vxori ſuæ cariſſimæ, ſibi liberiſq; ſuis ac poſteris p. anno ſalutis M. CCCC. LXXXIII.

ALOYSIO ARCIMBOLDO.

Ioanne Cardinali Mediolanen: legitimè nato IC.to Equiti, & Senatori ſummi ingenij, eloquentiæ atq; animi viro Io: Angelus Epiſcopus Nouarienſis benemerenti patri P. Vix: ann: XLIII. Ob: ann: ſalut: M. CCCC. XCVI.

GASPARIS SFORTIAE.

Seruaui patriam Gaſpar, Genuamq; ſubegi,
Sfortiadæ hic corpus, mens ſuper aſtra manet.

CONSTANTIO ADVAE.

Comiti Salarum honeſtiſs: ac ſplendidiſſimo, ciui pio, benefico in tenueis & inopes liberali, qui Carolo V. Cæſari contra Saxones bellum gerenti egregiam dedit operam ſumptu ſuo, multis præterea laboribus Reip: Mediolanenſis cauſſa apud ſummos Pontifices perfunctus eſt. Vix: ann: XLIX. M. IV. D. XI. Ob: Id: Nouemb: CIↃ. IↃ. LXXV. Blanca Beccaria coniugi cariſſimo ex t. f. c. Anno M. D. LXXXIX.

DN. SAVLVS GENVENSIS.

Franciſco II. Mediolanenſi Duci ſapientiſſimo ob perpetuum & ſingulare in ſe ſtudium cariſſimus, quum amici Principis, vt apud ſe eſſet, rogatu in hanc vrbem commigraſſet, monumentum hoc ſibi, dilectæ vxori, poſteriſq; viuens poſ:

Animi candor veræ felicitatis arra.

LVCAE LOSSETI.

Euogonia in cauſſis perbellè tractandis coram Carolo V. Philippoq; Regum max: peruigilis atq; acutiſſimi viri F. Felix Placius à Cobano ſacræ Theologiæ Magiſter, ac Paulus Hiero: Loſſetus à f. nepos erexêre officij ergò M. D. LXXXV.

Simplicia reddidit creatori, elementis compoſita, virorumq; acta redemptori ac mortalibus.

IN LAVDEM CATHARINAE DE SENIS
PII PP. II. CARMEN.

Quis ſacra geſta canat, quæ lingua diſerta potenſq;
Efferat eximiæ quibus hæc Catharina ſecunda
Sponſa Dei micuit, totum celebrata per orbem,
Non ego ſum dignus tantis extollere dignam
Laudibus, at breuiter quæ ſit, quæ moribus almis
Vita beata fuit referam tibi care viator.
Hæc fuit orta Senis vbi ſancti veſte recepta
Dominici, in voto triplici virtuteq; cuncta
Tranſcendit plures diuina in lege peritos,
Illa potens verbo oc opere omnia corda trahebat
Ad ſe hominum, vt magnes ferrum, Chriſtuſq; deinde
Deſponſauit eam, ſacris proprio ore refecit
Doctrinis, multas habuit velut optima Mater

Virgoq;

Virgoq; diſcipulas, quibus ardua regula vitæ
Sanctaq; bis ſeptem pietatis opuſcula Diuæ
Explicuit felix, & erat ſublime leuamen
Omnibus heu miſeris vitæ in defectibus huius.
Illa cor à Domino petijt ronouarier, alma
Continuè meditans, compos feliciter alti
Facta fuit voti, viditq; euoluere Chriſtum
Cor prius atq; nouum flammis ſibi tendere flagrans.
Hæc ieiuna diu nonnunquam ad ſydera rapta eſt,
Mira Dei vidit, ſemel ac à morte reuixit,
Pane refecta ſacro, cœleſti pane ſalutis.
Illa crucis memori portans ſub pectore ſemper
Stigmata paſſa fuit, dictu mirabile Chriſti,
Pontifices adijt, quibus vnica gloria ſecum
Siſtere colloquijs, monumentaq; ſancta tulêre
Ore ſuo, tulit hæc, quæ indulta volebat ab illis.
Ardua tanta ſuæ faciat ſibi gratia linguæ,
Illa Propheta quidem diuino flamine plena
Et pacem & bellum ſecretaq; plurima pandit,
Exhortanſq; omnes miranda ſtupendaq; ſcripſit.
Illa ſciens veniſſe diem, qua linquere mundum
Expedit, exclamans animam Deus optime dixit.
In manibus commendo tuis, commendo tuamq;
Iugiter ancillam, ſic ſponſa beata beatum
Tranſijt ad ſponſum tribus exornata coronis.
Fecit in hac vita miracula multa, deinde
Claruit innumeris poſt mortem ſplendida ſignis,
Quæ ſi noſſe velis, quamq; inſons ſemper in orbe
Vixerit, hiſtoriam deuotus perlege ſanctam,
Hæc annis triginta tribus, tot Chriſtus Ieſus
Vixit, nam ſponſam ſponſo decet eſſe coæuam.
Mille trecentis ſimul octoginta ſub annis
Inclyta virgo obijt Romæ Catharina Senenſis.

AD CARMELITAS.

FRANCISCO MEDIANO.

Entrenuæ in Hiſpania nato, viro ſumma fide, integritate, prudentia, & in negotijs gerendis dexteritate, qui in ipſo ætatis flore repentinò mortuus concidit, Alfonſus Peneſitellus arcis Iouis Præfect: hoc monum: poſ: Cal: Iulij M. D. LX.

AD S. MARCVM.

AEMYLIO ARRIGONO.

Patri, Petro Paulo Arrigono Fratri Præſidi Senatus vno omnium conſenſu Patri patriæ Marcus Arrigonus poſ: Anno M. D. Lxx. xii. Cal: Februar:

NELLA CAPELLA DELLI CVSANI.

Cuſani fratres octo Aloyſij filij pietatis in ſanctam Dei genitricem & fraternæ concordiæ monumentum pp: anno ſalutis M. D. Lxxx.

ANDREAE ET ANTONIO BIRAGIS.

Omnia fluxa tamen, ſed mens ſibi conſcia recti
Vſq; fuit ſanctum iuſq; piumq; colens.
Nunc lapis Andreæ paruus tegit oſſa Biragi,
Spiritus æthereas incolit ipſe domos.

Diuitijs & honore mihi belliq; togæq;
Temporibus largè contigit orbe frui.
Felix Anguigero quondam cui vita Philippo,
Felix Franciſco te duce Sfortiadæ.
Natorum pietas Antoni membra Biragi
Germano Andreæ conſociata dedit.

IVLIAE CASTILIONEAE.

Si virtus, ſi forma, boni ſi deniq; mores
Ius in fata habeant Iulia ſalua foret.
Sed nimium natura bonis breue penſitat æuum:
Mors illi requies, at tibi Protte dolor.

Camillus Prottus coniugi deſideratiſſimæ Ob: vlt: Mart: M. D. XXXIII. nata ann: XX.

MIRANO DE BECHALOE.

Anno milleno deno Dominiq; triceno
Nona dies membris dat gaudia menſe Decembris,
Nomine cum moritur Mirani de Bechaloë,
Qui pius & lenis fuit, atq; benignus egenis
Hos ſuſtentando, nec non alimonia dando.

PAVLO BILIAE.

Qui hac iter habetis hoſpites aduenæ, ſiſtite gradum, humanæ imbecillitatis exemplum moræ pretium erit. Quem hic tumulatum cernitis Paulus erat gente Bilia ortus, hunc à puero in Sfortiaca aula propter virtutis indolem receptum ad ſummos honorum gradus euaſurum homines rebantur, quia adhuc adoleſcens Pontifices maximos per Europam Reges ac principes orator adierat, egregiamq; fidei & virtutis laudem ſemper retulerat. En quomodo mutatis rebus in ipſo æui flore raptus concitatam de ſe ſpem ſecum ſepelijt, ſolamq; rerum, quas geſſit, memoriam orbi reliquit, Anno ſalutis. M. D. IIII. XVI. Calend: Decemb:

PVSTERVLARVM.

τῶν βρότων ἐνύπνια ἀσβεςὸς.

Labores decentiſſimi, virtus ac mores incomparabiles Alexandri Puſterulæ Lancellottiq; fratris ſuperſtitis merita pietas.

LANCINI CVRTII.

En virtutem mortis neſciam:
Viuet Lancinus Curtius.
Sæcula per omnia.
Quaſcunq; luſtrans oras,
Tantum poſſunt Camœnæ.

FACIO CARDANO IC.

Mors fuit id quod vixi, vitam mors dedit ipſa
Mens æterna manet, gloria, tuta quies.

Obijt ann: M. D. XXIIII. IIII. Cal: Septemb. ann: LXXX. Hieron: Card: Medicus parenti poſteriſq; V. P.

BERNHARDINO CRISPO.

Homini valdè honorato, ciui patriæ amantiſſimo, Antonio Franciſco Criſpo ſuæ memoriæ patronorum facilè principi, qui à Repub: Mediolanenſium ad Carolum V. Imp: Genuam in Hiſpaniam, in Belgas ad Philippum Hiſpaniarum Regem in Britanniam legatus eſt, vt patriæ atq; amicorum commodis ſtudioſius inſeruiret, honores non petijt, cum ei paterent maximi. Obijt prid: Cal: Ianuar: Ann: CIↃ. IↃ. LXX. nat: ann: LXIIX.

AD S. ANGELVM.

FABRITIO FERRARIA.

Patricio Mediolanen: Equiti Diui Stephani, viro rerum vſu & prudentia pollenti, multis honoribus in patria functo, Coſmi Medices magni Ducis Hetruriæ ad multos principes Oratori, qui certam pecuniam, vnde res diuina quotidie fiat, huius templi ſacerdotibus legauit. Vix: ann: xLvII. M. IIX. D. XIII. Ob: ann: CIↃ. IↃ. LXXIII. XIV. Cal: Mart: Iuſtina Garofola coniugi b. m. ex eiuſdem teſtamento f. c. anno CIↃ. IↃ. LXXIV.

AD S. STEPHANVM.

IOANNIS DE GARVLANIS.

Quam bonus Eccleſiæ Rector, quæ, qualia, quanta,
Contulerit propria clarus virtute Ioannes
De Garulanis templi venerabilis huius
Præpoſitus, præſens teſtatur carmine petra
Marmoreo miſerere ſui clementia Diua:
Tuq; preces Stephane protomartyr funde beatas
Primitus ante chorum, per eundem ferrea cratis
Erigitur ſacræ cuſtodia nobilis aræ
Vitrea, materias totas hinc inde feneſtras
Artis adornat ope, templumq; nitore ſerenat.
Hinc Euangelij celſos gradus ipſe canendi,
Atq; domum nobis ſacra nouitate perornat.
Ante fores templi ſoleata eſt ſemita magnis
Carritijs, ædes intra pretioſa refulget
Canonicè victas per eam conſtructa futuris
Præpoſitis cantus bis bina volumina pulcrum.
Et miſſale nouum, quo non ſolemniter vllum
Ambroſiana diu tenet vrbs pluuiale venuſtum
Vellere Zethonio gemmis auroq; ſuperbum,
De diuerſorum ditiſſima plura colorum
Pallia magnificis frontalibus addita binis,
Et caſulæ binæq; cruces, caliceſq; gemelli,
Thuribulum, theotheca ſedet, mortalibus in qua
Eſt ægris portanda ſalus mundiq; Redemptor
Atq; dedit tegmen cum conditur alma ſupellex
E multis quædam petra dat, maiora ſuperſunt.

Thomas de Caponago ſcripſit.

MICHAELI MARIANO.

IC.[to] Equiti, Senatori Legat: munere apud Cæſarem functo, viro omnis virtutis genere ornatiſſimo Herm: fra: V. C.

ANTE PORTAS EIVSDEM TEMPLI.

Flamma vorax priſci conſumpſit culmina templi,
Quod ſpecie formæ nulli cedebat in orbe,
Temporibus multis fuerat decus iſtius vrbis.
Omne manu factum recipit poſt tempora caſum:
Corruit omnino, collapſum ſurgit ab imo,
Sed primi cultum nequit æquiparare ſecundum.
Plebs ſpectanda time, peccatum cauſſa ruinæ,
Te prius ædifices, ſic materiamq; reformes

Templi huius, Domino placeat ſic fabrica templi.
Anno M. Lxxv. Cal: April: III.

AD S. IOANNEM.

BERNHARDINVS RAVIZONIVS.

Memor diſſolutionis humanæ, corpus in terram cecidit, anima in cælum ſe extulit, redibit illud ad nihilum, hæc vitæ actæ rationem reddet. Viue pius, moriare pius, ſemper beatus & reuiuiſces. Vale, ac Deum precare mihi vt parcat propitius.

IN MONASTERIO MAIORI.

IO: IACOBVS CARRETVS.

Feſſus hic tandem quieſcit, cui nec gentis honor, nec decus oris, nec geſta gloria defuit, ſub Fabritio patruo magno magiſtro militiæ Hieroſolymitanæ meruit in Turcas indefeſſus bellator promeritus duo religionis beneficia, agens annum Lxxxv. moritur M. D. Li. non: Maij Pipinus alumnus b. m. p.

IN MONASTERIO DICTO LA FONTANA.

CAROLVS AMBROSIA.

Ludouici Francorum Regis Mediolanenſis Ducis cis Alpes vices gerens primus huius monaſterij iecit fundamenta Anno M. D. VII.

IN PRAETORIO.

In controuerſijs cauſſarum corporales inimicitiæ oriuntur, fit amiſſio expenſarum, labor animi exercetur, corpus quotidie fatigatur, multa & inhoneſta crimina inde conſequuntur, bona & vtilia opera poſtponuntur, & qui ſæpè credunt obtinere, frequenter ſuccumbunt, ac ſi obtinent computatis laboribus & expenſis nihil acquirunt.

IN FORO MERCATORVM.

OLDRANDI PONTIF: MEDIOL:

Atria qui grandis ſolij regalia ſcandis,
Ciuis Laudenſis fides tutoris & enſis
Præſidis hic memores Oldrandi ſemper honores,
Qui ſolus ſtruxit Catharos vt debuit auxit.

MATTHE: VICECOMES.

Anno milleno tercentenoq; peracto,
Quum ſextus decimus Domini iam curreret annus,
Alta vice Comitum proles de ſtirpe Matthæus
Cæſarei patria defenſor honoris in iſta
Hoc ſolium ſtatuit . . . . . .
Structum marmoreis varioq; decore columnis
Quo Mediolani ſurgens de more poteſtas
Alloquitur populum cum concio conuocat ipſum
Et Domino Scoto de ſancto Ieminiano
Legum Doctori, cuius probitate reguntur
Iuſtitiæ ſocij validi comitiua valoris,
Hoc commiſit opus, qui rem produxit in actum.

SVB EFFIGIE D. VIRG: MARIAE.

Picus Aloyſius Bonacurſi ſemine natus,
Quem Florentinum patria clara dedit.
Bis Mediolani Prætor fuit inde creatus,
Ob meritum cuius hanc dedit effigiem.

IN PALATIO VICEDVCIS.

Dominus prouidebit
Vt quieſcat Atlas
Virtuti nil inuium.
Per tot diſcrimina.
Hic regit ille tuetur.
Cura vigil.
Stat adhuc.
Telum virtus facit.
Chriſto Duce.
Tolle moras.
Perimit & tuetur.
Latet altius.
Fugam victoria neſcit.
Vtrum lubet.
Et hic virum agit.
Audaces iuuat fortuna.
Reſiſtit.

IN PALATIO CVIVSDAM PRIVATI.

Depicta varia animalia notantia ſequentes virtutes, additis elogijs.

PAX:	*Diligite hanc omnes ſine qua via dempta ſalutis.*
TEMPVS:	*Regna mihi ſubſunt, reges me principe viuunt.*
DESIDERIVM:	*Latius imperium nulli ſed fructus inanis.*
BENEFICIVM.	*Hoc etiam mites gratiæ fuere leones.*
NOBILITAS:	*Nobilitatis opus multos neſcire fatendum.*
HONOR:	*Vir contemnit opes & vitam accenſus honore.*
FAMA:	*Quæritur haud nugis, ſed factis fama perennis.*
VIRTVS:	*Fortunam ſuperat virtus coniuncta labori.*
POTENTIA:	*Tempore ſuccumbet, ſi iuſta potentia, nullo.*
IVDICIVM:	*Rectum vbi iudicium non eſt diſcordia fallax.*
VICTORIA:	*Officio interdum non armis vincitur hoſtis.*
CONSILIVM:	*Conſilio quærenda ſalus dum bella geruntur.*
CLEMENTIA:	*Imperij vires, vt res, clementia ſeruat.*
INTELLECTVS.	*Ars atq; ingenium nubes & ſydera ſcandit.*
VERITAS:	*Quæ latuere diu mox improuiſa pateſcunt.*
MATRIMONIVM:	*Hoc mundi interitum prohibet, ſi lege colatur.*

IN SAXO VETVSTO.

D. M.

AVRELIO IANVARIO.

Signi: ex numero Dalmat: fort: & Aureliano Valentiniano Exarcho poſuit Aurelius pater Ianuarius, Vix: ann: XXXII. M. III. D. VI.

IN ALIO.

Hic ſitus eſt Rufus pulſo qui vindice quondam
Imperium aſſeruit non ſibi ſed patriæ.

IN AEDIBVS PRIVATIS.

Hic ſitus eſt Phaëton, currus auriga paterni,
Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

INSCRIPT: COLVMNAE APVD S. PETRVM *CVI AD REI MEMORIAM, ET IN CONTVMELIAM* Venetorum, quibus Mediolanenſes in bello leonem ferreum ademerant, Leo impoſitus eſt.

IN I. PARTE.

Te viuente omnium fortiſs: ſi non rugies Pater, quis me ſuſcitabit vt viuam!

IN II.

Ad prædam quomodo aſcendam? Heu nunc Venatio mea vana!

IN III.

Me miſerum non amplius Leo & Rex, ſed in antris cœcus infirmusq; cubabo.

IN IIII.

Nunc transfixus pede claudico, &c.

COMVM.

VRBS EST PARVA SED OPVLENTA ET PVLcrè ædificata, ab vna parte agrum habens fertilem & peramœnum, ab altera lacum Larinum, qui ab illa Comacenus appellatur, & in longitud: xxxii. in latitudine iiii. milliaria continet, ac laudatiſsimis piſcibus abundat, flumen Abduam è iugis Rheticis accipiens, & ſupermeantem, vt oculis cerni poſsit, ad Leucum Pado reddens, ſic dictus voce Hetruſca, quod princeps & rex cæterorum lacuum ſit. Condita à Thuſcis, inſtaurata à Gallis, cum Thuſcos his ſedibus eieciſſent, aucta à Strabone Pompeio Magni Pompey patre, L. Portio, & Catone Coſs: deducta noua colonia à Iulio Cæſare ac Nouocomum appellata, poſſeſsa à Gothis, Longobardis, Ducibus Mediolanenſibus, Regibus Galliæ & Imp: Romanis. Ingentem noſtra ætate calamitatem à Cæſ: legionibus accepit, quod fuſos acie Gallos intra mœnia receperat. Nam cum illi ſe munitionibus hic ſepſiſſent, eiecti mox à victoribus, vrbis diripiendæ cauſſam præbuēre. Colonos induſtrios habet, & in re facienda ſolertes, & cum Ticino ac Mediolano Imperatoris Caroli V. filio Philippo Regi manet. Murum qua parte Mediolanum ſpectat, Ioannes Vicecomes Archiepiſcopus & princeps Mediolan: Anno M. CCC. LIIII. dedit qui & caſtellum turris Rotundæ condidit.

Templum Cathedrale ſatis magnificum in fronte duas ſtatuas marmoreas habet, quarum vna Caij Plinij, cum inſcriptione.

Ordo Populusq; Comenſis C. Plinium II. mactum ingenio virum, dignatione clarum, doctrina admirabilem, vt qui olim Impp. Cæſarum Veſpaſianorum amicitiam meruerit, officia maxima geſſerit, ac ſcriptores vniuerſos copia & varietate ſuperauerit, municipem ſuū incomparabilem ſtatua & elogio ornauere.

Tantus

Tantus honos dulciſq́; iuuat me fama ſecundum,
At magè conciues hoc poſuiſſe meos.

Altera Caij Plinij II. qui natus eſt ex ſorore Plinij ſuperioris, patre Cæcilio & ab eodem ſuo auunculo adoptatus, nomen paternum Cæcilij retinuit, cum elogio altero tali:

Caio Plinio Cæcilio II, qui conſulatu, auguratu, militia geſtis, ac orandis cauſſis, poëmatibus & hiſtorijs conficiendis Cæſari Traiano Auguſto luculentiſſime laudando afficiendòq́; immenſa liberalitate patria ſua eidem immortale contulit ornamentum: Ordo Comenſis conciui ſuo deſiderabili honore accepto monument: p. M. CCCC. XCVIII. Cal: Maij.

Functus eram, ſed ſum veteri præclarus honore,
Viuebam, perij, nunc quoq́; vita mihi eſt.

Extra portam fons eſt, quem vulgo lo Pliniano vocant, is quotidie creſcit & decreſcit nouies, ad lacum Anienis ſitus, vnum latus exornant caſtaneæ, alterum oliuæ: diciturq́; Plinius ad eum ſcripſiſſe hiſtoriam naturalem.

IN TEMPLO.

BENEDICTI IOVII.

Quem inuida mors voluit eſſe mortuum, hiſtoria, patria, orationes & carmina Benedictum Iouium non ſinunt. Iul: Epiſcopus Nucerinus & fratres memoriæ patris optimi ponend: curar: M. D. Lvi.

CIGALINI.

Franciſcus iacet hic Cigalinus, cætera orbis terrarum & ætherus nouit.
Omnia adſunt bona penes quem eſt virtus.
Viuere uoluit qui viuere non vult.

LVCRETIAE DE CRIBELLIS.

Nobiliſſima Domina Lucretia de Cribellis, magni Doctoris & Equitis Domini Ioannis de Reuſthemont pietatis ad ſubleuandos pauperes propria pecunia teſtamento fieri iuſſit, anno M. D. xxxvii.

IN PALATIO IOVII AD EFFIGIES Tamerlanis & Annibalis.

Inuictos viciſſe meum.
Sicut ſuperioris Orientis terror.

IN ALTERO PALATIO IOVII IN QVO IMAGINES inſignes & ad viuum depictæ virorum illuſtrium, qui noſtris & anterioribus temporibus claruêre: Saxa antiqua ſic inſcripta.

I. SICINISVM.

L. Cæcilius L. F. CL. Io. IIII. vir A. P. qui teſtamento ſuo H. S. xxxx. Municipeis Comens: legauit quorum reditu quotannis per Neptunalia oleum in campo & in thermis, & balneis omnibus quæ ſunt Comi populo præberetur. T. F. I.

II.

Marcellæ profuturæ quæ vix: ann: xvi. dies xxx. Marcellia Marcella mater filiæ innocentiſſimæ.

D. M.

III.

D. M.

Publ: Plinij Pliniani.

IV.

P. Attilij P. F. O. V. F. Septiciani Grammatici Latini, cui ordo Comens: ornamenta Decurio: decreuit, qui vniuerſam ſubſtantiam ſuam ad rempub: pertinere voluit.

V.

C. Vibius Sabinus Veteranus armorum cuſtos leg: XIIII. Crem: Mart: Victor D. M.

VI.

Morborum vitia, & vitæ mala maxima fugi,
Nunc careo pœnis, pace fruor placida.

VII. IN SACELLO B. MARIAE MILATINAE.

Fortunæ obſequenti ordo Comens. voto pro ſalute ciuium ſuſcepto.

VIII. AD S. LAVRENTIVM.

Coll: Fabr: P. Sextilio P. F. P. Pimiano ob quæſturam fideliter ac liberaliter geſtam, & Luſiæ L. F. Quintula eius & P. Septilio Carpiano filio.

IX. IN MVSEO IOVII AD LARIVM SACVM.

Imp: Cæſ: M. Antonini Pij Germ: Sarm: Fil: Diui Pij nepot: Diui Adriani pronepot: Diui Traiani Parthici abnep: Diui Neruæ adnep: M. Aur: Commodo Pio Fel: Aug: Sarm: Germ: Max: Brit. Pont: Max: Tri: pot: XIIII. Imp: VIII. Coſ: V. PP. nobiliſſimo Principi Benacenſes.

X.

Imp: Cæſari Diui Antonini Auguſ: Pij fil: Diui Adriani nep: Diui Traiani Parthici pronep: Diui Neruæ abnep: M. Aurelio Antonino Aug: Armenico Pontif: Max: Tr: pot: XVIIII. Imp: II. Coſ: III. Benacenſes.

IPSVM MVSEVM VNDEQVAQ; LIBRIS, picturis & dictis pulcerrimis refertum.

I. SVPRA PORTAM.

Hæc damnate potes, qui meliora facis.

II. AD DEPICTAM SVPELLEctilem Scholaſticam.

Profectò vita vigilia eſt.

III. AD MANIPVLVM SPICARVM colligatum, & inter Muſas depictum.

Finiunt pariter renouantq; labores.

IV. AD AQVILAM CORONAM LAVream roſtro geſtantem.

Iupiter merentibus offert.

V. IN

V. IN CAMINO.

Viuidæ feruidæq; virtuti Mœcenates nunquam deſunt.

VI.

TEMPORE
Saluti conſulere.

NVMERO
Cenſum reſpicere.

LOCO
Dignitatem tueri.

MODO
Lite carere.

MENSVRA
Libertate frui.

PONDERE
Immortalitati ſtudere.

VII.

Fortuna cum virtutem exornat naſcentem inuidiam ſimul extinguit.

Improbè aliena carpit, qui nihil ædificat.

Labor fortunam conciliat, virtus inuidiam frangit.

Cum naturæ neceſſitas ad interitum ducat, ſola ingenij gloria vitam extendit.

Maior ab euerſis rebus clariſſima virtus.
Surgit, & è medio funere fata fugit.

SYMBOLVM IOVII OMNIBVS FORIBVS. *ADSCRIPTVM.*

Fato prudentia minor.

ANNIAE AGATHONICES.

Vita breuis longo melior mortalibus æuo,
Nam paruo ſpacio floruit hæc anima.
Bis denos perfuncta annos ſine crimine morum,
Vita beata fuit, ſpiritus hic nituit.
At patrum miſeranda ætas anima cruciatur,
Pœnaq; de longo tempore longa data eſt.
De ſenio luctus, ſenium fletu renouatur
Vtraq; res mortis dulcior exitio.
Dat tamen hæc matri pietas ſolatia fidæ,
Iugera quod terræ dedicat hic tumulus.

NOVARIA.

CIVITAS INSVBRIÆ IN COLLE SITA Agro partim plano & fertili, partim montoſo & ſterili, de cuius autoribus variant, plæriq; tamen ab Eltio filio Veneris extructam perhibent, & Nouariam quaſi nouam aram vocatam, quod is matri ſuæ Veneri primum ibi ſacra fecerit, vnde etiam mons, ad quem vrbs poſita eſt, Eltius dicitur. Primùm fuit ſub ditione Turrianorum, deinde Vicecomitum, poſtea Sfortiarum nunc Imperatoris Caroli V. & eius filij. In caſtro ipſius Lud: Sfortia Mediolani Dux ab Heluetijs Gallo traditur, venditurq; Anno ſalutis M. CCC. VIII. habuit Dulcinum Hæreſiarchã, in quẽ Clemens V. PP. animaduertendũ cenſuit. Is inhabitauit montes Nouariæ inclinantes altiſſimos cũ ſectatoribus quingentis eo loco, vbi S. Bernhardi

ſacellum eſt, quos ab omni vi tutatus fuiſſet, niſi nix maior ſolito ſuperueniens plurimam eorum partem fame ac frigore necaſſet. Hoc igitur incommodo affecti, Dulcinus & vxor eius in poteſtatem venerunt, nec tamen errori vt renunciarent adduci potuerunt: quin Margarita vxor in conſpectu mariti mutilata, & ipſe item pari laceratus ſupplicio, in propoſito pertinaces mortis acerbiſsimum genus oppetierunt. Hæc Blondus.

IN CATHEDRALI.

ROMVLO ACHINTO.

Alexandri F. Mediolanenſi, viro prudenti & pietate ſingulari, Epiſcopo Nouariæ, vbi populum ſuæ fidei commiſſum vnicè amauit, moribus religioſis excoluit, præceptis ad Dei cultum perutilibus inſtruxit, omnibus triſte ſui deſideriũ reliquit. Vix: ann: xLIII. M. III. D. xvI. Hippolyta mater filio, fratres quinq; monumentum hoc fratri pp. Anno Domini M. D. Lxxvi.

AD S. QVIRINVM.

IO: CASPAR BARCHIOCIVS.

Miles S: Petri, ac S. Romanæ Curiæ officialis hîc in laboribus paternis quieſco. Quies autem mea pientiſſimum patrem mœſtiſſimum reddidit.

Doleo.

Superſtes pater dulciſsimo filio poſuit.

Suum extremum diem duxit M. D. Lx. Die xxiv. Nouembris Vix: ann: xvi. M. 2. D. xiii.

IN PALATIO.

M. Cato Portius Romanus in libris originum ciuitatum antiquarum Italiæ ſic ait: Nouaria ante ab Herculis AEgyptij nomine Lydia, & à cognomine Aria, Aegyptio vocabulo Leonina, ſed à Liguribus inſtaurata Nouaria dicta eſt. Videatur Beroſus de aduentu Herculis in Italiam.

DE PARTV VIRGIN: MARIAE.

Sol penetrat vitrum, penetratur nec violatur,
Sic virgo peperit, nec violata fuit.

SVB INSIGN:

Franc: Sfortia ſecundus dux Mediol: Papiæ & Ianuæ Dominus.

SVB ARMIS IOANNIS CASELIS.

Quæ præclara tuis oculis inſignia Lector
Cernis, Ioannes habuit de Valle Caſelis,
Quem genuit Doctor legum Canonumq; peritus,
Vitzlebanum hic prudens rexit, Laudamq; ſubindè
Conſilio Prætor tibi iura Nouaria dixit.

VERCELLAE.

CIVITAS ANTIQVA EPISCOPALIS AD fluuium Senciam vel Sceſiam ſita, atq; vt Paradinus vult, olim Marapola dicta, poſtea cum à Venere nobili muliere Troiana, quæ cum Eltio filio Nouariæ conditore, paulò ante excidium Troiæ in his oris conſederat, ampliata & inſtaurata eſſet, VERCELLA quaſi Veneris cella dicta.

Habitum

Habitum hic eſt à Leone IX. PP. concilium contra Berengarium Archidiaconum Turrienſem, qui ibidem hæreſin abiurauit. Afflicta quondam miſerè ciuium inteſtinis factionibus partibus diuiſa, & Aduocatorum, quorum hi tandem victores vrbis dominatum ſibi ſumpſerunt: Poſtea ſubiecta fuit Marchionibus Montisferrati, deinde Ducibus Mediolanenſium, hodie Duci Sabaudiæ paret, ad quem dotis nomine, cum Amadæus Philippi Vicecomitis filiam Mariam duceret in vxorem, peruenit. Prius quidem ex rudi ſæculorum more non ſatis luculenter ædificata, ſed nunc in meliorem formam redacta, ſatis ſplendida & perhoneſta apparet, atq; omnium rerum affluens eſt. Bis quotannis nundinarum conuentibus frequentatur, præcipuaq; negotiatio eſt pecuaria & lanaria.

AD S. EVSEBIVM CATHEDR.

FLAVIANI ANTISTITIS.

Flauiaui Antiſtitis reſonant præconia vitæ.
Caſto pollens corpore ſummi Faſtigiarchæ,
Lilijs ceu vernantibus artus conſeruans ab aluo,
Intemerataq; celſo Deo reuehens membra,
Induſtria ſenſuum ditatus munere amplo,
Specioſa proceraq; compta forma geſtans,
AEmœnioq; exiſtens præclaris moribus fibris,
Cunctis in ſe linquentibus facinus funditus parcens,
Nec reuocans priſca memoria mentis delicta.
Inſignem præſtans opem moribus, patientiæ artem
Pollens, & exiguis dapes porrigere multas,
Tantaq; farinæq; quanta inſunt gratiæ opes.
Corda luſtrans abdita cuncta faſtigia poli.
Quanquam arcus gradiens mente æthera pollet.
Qua in ſæculo annos plus minus XLVI. rec. ſub.
Vicatus in Domino deliquid mundi procella.

LVDOVICO DE ADVOCATIS.

S. Georgij Canonico & Archipresbyt. Vercellenſi, ingenio, magnitudine animi, & rebus gerendis ſingulari prudentia prædito, in arduis verò & difficilioribus negotijs ſeipſum ſuperanti. Anton. Fr. benem: mœſtiſs pos. Vix. ann. LIIII. Obijt die XV. Ianuarij M. D. LXXI.

AD S. ANDREAM.

AD PORTAM.

Lux Cleri, patriæq; decus Carguala Diualis
Quem canor atq; artes, quem ſanctio canonialis,
Quem lex dotauit, quem pagina ſpiritualis.
Cuius in ore fuit geminis doctrina ſub alis,
Cuius erat ſtudium lux vitaq; perpetualis,
Verax, & nunquam ſermone ſuperficialis,
Sed talis verbo conceptus pectore qualis.
Hic vt honoretur Andreas morte patralis,
Hic vt ſit cultus, quem terra colit ſocialis.
Per te facta fuit dotataq; fabrica talis
Pars totam formam deſignat, formula cauſſam
Exprimit effectus & genitura Patrem.
Gardo Gula pater, præſens opus eſt genitura,
Dat pater Andreæ quod generauit opus.

AD ALTERAM PORTAM.

Prædicat Andreas patiens plebs credit Egeas,
Credere qui renuit Dæmonis arte ruit.
Condit ſarcophago quodam deuota virago,
Et pia non modicum corpus Apoſtolicum.

AD S. BERNHARDVM.

BVRONZI.

Me generoſa domus & clara propago Buronzi,
Cum Dominum genuit ſat decorata viris.
Quem proba geſta canent, dum ſic permanſerit orbis,
Ipſe Amedæus eram, ſic quoq; ſemper ero.
Huic templo initium poſſeſſio noſtra parauit,
Nunc hic oſſa iacent, ſpiritus aſtra colit.
XIII. Maij. M. D. X.

HIERONYMI ACHATII.

Supremi Sabaudiæ Cancellarij reliquum: Vix. ann. LXVI. præf. ann. XI. Ob. ann. M. D. XXXVIII.

ALOYSIO SENZOSIO.

Iuris ſtudioſo, quem ne paria ſuis laboribus prœmia ab hominibus fruſtra expectaret, in ipſo ſtudiorum curſu annos natum xix. M. x. D. xxvii. Deus ad ſe vocauit ann. M. D. Lxxi. xiii. Cal. Nouemb. Petrus Senzoſius filio vnico, vniceq; charo contra votum f. c.

ANONYMI.

Sic mors ipſa, dum venerit, vincitur, ſi priuſquam veniat, ſemper timeatur. Ergo qui ſe quotidie recordatur eſſe moriturum, contemnit præſentia, & ad futura feſtinat.

AD CARMELITAS.

FRANCISCO DVRANDO SESSELIO.

Franciſcus Durandus in hac Seſſelius antro,
Conditus eſt, æuis flore manente ſui.
Qui ſua poſtpoſuit patrimonia lauta fideli
Seruitio Domini principis atq; ſui.
Te Philiberte ſequens Germanica bella gerentem,
Regnaq; dum iuſto Marte paterna petis.
Scutiferi officium multa cum laude tenentem
Lugentes ſocij hoc depoſuêre loco.

RICHALDO ARCHADELTO.

Poſtquam Archadeltum rapuerunt fata Richardum,
Clauda Subandracæ eſt Muſica facta domus.
Mœrentes hoc collegæ poſuêre ſepulcro,
Belgica produxit Gallia cruxq; Bilæ.
Ob. M. D. XLIX. D. XIX. Menſ. Decemb.

GABRIELIS BERRICANI.

Heus mortales: Hoc marmore recluditur Gabriel Berricanus iuxta Victoriam Cantabriæ vrbem præclaris natalibus ortus, qui fuit illuſtris Sebaſtiani S. Michael: militum Perfecti ſignifer, manu ſtrenuus & bonus conſilio, tandem ob egregias animi dotes multaq; , in quoſcunq; potuit, collata beneficia, ab vniuerſis Vercellen: deploratus in Domino requieuit M. D. LVI.

AD IMAGINEM CHRISTI.

En Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa,
Hanc videas, ſed mente colas quod cernis in illa.

AD S. MARCVM.

Ipſa

Ipſa ſibi precium virtus.

STEPHANO ROSSIO.

Hic Stephani Roſsij ICti. Equitis aurati & Comitis corpus quieſcit, ſpe certiſs. redintegrationis perpetuò duraturæ in æterni Iudicis glorioſo aduentu, quem dum exſpectabat, monumentum hoc, quod faciendum ex teſtamento iuſsit, Ioa. Baptiſta & Lælius I C. patruo p p. M. DLXXXI. Ob. anno Dom. M.D.LVI. XIV. Cal. Iunij: ætatis ſuæ anno LXX.

LAVTERIO LVNIVENSI.

Siſte gradum viator, & quid mors poſſit ſuſpice. Hæc eſt imago Magnifici Domini Lauterij Luniuenſis, ſpectabili Domino Io. Marco Cæſarei Iuris Doctori conſummatiſſimo geniti, Mediolanenſis patricij, Illuſtriſsimi Dñi Theodori Triuultij Chriſtianiſsimorum Francorum Regis Equitis ſtrenuiſsimi, qui hoc vnum pietatis munus expoſtulat, vt dicas ſaltem, VALETE DVLCES ANIMAE IN DEXTERO IACENTES TVMVLO. Obijt agens xxxviii. quieuit Id. Feb. M.D. xxiiii.

AD S. FRANCISCVM.

S. TITIORVM.

Vetuſtiſsimum hoc nobiliſsimæ Titiorum á Ripis Caſtello familiæ monumentum, magnifici viri Domini Io. Iacobi Titij patris iuſſu, qui Idus Octob. M. D. XLIX. vita defunctus eſt Mag. I Ctus D. Sylius Titio filius ſibi & poſteris nuper reſtaurauit.

Ne quid expectes amicos, quod per te facere poſsis.

Reddenda eſt terra terræ.

LVDOVICI TITII.

Qui fuerat clara Titiorum ſtirpe creatus,
Hac Ludiuicus nunc requieſcit humo.
Cuius Lombardas longè vulgata per oras
Immolata ſuo tempore fama fuit.
Montisferrati norat ſecreta Senator
Principis, eloquio, conſilioq; valens.
Cultor iuſtitiæ, patriæ totius amator,
Publica priuatis prætulit ille bonis,
Quod patuit: Nam cum ruperunt fila ſorores
Defleuit mortem patria tota ſuam.
M.CCCC.XXXVIIII. die X. Auguſt.

IN AEDIBVS EPISCOPI VERCELLEN.

Conſtantij decreto in conuentu Mediolanen. ob perpetuum cõſtansq; fidei catholicæ patrocinium ſummis viris Liberio Pon. Max. Dionyſio Mediola. Paulino Treuiren. Hilario Pictauien. Oſio Corduben. Rhodanio, Galliano, alijsq; Epiſcopis in exilium pulſis, Euſebius illorum ſocietate iunctus, virtutis ſuæ exquiſitis cruciatibus laboribusq; ſpectatæ & probatæ palmam egregiam tulit.

IBIDEM,

Paſtoralis curæ munere religiosè perfunctus Dionyſium Mediolanen. Epiſcopum Liminium & Honoratum Vercellen. Gaudentium Nouarien. & alios diſcipulos reliquit, qui egregia præclari magiſtri imitatione in eo Epiſcopalium laborum curriculo ver-

ſati Eccleſiæ Dei mirabiliter perpetuoq; profuerunt. S. Honoratus Ep. III. S. Euſebius Ep. Martyr. S. AEmilianus Epiſ. XI.

TAVRINVM.

VULGO TVRINO, VRBS NOBILIS AD radices montium poſita, forma quadrata, cum portis IIII. Phaethontis, Secuſina, Memoriæ, Palatina vel Doreana, incolis diuitibus, & ædificijs ſplendidis ornata, inter quæ ſummum templum Ioannis Baptiſtæ, & palatium Ducis cum bibliotheca. Gymnaſium habet omnium diſciplinarum, & ex fertilitate ſoli omnibus rebus abundat, aliquando ſedes Ducum Longobardicorum: ijs pulſis in Italiæ Regum, Imperatorum, Montisferrati Marchionum & Sabaudiæ ducum ditione fuit: his à Galliæ Regibus ereptum, atq; ab ijſdem reſtitutum eſt. Paulum ab ea vbi Sagenus Pado miſcetur, Eridanus nauigabilis eſt: Pædemontij metropolis, atq; à Ptolomæo Auguſta Taurinorum dicta. Quidam à Phaethonte, alij à Lamiſone nepote Nohæ conditam putant: Lamiſon enim noſtra lingua Taurũ ſignificat. Templa habet XXI. Cathedralem D. Ioannis Baptiſtæ, S. Sylueſtri, S. Stephani, S. Solutoris vbi Ieſuitæ, S. Andreæ, S. Mariæ conſolationis, SS. Dalmatij & Antonij. S. Laurentij, S. Dominici, S. Franciſci, S. Thomæ, S. Auguſtini, S. Mariæ Carmelitarum, S. Claræ, S. Crucis, S. Petri, S. Pauli, S Gregorij, S. Simeonis & Iudæ, S. Martyriani. Hoſpitalia III. ciuitatis, Equitũ Mauritianorũ; et Leproſorũ S. Lazari extra vrbẽ. Flagellatorũ ſodalitia IIII. Nominis Ieſu, S. Crucis, S. Spiritus, S. Trinitatis. Capucianorum extra vrbem monaſterium I. Monialium item I. Humilitatis.

IN CATHEDRALI D. IOAN. BAPTISTAE.

ANTE AEDEM

Ioanni Baptiſtæ Præcurſori D. Ruuere Taurinenſ. Præſul in S.R.E. Cardinalem titulo S. Clementis á Sixto IIII. PP. Max. collectus, baſilicam ſitu vetuſtate collabentem à fundameutis demolitam auguſtiore ornatu pie religioſeq; ad patriæ decus & Reip. Chriſtianæ honeſtamentum Illuſtribus Sabaudiæ Ducibus Iò. Carolo Amadeo & Blanca eius matre tutriceq; Remp. æquo iure adminiſtrantibus erexit, & Philiberto II. Duce itidem florentiſ. iuſtiſ.q; dedicatam abſoluit, Anno ſalutis M. CCCC. XCVIII.

IN IPSA AEDE.

ANTONIO ROMAGNANO.

Marchioni Pollentiæ, Comiti. S. Victoriæ Domino, ICto. aurato Equiti Seuatori Galliæ Ciſalpinæ præſidi ac Duci, Ludouici Sabaudienſiũ Ducis VII. & X. annis ſummo Cancell. Amadeus pientiſ. filius Montis Regalis Epiſcopus, ac iuſtiſ. quoq; Sabaudiæ Cancellarius monumentum hoc ſalutis Chriſtianæ M. CCCC. LXXXXVII. regnante Philippo Allobrogum Taurinorumq; Duce inuictiſſimo ponendùm curauit.

AMADEO ROMAGNANO.

Olim Allobrogici Ducis ſereni
Cancellarius, inſuperq; Montis
Regalis placidus, pius, benignus
Antiſtes, miſeris ſalus, leuamen,
Romagna genitus domo vetuſta,
Hic ingens Amadeus ille carpit
O Lector placidam ſenex quietem.

Antonius Romagnanus pientiſ. eidem Amadeo, qui vixit ann. LXXVIII. & obijt M. D. IX. XVI. Calend. April. H. M. P.

ANDREAS DE PROVANA.

Se. Apoſtolicæ Protonotarius, Dominus Noualicij, ac Eccleſiæ Taurin. Archidiaconus

conus & Canonicus, dum fragilitatem humani generis meditatus ſe mortalem cogitat, monumentum viuens ſibi parauit M. D. XIII In Domino confido.

D. O. M.

PETRO BAYRO.

Et ſuæ ætatis Protophyſico, & patriæ huius ciui ſplendidiſſimo, pauperumq; patri liberaliſsimo, cui ob fidem illibatam & ſingularem medendi peritiam, ſummi Reip. Chriſtianæ principes curam ſui corporis demendauerant pa: opt. & b. m. Io: Bartholomæus Mont. Ceniſij Præp. vt ſibi mœſtæq; patriæ ſatis deſiderio faceret, id quod vides honoris hoſpes f. c. obijt nonagenarius ann: M.D. LVIII. Cal. April.

DOM. RVVERE.

Tit. S. Clementis Cardinalis, qui ædem hanc à fundamentis poſuit, hic pro tempore quieſcit.

IO: LVDOVICVS RVVERE.

Epiſcopus Taurinenſ. Agri. Piceni. Prolegatus, Palatij Pontiſ. Rector, molis Adriani Præf. hic pro tempore quieſcit.

IO: FRANCISCVS RVVERE.

Iulij II. Pont. Max. pronepos, Taurin. primus Archiepiſcopus, arcis Adrianæ Præfectus Sacro ſancti Lateranenſis Concilij ex XXIIII. decernentibus diuini humaniq; iuris peritiſs. Peruſio, Senis, ac Roma teſtibus, vbi acerrimè de his omnibus XX. annum agens congreſſus eſt. Leoni X. cœtui inſerere cupienti cariſs. hic ex Bononia, vbi fato proh dolor perijt, pietate fratrum aduectus iacet pro tempore.

CHRISTOPHORI MARCHIONI CEVAE.

Hoc tumulo rari ſplendoris dona feruntur:
Hic eſt Chriſtophorus tumulatus Marchio Ceuæ,
Cardineiq; nepos patris cognomine Sancti
Clementis, ſacri templi reuerendus & huius
Canonicus, quouis cenſendus honore ſacerdos,
Moribus, ingenio, vitæ probitate, decore.

Obijt M.D.XVI. XV. Maij.

FRANCISCO BACODIO,

Lud. F. Sabaudo, Geneuæ Epiſcopo, per omnes ferè honorum gradus Romana in Curia ad diplomaticæ officinæ Præfecturam Datarijs titulus euecto: qui Pontiff. VII. indefeſſa labore à Clem. VII. ad Pium V. inſeruiuit, tandemq; Pontiff. duorum ad Sereniſs. Em. Phil Sabaudiæ Ducem nuncius cunctis ordinibus acceptiſsimus parentis loco habitus ingenti relicto ſui deſiderio, obijt anno ætat. ſuæ LXVII. ſal. M.D. LXVIII. Cal. Iulij. Lud. Bacodius Sanedniſi Verdateriæq; Dominus, heres patruo, & Steph. Laconius Duci Ranib. abb. auunculo, mœrentes bene merenti pp.

Ora patent rediuiua nihil mortale repoſtum
Bacodi tumulis quid inanibus, aſtra petiuit:
Pro tumulis ſtatuæ ſurgant, arcusq; perennes.

IN SACRISTIA.

CLAVDIO SEYSELLO.

Ludouici XII. Francorum Regis Arcqueſt: Magiſtro, & pro eodem ad omnes ferè Chriſtianorũ principes oratori eloquentiſ. Laudens. Adminiſtratori, Maſſiliæ Præſuli, Taurinorum Archiepiſcopo, I.V. Conſultiſsimo, atq; huius ſacelli fundatori, collegium Canonicorum pientiſs. patri po. Obijt. prid. Calend. Iunij Anno M. D. XX.

PETRINO PERCATIO.

I. C. clariſsimo integritate, innocentia, & multiplici doctrina grauiſsimo, & Georgio filio itidem I. C. artis oratoriæ ſtudioſiſsimo poſitum eſt. prid. Cal. Mar. M.D. LVI.

IOAN. PETRO CALCANEO.

 Auguſtæ

Auguſtæ Taurinorum Patricio ac Decurioni, moribus, ingenio, prudentia præſtanti, non de ciuibus tantum, ſed etiam de toto Eccleſiaſtico ordine optimè merito, in rebus gerendis, legationibusq; pro patria fungendis egregia fide ac diligentia ſingulari rerum Romanarum forenſiumq; peritia, quarum in Curia tractandarũ cauſſa eius domus maxima frequentia quotidie celebrabatur, qui LVII. annum agens, maximum de ſe deſiderium relinquens obijt IIII. Id. Ianuar. M:D: LXVII. Magdalena de Bernhardis vx. mœſtiſ. Io. Baptiſta Viullius de Calcaneis I. V. Doctor huiusq; Eccleſiæ Canonicus, & Laurentius Carocius de Calcaneis heres p. c.

Quaſi ſemper moriturus.

AD S. DOMINICVM.

ANTONIO ANDREO.

Cæſarei Pontificijq; Iuris prudentiſsimo, Auguſtæ Taurinorum ciui, & Decurionum optimo, ſupremi Concilij Ciſmontani Regio Senatori integerrimo, pauperum patrono, patriæ patri, Antonia Fiſſoria vxor pientiſsima p.

GRVATO PROVANAE.

Equiti aurato, Aug. ſac. pat. integ. P. F. Gen. Tau. Benet. Fabul. & Caſt. Reine, D. Arm. & Iur. prud: claro ob ſingularem fidem, eximiam animi integr. conſ. grauit. ſummamq; rerum experientiam Diui Cæſ. Car. V. & Car. II. Allobrogum & Taurin. Ducis in aduerſa eius fortuna Cataph. præſ. pedit: primipil. validiſſimoq; vrbis Cuneæ opt: moderatori ac acerrimo defenſori, Ludouica vxor, Caſt. Adriana & Anglica fil. dulciſs. Car. miles & præcep. Hier. frat. pientiſ. & ſtemmatis tantæq; gloriæ memor. ætern. quod vides monu. lugen. hic P. C. Sup. an. red. prid. Id. April. M.D. IX.

IN ALTARI.

Quam colis hic Chriſti carnem de virgine ſumptam
Credito quæ cruci eſt tradita, quæ tumulo
Paſcere cæleſtes epulas, modo candida mens ſit,
Tempora ſide tibi non peritura dabunt.

IN CHORO.

IOANNI CARAVIOLO.

Melpharum principi & Duci Aſculi. Hic ſuper cætera pacis & militiæ decora, quæ tum claritate natal: tum D D. Franciſci & Henrici Chriſtianiſſimorum Francorũ Regum perpetua gratia virtutumq; merito eidem ampliſs. obuenerant, Dux Equitum Eques Mareſcallus, fide integritate, iuſtitia, prudentia, ac religione antiqua & recentium conceſsit nemini conſtantia humanos caſus ad perennem gloriã edocta poſter: intrepidè vicit, dum in Turinis, atq; adeo in Italia rerũ ſummæ inuictus præerat cont: quinquennio ſuperiore, & ampliſs. ex priore fama Romana indole habita prouincia vtriusq; fortunæ victor naturæ & mundo viriliter ceſſit, Non. Auguſt. ann. Dom. M: D. L. ineunt. vero ætate, necdum toto verten. LXIII. Iſabella Marchioni Quaratæ & Cornelia parenti opt: Troianoq; & Iulio March. Atellæ fra. germ. verſo ordine in magno patris fort. fato perfunctis, quod vides ad memoriam virtutis inter reliqua pietat. ſolemnia & doloris incitamenta dedicauerunt.

IN QVODAM ALTARI.

Anna ſoles dici tres concepiſſe Marias,
Quas genuere viri Ioachim, Cleophas, Salomæq;
Has duxere viri Ioſeph, Alpheus, & Zebedæus,
Prima parit Chriſtum, Iacobumq; ſecunda minorem,
Et Ioſeph iuſtum peperit cum Simone Iudam,
Tertia maiorem Iacobum, volucremq; Ioannem.

LVDOVICO A PINGON.

Lud. fil. Poſthumo Equiti Sabauda patria antiquo ſtemmate, & morum pietate claro,

claro, ingenioſiſsimo, iuxtaq; animoſo, Germanici etiam idiomatis peritiſsimo, qui vixit ann. xx. M. II. D. xvi. militauit ann. II. heu xvii. Calend Aug. M. D. Lix. miſellus apud Taurinates interijt. Sed quid mortis genus referam? O aduenæ.

Diſcite in hoſtiles ferrum conuertere turmas,
En ſocia iuuenem iam cecidiſſe manu.

Em. Philib. à Pingon Senator, & Lud. à Pingon gr. arm. Eques fratri optimo moeſtiſ. poſuêre.

ANTONIO BIGLATO.

Philoſophiæ, Medicinæ, reiq; Aſtronomicæ peritiſſimo, Aſtronomiam publicè Bononiæ profeſſo, à Taurinenſi Senatu ob egregia eius in Remp: merita ciuitate donato, ac ab Eman. Philiberto Sereniſsimo Allobrogum ſubalpinorum Duce in familiam Medicum delecto, Blanca Bernharda vxor mœſtiſſima, Fabritiuſq; filius, marito parentiq; optimè merito, cum lacrymis p p. M. D. Lxx.

AD S. AVGVSTINVM.

THOMAE VIOTTO.

Chyrurgicæ artis profeſsori publico, qui ob raras animi, corporis ac fortunæ dotes primus hac in vrbe eius artis laurea donatus eſt, ac Bartholomæo eius filio Philoſophiæ ac Medicinæ Profeſſori excellentiſsimo, linguarum peritia, eloquentia, operibus ac ſcriptis celeberrimo, Petrus Viottus patri optimo, fratriq; beneficentiſsimo mœſtiſs. pos. Obijt pater anno M. D. XLVIII. Cal. Decemb. filius anno M. D. LXVIII. XII. Cal. Iul.

Dum pater & natus terras liquere Viotti.
Et iaculo & febre mors imperioſa fuit.
Vulnera mortales morboſq; cauete, periclum
Nunc foris eſtq; domi, tendere ad aſtra ſalus.

LVDOVICAE.

Mulieri natalium ſplendore, formæ elegantia, morum candore, ingenij acumine præſtantiſsimæ, quæ ſeptem menſibus ante quintum exactum ætatis luſtrum, poſt conſtantiſſimum cum acerbiſſimis iliorum doloribus certamen religioſiſſimè ad ſuperos redijt, Ioan. Baptiſta Benedictus patritius Venetus pater vnicæ atq; obſequentiſsimæ filiæ, & Dominicus Pipinus ex Dominis Carpenetæ Auguſtæ Taurinorum ciuis, & Decurio coniugi pudiciſsimæ ſuperſtites multis cum lacrymis poſuêre xix. Ianuar. M. D. Lxxx.

ANNAE ALIBERTAE.

Raconiſien. quam ob egregias corporis animiq; dotes Margareta Vales Sereniſ. Allobrogum Biturigumq; Dux Carolo Emanueli filio Taurinorum Principi nutricē delegit, quo ablactato eandem ſibi à cubiculis eſſe voluit, nec faclè dixeris matri an filio cariorem, Dominicus Pipinus vxori deſideratiſsimæ mœrens pos. Vix. ann. xxv. Obijt xiv Cal. Septemb. M. D. Lxvi.

CASSIANO PVTEO.

Ant. F. Rheani Domino, & belli & pacis artibus claro, qui apud Carolum V. Cæſarem Carolo Sabaud. Duci, & Emanueli Philiberto apud Franciſcum II. Francorum Regem Legatus ſumma fide adfuit: Niciæ à Turcis obſeſſæ oportunè ſubuenit, & Senatoris dignitatem xxv. ann. totidemq; Præſidis integerrimè ſuſtinuit, Ludouicus Puteus Præſes, Fabritius Ponderani Comes & Carol. Antonius magni Hetruriæ Ducis ab intimis conſ. fratres patruo ben. merito pos. Vix. ann. Lxxx. Obijt ann. M. D. LxxIIx. IX. Calend. Octob.

Nominis gloria vt Heſperus poſt ſolis occaſum elucet.
Vita hominis militia ſuper terram.
Vixit naturæ diu, patriæ parum, gloriæ ſemper.

AD S. MARIAM.

D. O. M.

ALEXANDRI LOSEI.

Iureconſ: peritiſs. in enodandis legibus forenſibusq; cauſsis defendendis acutiſsimi, in ſacris literis non parum verſati, indiuiduo diuiſo, corpus lapis hic, cœlum animam tegit, poſteritati monumentum hoc filij mœrentes poſuere Vix. ann. LVII. Obijt M. D. LXXI. Id. Ianuar.

AD S. FRANCISCVM.

HIPPOLYTA.

Claro è ſanguine Poloniæ Regis trahens genus decusq; nobile S. Georgij, cui pater Cæſarq; Blandratæ Comes Bellangeri & cunctis bonus, & Blanca mater extitit à Coconotorum domo hic iacet. Elogium inclytus hoc Marcus heu coniux tibi Doctor Cauallottus memor affixit, atteſtandoq; non fatum amorem vertere fidelis vxoris ſuæ.

Viuentis & morientis
Idem nexus & animus.

Die X. Iunij M. D. LXXII. ætat. ſuæ ann. XXXVIII.

VIFFREDO MORELLO.

Viffredus iacet hic Morellus clarus agendi
In cauſsis nulli quiuè ſecundus erat.
Namq; fidem præter qua lites ille clientum
Tutabatur, erat doctus vtroq; foro.
Huic reſpondendi de iure erat ampla poteſtas,
Quæ paucis fuerat reddita cauſidicis.

Vixit ann. LV. Obijt Non. Febr. M. D. XVII.

ANONYMI.

Eramus ſicut vos, eritis ſicut nos.

AD INSIGNIA.

Paſco bonos, pungoq; malos.

ANDREAE MAGNINI.

Rapport en ſenet.

Sur le treſpas de Noble Andre de Magnin de Chamben. Par. F. L. F. A.

Non dieu la mort le ciel e ceulx qua plus iaymois
Macree a tne, á receu ont ſceu plenidre
Pour le ſeruir mon corps mon esperit macendre
Humblement par ſondart en ſon ſein main teſſois
Mes amys mont pleure & plauit à haute voex
Le Ciel heureſement repos mavoulu prendre
La mort ma faict Vaſſal de ſes Seueres loix
Dieu puiſsant a receu mon à me eſtant de hors
La morte & mes iumais mi a prepare cur lieu
Iay ieſiu le ſuis mort lo ay veille ie repoſe
Par le ver per la mort par amys per mon dica
Iau pleure Et mon corps de leurs larmes s' arco.

EIVSDEM.

Tumulus D. O. M.

Et memoriæ perenni venerabilis Andreæ Magnini Chambenacen: Sabaud. Nobil. qui immatura morte præreptus Auguſtæ Taurinorum VI. Id. Septemb. anno ſeſqui milleſimo, ſeptuageſimo tertio, ætatis vero XXX. ob. virtutis ergò hoc elogium mœrens p. amic: & lugens conſec. ad D. S.

BERNAR-

BERNHARDINO VIVALDO.

Iureconſ. qui cum ix. & amplius ann. primum celeberr. Montis Regalis patriæ ſuæ & Taurini Academiæ locum horis antemeridianis obtinens, magna cum laude ius ciuil eexplanaſſet, dum laborem ſuum ſtudioſæ iuuentuti ornandæ, atq; hominum periculis ſubleuandis impertit, febri graui correptus, ingenti omnium mœrore exceſſit è vita, anno Chriſti M. D. LXX. Vix. ann. XXXVI. M. I. D. X. patri amantiſs. filij mœſtiſs.

IN TEMPLO IESVITARVM.

A fundamentis pia templa dicantur Ieſu
Quæ colet immenſo tempore templa nepos.
Ergo quod EMANVEL pietati prorogat annos,
Tot pietas vitæ proroget alma ſuæ.

IN SENATV

Non Aſtræa polos petijt, niſi dixeris ipſos,
Huc veniſſe polos, namq; hæc iuſtiſsima tellus
Cuiq; ſuum reddit, diſcernens præmia pœnis.

IBID. ISIDORVS.

Diuitias veſtras Cæſari date, Deo autem conſcientiæ veſtræ ſolam innocentiam reſeruate.

IBID. EX PALADA POETA GRAECO,

Imperium, quæ ſerua fuit, ne ſumat herile,
Hoc vetus eſt, aliud nunc tibi dico nouum.
Quisquis cauſidicus fuit, is ne iudicet vnquam,
Rhetore ſit quamuis doctior Iſocrate.
Venali vir lingua & opes acquirere ſuetus,
Iudicium haud vnquam ſordibus abſq; feret.

ALIVD.

Effigies manibus truncæ ante altaria Diuum
Hic reſident, quarum lumine capta prior.
Signa poteſtatis ſummæ ſanctiq; Senatus
Thebanis fuerant iſta reperta viris.
Cur reſident? quia mente graues decet eſſe quieta
Iuridicos, animo nec variare leui.
Cur ſine ſunt manibus? capiant ne præmia, nec ſe
Pollicitis flecti, muneribusq; ſinant.
Cæcus & eſt princeps, quod ſolis auribus, abſq;
Affectu conſtans iuſſa Senatus agit.

DIALOGVS PHILOSOPHI ET IVSTITIAE.

PH. *Quæ Dea?* IVS. *Iuſticia.* PH. *at cur toruo lumine ſpectas?*
IVS. *Neſcia ſum lacrymis, nec moueor precio.*
PH. *Vnde genus?* IVS. *Cœlo.* PH. *Qui te genuêre parentes?*
IVS. *Mî Modus eſt genitor, clara Fides genitrix.*
PH. *Aurium aperta tibi cur altera, & altera clauſa eſt?*
IVS. *Vna patet iuſtis, altera ſurda malis.*
PH. *Cur gladium tua dextra gerit? cur læua bilancem?*
IVS. *Ponderat hæc cauſſas, percutit illa reos.*
PH. *Cur ſola incedis?* IVS. *quia copia rara bonorum eſt,*
Hæc referunt paucos ſæcula Fabritios.
PH. *Paupere cur cultu?* IVS. *Semper iuſtiſsimus eſſe*
Qui cupit, immenſas nemo parabit opes.

IN FA-

IN FACIE ACADEMIAE.

Noſſe Deum, & mores hominum iuriſq; receſſus,
Et rerum cauſſas, morbos curare requiris?
Huc ades, immortalis eris, labor omnia confert.

IN ARCV LABORVM HERCVLIS.

Alciden memorant (quid non queat inclyta virtus?)
Monſtra domaſſe, ſuis purgaſſe laboribus orbem,
Hinc penetraſſe polos, numero poſitumq; Deorum,
Sed bis ſena quid hæc noſter num plura parauit
EMANVEL? toto intactum quid in orbe reliquit?
Ergo triumphorum teſtes, quos erigit arcus
Ingredere, æternos vrbs dum meditatur honores.

IN ARCV DVORVM TEMPLORVM.

Hic iterum ſtes Roma, patent tua templa, coloſſi,
Surgite pyramides, profert ſe Auguſtus vt alter
In medium Dux ille: fores reſerantur honoris,
Rex virtutis iter fanum luſtrauit vtrumq;
Maximus indigetum PHILIBERTVS. At ordine nixus
Non alio ſic ibit ad aſtra, Deosq; ſequetur:
Attamen hoc ſerus, Pylios viuatq; per annos.

IN ACROPOLI, VVLGO CITADELLA,

Peruigili hac ciues nitusq; feriſq; quieſcunt.
Inſidians nec adeſt hoſtis, tentare nec audet:
Nam Iouis hic glandes, fulmen, tonitruſq; coruſcant.

ANTE ARCEM DVCIS.

Ergo tibi ſartas ſeruauerat aduena turres,
Iam ſeruare tuum eſt, populi tua gloria Princeps
Sic ſeruaſſe animos inuictam extruxeris arcem.

AD PICTVRAS ALIQVAS.

Noſcens Aſsyria cũ Babylone minimè Deo ſibi debita ad reædificandũ Iſraelitas, fanũ cũ theſauro crateris & vaſa ſacra demiſit.

Subacta Aſia & vniuerſo oriente Rex magnus Scythas aggreſſurus fata ſubijt, at victores vino decepti filij memor Thomiros ad anguſtias perductos cum Rege trucidat.

Crœſus bis ſeptem cum Lydis rogo impoſitus dictum Solonis memorat, eſſe neminem beatum mortalium etc. & his per interpretem auditis ſui memor Cyrus Crœſum cũ cæteris deponi iubet.

Adultus Cyrus ad Imperium aſcitus vicit Aſtragem, quem victum præfecit Hircaniæ, ac Medorum ſolium ad Perſas transferens regnum valdè auxit:

Circes in Europam cogitans claſſe ſternit Helleſpontem, cui bellatrix Arthemiſia fert ſuppetias.

Crœſus admonitu Cyri interdixit Lydis vſum armorum, & illa quibus viri virtus in fœminas deueniret indulget.

Iuſtitia recta amicitia & odio euaginata & ponderata liberalitas regnum firmiter ſeruat.

Cyrus

Cyrus decennis inter æquales Rex delectus, contumaci puero pœnas imperat, quarum Aſtiagi cauſſas dat, Vt Rex feci, reſpondens; hanc ille miratus conſtantiam ſuam eſſe nepotem agnouit.

Aſtiages Cyrum nepotem necandum mandat, Harpagoni rem per Regis bubulcum paranti, cuius vxor cernit, eum in omni Orienti regnaturum.

Aſpergapiſes rei militaris ignarus Cyro in fugã verſo gulæ indulget, quẽ Cyrus nocte rediens capiendũ, & ſocios necandos mãdat.

Babylonijs Rex Lydorum Crœſus opem tulit, victusq; in regnum refugit, quem Cyrus inſequens, victis Lydorum corijs & Sardibus Crœſo viuo potitur.

Crœſus rogat Cyrum quo ruant? cui Cyr9 Sardeis vrbẽ ſuã euerſum: Crœſus non meam inquit: Sic ciuitas ſeruatur incolumis.

Debellaturus Meſſagetani regnum per ſomnium vidit alas, quarum altera Aſiam, altera Europam inumbraret, at Cyri mortem Darioq; regnum protenderet.

Ne contagia lædant.	Lædor maiore veneno.
Fama conſtat bellum.	Regnum iuſtitia & liberalitate.
Sic omnia fatis.	Prudens vbiq; tutus
Sic vita Tyranni.	Ingenio natura ſuo.
Ne grauiora feram.	Mei tu cauſſa doloris.
Ex me diſce laborem.	Pro lacte venenum.
Totis non viribus.	Diſsimilis animo.
Sibi Iudex & vltor.	Licet hac arte mederi.
Dum Spiritus regit artus.	Maiorum fortunam ſequimur.
Victor victusq; cadet.	Agilior quia ſobrius.
Meum immedicabile.	Pæna diuerſa placet.
Durum aliena viuere ope.	Natura repugnat.
Impia viuis ac dira ſepultis.	Decipior vmbra.
Ne ſit iter ſceleri.	Aſtu ſolertia maior.
Exitus in dubio eſt.	Bella ſequor cupiditate prædæ.
Diuiſum componam.	Quia ſola infelix.
Temeritas non diu felix.	Cadens vlciſcar.
Alta cernens terrena ſpernẽs.	Nuſquam tuta fides.
Præſentia cordi.	Et parere docemus.
Morſus arte leuabo.	Ne cuiquam noceat.
Crudelior igne ferroq;.	Non tali auxilio.
Violenta non durant.	Rationi non feritati fidendum.
Multæ nocendi artes.	Ignauis eſca neganda.

Non

Non ingratis. | Lethi eſt cauſſa voluptas.
Cautè viuendum. | Nihil in vim.
Sic viribus impar. | Vt ſit ſyncera voluptas.

IN PORTA PHAETHONTIS.

Te Duce nos reduces patrio fas degere cœlo
EMANVEL, vindex qui libertatis auitæ
Priſtina reſtituis, victores ſurgite lauri.

IN PORTA PALATINA.

Sub Ioue Taurus, ab hoc Europa vehenda quieſcat,
En dociles humeros, & cornua promptior offert,
Cultores ſuperum huc adeant, abeantq́ profani.

IN PADI SIMVLACRVM, AD FONTEM PHILIBERTEVM.

Solis equos, lapſasq́ vehis Philiberte quadrigas,
Hinc Philibertiades, hinc Phaëthontiades.

IN STVRAE STATVAM.

Iam ne Stura fleas quod amnis eſſes
Fons effectus, haberis inde maior,
Ni præ lætitia fluant ſubortæ
Hinc illinc lachrymæ tuis ocellis.
Solentur lacrymas ſed has cachinni,
Et dulcis reſonent aquæ ſuſurros
Felix terq; quaterq: centiesq;,
Felix Stura, niues periculoſas
Montanumúe gelu furente bruma,
Latrantemúe canem, flagrantis æſtus,
Longum, lene fluens nihil timebis,
Naias, nuncq; Napea, nunc Driasq;
Sertis verſicoloribus reuinctæ
Hortos te incolumem per hos ſeruabunt,
Magnis amnibus hoc parem ſub antro.

ALIVD.

Indigetum hic ſedes, ſolium Phœbiq́ Camœnis
Eſtq́ thorus, vates hos celebrate choros.
Dux opus hoc illis, titulos ſuperaddite dignos,
Nec legat aut habeat dignius orbis opus.

ANTE AEDES PRIVATAS.

Exterius renouata domus ſpectacula præbet,
Fiet ſi cernes Carole tota nitens.

Oculi tui iuſta videant.
AEdificatio ciuitatis confirmabit nomen.

Non

Non ventiles te in omnem ventum.

Emanuel Philibert: bellicæ gloriæ fulmen, regnum auitum recuperatum muniuit & auxit M. D. LXII.

CAROL: EM.

Natiuitate & virtute admirabilis, matrimonio feliciſs: expectato, nulli Herorum ſecundus M. D. LXXXV.

Sors tua mortalis, non eſt mortale quod optas.
Voluitur in præceps nimium ſublimia ſcandens.
Inter vtrunq; vola medio tutiſsimus ibis.
Beneficium accipere & reddere qui neſcit improbus eſt.
Benè habitat qui cum Domino habitat.
Frons noſtræ varijs depicta coloribus ædis.
Quæ tua ſit mentis dos Catharina docet.

CHERIVM.

OPPIDVM ET CASTRVM LAVTISSImum & affluentiſsimum ad torrentem Borbum & amnem Cheriū, quondam frequens, ſed bello Caroli V. Imperat: Aug: contra Franciſcum primum Francorum Regem, confectum & afflictum, vt deſolutum quaſi iaceat, habet tamen Eccleſias pulchras & epitaphia.

AD S. FRANCISCVM.

Communis cunctis ortus & interitus.
Marmore ſub nitido Oppitiorum molliter oſſa,
In lætis animæ ſedibus ipſa manent.

MICHAELI BORGARELLO.

Patricio Chierienſi Poduarini Condomino Chriſtianiſs:orum Galliæ Regum Hinrici II. Franciſci II. Caroli IX. prius annonæ præfecto, poſtea Cameræ rationum in ſubalpinis magiſtro, & à Cubiculis Lugduni, dum ad aulam regiam proficiſceretur Lugduni pleuritide defuncto, Anna ab Eccleſia vxor & Melchior Renatus & Veſpaſianus filij, illa marito chariſſimo hi, patri optimo & amantiſſimo in ſpem reſurrectionis poſuêre. Anno M. D. LXXI. Obijt Id: Maij. ætatis XLVIIII.

Viue vt poſt viuas.

ROBIORVM.

Hic tumulus claudit Robiorum membra virorum,
Quos labor atq; fides nobilitatq; decus.

Ex morte quies.

CASPARIS LEONII MEDICI PRAEST:

Altera ſpes Chierij patriæ iucunda voluptas.
Leonius Caſpar conditur hoc tumulo.
Æternos Niciæ cupidus referebat honores
Theſſalus arte fuit doctus Apollinea.
Multorum potuit morbos depellere diros,
Ægrotus proprium pellere non potuit.
Sed iuuene rapido dum greſſus æquare Dioclis
Conatui paſſus improba parca tenet.
Sic te fata mouent ſemper corrumpere pulchrum
Eſt cauſſa quid nobis impia fata minus.

CHERIVM.

Parcite ſed lacrymis frater, dulciſſima coniunx,
Cognati, Gaſpar cœlica regna tenet.

Obijt M. D. Lxxxi. Non: Iulij: æt: xxxiii.

IN S.° GEORGIO IN MONTE

LVCAS RITTEAE.

Heluetus Capitaneus Regius ex vrbe Lucenſi Ioanni Iacobo Ritter fratri chariſſimo poſ:

Conſpicuus toties metuendusq́; hoſtibus audax
Dum forti dextra gallica ſigna gerit.
Hic iacet à caro Ritter perpeſſus amico
Vulnere vos cauſæ teſte ruina necis
Sic licet effugias hoſtilia cuncta premente
Fato, pernitiem gignet amica manus.
Sed quoniam hoc tumulo defuncti membra quieſcunt,
Hoc frater fratri marmore ſtruxit opus.

LVDOVICVS BROLLA.

Eques Hieroſolomitanus, vir illuſtris, qui nouiſſimè dum Turcæ valida claſſe Melitam decertarent diui Elmi arcem profligatam, ſenex conſilio & viribus poſt non leue vulnus acceptum mira cum laude ab inani inſolentis Tyranni ferocitate ſeruauit, demum S. Stephani Baluius obijt. Vt tanti viri apud poſteros memoria ſeruaretur. Io. Maria & Bernardinus patruo benemerito poſ: M. D.Lxxxi. Octob: xvii. ætatis ſuæ Lxxi

Facilis iactura ſepulcri. Inter vtrumq́; vola.

AD S. DOMINICVM.

DE AQVA BENEDICTA

Huius aquis tactus depellit dæmonis actus,

Aſperget vos Deus cum omnibus ſanctis ſuis in vitam æternam.

CONRADVS ASTVARDVS.

Miles Hieroſolimitanus ſignifer Tribuni militum Chieria intrepidè omnia belli pericula adiens ſummos Claraſci muros nocte aſcendendo hoſtium telis obrutus prius perijt quàm periculo eximi potuerit. Calend: Sptemb: A: M. D. LI.

FRANCISCVS ASTVARDVS.

Cùm virum fortem decere pro gloria aſſiduè dimicare arbitrarer, ſæpè muros circumeundo, hoſtes recognoſcendo & feriendo præ nimijs labore & vigilijs oppreſſus, in magna S.ti Domiani obſidione moritur: frater fratribus benè meritis amantiſs: F.F.

IN FORO.

Pax bello præfertur. Alit concordia pacem.
Parta deuorat ambitio.

DE MVLIERIB.

Peſſuma res mulier, poterit tamen vtilis eſſe,
Præproperè moriens, det tibi quidquid habet,
Vxorem vates nullus me iudice ducat.
Vxor obeſt ſtudio, ſit licet apta thoro.

IN PVELLAM ELEGANTEM.

Quid gnatum cædis venus? arcum perdidit. arcum?
Quis rapuit? Thuſco flauia nata ſolo.
Qui factum? petit hæc, dedit hic, nam lumine formæ
Deceptus, matri ſe dare crediderat.

DE FOR-

DE FORTVNAE VARIETATE.

Fortuna ſæuo læta negotio,
Et ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat in certos honores
Nunc mihi nunc alijs benigna.

ASTA.

CIVITAS PERVETVS DE CVIVS ORIGINE *& initijs nihil tamen proditum inuenitur. Sita ad Morum amnem, qui ex Appennino defluit, & verſus Tanacrum Alexandrino itinere montem habens, in quo fortiſsima illa caſtra Noni & Araſsi, diues & frequens populo, agro, vini frumentiq́ ferace, & perbellè ædificata, primùm in Ducum Mediolanenſium poteſtate, dein Gallorum imperio ſubiecta fuit: tandem conditionibus pacis Cameraci factis Carol V. Franciſco primo reſtituta, Sabaudiæ Duci ex condonatione ceſsit, paſſa aliquando maximas calamitates ex contentionibus & odijs ciuilibus. Bibliotheca pulcra in monaſterio Prædicatorum. Patronus eius S.tus ſecundus, hinc in Sigillo:*

Aſta nitet mundo ſancto cuſtode ſecundo.

Haud procul riuulus Francorum eſt, ſic propter inſignem eius gentis ſtragem hic à Grimoaldo Longobardor. rege editam, appellatus.

IN AEDE CATHEDRALI.

BERNHARDO AGNELLO.

Abite lacrymæ.

R.di Apoſtolici Protonot: templiq; huius Præpoſiti meritiſſimi Bernardi Agnelli munificentia religio pietaſq; ſui temporis Pontificib: ac Roman: Curiæ gratiſs: vitæ curſui lætè rectèq; peracto terminum poſuere, cuius iam octogenarij oſſa, vt hic molliter quieſcerent, Reuerendus Io: Succeſſor patruum pio amore proſecutus reponi curauit Ob: V. Non: Maij M. D. xxxiv.

MATTHAEO PELLETO.

Sacrorum Doctor Canonum, pietatis imago,
Pauperibus pater, & Pelletæ gloria gentis,
Præſul & electus quondam hic Matthæus humatur,
Vix ſimilem inuenies huic noſtro tempore quenquam.

GVIDO DE VALPERGA.

Bonæ memoriæ Epiſcopus Aſtenſis, qui huic Eccleſiæ vnam capellariam, multa paramenta, vnum miſſale, quo anniuerſaria perag: ac tertium pro anima de. quem claudit hic lapis. Obijt anno Domini M. ccc. xxvii. x. die Iunij

FRANCIS: MACIOLA.

Iureconſultus Aul: Imp: Comes, cum poſt varios labores quietem ſpretis ampliſſimis magiſtratibus elegiſſet, voto fruſtratus. Obijt anno ſalutis M. D. xxiii. ix. Calend: Nouemb. En quo tandem?

AD S. BERNHARDINVM.

EQVITIS CVIVSDAM.

Inuicti Cæſaris Caroli V. Imp: præclarus Eques ſpiritum altiſſimo reddens, cadauer voluit pro tempore hic quieſcere.

CATHARINA SALINA.

De tenebris ad lucem properans formoſa, cœleſtis, fulgens gloria, lacrymas parentum temperauit Anno M·D.Lxii. xxvii. Nou:

FRANCISC: CARAVAYAL.

Mag.cus Cæſ.ae Maieſtatis miles Hiſpanus Villarubienſis contra hoſtes militando ſuccubuit, & eius oſſa hic iacent. Obijt xiiii. Octob: M. D. Li.

AD CARMELITAS.

LEONIS ASINARII.

Magnifici Domini hic ſita ſunt oſſa. Obijt M. D. xLii. Parcæ, quæ nemini parcunt.

IO: ANTON: CAPPONIS.

IC.ti viri integerrimi, qui huiuſce ciuitatis gubernationem ann: xxiiii. ſine labe geſſit. Iohannæ vxoris caſtiſſimæ, qui annos xxxx. in coniugali fœdere ſanctè & concorditer egerunt, magno omnium bonorum deſiderio, magno luctu ereptorum, ſpiritibus cœlo redditis. Io: Baptiſta Cappo communis filius mœrens reliquias condidit. M. C. xLiv. die xv. Iun.

AD S. FRANCISCVM.

SVB ARMIS DVCIS.

Te Duce iam priſco ſua redditur Aſta nitori.
Anno Iubilæi M. D. Lxxv. xxv. Septemb:

ALBA POMPEIA.

SIC DICTA QVOD A POMPEIO SIT INſtaurata: Vrbs honeſta & fertili loco ad Tanarū fluuium ſita, cuius incolæ Albeſani nuncupantur, ad differentiā Albanorū in Latio et Albenſium in Marſis. Marchionum Montis Ferrati prius, nunc Ducum Mantuæ ſubdita imperio. Non procul inde principium eſt peramœnorum apricorumquè collium Appennini, aſcenſu leuium & facilium, quiquè paulatim inter ſe diuidi cernuntur, ac campos iucundiſsimos & fertiliſsimos relinquere. Aquæ item Statiliorum propter ſalubritatem plurimùm celebratæ, in thermis publicis menſæ ſunt lapideæ, & gradus oportunitati lauare volentium diſpoſiti.

IN AEDE CATHEDRALI.

CASPAR DE PIETRIS.

Diui Caroli V. Rom: Imperatoris ſtrenuiſſimus leuis armaturæ miles, à Luceria vrbe Apuliæ oriundus, dum Cæſarem cum vniuerſo exercitu Maſilia redeuntem ſequeretur Albæ Pompeiæ diem ſuum obijt, anno ab orbe redempto M. D. xxxvi. tertio non: Decemb: cuius fratres pietatem colentes hoc ſibi monum: pp.

IN CHORO.

ANDREAE NOVELLI.

Albæ Pompeiæ Epiſcopi & Comitis hic ſunt pia ſita oſſa, qui proprio publicoq; ære baſilicam hanc reſtituit, canonicos, prouentus, choros, ſacramq; ſupellectilem addidit, Diuo Benedicto ædem Epiſcopalem palatium condidit operibus pergrande.

Nunc corporis formam indicat effigies, quietem poſteri non inuideant, quicunq; pietati fauent. Vale lector.

AD S.

AD S. DOMINICVM.

IN CHORO.

Euſebij coniuncta thoro Saracena Nouelli
Andreæ mater Præſulis hic iaceo.

Obijt M. cccc. Lxxxxi. Die xxix. Martij.

CLARETAE FODRATAE.

Hic Clareta iacet virtute & nomine clara,
Milite Fodrato generoſo nata Ioanne,
Ac Stephano inſigni cerrato tradita coniux
Regis Pincernæ, quem laudant fortia facta,
Corpus habet mater, pater aſt animam ipſe recepit.

M. CCCC: LXII.

MAGN: BENEDICTO CERRATO.

Pauli IC.ti F. V. pr: Sent: Paulus & Petrus filij M. PP.

DE VIRGINE MARIA.

Purpureas præbete roſas floresq́, Mariæ,
Vt vobis fructum præbeat illa ſuum.

AD S. BERNHARDIN:

Si Domino pſalles, pſallendo tamen tua ſerues,
Aſpice cor ſurſum, benè profer & inſpice ſenſum.

AD S. IOANNEM.

IOANNI BAPTISTAE TORICELLO.

Mantuano militi accurato, quia tùm pacis belliq; tempore terra mariq; dum ſequeretur, amoris ſigna nouit, Aſc.s And.s ſicut viuenti, quæ valuit, ita hæc quæ non potuit maiora, poſt extremum familiaritatis piæ monumenta condonauit. Obijt die vi. Martij M. D. Lxxix.

AD S. BONIFORTVM.

Qui pater omnipotens conceſsit pellere morbos,
Tu Boniforte Duci auertas huic aëra nigrum.

IN PALATIO.

Hæc iuris prudens Iacobus Bogius arma,
Antiqua hunc propior Nicia prole tulit,
Quod iuſtè Albenſem Guilielmo rexerit vrbem
Principe, inoffenſæ munera dat fidei.

Qualibet idem.

M. D. LXX.

IN FORO.

SVB INSIGNI DVCIS MANTVANI.

Fides.

Olympos.

Albæ Pompe: ciuitas Principibus b. m. fec:
Deditionis ſuæ fideiq; iureiur: deuinctæ ergo.
Anno Dom: M. D. LXIII.

MONS REGALIS.

CIVITAS DVCIS SABAVDIÆ MEDIOCRIS in monte iacens, natura loci & murorum craſsitudine alijsq́; diſpoſitis propugnaculis munitiſsima. Cuius finitimus Appennini tractus multis caſtellis nitet: Infra torrens Borbus & mons Calerius, oppidum multis Italiæ ciuitatibus comparandum: monaſterium fratrum D. Franciſci minorum de obſeruantia ornatiſsimum præcipuas inſcriptiones continet quarum prima.

IOAN: GEORGIO VINALDO.

Patritio integerrimo, conſilio, fide, diligentia, pietate, conſtantia, meritis in patriam, filiorum numero & dignitate clariſſimo, propè octuageſimo, defuncto IIII. Cal: Iunij Anno M. D. LXVII. p.

IC.[ti] ET EQITIS AVRATI.

Legum Doctor habens auri calcaria miles,
Sceptraq́; condignus Saniliana tulit.
Is quoq́; & Eridanum Iudex à principe maior,
Et patriæ conſul præſidiumq́; fuit.
Sed mors hoſtis atrox pacis, dux atq́; dolorum,
Impulit ante diem membra carere ſolo.

DE SEIPSO PATHOS.

Fallimur heu miſeri, quoniam cum viuere ſemper
Credimur, hunc omnes Atropos atra rapit.
Quid mihi vobiſcum eſt fratres? quid & amplius vno
Reſtat? & ad cippum quiſq́; venire petat.

BLANCHAE FANZONAE.

Prouanæ, ex generi illuſtri ortæ pro tempore ſarcophagus, quæ obijt XXII. Nouemb: M. D. XXXI.

DE SEIPSA PATHOS.

Forma, virens ætas, ſanguis, ſpes, gaudia, mores
Heu valeant, poſtquam morte caduca ruunt.
Deſerui matrem, mater tenet horrida natam;
A matre ad matrem ducitur omne genus.

FRANCISCO FANZONO.

Patri Montis alti condomino, religionis pietatisq; cultori eximio, ciui optimo ac prudenti, & de Rep: benemerito, nec non Alexandro fratri. I. V. Doctori, & Sereniſs: Sabaud: Ducis præfecto militum Carol: mœſtiſs: poſ:

GEORGIO CASTRATIO.

I. V. C. Ordinis Senatorij Roaxij & Turricellæ condomino, & montis Regalis Academiæ Moderatori, qui generi, patriæ, ciuibusq; ſuis ob ſummam in eos caritatem triſte ſui deſiderium reliquit, Margarita Bogliona vxor fidiſſima, Ioa: Ant: fratres, filij coniugi ac patri optimo non ſine lacrymis multis poſuerunt.

Heu heu debentur tandem noſtra omnia fatis,
Et quidquid ſummum eſt ſurripit hora breuis.

Vix: ann: LV. Obijt prid: Non: Octobr: M. D. LXV.

IOAN: FRANC: FANZONII:

Ducalis Quæſtoris, & fratrum ſuper obitu matris.

Heu dulciſſima parens, quam domo abeuntes cum caro patre concordi mente viuentem reliquimus, cur tuam deſolatam deſeruiſti ſobolem, quæ tua tibi vita

carior

carior fuerat? vbi te quæremus? quo proſequemur? ſiccinè decuit matrem filios deſtituere? Quantum mœroris tua, proh dolor, inopinata mors attulit.

IANNOLIAE PANTASILEAE MATRIS RESPON:

Ne quæſo lacrymis quieſcentem genitricem vexate filioli, Deo iubente naturæ conceſſi, miſeramq; hanc mortalium ſortem æterna vita commutaui, vbi gaudio perfruor inceſſabili: Vos meæ proles, ſi meæ dici exoptatis, virtutis memores paternis monitis obtemperate.

AD S. MARIAM.

BARTHOLOMAEO FANZONIO.

Ant: F. Montis Regalis Patritio, Montis vero alti condomino, Caroli II. Sabaudiæ Ducis Senatori, Generali eius fiſci Aduocato, qui ad Paulum III. Pontif. Max: pro Duce ipſo legatione functa, ab Henrico II. Gallorum Rege Iudex V. appellandus Italiæ Subalpinæ creatus in hoc campo omnibus gratus piè obijt. Conſtantius Fanzonius amoris ergo patritio b. m. m. p. c. M. D. Lxxviiii. Non: Maij.

Facilè contemnit omnia, qui cogitat ſe moriturum.

IN ALTARI: DE VIRG: MARIA.

Chriſtiparam ſignant ſol, vrbs, roſa, lilia, templum,
Palma, oliua, hortus clauſus, flos, oleaq; decor.
Luna, cedrus, ſpeculum, puteus, platanusq; cupreſſus,
Fons, turris, ſtella maris Mariam vellera, porta notant.

SAVONA.

ANTIQVIS SABATIA, VRBS VETVSTA A Gallis Senonibus condita, circuitu M. D. paſſuum & magnificis ædificijs ornita, in primis nobiliſsima domo Iulij II. Pontificis, qui cum Sixto IIII. & Gregorio VII. Pont: ex ea originem traxerunt, Variorum principum ditionis ſuperioribus ſæculis fuit, & modo à ſolis Genuenſibus tenetur, qui portum ipſius occuparunt. Hic Alpes incipiunt & perpetuis iugis porrò conſurgunt. In ora pagi aliquot exigui & vici, ſolum vtcunq; ob colles, ſaxa, iuga & eiuſmodi quæ ſterilitatem inducunt. Decorarunt quoq; eam Petrus & Raphaël Riarius Cardinales Sixti IIII. nepotes, quorum hic palatium S. Laurentij in Damaſo Romæ à fundamentis extruxit. Item Ioannes Roboreus vrbis Romæ Præfectus & Senogalliæ Regulus, & plures alij illuſtres homines, quorum memoriam alij proſequuntur.

AD S. DOMINICVM.

PICHORVM.

Piè ac deuotè de mortuorum reſurrectione cogitantes M. Nicolaus & Iacobus de Pichis, monumentum hoc cum ſacello conſtituendum curarunt, pro ſe ſuiſq; heredibus & ſucceſſoribus, Anno M. D. Lxxxiiii. Cal: Nouemb:

IN CAPELLA SIXTI IV. PP.

PARENTI SIXTI IV.

Iuncta Leonardo coniux Luchina quieſcit,
Filius hæc Sixtus Papa ſepulcra dedit.

IN CHORO.

Sixtus hic è cœli bis ſeptem ianitor annis,
Dona Deûm genitrix tanta Sauona tulit.
Conſuluit patriæ venturi prouidus augur,
Hos donans ciues culmine Cardineo.

IVLII SIXTI NEPOT:

Iulius iſte Nepos Sixti moderatur habenas
Orbis, & hos fructus Sixtica quercus habet.
Hos iußit roſeo ciues fulgere galero,
Felix & gemino dia Sauona patre.

IN PALATIO QVODAM.

Traiani Imperatoris animam B. Georgius ab inferis eruit: quia ille iuſtitiam filiali prætulit caritati.

GENVA.

VLGO GENOA LIGVRIÆ VRBS ANTIquiſsima, condita à Genuo Phaëthontis ſocio, & ſic dicta vel propter ſitum curuaturæ genu reſpondentem, vel quod janua & porta ſit orbis terrarum & totius Italiæ, vel à Iano bifronte, qui ibi præcipuè colebatur, & cuius inſigni ciuitas vtitur, omnium maritimarum Italiæ facilè princeps, in ora maris Tyrrheni, quod & Liguſticum dicitur, è regione Corcyræ Inſulæ, ſterili loco ſita ad altiſsimi montis Appennini radices, quas attingens ad meridiem tota inuerſa mare deſpicit, terga obuertens frigoribus Septentrionis, quibus montes tanquam aggeres obiectos habet altiſsimos, non tota plana, nec tota montoſa, ſed mixta ſpecie, circuitu V. milliar: Italicorum, portu magnificentiſsimo & inſigni, ad Africam & Auſtrum patente, cuiusq; fluctibus mœnia vrbis quatiuntur, ingentiq; mole ad quam naues & triremes appellunt, cauſſa ſecuræ ſtationis ex ſolidis ſaxis tempore Sfortiarum fronti illius adiecta munitione opera facta. Opibus & ædificijs non ſolùm excellens, verùm etiam ad hoſtes mari vincendos quodammodò fatalis, ac naualis diſciplinæ laude cæteras nationes antecellens, mercaturæ & negotiationi vacans, quibus ſtudijs ex omnibus penè mundi partibus ingentes trahit quæſtus, nec vllum creditur emporium, quod Genuenſes non adeant, tanta eorum negotiandi induſtria, tanta lucri cupiditas. Idq; regionis & agri ſterilitas, vrbis frequentia facit, quæ gnauos eſſe cogit, & omnibus rebus ad vſum humanæ vitæ neceſſarijs ad delicias affluentem & copioſam reddit, diuitijs auctam & ornatam efficit. Ideoq; eorum rem mari ſummoperè viguiſſe ex hiſtorijs & exemplis conſtat.

Forma Reip: diuerſa fuit, de qua diſcurrere nimis longum atq; etiam extra propoſitum foret: Quam ob rem conſulantur, qui de rebus geſtis & Reip: Genuenſis adminiſtratione ſcripſerunt. Ita tamen conſtituta ea eſt, vt poſt multas & varias

rias acceptas clades tàm à Saracenis quàm Gallis, Item Leonis X. Pontficis ac Imp: Caroli V. legionibus in immenſum creuerit, nomenq; Superbæ adepta ſit. Et cum pace atq; ocio fruatur, munitiſsima quoq; redditur & inuicta, ni defenſores & commeatus deſint. Summum quoq; ſplendorem & lumen adepta eſt ex viris illuſtribus quos edidit, maxime Pontifices, Innocentium V. VIII. & Adrianum V. ex familia Fregoſia & Fliſca, quæ eadem plus XXX. Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos plurimos genuit. Portui olim caſtellum à Ludouico XII. Galliæ Rege anno M. D. VII. eo loco vbi nunc lupanar eſt, fuit impoſitum Briglia dictum, cuius præſidio ciuitas in officio contineretur, ſed frenum hoc infeſtum equus ferox & temerarius non ferens, Antoniottus Adurnius eius Dux libertatis conſeruandæ gratia ad fundamenta deiecit: opus aliàs admirabile, & ingenti ſumptu factum. Ab vno latere Feritor vulgo Biſamnis aluit.

Antiquitatis monumenta pauca, parochias vero XXXII. habet vtpote. S. Iacobi. S.ᵗ Stephani. S.ᵗⁱ Marci. S. Saluatoris, S. Sylueſtri. S. Crucis. S. Mariæ caſtri. S. Nazari. S. Ambroſij. S. Magdalenæ. S. Petri. S. Pancratij. S. Sabinæ. S. Fidei. S. Coſmi & Damiani. S. Georgij. S. Teupæ. S. Donati. S. Andreæ. S. Mariæ vineæ. S. Matthæi. S. Marcelli. S. Saluatoris. S. Marcellini. S. Agnetis. S. Syxti. S. Viti. S. Thomæ. S. Michaelis. S. Iacobi. S. Laurentij. In Eccleſia Cathedrali tabula pendet de tholo ænea ad Appennini radices in valle, quæ vulgò Porcifera dicitur, anno M. D. VII. menſ: Februar: effoſſa, & à doctiſſimo viro Domino Georgio Fabritio in monumentis antiquitatis edita, continet verò inſtrumentum terminorum inter Genuenſes & Viturios, inciſa literis Romanis antiquiſsimis minutulis, longa palmas duas & paulò amplius, lata ſeſqui palmam. Chorus templi inſignis eſt marmoreis Euangeliſtarum ſtatuis & ſacello, in quo cineres D. Ioannis Baptiſtæ conſeruari dicuntur, vetito ſexui muliebri propterea quod is ob preces muliebres necatus ſit. Diui Matthiæ fanum in choro, qui marmoreis ſimulacris ſacrarum hiſtoriarum, Patriarcharum, Sybillarum, natiuitatis & paſsionis Chriſti pulcerrimè à Ioanne Angelo de monte Vrſeolo exſculptis ornatiſsimus celebre eſt. Ibidem monumentum Comitis Philippi de Oria & coniugis Andreæ de Oria. Murus exterior templi multas habet inſcriptiones victoriarum familiæ Dorienſis, de quib: poſtea. Ante fores templi forum illorum de Oria circuncirca pulcerrimis ædificijs ſeptum. Dependent etiam ex muro Portio quædam catenæ ferreæ, ſicut & in portis publicis, diſruptæ à Genuenſibus, cum Galli portum Corſicum intercluſiſſent. Palatium Senatus pulcrum, & à quingentis militibus Germanis cuſtoditum: In medio areæ ſtatua marmorea Andreæ de Oria forma Gigantis, tempora circum laurea corona redimito, triaq; Turcarum capita pedibus calcans. Ladarſina locus eſt, vbi fiunt naues communes & onerariæ L' Arſenale domus eſt portui marino adiacens, in qua triremes fabricantur, & fons incredibilis pulcritudinis ob materiam, quæ tota eſt marina, factis quibuſdam coloribus igne & arte exprimente varias figuras hominum, pecudum, auium inſtar gemmarum, quæ pannis intexuntur ſericis, forma eſt rotunda, diuiſa in V. lauacra, quæ ſingula redundant aquis dulcibus, quas certis foraminibus per ora hominum, beſtiarum montium cum volucribus ſpuunt.

Pog-

Poggio vicus in maris littore, in quo palatium centurionis Adami, ciuis Genuenſis & latiſsimus hortus cum admirabili fonte aquas certis lacunis circumcirca ad formam liliorum effundens. Et prædium cuius ſitus ne pulcrior quidem cogitari poteſt. Laterna turris excelſa, lumen præbens nocturnum nauigantibus, cuius limini inſcriptum.

Anno à Chriſto nato M. D. xLIII. reſtitutæ libertatis anno xvi. inſtaurata turris hæc olim ſtructa à maioribus noſtris, & M. D. xII. in oppugnatione arcis Laternæ diruta.

IN AEDE CATHEDRALI.

Alma parens tu nos cuſtodi, & numine ſancto
Affer opem generi Diua benigna tuo.

D. O. M.

Sacellum à Franco Leuario Nicolao F. conſtructum, araq́ hæc ſacroſancta Deo opt: Max: ac Deiparæ virgini dicata eſt. Parentes, haud alienum à mea in vos pietate factum ducitote, ſi à Megolio proauo in porticu ad D. Franciſc. erectam prius ædiculam vna cum ſepulcro, in quod conditi eſtis, filius ritè non colo, ſequorue: quod enim locus ille multa ſæpius indigna paſſus ſit, tutior hic viſus eſt, in quo & ſacra peragerentur, & mihi poſterisq; meis monumentum ponerem, accedentè ex SC. templi curatorum aſſenſu, anno ſalutis M. D. LIX.

Quas poſsis res tuas ipſe curato, alteri ne mandato.

AVGVSTINVS SALICARGVS.

Ex nobili atq; priſca Salicargorum familia ortus, Genuenſium Antiſtes, ſacræ paginæ Profeſſor, pietate ac moribus ornatus. Obijt anno à partu virginis M. D. LxvII. prid: Calend: Octobr:

LAVRENT: FLISIA.

Tres egit Epiſcopatus, Bononiam, Peruſiam ac Romam iuſtiſſimè rexit, Genuen: clerum laudabili inſtituto ad Dei cultum frequentem reddidit, immunitatibus auxit, monumentum hoc muſico cœtui conſtituit, eleemoſynas perpetuas virginum nuptijs dedicauit: Bononiæ tertiò Gubernator obijt, anno ætatis ſuæ LIIII. ex eo, quod mortale fuerat, inferius pientiſſimè condidit Steph: Fl. M. D. xix. IIII. Non: Maij.

HIBLEO FLISIA.

Ap. p. pac: Zelat. militi gnaro, liberal piet: abſtin: & ſeuer: inſigni, armis ac religione inclyto, qui Pont: Reg: Duc: patriæq; exercitum duxit, Rom: Genu: Tuder: Terd: q; vil: regim: alijsq; publicis ac priuatis muneribus functus, patriæ libertatis vindex, varia rerum mutat: agitat: foris diſceſſit, anno Dom: M. XD. vII. xxv. Auguſti ætatis ſuæ ann: LxII. Lauren. Fli: Bru: Ep. Prælato ppp.

In eo ſtatu vixi, in quo mori iuuat.

D. O. M.

BANETAE SPINOLAE.

Vxori cariſſimæ, puerperæ infelici ſibi Quilicus Fliſcus Io: F. Lauarceæ C. communis ſepulcri ſpe deſiderium leniens M. H. P. & ſub eo tumulo anno S. M. D. Lxxxi.

FRANCISCVS CIGADA.

Zoalius Beorg: F. profectionem in patriam parans corpori, cuius fidem in vitæ laboribus proſpexerat, proſpiciens p.

IVLII

IVLII CICADAE.

D. O. M.

Viator lege, & miſeratus benè precare.

Iulius Cicada Viſcont: filius penè puer militiæ affectans laudem, quinquennìnium primùm ſub patris imperio meruit, quo tempore Andreæ de Orea in Gallos pro Carolo V. paternis triremibus operam præſtans imperatoria vectus, cæteris omnibus velocior primus ex hoſtium claſſe vexillum arripuit pugnans, captisq; quatuor Gallorum triremibus à Cæſarianis rediens, in Turcas vnica triremi traiecit, vbi multa animi ſui fortitudinis ſigna oſtentans, ab hoſte Drogo pyrata XXII. triremium claſſe oppreſſus pugnans ad Melitam capitur, dumq; ſeptennio detinetur, etiam tunc virtutis patriæ memor prælto ingenio, & incredibili conſtantia, nullis aduerſæ infeſtæq; fortunæ contumelijs infracti animi vigorem vnquam demittens, egregium facinus conatus eſt, & niſi cuiuſdam impij perfidia fuiſſet proditus, totam pyratæ claſſem arreptam ſecum in patriam traduxiſſet, tanti conatus pœnas barbari hoſtis cruciatus forti animo pertulit, magnis deniq; præmijs & precio à patre redemptus in bello Corſico pro patria Genua militans ingruente morbo, qui paſſim graſſabatur, confectus interijt anno XXVII. Iam viator vtrum luctuoſius, an Iulio vita, an patriæ patriq; Iulius? cui benè merenti pater hoc deſiderij ſui monumentum poni curauit Anno M. D. LIIII. Decimo octauo Cal: Auguſti.

O Decus ô patriæ magno quoq; nomine Iuli,
Gloria virtutis tempore rara tuo.
Conderis heu fatis mundo ſublatus iniquis,
Dum nimium celeri tendis ad aſtra gradu.

EIVSDEM.

Ενθαδε τὶς κεῖται; Ιουλιός τις ςραλιγὸς ἀρτὶ
τολμήσαντα θρασῶς ὀν παρέδοκε θεὸς.
πῶς ἐτελεὺλησεν; καλῶς. τί ἔπραξεν ἔπειτα;
μαχιμόταπόν γε τόνδε κάλεσσε θεὸς.

LEONARDI MONTALDI.

Patricij egregij, qui anno M. ccc. LXXXIV. Dux Remp: geſſit, ſtatuam in alia templi parte prius locatam, & ipſius inſtauratione inde ſummotam, magnifici templi curatores hic reponendam curarunt. M. D. LXXIX.

GEORGII DE FLISCO.

S. RX. DD. Epiſcopi Hoſtien: Card:lis de Fliſco Archiepiſcopi ac prouinciæ Ienuenſis legati, qui obijt anno Chriſti M. cccc. LXI. Die XI. Octob:

IN CHORO.

Statuæ hic ſunt marmoreæ quatuor Euangeliſtarum bellisſimæ.

AD S. ANDREAM.

IN NOMINE PATRIS, FILII, ET
SPIRITVS SANCTI, AMEN.

Sum munita viris, muris circumdata miris,
Et virtute mea pello procul hoſtica tela,
Si pacem portas licet has tibi tangere portas,
Si bellum quæres, triſtis victusq; recedes.
Auſter & occaſus ſeptentrio nouit & ortus,
Quantos bellorum ſuperaui Ianua motus.

E REGIONE IBIDEM.

Marte huius populi fuit hactenus Africa mota
Poſt Aſiæ partes, & ab hinc Hiſpania tota
Almariam cepit Orto . . . . ſubegi

Septimus

Septimus annus ab hac, & erat bis quartus ab illa
Hoc ego munimen vi fecit ianua pridem,
Vndecies centeno cum totiens quoq; quino.

AD S. LAVRENTIVM.

AD IANI SIMVLACRVM.

Ianus primus Rex Italiæ de progenie Gigantum qui ſundauit Ianuam tempore Abrahami.

ALIVD.

Ianus princeps Troianus, Aſtrologiæ peritus, nauigando ad habitandum locum quærens ſanum, amabilem & ſecurum, Ianuam à Iano Rege Italiæ pronepote iam fundatam huc venit, & eam cernens mari & montibus tutiſſimam appellauit nomine & potent: &c.

PHILIPPVS DE NIGRO S. NICOLAVS
DE GOANO.

Reparatores huius Eccleſiæ fecerunt renouari hoc opus de deceno legatorum Anno M. ccc. xLI.

PETRO IO: CLAVCIA.

Patricio Genu: omnibus Reipub: magiſtratibus integerrimè functo Franciſc: fil: parenti opt: poſ: Vix: ann: Lxxvii: Obijt anno ſalutis noſtræ M. D. Lix .xiii. Cal: Octobr:

AD S. CYRVM.

BENEDIC: IVSTINIANVS BONFANTE.

Phyſicus Presbyter Ioanni fratri Genuen : Canonico &c. pri: Maij M. D. xxx. defuncto, Hieronymæ Mongiardinæ ſocrui, ſibi, Baptinæ coniugi, proliq; propriæ poſ: anno ſalutis M. D. xxxiv. Menſ. Febr:

LAVRENTII DE GENTILIBVS.

Nobilis viri quondam & heredum ſuorum S. qui obijt M. cccc. die xii. Aprilis. poſ: M. cccc. i. die xii. Auguſti.

MATTHAEI LOMALINI.

Quis generis laudes, mirum vel nomen auorum,
Aut celebret titulos quis Lomaline tuos?
Cum ſit nobilitas maior nec clarior in te,
Præclaris animi conſilijq; bonis.
Vel pietas ſuperis tua cur nunc erigat ædes,
Pectore ſi nulla eſt ſanctior ara tuo?
Hanc tibi Matthæus Lomalinus dedicat ædem:
Sume pij votum Rex bone Chriſte pium.
M. CCCC. XXXXIIII.

IN BAPTISTERIO.

Hunc fontem vitæ quo crimina prima lauantur,
Et luitur cunctis quod fuit ante nefas.
De Baſignana Andreas Rex maxime fecit,
Paruum nempe ſuæ non pietatis opus.
M. CCCC. XLV. die V. Septembr.

AD S. IOANNEM.

STATVAE MARMOREAE FACTAE.
à Zanſouino Florentino.

I. Mater D. Ioannis Baptiſtæ. *II. D. Ioannes Baptiſta.*
III. Virgo Maria. *IV. Primus parens.*

V. Prima

V. Prima mater. VI. Zacharias Propheta.

VII. Abacuc Propheta.

C. P. A. G.

Mortem præ oculis ſemper habens viuens ſibi poſ: M. D. Lxxv.

IVLIANVS CYBO.

Epiſcopus Agrigent: aram hanc Deo O. M. ac præclaris fidei luminibus Petro & Paulo olim piè dicârat, ſepulcrumq; ſibi inferius ſuffoſſum poſuerat: Ne autem tàm egregij operis ſuppreſſum autoris nomen ex hominum memoria excideret, Nicolaus Spinola IC.tus & Camilla Cybo vxor ipſius Iuliani nepotes monumentum hoc adijciendum curarunt Anno Domini M. D. Lxx. vii. Menſ: Auguſti.

AD S. FRANCISCVM.

MICHAELI ROBERTO RAPAE.

Hic tegitur Rapa clarus virtute Michaël
Robertus, pulcra Parthenope genitus.
Qui ſemper rediјt ſpolijs Dux victor opimis,
Hunc mors florentem ſtrauit acerba virum.
Huic vni non eſt, Ductor fortiſsime (quando
Omnia mors ſuperat) ſuccubuiſſe pudor,

LANFRANCHVM CYBO.

Non antiquiſſimæ ſolum ac nobiliſſimæ ſtirpis ſplendore, ſed ingenij quoq; & humanitatis laude claruiſſe vnum ex octo viris Reip: præfuiſſe, aliorum magiſtratuum, legationum, præfecturarum grauiſſimis perfunctum muneribus egregiè fuiſſe, tàm edita quam ſcripta vetuſtorum annalium monumenta teſtantur, eius ſepulcrum in huiuſce templi fundamentis ruderibus obrutum Alberius Cybo Malaſpina S. Rom: Imperij & Maſſæ Princeps Marchio xiv. in apertum ac lucem, qua complures annos indignè caruerat pietatis ergò in gentilem ſuum, atq; perpetuum familiæ decus reuocauit, quod publicis eſt tabulis conteſtatum à Hieronymo Paxerio confectis anno ſalut: M. D. Lxxviii. vi. Calend: April.

GARIBALDORVM.

D. O. M.

Ioan: Nicol: Io: Bapt: Eques Hieroſol. Barth: & Io: Steph: Pauli Garibaldi F. poſt maiorum ſuorum ſepulcrum in D. Dominici clauſtro cc. Lxxv. ab hinc annis conſtructum, nunc in marmoreo hoc ſacello abs ſe Deiparæ virgini excitato, & cancellis circumſepto ſibi poſterisq; ſuis nouum monumentum fratres vnanimes poſuere, anno Domini M. D. Lxxx.

ANTO: MARIA GRIMALDVS.

Gaſparis F. Santiſſimæ Trinitati emptum de Franciſcanis huius Cœnobij fratribus Sacellum dicauit, in eoq; ſepulcrum patri, ſibi poſterisq; poſ:

IN CAPELLA FRANCISCI ET LVCAE DE GRIMALDIS IANVENS.

IN ALTARI SVB CRVCIFIGATIONE CHRISTI.

Decerpti vt poſſent ligni mala damna rependi,
Hic fructus ligno reſtituendus erat.

IN SACRARIO IBIDEM.

Mirus amor Chriſti pro terris aſtra reliquit,
Vt facilem è terris ſternat ad aſtra viam.
Nec ſatis hoc: inſons diræ ſuccumbere morti,
Et voluit rigidæ ligna ſubire crucis.
Scilicet vt primi ſanet contagia ligni,
Sontibus & nobis mors ſua vita foret.

Cuiq; mare & tellus, magnus cui ſeruit olimpus,
Quem Phlegethontei gurgitis vnda timet.
Mortales ortus, mortalia funera paſſus,
Mortali vt clauſum cœli aperiret iter.
Ecquis erit tam corde ferox, tam pectore durus,
Irrita qui effundi munera tanta ſinat?
Qui non corde pio Chriſtum, non pectore toto
Autorem vitæ tempus in omne colat.

IBIDEM.

Sanctiſſimæ crucis, ac ſpineæ coronæ plurimisq; ſanctorum reliquijs è ſuperiore templo nuper huc translatis Lucas Grimaldus Franciſci F. ſacrarium hoc p. c. anno ſalut: M. D. Lxxviii.

IN ALTARI.

Omne genu flectatur.

OCTAVIANO.

Angeli Grimaldi Ceb: F. clariſs: ac prudentiſs: ciui, heredes ſepulcrum ex teſtamento faciundum curauerunt. Deceſſit anno M. D. Lxii. ix. Cal: Ian: ann: agens Lxxviii.

AD S. CATHARINAM.

PERINETAE.

Simonis Spinolæ filiæ & Stephani Spinolæ Roch: & Ronchi Domini coniugi hoc in tumulo conditæ, quæ vi. & xxx. annum agens naturæ conceſſit v. Non. Maij M. D. Lxiii. Filij par: opt: eius teſtamento iuſſi poſuêre.

NICOLOSIVS SPINOLA.

Q. D. Io: Franc: q. D. Caſani & Camilla filia, q. m. D. Melchioris Doria couiuges hoc ſibi ſepulcrum pro ipſis tantum elegerunt, vt ſicut in vita dilexerunt ſe, ita & in morte non ſint ſeparati. Vix: ann: Lxiv. M. i. D. v. Obijt D. iv. Decemb: M. D. Lxx.

ALIVD.

Abeunt omnia vnde orta ſunt.

AMBROSIO SPINOLAE.

D. O. M.

Vitæ via mors eſt. Ambr. de bon. mort.
Abſit planè gloriari niſi in Domino.

Ambroſius Spinola IC.tus Paul: F. Neapolit: N. Illuſtris Galeoti Genuæ Capitanei trinepos ex Buſallæ Dominis, monumentum hoc, ſubſtructumq; hoc etiam ſepulcrum poſt plurima & S. R. E. ſub Paulo iii. Iul: iii. & Marcello ii. PP. Max: & patriæ flagranti ſtudio perfuncta munia, annum agens v. & Lx. ſibi vxori Pelegrinæ Dominici Gentilis F. liberis, poſterisq; ſuis viuens parauit, anno M. D. Lxxii.

Vt è ſpinis roſa, ſic è flammis vita.

IOCANTI BLANCO.

Vetuſtate familiæ Blancorum in Cyrno Inſula nobili, primùm ſtrenui militis, poſtea fortiſſimi Ducis nomen maximum adepto fide & rei militaris peritia principibus & Reip: caro, morum ſuauitate militibus grato, vitæ integritate cunctis probato, Caldonia vxor inconſolabilis viro felix, infelix filia parenti poſ:

LVCAS SPINOLA.

Baptiſtæ F. Deo O. M. Diuoq; Benedicto emptum de Corp: Chriſti collegio ſacellum D. & in eo ſepulcrum ſibi poſterisq; ſuis p. anno ſalut: M. D. Lxii.

M. AVG:

M. AVG: PINELLO.

Qui cum dies noctesq; Reip. ſtudet incolumitati, ſumma erga cunctos æquitate, immerita ac inopina nece ſublatus eſt, communi vrbis luctu deſiderato, pro tempore poſitum M. D. LXVI.

Summum Philoſophiæ eſt meditatio mortis.

AD S. SEBASTIANVM.

IOAN: BAPTISTA DE FERRARIIS.

Fecit Ioannes ſacrum Baptiſta ſacellum
Hoc de Ferrarijs, motus amore Dei.
Rolandi proles ſcribarum ex ordine, pro ſe,
Et natis, omni ac poſteritate ſua.
Aediculamq; cruci ſanctæ, atq; altare dicauit
Hoc Mariæ matri, qua duce nemo perit.

M. D. XVII.

AD S. DOMINICVM.

LVCAS FVRNARIVS.

Iureconſultus, humanæ ſalutis memor ſibi, vxori ac liberis poſuit, Anno ſalutis M. D. LXXV.

IN CHORO ANTIQ:

FRANCISCO SPINOLAE.

S. M. V. D. Fran: Spinolæ qui deceſſit anno Dom: M. CCCC. XLII. Die XII. Febr.

Si genus illuſtrem, clarum ſi reddere virtus,
Et merita in patriam vel beneſacta queant.
Ecquis erit qui non merito concedere poſsit,
Spinola Franciſci laudibus inde tuis?
Quas olim duris Caieta erepta periclis,
Teſtantur pridem claſsis & imperium.
Vrbs admirata inſignem te vidit honore,
Hæc tua poſt luxit fata dolore graui.

BAPTISTAE SPINOLAE.

O quicunq; vides ſulcata fronte iacentem
Baptiſtæ hic magni dicito membra cubant.
Magnanimum ſoboles genuit quem Spinola ciuem,
Genua quem patriæ nouerat eſſe parem.
Felix qui pacis cultor ditiſsimus auri
Spectatam prolem liquerit eſſe ſuam:
Felix cui tantum patria hæc debere fatetur,
Quantum vel Bruto libera Roma ſuo.

D. O. M.

ANTON: PALLAVICINVS.

Rainerij F. impendentis vbiq; mortis non immemor, vt olim Romæ in D. Mariæ de populo ſepulcrum fecerat, in quo ſita eſt Nicoleta Caſanca vxor, ita nunc ſibi, Saluaginæ Pallauicinæ vxori ſecundæ, liberis, poſteriſq; ſuis fecit alterum, anno ſalutis M. D. LXXIIII.

Trahe me poſt te.

IN SACRISTIA.

MARIOLA.

Filia Gaſparis ex Marchionibus Clanexanæ relicto centum locorum XV. Comperarum S. Georgij in Car.º vſus ſuo nomine per Caſparem Paulum Antonium Ioan: Baptiſtam d' Oria itidemq; Marchiones heredes & ex fratre nepotes Diui Dominici fratribus quotannis attribuendo piè in Domino obdormiuit, cui ab eiſdem nepotibus hoc ſtat monumentum M. D. LVIII.

Et cuius memores vos decet eſſe patres.

SIGISMVNDO DE SPORA.

Anno Domini M. cccc. Lxxxxv. die xv. Iulij obijt nobilis Generoſus vir Dominus Sigiſmundus de Spora Baro, Dominus Comitatus Flauoni, Archipincerna Comitatus Tirolis hîc ſepultus, cuius anima requieſcat in pace.

BAPTISTA GARLARINVS.

Q. D. Simonis pro ſua ſingulari erga fratres Diui Dominici beneuolentia, cuius ſacram ædem crebro ac piè viuens adijt, Nicolai Garbarini aui paterni ſepulcro in æde S. Nicolai de Barcheto poſito anno M. cccc. L. eius, ac Loiſinæ dilectæ coniugis oſſibus hunc tumulum prætulit, anno Domini M. D. Lxxiv.

VVOLFGANGVS PREIN.

Salisburgo oriundus, officia militaria aliquot viro fortiſſimo digna, ſinceritate germana honorificè geſſi, & ſub Genuenſi dominatione illius ſtipendia faciens ætatem ad annos Lxiiii. militando produxi, moriens rem atq; gloriam ſtrenuã armigera manu partam poſteris, ſpiritum ſummæ Trinitati, vni Deo commendaui, corpus hic tumulus habet, quòd certa fide credidi, vt clementer per Chriſtum Ieſum vnicum Saluatorem noſtrum contingat expectaturũ. anno M.D. Lxiiii. Die xxviii. Octob:

Hie ligt begraben / der in Gott verſcheiden Ehrnueſt Wolfgang Prein von Saltzburgk / Deme wolle der Allmechtige eine froͤliche Aufferſtehung verleihen / Amen.

LVCAE LINDAVV.

Gott ſey mein Anfang vnd End / A.

Hie ligt begraben Lucas Lindaw.

Parce mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei.

Hic ſepultus eſt.

Lucas Lindavv Pomeranus de Stetin, Excell.ma Reipubl: Genuen: militum Germanorum Prouoſtus, cui Deus ſit propitius, anno Domini M. D. Lxxix. Die xvi. Iunij

FORNARIORVM S.

D. O. M.

Chriſtophorus & Io: Baptiſta fratres Fornarij ſibi, vxoribus, poſteriſq; ad nouiſſimum diem viuentes poſuêre: anno Domini M. D Lxxvii.

IN PORTICV.

Tempus edax rerum.

Quod Coſmes Negronus Philippi F. ante annos cc. Lix ſibi ſuiſq; poſteris ſepulcrum fecerat, Ioa: Baptiſta Petri F. Negronus ab eo oriundus obſoletum vetuſtate ſibi poſteriſq; ſuis inſtaurauit, anno ſalut: M. D. Lxxxii.

AD S. MATTHIAM.

ANTE TEMPLVM STATVA MARMOREA.

cuius inſcriptio talis:

D. O. M.

Philippo d' Oria Comiti patri optimo Philippus d' Oria poſ:

ITEM.

ITEM.

Philippus d' Oria Comes veſtigia maiorum ſequens, ſub vexillo Franciſci I. Francorum Regis Chriſtianiſſimi pro præfecto triremes Andreæ auunculi in regno Siciliæ citra duxit in ſinu Salernitan: cum hoſtium triremibus legitimè feliciſſimèq; vario Marte conflixit, glorioſam laudem & admirabilem victoriam Deo auſpice adeptus eſt, M. D. XXVIII. XXVIII. April: maximæ virtutis monumeutum.

ANDREAS D' ORIA.

Maiorum noſtrorum memoria afflictam patriam non deſeruit.

LAMB. DE AVR:

Magc. Dominus hic iacet dignis meritis Capit: & Admiratus communis & populi Ian: qui anno M. cc. Lxxxxvi die vii. Septemb: diuina fauente gratia Venetos ſuperauit. Ob: M. ccc. xxiii. D. xvii. Octob:

EIDEM.

Ad honorem Dei & B. virginis Mariæ.

Anno M. cc. xci. vii. Septemb: iſte Angelus captus fuit in Gulfo Venetiarum in ciuitate Scurzole, & ibidem fuit prælium galearum Lxxvi. Ianuenſium, cum galeis Lxxxxvi. Venetiarum captæ fuerunt Lxxxiiii. per nobilem virum Lambam Auriæ Capitaneum & Admiratum Turc: communem & populi Ianuæ cum omnibus exiſtentibus in eodem, de quibus conduxit Ianuæ homines viuos carceratos vii. cccc. & galeas xviii. reliquas Lxvii. fecit comburi in dicto gulfo Venetiarum, qui obijt Sagonæ M. cccc. xxiii.

PAGANI DE AVRIA.

M. ccc. Lii. D. ix Martij Nobilis vir Dominus Paganus de Auria Admiratus communis & populi Ianuæ, cum galeis Ianuenſium propè Conſtantinopolim ſtrenuè præliando ix. galeis Lxxxx. Caſalanorum Græcorum & Venetorum de omnibus campum & victoriam obtinuit. Idem etiam Dominus Paganus de Auria M. ccc. Liiii. die iiii. Nouemb. cum galeis xxxv. Ianuenſium in Inſula ſapientiæ in portu longo debellauit, & cepit galeas xxxvi. cum nauibus iiii. Venetum, & conduxit Ianuam homines viuos carceratos v. cccc. cum eorum capitaneo.

LVCIANI DE AVRIA.

M. ccc: Lxxix. die v. Maij, in gulfo Venetiarum propè Polam fuit prælium galearum Ianuenſium xxii. cum galeis xxii. Venetiarum, in quibus erant homines armat: cccc. Lxxv. & quàm plures alij de Pola vltra Ihuſmam dictarum galearum de quibus galeis captæ fuerunt xvi. cum hominibus exiſtentibus in ijſdem per Nobilem Dominum Lucianum de Auria Capitaneum generalem communis Ianuæ, qui in eodem prælio bellando ſtrenuè ſuſtinuit quæ galeæ xvi. Venetorum conductæ fuerunt in ciuitatem Ianuæ cum hominibus carceratis ii. cccc. vii.

OBERTI DE AVRIA.

Anno M. cc. Lxxxiv. die vi. Auguſti egregius & potens Dominus Obertus de Auria, tunc Capitaneus & Admiratus communis & populi Ianuæ in portu Piſano triumphauit de Piſanis, capiendo ex eis galeas xxxiii. & vii. ſubmerſis, & cæteris fugatis, multisq; ipſorum mortuis iam reuerſus fuit cum maxima multitudine carceratorum. Itaq; tunc viiii. cc. Lxxii. carceribus Ian: fuerunt inuenti, in quibus fuit captus Albertus Molexinus de Venetijs tunc poteſtas & Dominus generalis gueræ communis Piſarum cum Stanrario dicti communis capto per galeas ipſorum de Doria & in hac Eccleſia apontato, cum ſigillo dicti communis & Loto: cum Comitis Vgolini & magna pars nobilitatis Piſarum.

AD S. AVGVSTINVM.

THADAEO CLARITO.

Incomparabilis doctrinæ Medico ac Philoſopho, vnanimiq; eius coniugi Mariæ Bartholomæi Orerij F. pijs parentib. p. Ann: ſal; M. CCD. æt: LXVI. M. X. D. II.

AD S. STEPHANVM.

SIMONI SPELTER.

A Creſs oriundo, viro magnanimo, fide & rei militaris peritia in pluribus expeditionibus probato, ſub ſtrenuo fortiſſimoq; viro Adriano à Sittichauſen militum Germanorum in Ill: vrbe Genua ſummo cum honore præfecto, iudicis officio ſingulari prudentia, æquitate ac ſynceritate germana perſuncto, morum ſuauitate ac vitæ integritate cunctis grato, hoc in tumulo condito amici poſuêre: annum agens Lxv. de ſtatione vitæ deceſſit vii. Cal: Martij M. D. Lxxiii.

SABIONVS ARBOTVS.

Regiens: Senatoriæ militiæ Dux, ob ſtrenuam fideliſſimamq; operam nauatam Reip: apdrimè carus, corpus, quod viuens Reip: dicauit, vita functum extremum ſui amoris pignus hoc tumulo conditum deſtinauit.

Viuens moriensq; fidelis.

AD CARMELITAS.

IN SACRISTIA.

Corporis vt maculas animi ſic ablue ſordes,
Munditia hæc adſit, tunc benè lotus eris.

Io: Cæſar Pallauic: Aug: F. Anno M. D. LXXXIII.

IBIDEM.

DE NVPTIIS IN CANA GALIL:

Si cuncta ex nihilo, quid mirum fluminis vndam
Si in vinum vertit matre rogante Deus?
Cum quid opus nobis Matrem hinc diſcamus adire,
Cuncta etenim natis, ſi petet, ipſe dabit.

HIERONYMO STELLAE.

Mille quadringentis ſex quadragintaq; iunctis
Annis, poſt verbum factum caro virginis aluo,
In Triuio Doctor paginæ ſacræq; profeſſor
Sidus dulce micans latialis gloria linguæ
Hieronymus Stellæ pars optima Carmelitarum
Ordinis, hanc iuſsit fieri ſub honore beati
Hieronymi propriò dotatam ex ære capellam.

AD MARIAM ANNVNCIATAM.

Seriùs aut citiùs metam properamus ad vnam.

BRIGIDINAE NIGROTIAE.

Vxori dilectiſſimæ Vincentius Spinola mœſtiſs: p. M. D. LVII.

AD S. DONATVM.

IOAN. HIERON: SALVAGVS.

Raphaëlis filius tumulum hunc & ſibi & Franciſchettæ Spinolæ Pauli F. vxori ſuæ viuens parauit M. D. LXIII.

IN TEMPLO COMMVNITATIS ERICINAE.

Verſamur celeri rota Viator,
Anni præcipitis fugitur tempus,
AEtatem quoq; tradit altera ætas,
Ne fidas igitur viator annis.

IN

IN FORO.

Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc ſpectare manum Portea non potuit.
Maior deceptæ fama eſt & gloria dextræ,
Si non erraſſet fecerat illa minus.

IBIDEM.

Ponam in fundamentis Zion lapidem probatum angularem pretioſum in fundamento fundatum, & qui crediderit in illum uon pudefiet, Pſal: XXXII.

Nil niſi diuinum ſtabile.

ITEM.

Vrget amor, pugnat Cocles, Mars vincit & vnus,
Reddit amor, Cocles, Mars patriam patriæ.
Pro cunctis ſolus, pro ſolo Numica certant,
Pro patria ciues, qui facit illa Deus.

IN PALATIO DVCALI.

Statuæ tres marmoreæ.

Anſaldus Grimaldus	Non libenter ſolus.
Baptiſtæ Grimaldo Hieronymi F. pro eius in Remp. meritis ex Senatuſconſulto.	Hoc ordine lætor.
Paulo Spinolæ Stephani F. benem: ex SC.	Non inferiora ſecutus.

IN AVLA PALATII.

Pulcra ſtatua marmorea Andreæ Auriæ, Anno M. D. XXVIII. cum vrbem à Gallis liberaſſet, è Lucenſi marmore ipſi poſita, & inſcriptione addita:

Andreæ Auriæ ciui opt: feliciſſ: q; vindici atq; autori publicæ libertatis S. P. Q. G. poſ:

ITEM.

Andreæ d'Oriæ quod Remp: diutius oppreſſam priſtinam in libertatem vindicauerit, patri patriæ prouidè appellato, Senatus Genuenſis immortalis memor beneficij viuenti poſ:

ITEM.

Andreæ d' Oriæ patriæ liberatori munus public:

IN NAVI CAESARIS.

Quæ ſunt Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. Plus vltra.

DE FAMILIA ET ARMIS D' ORIAE.

Degeneres animos lux arguit.

ARDVINVS AB ORIA.

Narbonenſis Comes Anno Dcccc. xLI. Hieroſolymis Genuã redit, Oriamq; de Volta vxorẽ ſibi adiunctã Narbonenſem ducit,

quæ poſt viri obitum tribus cum liberis Genuam remigrat, ab eaq́; ipſius poſteri nomen adepti ſunt.

IN PALATIO FRANCISCI LECCARII.

SVB STATVA EIVSD:

Hoſpes amice veni, tecto ſuccedeq́; lætus,
Cuncta patent, animus ſed patet ipſe magis.

SVB EIVSD. CONIVGIS STATVA.

Si domus eſt elegans aut ſi qua in parte videtur,
Inueniſſe virum gaudeo quod placeat.

IBIDEM.

Nouit paucos ſecura quies.
Silentium rationem non reddit.
Facere quàm ſcire difficilius.
Diſcite iam cauſſas cognoſcere rerum.
Etiam Angelis ſuus ſplendor.
E cœlis lux, eò intuere.
Et quo fata trahunt, virtus ſecura ſequetur.
Amor omnium cauſſa.
Sed domino domus, non domo dominus honeſtandus eſt.
Neq́; te, neq́; tua, ſed iuſta.
Paupertas inertiæ comes.
Meliora lapſis.
Animi virtutes vllo infortunio immutabiles.
Hoſpes natus hoſpites cole.
Et patriæ & amicis erigi fecit.

ANTE PALATIVM.

Hæc patriæ & natis & amicis tecta paramus.
Hæc igitur maneant dicite tecta diu.

IN DOMO QVADAM.

Magnifice Extructa.

Heu hoſpes, quid alta tecta miraris? intus nihil niſi benignũ & humile.
Panditur orbi me tonante virtus.
Per me rerum memoria viget.
Rerum omnium æquitas amorem parit.
Me duce tellus parebit agricolis.
Aures cantu, animus virtute oblectatur.
In lætitia eſt animi vita beata.
Concors vita eſt vera voluptas.
Per me concordant carmina neruis.

Vt Ly-

Vt Lyram, ſic animum proportio mouet.
Cœlum conſcendet, qui terrena liquit.
Amicos vſq; ad aras adeſſe oportet.

IN PARIETE INTRA PORTAM.

D. O. M.

Dux, Gubernatores, Procuratoresq; ampliſsimi Ordinis decreto, vt tuta ab hoſtibus Reſp: iucundiſſima libertate fruatur, ſumma impenſa, ingentiq; ſtudio montibus exciſis, & loci natura ſuperata perdifficili opere vrbem foſſa, mænibus, aggeribus, propugnaculisq· incredibili celeritate munierunt, anno Domini M.D.XXXVIII. reſtitutæ vero libertatis X.

ANTE AEDES PRIVATAS.

Ne quid nimis videto, vbiq; medium ſeruato.
Quod excellat intus eſt quærendum.
Mane quid facturus.
Sero quid feceris.

AD FORES.

Quaſi tranſeuntibus.

EXTRA CIVITATEM, IN PALATIO AND. DORIA PRINCIPIS *MELPHITANI.*

Diuino munere Andreas de Oria Ceuæ filius, S.R.E. Caroli Imperatoris Catholici Regis inuictiſſimi, Franciſci primi Francorum Regis & patriæ claſſis triremium IV. Præfectus, vt maximo labore iam feſſo corpore honeſto otio quieſceret, ædes ſibi & ſucceſſoribus inſtaurauit M.D.XXVIIII.

IBIDEM.

AEternitati, ſaluti, libertati patriæ, benemerentibus, præclaræ familiæ, magni viri, maximi Duces optima fecere pro patria.

Ipſum principem Andream venerandum ſenecta, canum, edentulum, habitu ſimplici & natum annos XCIII. hic vidi interpellantem nos perhumaniter.

EXTRA MOENIA VBI AQVAEductus foſſam attingit.

A. P. V. M. D. XXXX.

Andreas D Oria facultate loci ſibi publicè data huius aquæ ductum priuato ſumptu conſtruxit, communi ornamento æquè ac ſui iuris commoditati futurum.

IN

IN MOLE CVIVS LONGITVDO
D C. paſs: latitudo XX.
PAVLO C. FVL: ANTISTITE.
CARDINEO DVCE MAX: INCLYTOQ;

Lucas Pinellus, Ioannes Lumellinus, Anſt: Caſarottus, Iulianus Stella, Eq. aura: patriæ patres plurima naufragij mole ſubmerſa exhauſto portu ciſterna areaq; primũ magnificè geſtis, adiuncto hoc præſtanti opificio ſempiternum imitandæ probitatis exemplum reliquere. M. cccc. Lxxxiv. Auguſti xv. Pal: Lxxviii.

IN EADEM.

Quindenis quatuor cubitis radicitus auctum
Hoc quod opus iuncti cum decies decies.
Cura hæc veſtra dedit Patres communis, habemus
Tutæ vbi ſunt Lybico vel quatiente rates.
Nec ſatis ex merito veſtrum celebremus honorem,
Si non perpetuo nomine notus erit.
Ipſe ſenex Grimalde prior Babilone ſedebas
Subſequitur Pauli Iudicis inde locus.
Poſt Simon Nigrone tuus Vignellus, & ipſe
Baptiſta ætatis ordine quartus erat.
Exemplum vobis quàm primùm hinc ſumite ciues
Vtilitas operis quanta ſit ipſa patet.
Anno Domini M. D. LXXIV.

IN PORTA HORTI.
Procul mordaces.

ALEXANDRIA.

DICTA DEL PAGLIA, EO QVOD IMPEratores, vt quidam fabuloſè tradidere, palea ibi coronabantur, eſt vrbs foſsis altis propugnaculis, & vallo ſatis munita, ſita ad Tanarum fluuium, qui eam diuidit à ſuburbio, ædificata anno M. C. LXXVIII. menſe Maio, à Mediolanenſibus, Placentinis & Cremonenſibus, eo loco, vbi vicus Roueredo, vt commodius Papienſibus inimicis ſubeſſe poſſent. Et quo nouæ vrbi & facto ſuo maior autoritas accederet, ab Alexandro III. tunc temporis Romano Pontifice ALEXANDRIA appellata.

Solum habet fertile, homines ingenioſos & animoſos, vnde in eorum ſigillo ſculptum inuenitur.

DEprimit elatos, leuat Alexandria ſtratos.

Decorauit eam inter alios Georgius Merula Hiſtoricus inſignis, qui obijt anno ſalutis M. CCCC. LXXXXIV. Suburbium dicitur Bogoglio à Bormia fluuio, quo alluitur. Obſedit eam Barbaroſſa ad VI. menſes, eamq́ funditus delere conatus eſt, ſed cum animum incolarum videret inuictum, re infecta receſsit.

IN

IN CATHEDRALI.

NICOLAO GAMBARVTO.

Quid caritas, quid cana fides, quid ſtemmata, lethi
Vallant à technis cultaq; facta Ducum?
Actor Gambarutus Regis Nicolaus, & vrbis
Protector iacet hic, marmora dura notant.

Nicolao Gambaruto IC.^to^ celeberr: Fil: pient: b. m. poſuêre. Ob: anno M. D. II. VIII. Id: Iulij.

OCTAVIANO MANTELLO.

Patritio Alexandrino IC.^to^ Comiti & Equiti, qui ius ciuile & pontificium Piſis & Accinionæ magna cum laude publicè interpretatus eſt, ſummorum Principum, quibus cum ſe docendi munere ſponte abdicaſſet, operam ſtudiumq; ſuum nauauit, gratia floruit, aliquot magnos Magiſtratus optimè geſſit, tandem ad ſuos ciues reuerſus, ijs plurimum & publicè & priuatim prodeſſe vehementer ſtuduit. Vix: ann: LXXV. Ob: V. Id: Iunij. M. D. LXXIII.

Et Aemilio Mantello Comiti, Equiti & IC.^to^ excellentiſſimo morumq; præterea & naturæ virtutibus alijs ornatiſſimo, qui ampliſſimis in patria, & in omnibus penè ciuitatibus Inſubrum magiſtratibus ſecundiſſima omnium vbiq; fama perfunctus, tunc cum maximè heroicorum laborum præmium debuit conſequi florentiſſima ætate non ſine omnium bonorum mœrore, ſupremum vitæ diem clauſit, prid: non: Auguſti M. D. LXXIX. anno ſuæ ætatis XL. Paulus Mantellus, Com: & Eq: patri opt: & fratri cariſſimo M. C.

IOANNI GVECCARAE.

Caroli F. Hiſpano viro nobiliſſimo, Chriſtianæ religionis & iuſtitiæ obſeruantiſſimo, qui Carolo V. Imperatori ita carus fuit, vt eo vſus fuerit peditum Ductore in Africa, Pannonia, Germania, Philippum Landgrauium in Belgas deducendum ei crediderit, totius Hiſpani peditatus militiæ magiſtrum additis inſuper aliquot equitum leuis armaturæ turmis ad oppugnandam Parmam, Metim, Taruennam miſerit, arci Placentinæ præfecerit, qui deinde Philippi Regis Hiſpaniarum iuſſu toti exercitui in Campania præfuit, & Alexandriæ & ijs, quæ circa Padum ad eundem Regem pertinent, præfectus deceſſit, annos natus LIIII. Cal: Februar: anno M. D. LXVI. D. Ioannes F. patri b. m. f. cur.

S. DVORVM VNGARORVM.

Hic ſepulti ſunt duo ſtrenui equites Vngari, tertius ad altare D. Catherinæ, qui cum in Italiam cum alijs ducentis anno M. D. LI. ſui generis militibus veniſſent, præfectis Ioanne Balaſſa, & Chriſtophoro Orumag: magnificis Baronibus & equitibus ſæpe Turcis cognitis, adeoq; ad S. Dannonum prope Haſtum vrbem, cum Gallorum præſidijs & Equitibus Aquitanis aliquoties decertaſſent, non inimico animo aliquos ex illis ſuſtuliſſent, dum Regum Maximilianum ex Hiſpanijs cum coniuge redeuntem expectant in Auſtriam conducturi iſti tres fortiter deniq; à ſocijs erepti ſunt, monumento longè ſpledidiori ornati fuiſſent, niſi comitum diſceſſus ſubitus impediuiſſet. Hoc tamen P. C. ad eorum memoriam popularis ipſorum, dum hac tranſiret Ioannes Sambricus Triuanien: Vale lector & his ſempiterna piè comprecare. Anno M. D. LVII. Maij XII.

MARCI PRAESVLIS ALEXANDRIAE.

Marmoris hoc tumulo ſunt Marci Præſulis oſſa
Clauſa, decusq; ſalus & pater vrbis erat.
Hæc viduata diu ſedesq; vacauerat olim,
Quùm tenui immenſæ diriperentur opes.
Mittitur hic Paſtor, qui miro incenſus amore,
Quærit opes ſparſas, inueterata nouat.

Munera

Munera dat templis, diuinæ laudis honores
Edocuit clerum, quæ benefacta manent.
Heu tandem ſenio confectus morte quieuit,
Venturis ſpeculum relligionis honos.
Nunc anima in cœlis patria meliore triumphans,
Vtitur angelicis facta beata choris.

Die I. Mart: in Dominica M. cccc. Lxxviii.

AD S. MARCVM.

PRVVIALVS DE VISTELLINIS.

Spectabilis & egregius vir hic iacet, qui obijt in anni curſu M. cccc. xxxvi. die xxix. Iulij. cuius anima q.

AD FRANCISCVM.

ILLARIVS GOMEZ.

Doctor, Hiſpanus Toletanus, medicus Regius in dotem ſacelli purific: Virginis ſuis ſumptibus mille videlicet aureis impenſis ſuperpoſita organa f. iuſſit.

S. LANZANECCHIARVM.

Hic iacent oſſa Magnificorum D. Milanenſium Auguſtini & Monachæ Lanzanecchiæ eius vxoris, Cilardi Franciſci & Iſabellæ Lanzanecchiæ coniugis.

AD S. MARTINVM.

CATHARINAE RANAE.

Nobilis & generoſæ quondam vxoris, Nobilis D. Gabrielis Squar.ıı locus.

Catharina fui Ranæ cognomine, lector,
Siſte gradum quæſo, paucaq; verba lege.
Cerne meos cineres, non eſt alienus in illis,
Nemo & in hoc tumulo, puluis & vmbra tegor.

ANTONII BOIDI.

Hic fuit epitaphium monumenti celeberrimi D. Antonij Boidi Tro.ıı f. b. huius capellæ conditoris, quod cum furtim nuper fuerit abraſum, eius deſcendentes ſignificandum curarunt, die vlt: anni M. D. Lxxix.

S. BARTHOLOMAEI DE PORTHIS.

Nobilis viri de domo Ducali, in qua iacet Domina Armenia eius mater, quæ obijt die xv. Auguſti M. cccc. vii. eandem vetuſtate carioſam & labentem reuerendus Presbyter Matthæus de Porthis ſua impenſa reſtaurauit die xxx. Ianuar: M. D. xxxii.

LAZARO VERTIO.

Parentibus cariſſimis Lazaro Vertio integerrimo & Tarziæ Claræ, fœminæ clariſſimæ Petrus Franciſcus filius bene memor p. conſtituto etiam reditu, quo ſtatutis diebus pro ipſis parentibus & Nicolao patruo canonico Alexandrino anniuerſaria & miſſarum ſolemnia piè deuoteq; celebrentur M. D. Lviii.

IBIDEM.

Qui Chriſtum benè ſcit, ſatis eſt ſi cætera neſcit.

AD S. MARIAM.

ANTONIONIO INVITIATO.

D. Iacobi Eq: Iulij II. Pont: Max: ad Britaniæ Scotiæq; Reg: Legato, Bon: Gubernatori, multisq; magiſtratibus honeſtiſſimè perfuncto. Ob: M. D. xxxii. die viii. Decemb.

Ac Io: Iac. Inuit: Antonij filio paternæ virtutis æmulo, immatura morte præ- repto M. D. xxxvi. Die xxvi. Iulij. Margarita coniugi & fratri b. merentibus poſ:

DOMI-

DOMINVS DE PVTEO.

Nobilis & egregius miles hic iacet, qui obijt anno Domini M. CCC. LXXX. cuius anima requieſcat in pace.

ANTON. DE PVTEO.

Iureconſultus & miles fama clarus Mutinæ Ferrariæq; piorum inſignia reportauit, Mantuæ Florentiæq; electus iacet hîc, Vale. anno Domini M cccc. Lxxxxvi. die xvii. Septemb.

ALIVD.

A. Ω.

Viuit poſt funera virtus. Poſt tenebras lucem.

EMANVELI INVICIATO.

Patri, cui nemini vnquam obeſſe placuit: Huiuſmodi itaq; paternæ probitatis memor Anton. Franc. Flamen tum pijſſimè tum nouiſſimè id ipſum poſuit Anno ſalut. M. D. Lxv. III. Cal. Septemb.

AD CARMELITAS.

Dum fluet vnda maris, curretq; per æthera Phœbus,
Viuet Carmeli candidus ordo mihi.

ANTONIVS DIEZ. DE VILLEGAS.

Splendidus ac illuſtris vir Hiſpanus, ampliſsima familia natus Villapræſentæ in montibus Sanctillanæ hic iacet, quem ob egregiam eius virtutem, quam Præfectus Equitum in bello Germanico maximè præſtitit Carolus V. Imp. Cæſarq; inuictiſs. & ſemper Auguſtus in Gallicis bellis præfecit primum arci Foſſani totius Galliæ citerioris propugnaculo, deinde Aſtæ Inſubrium, vbi ille adeo feliciter rem geſsit, vt eum potentiſsimus inuictiſſimusq; eiuſdem Caroli V. Cæſaris filius Philippus II. Hiſpaniarum Rex Catholicus magnis honoribus decorarit. Obijt M. D. LXXX. VIII. Id. Octobr.

AD S. BERNHARDIN.

ANTONIVS GILINVS CONIVGI.

ἀναϛάντα χριϛὸσ ἔλπισ βίȣ.

Si inuſitatam faciem mœroris miraris hoſpes, hæc perlege, & pro humanorum caſuum miſeratione in doloris partem venies. Tumulata hic quieſco ANNA honeſto orta genere, felicior coniugio facta. Sed quid in vita ſtabile? Ter enixa poſtremo liberorum ſuperſtite, qui breui fata mea ſecutus eſt, in ipſo ætatis flore rapta, cum delectare vita poſſet, creatori quod acceperam reddidi, M. D. V. XIIII. Calend. Septemb. Vix. ann. XVIII. Coniunx Anton. Gilinus mutuæ concordiæ monumentum poſ.

AEternæ concordiæ thalami Concordiæ ædem, atq; in æde tumulum Ant. Gilinus extruxit ornauitq;.

IN PALATIO SFORZIAE.

trans Padum prope Alexandr.

Vilis gleba fui, nunc ſum ditiſſima tellus,
Cur? quia Sfortiadum me pia dextra colit.
Mutata eſt facies, mutataq; nomina: vilis
Dicebar, dicor nunc ego Sfortiaca.
Litanicus agros tulit hos, nec pœnitet: eſſe
Autorem pacis conuenit agricolam.

AL BOSCHO.

OPPIDVM EST VICINVM ALEXANDRIÆ, in quo monaſterium Ordinis Prædicatorum à Pio V. Pont. Max. fundatum & erectum, poſitis inſcriptionibus.

Pius Papa V. Boſchenſis ex familia Gisleriorum oriundus, ordinem Prædicatorum profeſſus, diem mortis vniuerſalisq́; reſurrectionis præ oculis habens à die aſſumptionis ſuæ ad apicem Apoſtolatus, monumentum iſtud erigi mandauit pro cadauere ſuo reponendo, quando diuinæ clementiæ viſum fuerit, ipſum ab hoc ſæculo nequam eripere.

D. O. M.

Pio. V. Pont. Max. animæ piaculo ac gratitudini perpetuæ notæ F. Seraph. Cabal. Brix. ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, fratribus hic commoraturis indixit quaq́; die primum ſacrũ ſemper dicari, atq́: poſt completum pſalmum De profundis &c. cum oratione: Qui inter apoſtoli &c. recitari mortuorum officiũ omni hebdomada, celebrata demum qualibet prima ſexta feria cuiuſq́; menſis ſacrificium atq́; offertorium per cænobij prælatum toto cum fratrum cœtu ſolemniter decantari. Boſchi Non. Ianua. M. D. LXXIII.

D. O. M.

Templum hoc à Pio V. Pont. Max. ex Gisleriorum Boſchenſium familia erectum dotatumq́; M. D. LXXI. Hieron. Ragazzonus Epiſcopus Famaguſtanus Viſitator Apoſtolicus apud Inſubres ſub fratre Vincentio Ticinenſi huius loci Priore ſolemniter conſecrauit XIIII. Cal. VIIbris. M. D. LXXVI. Quadrageſimaq́; quotannis dierum indulgentiam conceſsit, in ipſo conſecrationis die anniuerſario ſuppliciter accedentibus. Horum autem omnium Iacob. Antonius Coſta publicam ſcripturam confecit, &c.

DORTHONA.

VVLGO TERDONA A TRIBVS DONIS, QVÆ, vt Leander refert, habuit, primum in ſaxo, quod copioſè oleum emittebat: ſecundum in fonte quotannis feſto natalis D. Ioannis Baptiſtæ largiſsimè fluente: tertium, quod paulò ante quàm nobiles aliqui viri mortem eſſent oppetituri panis ſectus ſanguinem ſtillauerat. Ciuitas non admodum formoſa in Appennini flectentis ſe iugi cubito poſita, in colle arcem habens munitam, & ædem peruetuſtam B. Mariæ virginis, agrum ſimiliter bonum & fœcundum

ac tem-

ac templum Cathedrale D. Apolloniæ, in quo D. Martianus eius Epiſcopus & martyr cum ſucceſſoribus ſuis conditur & veneratur. Condita ſecundum aliquos à Liguribus, ſecundum quoſdam à Gallis, atq; ab illis prius Antilia nominata. Euerſa miſerè anno M. C. LXXIII. iuſſu Friderici Ænobarbi Imp. ad Ticinenſem poſtulationem, atq; propter acerrimas ciuiles contentiones aliasq; calamitates nunc ferè vaſta.

AD S. DOMINICVM.

CORNELIO GONGINIO.

Epitaphium generoſi & nobilis adoleſcentis D. Conradi Gonginij Belgæ, qui in flore ætatis annum XXV. nondum prætergreſſus, hic extremum clauſit diem Calend. Auguſti Anno M. D. LXXX.

Quid mihi diuitiæ proſunt? quid nobile ſtemma?
Maiorum varia & parta trophæa manu?
Quidue ætas florens multis exercita terris?
Quid mores placidi, forma & honeſta iuuat?
Sperabam reditum patriamq; reuiſere lætus,
Sed mea me prohibent fata redire domum.
Nam febris exurens magno mea membra calore
Vitalis curſus ſtamina diſcutijt.
Oſſa cutemq; tegit tellus, ſed ſpiritus vſq;
Cum diuis Triadi perſonat ore melos.
Ac ſpero tandem rediuiuus carne reſumpta
Surgere, & æternùm viuere cum ſuperis.
Præteriens igitur ſaxum hoc mi care Viator
Gonginio benè ſit quæſo precare Deum.

Bald. Rons. Medicus Gandauini.

AD S. FRANCISCVM.

ALOYSII CAMERIARII.

Patritij Mediolanen. Epitaphium.

Spes eſt de ſuperis.

Me genuit, dederatq; potens Inſubria nomen,
Proh dolor, ante diem me rapit Inſubria.
Sed quia Dorthonæ olim geſſi quæſtor honores,
Nunc mea Dorthonum contegit oſſa ſolum.

HIERONYMO GVIDOBONO CARIATHMO.

Magnifico & ornatiſſimo viro.

Hic ſitus eſt cumulus virtutum, clarus & idem
Et Latiæ & Thuſcæ fama decusq; lyræ,
Hic ſitus & non hic corpus triſtemq; ſenectam
Hic equidem vt tritas exuit exuuias.
Verùm ipſe is nuſquam non eſt. Nam non benè cunctis
Virtutum cumulus conditur in tumulis.

M. D. LIIII.

ANTE AEDES PRIVATAS APVD DOMVM NOVAM.

Antiqua Epiſcoporum ſede olim in ſummo colle ſita, & Caroli V. Imp. iuſſu arci conſtruendæ deſtinata, atque à Philippo Rege ære propterea penſo Cæſ. Gamb. Epiſcopus anno XXXVII. hanc regens Eccleſiam ſucceſſori magis, quàm propriæ vtilitati commoditati ſtudens, pluribus priuatorum domibus coemptis eisque partim demolitis, partim refectis interpolatiſue, has vt potuit, ædes reſtituit M. D. LXXXIV.

IN CASTELLO DI. S. IOANN.

IN TEMPLO.

Qui cupit egregias cognôſſe Palemonis artes,
Te decoret precibus ô Nicolae pijs.
Nunc his curandis faueas ſanctiſſime Præſul,
Qui tua ſuppliciter numina ſacra colunt.
XIII. Cal. Apr. M. D. XVI.

IN CHORO.

Caſtello di. S. Giou. Baptiſta M. D. LXXXI. die XXIV. di. p. de groſſis FF.

PLACENTIA.

V*VLGO PIASENZA, OMNIVM ÆMILIÆ ciuitatum longè ſplendidiſſima, nobiliſſima & antiqua, à Pado circiter mille paſſus & circiter tria milliaria à fluuio Trebia diſtans, loco, paſcuo & agro fertili propter copiam placidarum aquarum poſita, de cuius autore variant ſcriptores: Alij enim Placentulum quendam Troianum conditorem referunt eo tempore, quo Iſraëlitis præfuit Iudex Debhora, & inde dictam Placentiam: alij à Peucentino Gallorum Duce inſtauratam & dictam Peucentiam teſte Chronico Mediolan: nonnulli Placentiam dictam putant, à placendo, quod placeat ſitu collium, & omnibus quæ in fertiliſſimo agro vini & frumenti ferace deſiderari poſſunt. Eſt Parma grandior, Comitibus, Equitibus, & alijs ciuibus nobilibus clariſſima. Arcem habet munitiſſimam à Duce eius primo Aloyſio Farneſio ceptam, & à Cæſare Carolo V. perfectam, in qua aliquot milites pro excubijs & cuſtodia, & in eius frontiſpicio Imperatoris depicta inſignia cum columnis Herculis, & ſymbolo PLVS VLTRA, Item,* **Noch weiter der Kayſer.**

In foro VII. ſtatuæ cernuntur, Pauli III. Pontificis & Diuæ virginis Mariæ in primis conſpicuæ, pleræq; aliæ domeſticæ ſunt. Monaſterium S. Sixti pulcerrimum, & platea Farneſia apud S. Auguſtinum inſignis. Eius caſeus non minus eſt in delitijs, quàm Parmenſis, ac Laudenſis, & in omnes Europæ partes tranſportatur. Habet etiam aquæ ſalſæ fontes, ex quorum liquore ſal candidiſſimum conficitur: habet etiam ferri fodinas, & ſaltus ferarum venatui aptiſſimos, campos apricos ab Auſtro, colles amœniſſimos ab alijs partibus, & vini generoſiſſimi abundantia præſtantes.

Extra vrbem ad M. paſſus duæ columnæ cum inſcriptione eiuſmodi.

Intra

Intra hos fines qui ſtructuram fecerit, arbores, vites habuerit, grauis pænæ reus eſto.

Fuit olim varijs Principibus ſubiecta, & Gothorum & Longobardorum impetum communi Italiæ vrbium infortunio ſuſtinuit, etiam alijs iactata iniurijs plurimis & tot, vt intra biennium octies prædæ, teſte Blondo, expoſita ſit, nunc ex ceſsione Rom. Pontificis eam tenent Farneſij eius & Parmæ Duces creati. Populo eſt frequens, opibus floret, & à principibus & ciuibus indies munitur, ita vt inter tutiſsimas Italiæ ciuitates collocari queat. Omnium quoq; diſciplinarum nobile Gymnaſium.

AD S. FRANCISCVM.

FRANCISCO DE MAIRONIS.

Clauditur obſcucro lumen res pulcra ſepulcro.
Doctrinæ hic ſacræ gloria luxq; iacet.
Dogmata flete, quibus Franciſcum de Maironis
Extremam conſtat impoſuiſſe manum.
Et quibus arma dedit cæleſtia flete Minores,
Heu cecidit noſtri firma columna chori.
Qui quanto excellit fulgentia ſydera Phœbus,
Tanto alios ſuperas lumine Doctor, aue.

Illuminati Doctoris oſſa ne inculta iacerent, Fr. Franciſcus Iaſon Generalis marmoreo iuſsit ornari monumento.

M. CCCC. LXXVIII.

D. O: M.

Mandarat genitor ſupremo tempore natis,
Vt ſibi, quod cernis, perficeretur opus.
Spiritus ætherea lætus requieſcit in aura,
Et poſcit Diuûm nectare dulce frui.
Soluerunt alacres cui Veſpaſianus honorem,
Et Theſeus ſuperis & ſua vota Patri.
Diſcite ab his poſt mille annos, poſt ſecula dena,
Debeat an patri plurima quiſq; ſuo,

IO. IACOBO GVAGNO.

Phyſicæ chyrurgicæq; Doctori probatiſſimo, nunquam ſatis laudato, qui pro-pero fato præreptus dum altiora peteret ad meliorem vitam migrauit. Alex. Guagnus vnà cum parentibus mœſtiſ. fratri dilectiſsimo poſuit. Obijt anno ſalutis Dominicæ M. D. LXV. IV. Id. Nouemb. ætatis ſuæ anno quarto ſupra vigeſimum.

F. HIERON. DE MEDICIS.

Plac. eximio à ſacris concionibus ac Theologiæ Conſul apud Placent. ſacrarum literarum publico Profeſſori Bon. prou. præfectura functo, qui vix. ann. LXVIII. F. Lug. alumn. & I. Lælius ex fr. nepos patri opt. & de his b. m. pp. Anno M. D. LXXII. Die II. April.

BARNABAE PVTHEO.

Iuriſconſulto & Equiti clariſsimo, erga patriam amicosq; officio ac pietate inſigni, qui multis domi foriſq; in toga præclarè geſtis, ita vitæ exitum clauſit, vt decedens mirum ſui deſiderium omnibus, ac poſteris parem cum vittute reliquerit nominis celebritatem, Magdalena vxor lectiſſima ac filij mœſtiſsimi p p. defuncto ad III. Id. Nouemb. M. D. LII. cum ſexageſimum ſeptimum ætatis annum ageret:

AD S. MARIAM IN FORO.

ANTONIVS MENTVATVS.

Familiæ honeſtate, peditum præfectura, & ſinguli certamine inſignis, poſt bel-

licos labores ſtrenuè tranſactos cœleſti militiæ aſſcriptus,inexperta adhuc quiete potitur, Ob. M.D.LI. V. Calend. Sept. ætatis ſuæ anno.LVI.

IN AEDE CATHEDRALI.

CAROLVS V.

Rom. Rex in Imperat. electus, Sacroſancti Imperij inſignia ſuſcepturus, ab Hiſpanis ſoluens, tranſmiſſo mari Liguſtico, à Traiecto Appennino Placentiam Apoſtol. ditionis vrbem relictis ad XII. lap. legg. diuertit, comitan. officij cauſſa III. S.R.E. Card. à Farneſio Hiſp. Medices, ac F. Garcelope legatis ad id deſtinat: Hinc verò vbi VI. & XL. dies amicè commoratus eſt, VI. Cal. Nouemb. Bononiam demigrauit, ibiq; à Clemente VII. P. M. Aug. diademate inauguratus eſt Io. Saluiato Card. Cis. Gall. Legat: & Alex. Caccia Flomo huius ciuitatis præfecto Pont. anno à partu virginis M.D.XXIX.

ALOVISII GRAMPI EPITAPH.

Virtute effulgens Alouiſius ille proborum,
Archetypos Grampus dormit in hoc tumulo.
Iſte tuas Caſelane vices, ô ſumme Triuulti,
Geſſerat hic recta & cum probitate ſide.
Aſtra adit hinc felix mortali corpore caſſus,
Aſt æterna volat fama per ora virûm.
Quod legum fuerit ſummus iuriſq; peritus,
Syncerus iudex normaq; ſancta valet,
Deſinite à lacrymis vos cari voſq; propinqui,
Nam fruitur Grampus nunc meliore ſtatu.
Ob. die IV. Auguſti. M.D.LVII.

IOAN. MVNDANVS.

Doct. Bobien. Antiſtes, ac Placentiæ Archidiaconus & Canon. decedens, in æterna facti memoria tumulo conſtruendo, veneran: cinerem locare ſuos iuſſit, quod ipſius poſteri cum effectu, vt vides, curarunt. Bene vale, quiſquis es. Anno Domini M. CCCC. LXXXII. Die XV. Septemb.

IN CRVCIFIGATIONEM.

Huc me ſydereo deſcendere iuſſit Olympo,
Hic me crudeli vulnere fixit amor.
Si cupis ergo animi mihi ſigna rependere grati,
Dilige: pro tantis ſat mihi ſolus amor.

AD S. BRIGIDAM.

FRANCISCO SVICHO.

Franciſcus Suichus Mediolani editus Abbas,
QuartaZolæ vrbis huius amorq; decus.
Hic iacet, heu ferias lacrymoſa Placentia pectus,
Profugium extinxit Parca maligna bonis.
Illum præcipuè cui curæ eſt Brigida virgo,
Immemorem tanti non decet eſſe viri.
Hebdomada ergo hoſtes deuincat vt hoſtia quaq;
Vicinam ante aram ſic iubet vna cadat.

AD S. PAVLVM.

IN ARCA MARMOREA.

L. Petucius L. F. Vot. tenal. L. Petucio L. F. Ruſo patri Cintuliæ L. F. maximæ matri C. Petucio L. F. Saluio patruo, L. Petucio L. F. auo.

AD S. MARIAM DELLA CAMPAGNA.

HERNANDVS PERES.

Nouarien: cataphractus miles ſub generoſiſſimo Domino Georgio Maurigne de Lara famoſiſſimo duce ſtrenuè militans, fato abſumptus hoc quieſcit tumulo Vixit ann. xxx. Ob. die 11. Iulij M. D. Lvi.

ALEXAND. POGIO.

Raptus Alexander primis hic Pogius annis
Occubat, & gelidum marmora corpus habent.
Nil genus & virtus, nil illi profuit ætas
Viuida; ſic eheu res pereunt hominum.

Obijt anno Dom. M. D. LXXIV. die XIII. Auguſti.

LVCAE FRANCISCO.

Ciui Rom. inſigni morum probitate, iuris vtriusq; peritiſſimo, equiti aurato, ſemel Iuſtitiæ præfecti, quater Anditoris Rotæ munere Senis eodem etiam ſœpè Peruſiæ Prætoris, legatiq; Auditoris demum Octauij Farneſij Plac. & Parmæ Ducis II. Conſiliarij, Placentiæ ſemel Prætoris & Parmæ bis integerrimè perfuncto, Helleonora vxor mœſtiſ. coniugi cariſs. Pietrus Hieronymus & Nicolaus filij obſequentiſs. patri opt. fecerunt. Vix annos LXIIII. Obijt XII. Calend April. M. D. LXV.

IOANNES PASQVIER.

Gener. Illuſtriſs. Peditum Equitumq; Dux, ac militum præfectura inſignis, Cæſariſque Conſiliarius Caſalen. Liburn. ac P. Placent. arciſque præfectus fide ac religione quàm maximus, depoſitum, quod viuens cuſtodierat, Deo reddidit, xv. Auguſti M. D. XLIX. Archangella ex Comitibus Medeſati viri iuncta coniugio, nec vitæ probitate diſſimilis P:

D. O. M.

ANONYMI.

Ecce ſumus puluis, ſumus ecce miſerrima tellus
Et noſtri fugiunt, vt leuis aura, dies.

AD IMAGINEM CRVCIFIXI.

Corpus virgineum Chriſti ſpectator adora,
Victima qui pro te ſanguinolenta fuit.

ANTONIVS ARCELLVS.

Et Antonia Bartaria mutuæ fidei & beneuolentiæ conſortes humanæ peregrinationis curſu terminato, mortalibus ſpolijs hîc depoſitis ſupernæ hereditatis ſpe quieſcunt.

AD S. GERHARDVM.

GREGORIO.

Vicedomini à Vicedominis Epiſcopi Præneſti Sac. Rom. Eccl. Cardinalis F. militari cingulo inſigni, Albericus Vicedominus Greg. Heres, & Philippi celeberrimi nominis F. qui ſimili honore illuſtris, dum anno M. CC. XLVIII. Parmæ præfecturam gereret, eisq; ac Placent. adiuuantibus illos præeſſet, de Federico II. Cæſ. triumph. & ſibi & poſteris anno M. CCC. V. V. P. Id vetuſtate collapſum Petrus Camillus Vicedomin. natu maximus III. reliqui ab Alberico progeniti mortuorum vitam grata memoria propagantes inſtaura. curar. anno ſalutis M. D. LXXVIIII.

AD CARMELITAS.

IN INTROITV.

Hæc noſtris placuit decorari ciuibus ædem.
Carmeli porta relligione pijs.

AD S. SISTVM.

DIVI XISTI II. PONT.

Et Mart. quod mortale fuit ob Chriſti fidem gladio Decius Cæſar extinxit, Ludouicus II. Imp. Roma huc tranſtulit. Paulus de Aretio Car. Ep. Plac. & Cæſarius Abbas nouiſsimè ampliato templo hic repo. Octauio Farneſio ac Alexandro F. Ducibus max. pop. pl. frequentia ac pietate CIↃ. IↃ. LXXVI. VI. Id. April.

DIVI FABIANI PP.

Et Mart. corpus à Ludouico II. Imp. huc Roma translatum Damianus Nouarien. Abbas Octauio Farneſio Duce præſente hic repoſ. anno M. D. LXVI. VIII. Cal. Maij.

SANCTORVM CORPORA.

Marcelli & Apulei.
Timothei Syphorcani & Felini.
S. Barbaræ.
Quatuor puerorum innocentum.

D. O. M.

NICOLAO DVLCIANO.

Equiti ſplendidiſſimo, Mediolani Francorum Regis Quæſtori & Maximiliani Ducis Senatori integerrimo, Eliſabeth Barra Mediola. vxor pientiſ. viro incomparabili perpetui erga ſe amoris memor lacrymans p. M. D. XXVII. VII. Cal. Maij.

H. M. H. N. S.

IN SACRISTIA.

Hic locus æthereos conſeruat tempore flores:
Vernantes violas lilia miſta roſis.

Ibi non vbi.

Spiritus alma tenet felicis mœnia regni
Oſſa aurum exemplar relligio ac meritum.

Opera & opus.

Hoſpes flecte genu, ſacer eſt locus, oſſa quieſcunt
Nam Diuum hic, cœlo pars melior fruitur.

Multi nimium, nemo ſatis.

Non refert qua, ſed quo.

IN CATHEDRA SCHOLAE.

Laboris non otij gradus.

IN MONASTERIO MONTIS OLIVETI.

L. Ploto Atimeto VI. viro Auguſtali gratuito D D. Celatæ cont. vxori eius Vitali filiæ eorum Chloë delitio Heleni & innocentiæ vxoris Helenus patronus poſ. Infr. p. XIII. Nagp. XIII.

IBID. IN MVRO SVB IMAGINE VIRGINIS MARIAE.

Quæ veneranda Dei matris manet omnibus hiſce.
Splendet parietibus picta figura nouis.
Flecte & aue genu, quis & has ſuperaddere voces
Negligat? ô dulcis, ô pia mater aue,
Sacrum opus hoc primum gratumq; Placentia munus
Montis Oliueti relligionis habet.

ANTE

ANTE MONASTERIVM

Vetera tranſierunt, aſpicite, facta ſunt omnia noua.
Prætereuntibus vniuerſis.

SYMB.

Beatitudo Symbolica.
Spherico triangulari beamur bono.
Oc: Far: Du: opt: Symb:
Do. & VI. P. Iu.

SVB DVCIS PARMENSIS INSIGNI.

APVD S. IOANNEM.

Roma decus genuit, ſculpſit quos Flandria cælo,
Terra tenere nequit, pectora tanta patent.

SVBTVS.

Hinc quæ dependent Farneſia ſtemmata muro,
Illuſtrant orbem nobilitate Ducum.
Auctorem ſi fortè cupis cognoſcere dignum
Maluecinus erat primus in æde Dei.

IN VIA FARNESIA DVCALI.

Iuſti eius ſanguine nutrientur.
Virtute & ingenio viciſti & vinces.
Fideles ſaluabuntur.
Iniuſti punientur, ſemenq; impiorum peribit.
Ex vmbra alarum tuarũ reſtitutio, & in futurũ augmẽtatio.
In iuſtificatione ſalus.

IN CASTELLO.

Finiunt pariter renouantq; labores.
Philippus II. Hiſpaniarum Rex maximus, & multarum prouinciarũ Dominus ſanctæ fidei Catholicæ acerrimus defenſor F F.

ANTE HOSPITIVM FAMAE.

Te viuo Octaui timeat quis Martis alumnos?
Quis Cereri faciat, cui noceatq; malus?
Te Duce tuta fides, duce te dant roſcida mella
Vel rigidæ quercus: te duce iura vigent.

IN PALATIO GVBERNATORIS.

Paulo Bergontio Patrit. Parm. I C. exim. Præſul. Equit. Ducali conſ. in mult. merito grat. mem. ciuit. don. Placent. omnes æ. p p. V. M. D. LXXXII.

ANTE PALATIVM ALBERICI BORATIRII EQVEST. ORDINIS.

. . . Et quoniam concordes egimus annos
Auferat hora duos eadem, nec coniugis vnquam
Buſta meæ videam. . . . .

IBIDEM.

Heu te perdit amor tuus, & tua munera procos.

IBID.

IBID.

. . . . Nec longius ibitis inquit,
Non potes inuitæ Cereris gener eſſe, roganda
Non rapienda fuit. . . . . . .

IN LOCO VICINO PLACENTIAE.
BRVIN VILLA DICTO.

S. CONTARDI ESTENSIS.

Victor ſiſte gradum, reconditumq; in arca D. Contardi Eſtenſis corpus glorioſum venerare, quod dextrum huius templi cornu aureis ornamentis illuſtrat: quod in marmorea pixide reconditum læuam partem honorat, ad beatiſsimi Parmerij corpus preces effundas, vt iter ſit fauſtum & felix, Veni.

PARMA.

FLORENS ET POPVLOSA CIVITAS IN VIA Æmilia ſitu plano, ædificijs ſplendida, plateis rectis & largis, incolis venuſtis, nobilibus & ingenioſiſs. & tam ad rem militarem quàm literarum bonarum ſtudia aptis. Agro fœcundo & fertili, ac tanto lacte ex felicibus & amœniſsimis campis abundante, vt copia eius fidem excedat, ni videris. Caſeus eius ſummum gradum commendationis obtinet tota Italia. Greges quoq; ouilli hic ampliſsimi, nobilitate vellerum laudati: aquæ ſimiliter medicatæ, multis morbis ſalubres. Eam à ſuburbijs diuidit flumen Parma, cuius tranſitus lateritio ponte iungitur. Caſtrum habet munitiſsimum, Palatium non contemnendum, cui adiunctum templum vetuſtum, & monaſteriũ diues S. Benedicti, & pulcrè ornatum. In foro ſatis amplo fons pulcerrimus, & templum ad imitationem fabricæ S. Petri in vrbe extructum. Item campana magna tribus columnis impoſita. Turris quoq; perſimilis iſti, quæ eſt Bononiæ, & panis candidus, Patauinum, quem buffetto vulgò nominant, excedens. De primis eius conditoribus variant, ſunt enim qui ad Chryſum Troianum, Pallantis ſocium referunt, alij ad Hetruſcos & Chryſopolin aliquando, dein à Iulio Cæſare Iuliam appellatam ferunt: hinc in antiquo marmore legitur. IVLIA CIVITAS CHRYSOPOLIS DISTAT A CORPORE BEATI BONNINI PER XV. MILLIARIA. Romanorum Colonia effecta cum Mutina, M. Æmilio, Lepido, T. Ebutio Caro, & L. Quinctio Criſpo Triumuiris. Cæteris Italiæ vrbibus par, in autoritate nominis Romani ſtetit, quamdiu ipſius maieſtatem Imperatores tutati ſunt, qua contrita in diuerſorum poteſtatem & dominium deuenit. Celebris Federici Imperatoris clade, cui hic omnia ornamenta Auguſta & ſupllex regia adempta eſt, cum vrbem toto biennio fermè obſediſſet, & Henrico VII. poſtmodum Parmenſis Reip. nomine reſtituta & dono iterum oblata eſt. Nunc clariſsimæ familiæ Farneſianæ paret, conceſſa cum Placentia à Paulo III. Pontifice Petro Aloyſio Farneſio eius filio, quo crudeliter in arce Placentiæ à coniuratis quibuſdam nobilibus trucidato, ad Octauium filium peruenit, eo defuncto ad Illuſtriſsimum & inclytum Ducem Alexandrum Belgij gubernatorem.

IN AEDE

IN AEDE CATHEDRALI.

ANTONIO BERNERIO.

Magnus in exigua iacet hac Antonius vrna
Bernerius, varijs lux celebrata locis.
Non tamen hic totus tegitur, caro ſola ſepulta eſt,
Viuit in æternum cætera pars melior.
Præterea ingenium, probitas, prudentia, mores
Viuunt, hæc aliquam non ſubitura necem.
Hunc Mediolanum bis ſeptem meſſibus, alma
Roma Senatorem vidit & ipſa tribus.
Cætera quid memorem? quantum mortale ferebat
Tegmen, erat cunctis præditus ille bonis.

CIPRIANO RORI.

Flandr. artis Muſicæ viro omnium peritiſsimo, cuius nomen, famaq; nec vetuſtate obrui, nec obliuione deleri poterit, Herculis Ferrarien. Ducis II. deinde Venetorū, poſtremo Octauij Farneſij Parmen. & Placen. Ducis II. chori Præfecto, Ludouic. frat. fil. & heredes mœſtiſs. p: Ob. anno M. D. LXV. ætatis vero ſuæ XLIX.

BERNHARDO RVBEO.

Com. Berceti Epiſcopo Taruiſino ſub Leone X. Pontiff. Max. vrbis præfecto, paulo poſt vniuerſæ Flaminiæ Præſul Bononiæq; ſimul Proleg. qui ſedente Clemente VII. iterum vrbis præf. eam ſua prudentia & integritate, ex ſummis belli ciuilis difficultatibus expediuit, ampliſſima mox eximiæ virtutis præmia relaturus, ni mors repentina anno Chriſti M. D. XXVII. IV. Calend Iulij ætatis ſuæ LVIII. cunctis mœrentibus ipſum præripuiſſet.

VIDI BOLDO.

Caroli Magni nepoti, Eccleſiæ Parmen. Epiſcopi & Comiti viro, religioſiſsimo, Canonici Parmenſes beneficij non immemores dignitatis eorum authori p. M. D. LXVII.

S. IV. SANCTORVM.

Quatuor hac arca Sanctorum corpora clauſa
Sunt, Abdon Senes, ac Mamius Herculiani,
Et corpus medium ſacri Miomedis humatum,
Sacra quibus coniuncta tribus Pudentia virgo.

DVORVM FRATRVM.

Humatus tumulo hoc Euangeliſta Canutus
Conditur & frater Curtius acer ibi.
Alter erat Metis Mars ſtrenuus, alter at huius
Templi inter primos thura dabat ſuperis.
Qui grati cunctis aderant mortalibus ambo,
Prodeſſe hic dictis aptus, at ille manu.

MARCO COLLA.

Hic ſitus Marcus Colla de gente vetuſta,
In ſacris clari nominis ob meritum,
Ingenio ſuperauit auos & diuite cenſu,
Caſtus, amans recti, munificusq; ſuis.

LVCAE CERATI.

Nihil intereſt huminè an ſublime putreſcamus. Ne autem Lucas Ceratus Epiſcopus Conſtan. ac in Parmen. Eccleſia ſuffragan. ſui oblitus immemor videretur viuens p. Ann. Salut. M. D. LVIII.

ANTE ECCLESIAM ANTIQVAM.

VLASII

VLASII PELASANAE.

Inclyta lux, illuſtre iubar, cæleſte Sophiæ
Lumen, & Archadicum numen venerabile vatum
Vlaſius ecce ſuæ ſtudiorum ætatis Apollo,
Quem Pelaſana tulit Coſtamerenſis origo,
Immortale decus patriæ, iacet hic, tua Parma
Gloria, Philoſopham ſub quo coluere Mineruam,
Aſtriloquas Matheſinq; omnem ſua ſæcula Muſas
Mille quadringentis ſedecim nonoq; Calendas
Maij, corporeæ iacet hic pars oſſea molis,
Mens abit in cœlum felicibus hoſpita caſtris.

DN. IOANNIS DE CENTVMBIS.

Legum Doctor hic iacet.

ALBERI ANSELMI.

Hic iacet Alberus, poſt mortem viuere certus,
Qui fuit electus Parmenſis, vir benè factus,
Vir ſobrius, caſtus, vir vitans vndiq; faſtus,
Vir gremiis plenis, largus largitor egenis.
Dogmata maturusq; inter contagia purus,
Huic Anſelmorum pater & genus extat auorum,
Mater de Fliſco Comitiſſa ex ſanguine Pisbo
Pontificiſq; nepos ſummi fuit Innocenti,
Qui fuit ipſius clarus frater genitricis.
In quinquaginta ſeptem cum mille ducentis
Et Maij menſis octo geminis fugientis.

IN TEMPLO BEATAE VIRGINIS.

Incidit hæc ipſa Virginei ſimulacri traductio in feſtum Matthiæ Apoſtoli, lucem XXIIII. Februar. qua die vir ſpectatiſs. de Monte Galliæ Ciſpad. Legatus, cum huic vrbi cum imperio præeſſet, primus omnium ad aram maximam ſolemni & Pontificio ritu rem diuinam fecit, tum ob ſuam erga Virginem beatiſs. pietatem, tum maximè ſuo vt alios exemplo augendam huius loci religionem accenderet.

GVIDO CORRIGIAE.

Co. animi magnitudine, prudentia, pietate, atq; ſummo vitæ ſplendore viro inſigni, qui eo fuit in virginem animo, vt eius templi collegium ex aſſe heredem teſtamento abſolutè & liberè fecerit, anno M. D. XXVII. b. m. p.

SFORZINO SFORZIAE.

Vrbe hac patria alumnis Muſis & Magiſtro omni militiæ Præfecto ordini, multa poſt prælia & optima ſpolia Franc. II. Duci Inſubr. honore perpetuo ac grauiſs. obſidione claris tantis maioris gloriæ inditijs morte præreptum deplorant Muſæ, Mars, Dux, Sf. milites deſtituti Vix. ann. XL. Obijt ſalut. ann. M. D. XXVI. VII. Idus Octobr.

BERTRANDO RVBEO.

Summæ nobilitatis ac optimæ ſpei adoleſcenti, Ioa. Hiero. Ticini Pontifex fratri b. m. p.

Flore æui in primo, primo in certamine Martis
Bertrandus rapido ſaucius igne cadit.

Scilicet eſt longæ contraria gloria vitæ,
Nec niſi difficili quæritur illa via.
Vix. ann. XIX. M. III. D. IIII.

AD S. PAVLVM.

Marmore ſub modico iacet hic Fiolicola virgo,
Romani dudum ſanguine nata patris.
Mors ſua ſub Flacco notuit certamine, luſtris
Vita ſibi ternis cum petit Elyſios.
Cur modo ſit Pauli translatum corpus in æde
Annales memorant, diſce viator, abi.

AD S. PETRVM.

RENATO RONSART.

Primum Parca bonis diſrumpit ſtamina, primum
Ardua quæq; rapit impia pars manibus.
Ecce Renatus obit claro cognomine Ronſart
Quem Dominum armicrepæ flent iuga amœna Roches
Fleuit magnanimum illuſtisq; Paliſia ductor
Armigerum & fortem Gallica tota manus.
Heu heu vita hominum bulla eſt, & fumus, & vmbra
Da lacrymas, & dic, qui legis iſta, vale.

Hic iacet Renatus Ronſart vir nobilis genere Cenomannus Celtica Gallica quondam Dominus de Rochea, qui deceſsit v. Id. Martias M. D. X.

IANI MARTILLII.

Hoc Ianus æui in flore adhuc Martillio
Parente communi premor
Oenotrias miſit quem in oras militum
Ferax bonorum Gallia
Optare quæ me etſi poteſt partum ob decus
Carere certè non poteſt.
Obijt die xx. Iunij M. D. XVII.

VINCENTII BLONDI.

Iureconſulti magnifici, qui in multis prouincijs ſummos Magiſtratus honorificè geſsit, & tandem cum Regium ſe contuliſſet ibi præ nimio dolore obſeſſæ patriæ vitam cum morte mutauit anno ætatis ſuæ xLix. die vi. Nouemb. M. D. Li.

IO. CASPAR AVANCINI.

Ferri Sacerdos apprimè eruditus, dum vitæ ſuæ annum clymactericum ſcanderet dira ſiti oppreſſus hic quieſcit M. D. LIIII. Die XXX. Ianuarij.

AD S. LVCAM.

ANDREAE VAGO.

Andreæ Vago fratres poſuêre merenti,
Quæ ſtat ab inſigni nobilis vrna loco.
Qui rarum ingenium, qui dignos vndiq; mores
Egregiè in magnis prodidit officijs.
Canonicus, Præpoſtus & Archipresbyter iſtos
In patria geſſit atq; foris titulos.
Pontificis ſummi Acolytus fuit, atq; Rauisij
Præſidis exhibuit non ſine laude vices.
Felſineaq; loco Legati functus in vrbe,
Emeritum nomen relligione tulit,
At poſtquam quinos decies ita tranſigit annos,
Oppetiens primæ redditus eſt patriæ.

P A R M A.

D. Iacob: Vuglius Præpoſit: Brixien: frat: b. m. p.
M D. IIII.

FRANCISCO MOYS.

Integerrimo omnium horarum viro, bonarum artium cumulato ob ingenij & morum elegantiam multis Principibus intimo, poſt longos Rom: curiæ labores & ſuis & ſibi domi benè conſulenti inſperatè ſurrepto Anton: Moys frater mœſtiſs: p.

Hic reliquum Moys tegitur: nam cætera ſeruant
Cælum animam, famam pectora docta virûm.

Obijt ann: ſalut:: M. D. L. VIII. Cal: Mart: ætat: ſuæ LXIII.

AD S. FRANCISCVM.

HVGOLOTO LVPO.

Hic recubat tumulo miles, pietatis amator,
Marchio magnanimus, vir conſtans, ſanguinis alti,
Iuſtitiæ cultor feruens, protector amici
Egregia natusq́; Hugolotus ſtirpe Luporum,
Strenuus hic armis, ſecurus turbine belli
Reddidit audaces furienti Marte cateruas,
Quem nonaginta ſimul primo ſub mille trecentis
Luce Febri quarta tulit hinc nimis inuida Parca.

LAZARVS DE MONTE.

Legum Doctor & Eques ſub hoc duro clauditur marmore, Iulia vxor & Fabius filius m. poſuere. Anno S. M. D. xxxviiii. die xviii. Septemb: Vix: ann: Lv.

PAVLO CALDERONO.

Fauentino, Peditum Ductori ſtrenuo, literis non minus varijs quàm armis ore ſapientum prædito, Dominicus Barbianus Fauent: heres p. anno Domini M. D. Lxxviii. Die xx. Maij.

IN COENOBIO PVLCERR: D. BENEDICTI.

VINCISLAO BVZZACHARINO.

Patauino Guid: fil: nobilitate generis & armorum præſtantia illuſtri, grauibus & aſſiduis militiæ laboribus extincto, Octauius Farneſius Parmæ Princeps ob eximiam eius in armis virtutem fideiq; conſtantiam hoc monumentum p. Idem Pataro eius fratri benemerenti domi, militiæ, vitæ mortiſq; ſocio intra triduum facturus, niſi ille in patriam reuerſus Agnetæ Capiliſtiæ infeliciſſimæ matri hoc officium attuliſſet Vix: ann: xxxix. Ob: anno M. D. Liiii.

AD BIBLIOTHECAM.

Ingredere Muſis ſacer, nam & hic Dij habitant.

IBIDEM.

Nullus amicus magis liber quàm liber.

AD CAMINVM.

Præcipua domus vtilitas & pernicies ignis & lingua.

IN PALATIO.

AD INSIGNIA PAVLI III. PP.

Pro Paulo Deus, pro nobis Paulus.

INFERIVS.

Quæ pro te vis eſſe Deus tu lilia ſerua

ANTE

ANTE PORTAM.

Paul. III. Pont. Max. Ann. XII. Pontif. anno M. D. XLIII.

IN PONTE.

Octau. Farneſius Parm. & Plac. Dux II. pontem, iuſſu genitoris extructum, impetu viq; aquarum collapſum, refici curauit, anno M. D. LXII.

IN PALATIO MARCHIONIS.

Sed nos in vitium credula turba ſumus.
Incipit hic naſci, tàm benè qui moritur.
Fraude perit virtus, in apertos vndiq; campos
Proſiliunt hoſtes, & latus omne tenent.

ANTE AEDES PRIVATAS.

Sum qui ſemper fui Parmæ fidelis.

REGIVM LEPIDI.

VVLGO REGGIO, FREQVENS, PRÆCLARA & lauta vrbs, agro vbere, cœlo admodum ſalubri & regio, vnde & Regium dictum aſſerunt. Condita à Thuſcis, poſſeſſa à Gallis, quibus ſubiugatis Romanorum effecta eſt colonia; pòſt varias fortunæ & Imperij vices ſub Gothis, Longobardis, Cæſaribus, Regibus Gallicis Pontificibus & Regulis proprijs ac vicinis experta, nunc his nunc illis paruit, donec anno M. D. XXIII. à Chriſto nato Ferrariæ Dux Alfonſus eam 1000. ſclopetarijs 200. equitibus & totidem cataphractis obſideret, & ex poteſtate Rom. Pontificum eriperet & ſuam faceret. In cuius & ſucceſſoris Herculis fide pacatè in hunc vſq; diem ſtetit, & multos præclaros homines procreauit, celebris calcaribus, quæ hîc fabricantur venuſtiſſimè, ſicuti etiam alijs rebus quàm pluribus, quæ ex oſſibus fiunt politiſſimè.

IN TEMPLO SVMMO.

BAPTISTAE PALLAVICINI.

Hic Baptiſta iaces Regij digniſſime Præſul
Marchio, quem genuit Pallauicina domus.
Floruerit quamuis ingentibus illa triumphis,
Laude tamen proauos te ſuperaſſe ferunt.
Rarus in orbe fuit qui te vel carmine poſſet
Vincere, vel calamo ſe æquiparare tuo.
Sedis Apoſtolicæ meruiſti clarus honores,
At tua nunc virtus clarior aſtra colit.
M.CD. LXVI. Maij XII.

BON FRANCISCO ARLOTTO.

Theologo ac Philoſopho eminentiſſimo, Regienſiq; Patricio, ac Epiſcopo & principi meritiſſimo Io: Marcus frater & Ventura nepos pientiſſimi poſ: publico luctu deceſſit anno M. D. VIII. VII. Ianuar: ætat: LXXXVI. Epiſcopauit verò annis XXX. cui ſucceſſit Io. Lucas Pontremulenſis.

VGONI RANGONIO.

Mutinen. qui Regij LepidiPonti: vrbis Rector, Parmæ ac Placentiæ Prolegatus in Germaniam ad eius prouinciæ Principes, in Hiſpaniam vero ad Carol. V. Imp. Legatus à Paulo III. Pontif. Max. miſſus egregium doctrinæ, pietatis, iuſtitiæ, atq; prudentiæ ſpecimen dedit. Hercules Rangonius fratri B. M. P.

BEATRIX ABBATIA.

Hic ſita eſt, quæ vt Deum Opt. Max. liberiùs coleret, deſpectis hominum delitijs, intra hoc contiguum ſacellum anno Dom. M. D. XVIII. ſe includi mandauit, vbi reliquum vitæ ſanctiſſimè in ſolitudine vixit, quæ etiam Dæmones ſibi valdè infeſtos, & vitæ ſanctitatem inuidentes diuino ope ſuperabat, Ob. ann. M. D. LI. Vix. ann. LXIII. Calend. Sept.

MALEGVTII.

Pietati & memoriæ P. Valerij Malegutij familiæ decoris & patriæ, Sigiſmundus, Hannibal & Iulius filij DD. Ob. ann. vitæ IL. ab ortu Chriſti M. IID.

FRANCISCO MARTELLO.

Patricio Regienſ. I. V. Conſult. præſtantiſsimo, Romæ, Venetijs, Ferrariæque honoribus ampliſsimis perfuncto, ac demum à Gregorio XIII. Pont. Max. Regienſi Epiſcopatui præfecto, Marcus Antonius, Alexander, & Ioan. Bapt. fratris filij pp. Vix. ann. LXX. Ob. VII. Idus Martij M. D. LXXVIII.

CHERVBINO SFORTIANO.

Canonico & Patrono Apoſtolico, viro in honorarijs conficiendis propè ſingulari, vt cuius in arte excellentia à ſummo Pontif. & à Carolo V. Imp. præmijs & dignitatibus aucta non ſemel fuerit, Theophilus fratris filius poſ.

CAMILLI ROVERZANI.

Qualonq; ſei, ſe tu ſei pio.
Non moleſtar Camillo Rouerſtani
Et ſua moglie, & Horatio ſuo nepote
I quai giaciono qui miſera mente & Vogliono eſſer ſoli l' Anno M. D. LXXX.

THEOBALDO SESS.

Seſſea ſtirps tumba iaceo Theobaldus in iſta,
Marmoreumq; habeo mortuus hunc tumulum.
At quondam viuus teneris electus ab annis,
Huius Reginæ Præſul eram patriæ.

GASPINO LANCEO.

Canonico Regien. doctiſsimo, grauiſsimoque ICto. domi foriſq; noto, Raphael Lance I. V. D. quum olim ꝑtuo meritiſsimo obſequentiſsi. nunc deſideratiſsimo memoria & pietate fidiſs. p. S. Vix. ille ann. LXIX. M. VI. D. V. Obijt autem die Iouis XV. Cal. Septemb. M. D. XIII.

CONSTANTIVS PORRVS.

Ex præſentibus futura proſpiciens, hoc ſibi ſuiſq; poſteris monumentum confecit, in quo morte obita requieſcat, dum ſurgentes hic rurſus Deus euocet Ann. ſalut. M. D. LII.

IN AEDE D. NICOLAI.

PHILIPPO ZABOLO.

Franciſci fil. qui ob clariſsimas virtutes à Xyſto IV. Pont. Max. Comacli Epiſcopus conſtitutus, illo ſe digniſsimum Pontificatu ſemper præſtitit: nam templa aliquot D. O. M. Diuiſque ære ſuo ob ſingularem pietatem exædificauit, nonnulla inſtaurauit, inopes liberalitate, ciues magnificentia iuuit, familiam quoq; ſuam ab ipſa Pannonia deductam illuſtrauit, vnde ſempiternam ſui nobis memoriam reliquit, hoc poſteri cum effigie ſepul. poſ. Vix. ann. XVC. deceſſit M. CD. XCVII.

IN AE-

IN AEDE CARMELITARVM.

PINOTTI I. C.

Pinottus referens claræ cognomina gentis,
Cuius conſilio viguit Galeatius olim.
Dux Ligurum, titulis hæc ſupplex templa dicauit
Virgo tuis, Virgo noſtræ ſpes vna ſalutis,
Atq; ſuo ſumptu venerandam ſurgere molem
Iuſſit, & ex Patribus populo qui ſacra litarent
Quatuor, aut ſi dira lues, aut bella vetarent
Eſſe duos, memoresq; ſui memoresq; ſuorum
Conſtituit, precibusq; ſuis auertere noxas
Inſuper & templo hoſpitium, quo nullus egenus
Debeat excludi, prouentusq; addidit amplos,
Supremis votum tabulis mentemq; profeſſus.
M. CCC. LXXIV.

PROSPERI EPISCOPI.

Hic ſitus eſt Proſper, quo ſancto Præſule gaudet
Regium, & hic cineres oſſaq; ſacra iacent.
Marmoreo monachi condunt pia buſta ſepulcro,
Namq; vetus turris fregerat alta cadens.

AD S. FRANCISCVM.

IO. BAPTISTAE GRIBBO.

I C. iuueni eximijs virtutibus ornato, qui dum Genuæ Vice Prætor eſſet, & ſui expectationem vt cum maximè excitaret, ac plane ſuperare contenderet, in malam valetudinem incidit, ex qua in primam reuerſus, in ipſo (proh dolor) ſuæ ætatis flore diem ſuum obijt Pereg. & Cathar. parent. mœſtiſs. poſ. ann. ſalut. M. D. LX. V. Non. Octob. Vix. ann. XXVII. M. X.

MICHAELI PEGOLOTO.

Sacerdoti honeſtiſsimo, iuris ciuilis ac pontificij ſcientiæ conſultiſſimo, ſummo ingenio, atq; prudentia acutiſsimo, & alijs item variæ multiplicisq; doctrinæ bonarum artium ornamentis copioſè redundantibus mirificè præcellenti & ornato, Franciſcus exoptatiſſimo patruo optimè merito po. curauit, anno ſal. M. D. LXIII. Vix. ann. LXXXIIII.

AD S. DOMINICVM.

CATHARINAE VIGARANAE.

Gratij Phigni vxori, cui ſatis fuit quod vixit vel ad ætatem, vel ad prolis iucunditatem, cum honeſtiſsimam ad xxc. annum produxerit vitam, ac filium Sebaſtianum omnis diuini ac humani iuris Conſultiſs. S. R. E. TT. S. Calixti Presbyt. Cardinalem æui ſui decus ac patriæ lumen viderit, filiæ & Io. Paulus Corradinus gener. pp. Ob. M. D. LIX.

ALBERTO CANOSSIO.

Comiti, viro nobiliſsimo, atque omnibus laudibus bellicis florentiſſimo, qui Melitenſi obſidione, atq; cum Alphonſo II. Duce Ferrariæ Hungarico bello egregiè ſe geſſit, nauali ad Echinadas prælio glorioſiſsimè pugnans oculum perdidit, ac domum dum ad maiores euocaretur honores in patria honeſtiſſimè vita ceſſit V. Cal. Aug. M. D. LXXII. Vix. ann. XXXII. Lucretia Canoſsia Confaloneria mœrens marito incomparabili poſ.

ALEXANDRO BONZANEO.

Quæſtura & Tribunatu ærario in hac vrbe multos annos ſumma totius patriæ ac Eſten-

ac Eſtenſium Ducum approbatione perſuncto, Nicolaus & Flaminius paternæ auitæq; virtutis memores pp.

VINCENTIVS BOIARDVS.

Præpoſitus & Canonicus Regienſis, nil vnquam viuens quod optauit præter optatiſſimam mortem aſſecutus, hic tandem quieſcit in Domino, Vix. ann. XLIII. M. VII. D. VIII. h. VIII. Ob. die XXI. Auguſti M. D. LI.

SIMONIS BRAMI.

Hoc tumulo Brami requieſcunt oſſa Simonis,
Regia ſe vrbs tanto iactat alumna viro.
Felſina mirata eſt Ferrariaq; ipſa docentem
Græca, Latina, artes Pæonis, aſtra, Deos.

ACCIO SESSO.

Comiti, rerum foris domiq; geſtarum gloria clariſs. Franc. F. obſequentiſs. propagandæ patris memoriæ ergò V. P. M. D. IIII.

F. EVSTACHIO LVCHATELLO.

Ciui bono, viro integerrimo, atq; omnium ſcientiarum cognitione cumulatiſsimo, deinde Pij V. piæ memoriæ Pont. Max. à ſecretis confeſsionibus, ac poſtremũ Epiſcopo & Principi Regien. Vincentius Referendarius Apoſtolicus. Ioan. Baptiſta, & Aug. eius fratres mœſtiſs. pp. Vix. ann. LVII. M. III. D. XIII. Obijt anno M. D. LXXV. prid. Non. Octob.

PROSPERI BRVNEI.

Quem Regium peperit, docuit quem Felſina, vterq;
Quem populus fleuit, hic iacet orbis amor.
Deceſſit XV. Cal. Maij M. D. XXIX. Vix. ann. XXI. M. D. X.

VALERII.

Hic tua marmoreus tumulus tegit oſſa Valeri,
Cui genus alma dedit nobile Chryſirolis.
Morte tua cuncti iuuenes gemuêre ſenesq;,
Tam facis acceſſu ſydera læta tuo.

Scire volens à quo fuerim modò facta capella
Hæc legat attentis carmina luminibus.
Gentis Valeriæ clara virtute relucens,
Valerius fieri me moriendo iubet.
Et mihi multa dedit felicia iugera diues,
Villa Pradoueri quæ modò lata tenet.
Frater Vgelinus fuit illi cum Nicolao
Dominici capto relligione patris.
Illa quidem pro ſe, pro fratribus illa reliquit,
Vt referant animis Dî meliora ſuis.

ANNAE VIRGINI REGIEN: NAENIAE.

Nil venerabilius referat ſi petra iacentem,
Vrna hæc ſi cauſſam nil miſerabilius.
Cauſſa libido, furor, feritas, iacet Anna pudici
Laus ſexus, patriæ gloria, ſtirpis honor.
Maluit immunis neptis, quàm turpis amica
Dici, & quàm pellex viuere, virgo mori.
Trux furit in mitem, inuadit laſciuus honeſtam,
Ex patruo lictor, ex comitante latro.
Cæſo triumphato geminum gerit hoſte trophæum,
Hinc animus conſtans, hinc ſine labe caro.

Oſsi-

Oſſibus hic tumulus, virtuti animæq́; ſacellum
Cui pia turba ferat balſama, thura, faces.

M.D.XXXV. M. Quintil. ætatis anno ſuper trieteride quinto expleto.

AD S. PROSPERVM.

LVDOVICI GEORGII.

Cy. Giſt. noble homine Loys Georges an ſon viuant ſigneur de Hieuuille & dies Maignens homine de armes des ordinances du Roy en la Compagnie de Monſor le prince de Ferrare & gentil homine du pars de Normandie le ques de cedale du iour de Nouemb. M.D. LVII. pries dien pur lui.

CLARIMONTO.

Infantulo bimulo, lepidulo, blandulo, Melchior Caſſellinus mœſtiſs. poſ. Obi. XIII. Cal. Aug. Anno M. D. LVIII..

IN ECCLESIA MONIALIVM S. MARIAE A MISERICORDIA DICTAE.

ALEXANDRO SACRATO.

Com. Equiti Hieroſolymitano, virtute ac pietate inſigni fratres mœſtiſſimi p. c.

IVLIA MANFREDA SCAIOLA.

Matrona lectiſſima, cuius animus temporibus ſecundis & dubijs rectus fuit, poſteris & vitæ & mortis ſingulare exemplum admiratione imitationeq; dignum reliquit. Ob. ann. ætat. ſuæ XXXVI. V. Cal. Mar. M. D. LXXI. Franciſcus Co. coniunx coniugi integerr. mœſtiſs. P.

IN FORO.

SVB BRENNONIS STATVA.

Brenno totius Saxoniæ Rex, Germani exercitus Imperator, cum ea loca teneret, quæ Atheſin Padumque interiacent, populos qui aduentantis in Italiam Odoacri metu in paludes ſeſe abdiderant in vrbes ſuas reſtituit, Odoacrumq; ipſum per ſororis nuptias ſibi iunctum poſt Oreſtis mortem Romanis conciliauit: Quibus compoſitis cum oppida ad viam AEmiliam poſita, iam Gothorum aduentu deprædata, non ſine magna tantæ vaſtitatis admiratione peragraret, Regium Lepidi peruenit: Eam cum aliarum vrbium exemplo vacuam hominibus moleſtè ferret, ex duobus ibi Sacerdotibus, quos caſu in templo latentes inuenerat, certior factus populum ad petram Scitulam, Biſmantuæ petram hodie vocant, confugiſſe, eum in locum miſſis actutum legatis duobus, adiunctiſque in itinere illis Sacerdotibus, nunciari ciuibus iuſſit, Regium vt redirent, ibi Brennum gratè eos accepturum eſſe, defenſurumque etiam ab iniurijs Barbarorum. Itaque cum ipſi tanti Ducis audito nomine

ſpe pleni in patriam per Clodiam portam redirent, obuiam exeuntem in vrbis ponte Brennum habuerunt. Tum S.P.Q. Regienſis, qui cum C D. equitum præſidio, M. peditum inſtructa ſub Rom. Imp. ſignis acie aduenerat, moti præſentis Imperatoris maieſtate equis deſcendere: quo ſpectaculo delectatus Brenno pari humanitate ab equo deſiliens ingredientem ſenatum amicè ſuſcepit, qui portam deinde Clodiam ſemirutam per eos ferè nouem annos, quibus apud eos fuit, inſtaurandam curauit, adiecitq; ab ea parte murum M. cubitorum: Eam in poſterum, ob gratam rei memoriam, Brennonam portam appellari voluit, pedeſtremq; ſtatuam eam ob rem ſibi in illa erexit, inſculpiq; ibi præterea familiæ ſuæ inſignia pardos tres correpentes iuſſit, notata literis eius rei in præſentem vſq; diem memoria.

SVB CAROLI MAGNI STATVA.

Carolus Francorum Longobardorumq; Rex, qui ob egregia eius geſta Magni cognomentum tulit, omnibus tum corporis, tum animi virtutibus præditus, Romani Imperij Moderator opt. veræ religionis obſeruator integerrimus, eius eximia liberalitate precibuſq; Apollinei tunc præſulis Regienſis illi confinium Regij memoriam in tabulis æneis inciſam, & à Principibus Longobardorum iamdiu comprobatam offerentis eoſdem fines nedum cõfirmauit, verum etiam vltra terminos M. AEmilij Lepidi Regilli fundatoris Regij Romanor. Coloniæ, & ſub eorum imperij legibus inſignis ab ipſis olim pace belloq; moderata à finitimis ob monumenta & indulta Deorum fortuitò flammis conſumpta interceptos produxit, finibuſq; Mantuæ, Bononiæ, Lucæ, Parmæ, Ticini, Nouocomi adiunxit, ciuitatemq; ipſam inſtituendi gymnaſij alijſq; quàm plurimis priuilegijs decorauit.

IN FORO OLITORIO.

Hieron. Regien. ciuis Gabrielis Pratonerij f. hoc frontiſpicium cum leonibus ad honorem D. Proſperi à fundamentis ſua impenſa inſtaur. Iul. II. Pont. Max. ſedente, & Bonfranciſci de Arlottis Præſ. Regij tempora. Hieron. Pratonerius Deo & D. Proſpero hoc frontiſpicium cum leonibus piè dicauit M. D. IV. artifice Regienſe Gaſpare Biſo.

Non humana manus dedit, & natura Deuſq;
Quod ſum, iam vixi, ſum modo quod Niobe.

IN MONTE PIETATIS.

Mutuum date, nihil inde ſperantes.

IN

IN ARCV FORI.

Surgite, hoc virtutis opus.

Semper honos, veſtrum & nomen laudeſq́ manebunt,
O lætis animis olim nunc vrbe recepta,
Sis felix, populumq́ iuues te in vota vocantem.

SVB ARMIS DVCIS.

Ateſtinorum fulgor perſtringit oculos.

IN ARCV TRIVMPHALI EXTRA VRBEM.

Sereniſſimæ Margarithæ Gonzagæ optimæ principis aduentu læta cuncta ſperantes, publicæ pietatis & lætitiæ ſignum.

AQVILA. Auſpicijs manifeſta fides,

ANCHORA. Tutela præſens.

MVTINA.

VULGO MODENA A MOVENDO (VT QVIdam conijciunt) dicta, eò quod diluuio quondam tota ſubmerſa ſit, vnde verſus:

Mutina ſubmerſa fuit olim gurgitis vnda.

Vel quod à veteris vrbis à Longobardis omninò deletæ veſtigijs hodie nonnihil ſit remota. Eſt vrbs Æmiliæ, nō procul ab Appennino, mira agri fertilitate, & frugum viniq́ optimi, quod Tribianum vocant, copia celebris. Condita primùm ab Hetruſcis, deinde habitata à Gallis, poſtea à Romanis recepta, eorumq́ colonia cum Parma & Placentia deducta, maximam ruinam tempore triumviratus C. Octauij. M. Antonij, & M. Lepidi paſſa, atq́ à Gothis & Longobardis Italiam infeſtantibus tota exciſa. Iis poſtea a Carolo Magno expulſis noua planè vrbs ædificata à quibuſdam ſuorum ciuium familijs & nobilibus, quorum nominibus portæ inſignitæ ſunt, & à vetuſta quæ altiori loco verſus montes olim fuit, vti veſtigia adhuc monſtrant, paulùm mota, id eſt, remotiùs poſita: quæ licet primò ſub Ateſtinorum, Ferrariæ Ducum, voluntate ciuium, adminiſtratione erat, tamen poſtea aliorum quoq́, maximè Romanorum Pontificum imperium ſenſit: A Iulio II. Pont: Max: Imperatori ceßit, & ab eo iterum Leoni X. Iulij ſucceſſori X. mill: aureorum nummûm pignori data eſt. Demum anno M.D.XXVII. cum in mole Adriani Clemens VII. a Caroli V. legionibus obſideretur, Alfonſi ducis Ferrarienſis armis eſt recepta, in cuius & heredum ditione manet. Populoſa eſt, & hodie adeò ſplendidis aucta ædificijs & mœnibus foßisq́ munita, vt incurſioni hoſtili facilè reſiſtere, & ab illo contra quoſcunq́ defendi poßit. Formigo torrens eam attingit. Fores in ea Eccleſiæ Cathedralis admirandæ ſunt, & in ea ſtatuæ Adami & Euæ marmoreæ perpulcræ. Patria trium præcipuorum Cardinalium, Herculis Rangoni, Iacobi Sadoleti, & Georgij Corteſij. In amoribus fœminarum res in ea parte & qualitate hic celebratæ vti Bauaricæ.

IN AEDE CATHEDRALI.

ANNAE COLVMBAE.

Animi

Animi candore & coniugij fide, matronęq; liberali forma, modeſtiſſimis moribus & christiana pietate ornatæ, Ioa: Baptiſta Molza coniugi optimæ dulciſſimæ, cum qua vixit annos xx. M. II. D. VI. concordiſſimè mœrenti animo.

Vix: ann: XXXII. M. XI. D. VI.

Deceſſit XVII. Cal: April: M.D. LVIII.

Viuit adhuc, niueis volitatq; per aëra pennis
Clara pudicitiæ fama Columba tuæ.

IACOBI FOLLIANI.

Memoriæ, Muſicorum præſtantiſſimi, qui ſtanneis præſertim fiſtulis, quæ follibus inflantur, ingentem ſui nominis famam concitauit.

GERARDINI MOLZAE.

Viator hic lapis vivit, cor eius pietas, animus fides, vita Gerardinus Molza, qui cum vxore hîc & in cœlis quieſcit in pace.

FRANCISCI MOLZAE.

Si animarum auctio fieret, Franciſcum Molzam licitarentur, virtutes, patria & Catharina eius vxor, quæ illi & ſibi viuens hoc poſuit.

M. AVRELIO PROCESSANO.

V.E. Excent: Præt: cohort: VI. Prot: Ducenaria Bononia Menodora coniugi rariſſimo, cum quo vixit ann: II. m. II. d. XV. b.m.

LVDOVICVS FVRNIVS.

Eques, humanos caſus & naturæ communis fragilitatem non ignorans, hoc ſepulcrum adhuc viuens ſibi faciendum curauit, anno reſtaur: ſal: M.D. XLII.

FRANCISCI CASTALDI.

Corpus hic iacet, cui exulanti, quoniam afflictæ bello patriæ cum lectiſſima manu militum opem attulit, iure patria fuit reſtituta. Sed fata caueri nequeunt, eum namq; nocte quadam domum redeuntem plures & armati ſolum & inermem adortum multis vulneribus confectum trucidarunt.

BARTHOLOMAEI PRIGNANI.

Callimachum facili vicit qui Pindarum & ore,
Cognitus & plenè cui ſitus orbis erat.
Bartholomæus in hac Prignanus clauditur vrna,
Qui tamen inuita morte ſuperſtes erit.

IN AEDE CARMELITARVM

FRANCISCO MARIO MOLZAE.

Equiti lectiſſimo atq; ornatiſſimo, morum elegantia, forma, opibus, & nobilitate inſigni, qui familiæ ſuæ ſplendorem, ſi diuturnior ei vita contigiſſet, erat omni genere præclaræ laudis aucturus. Philippus Marius fratri pos: M.D. LXXX.

LVCRETIAE PARMENSI.

Bergontiorum familiæ, ſplendore formæ, ac venuſtatis decore clariſſimæ, verùm pietate & morum probitate reiq; familiaris cura quàm longè clariori. Iacobus Molza coniugi amabiliſſimæ, cum qua per annos XXIIII. coniunctiſſimè vixit, mœſtiſs. pos: Vix: ann: XXXIX. Ob: non: Cal. Maias M.D. LXXII.

Qua mortalis eram hic iaceo, at qua neſcia mortis
In prôle in claro ſum rediuiua viro.

Si nulla adfuiſſent delitiæ, nullæ adeſſent miſeriæ,
Quia delitiæ miſerijs, miſeriæ delitijs commutantur.

HORTENSIAE.

Quæ vir

Quæ virtute alias formaq́ Hortenſia vicit,
Heu nimis immiti funere rapta iacet.
Heu dulcem liquit Sponſum, caroſq́ parentes,
Humida queîs fletu lumina ſemper erunt.
Sed fama illius viuet, quotieſq́ ſepulcrum
Viderit hoc aliquis, legerit & tumulum.
Ille quidem lecto ſuſpirans nomine dicet,
Non erat hæc vllo tempore digna mori.

IOANN. BAPTISTA PIZACHARVS.

Ferrariæ & Mutinæ ciuis, & Regij Ducalis Maſſarius viuens ſibi & poſteris ſuis poſ. Anno M. D. LXVII.

GRAECAE GRAECAE.

Græca mihi nomen generis, cognomen & illud.
Non obſcura genus patria ne viola.
Vixi dum vixi, diues, formoſa, pudica,
Vnum etiam hoc habeo, cætera mors rapuit.
Nec tamen id curo, te te ô dulciſſime coniunx
Annum vnum doleo me potuiſſe frui.

IVLII GVARINI.

Hic ſitus eſt primo interceptus Iulius æuo,
Hic veſtrum Latia eſt Graiaq́, Muſa decus.
Quærere parce genus moreſq́, perennia auorum.
Sat monumenta, vrbis ſat dolor ipſe docet.

Iulio Guarino Antonius pater M. P. Vix. ann. xv. M. xi. deceſſit pr. Cal. Octob. M. D. LXVIII.

NICOLAI ET ALBERTI BELLIVICINORVM FRATRVM.

Vt vita vnanimis, tumulus communis vtrumq́,
Sic melior concors, ſic magè vita manet.

FRANCISCO BELLIVICINO.

Equiti & Comiti Palatino, iuriſq; & linguarum Latinæ, Græcæ ac Hebraicæ peritiſſimo, ad hæc comi æquè iucunda grauitate prædito, & cui, non facilè ſcias, maiusne decus & ornamentum attulerit ſplendor, varietas & multitudo magiſtratuum, an illius doctrina, ingenium & prudentia Magiſtratibus dum illis Parmæ Prætor V. vir litibus iudicandis, Vrbini produx, Romæ Senator, Parmæ Rector, & poſtremò Ferrariæ III. vir libellibus ſupplicibus ſubſcribendis apud Herculem II. & Alphonſum, item II. Ateſtinos Duces ita functus eſt, vt ſibi laudem & beneuolentiam comparauerit, alijs imaginem legum, ac rerum benè adminiſtrandarum expreſſerit. Ludouica Foliana vxor, cum qua vixit annos XLVII. coniunctiſſimè & amantiſſimè, & Bartholomæus Belliuicinus frater viro & fratri dulciſſimo lugentes poſuêre ex teſtamento Vix: ann. LXX. M. II. D. XIX. Obijt Ferrariæ XVIII. Maij M. D. LXV. cum vniuerſo illius & huius ciuitatis fletu.

CONSTANTIAE FONTANAE.

Quæ conſtantiſſimè in optimis moribus & pudico amore coniugali permanſit defunctæ Bartholomæus Rhenus cariſſimæ coniugi poſ: ann: M. D. XX. prid. Cal. Mart: Vix: annos XLIIX. M. VI. D. XVI.

IN AEDE DOMINICI

GASPAR PETRAZANVS.

Petra Petri Gratiani & Geminiani Pontifex, pro templis, cum templis, in templis, natus, educatus, exercitatus, vixit, egit, cecidit. Si patriam cernis huic diuerſos decreuit honores. M. D. ICVIII. Cal. Decembr.

Flamma ſacri iuris, Flamen Iouis, optimus oſſa
Petrazanus habet Gaſpar in hoc tumulo
Mactabat ſuperis, cecidit mactatus ad aras,
Vt cecidit pro Dijs ſtat Deus ante Deos.

PAVLI MILIARII.

Ferrarienſis mortales reliquiæ hic ſunt poſitæ.
Hic ſitus eſt Paulus, magno notiſsimus orbi,
Clarus Apoſtolico, Ducibusq; Herûmq; cohorti,
Carus erat cunctis nunc cœli gaudet in arce
Phyſicus excelſus, præfulgens artibus, atq;
Non erat Aſtriloquæ mens ipſi incognita Muſæ,
Calobia de ſtirpe parit quem Mutina clarum.

IOAN. BAPTISTAM CAP. BOVIS.

Primarium cauſſarum patronum ægrè ſuperſtes decrepita mater, & impubes filius hoc in gentilitio ſepulcro, deſtituto foro, conſternata ciuitate, collocarunt, vndequinquageſimum annum agebat, cum improbi homines in D. Petri æde incontinentia malè cautum & malè tutum multis vulneribus confodêre, prid. Cal. Sextil. M: D. LVII.

CONSTANTIAE BELLIVICINAE.

Cunctis matronalibus corporis animiq; dotibus inſignis iure adamatas reliquias coniugales, qua cum coniunctiſsimè conuixit annos XIV. hic poſuit Camillus Caſtaldius Eques, & cum ipſis omnes viuendi iucunditates XXXII. vitæ ſuæ anno M. D. LII. à partu exſpirans repentè terminalia peregit, biſſextilis Mercurialis ipſo interlunio, haud fruſtra habentur infauſta.

IOANNI BAPTIST. SALVATICO.

Viro probo ac prudenti ac conſuetudine ſuaui officioq; erga amicos Lucia vxor, Barbara filia, viro & patri cariſsimo benemerenti mœſtiſsimæ poſ. Vix. ann. LXXII. Obijt. M. D. LXV.

ORINTHIAE ALLIAE.

Romanæ matronæ antiquis Romanis animi & corporis dotibus comparandæ, Ant. Calorius Caſparis fil. cariſsimæ vxori mœſtiſs. poſ. Obijt in abortu anno M. D. XXII. ætatis XXVII.

CASPARIS CALORII.

Monument. qui ſermonis affabilitate, ingenij probitate, animiq; bonitate adeò valuit, vt his ne, an illo potius valeret, dubium ſemper fuerit.

IN AEDE S. AVGVSTINI.

MATTHAEO FREGNANAE.

Clauditur vrbis tumulo Matthæus in iſto
Corpore formoſus Fregnanæ gloria gentis,
Interpres legum ſapiens, eiusq; clienti
Fidus & Orator populi ſermone peritus,
Publica res etiam fuerat benè recta per illum.
Hunc Mutinæ ciues clara virtute nitentem
Extinctum lugete virum: ſed ſydera cœli
Gaudia diffundant animam ſumpſiſſe beatam.

ANDREAE CAPVT BOVIS.

Quid cultu hic tanto dignum eſt? quid notius vnquam?
Nam legum numen hic colit & colitur.
Hoc numen quod numen habet? vah perdite, quis nam
Andream ignorat, dic mihi, Cade boue.

M. D. V. die XI. Maij.

Io. Baptiſta Caputbouis p.

LVDO-

LVDOVICO BLANCO.

V. I. Peritiſſimo, pari candore animi & doctrina ornato, præclaris iuris dicendi per celeberrimas Italiæ ciuitates muneribus ſumma cum laude per XXII. annos perfuncto, Ferrariæ dum inter Alphonſum II. Ateſtinum Ducem & Venetos de finibus aſcitus cognoſceret, repentina vi morbi XLVII. ætatis ſuæ anno extincto, Camilla Mater & Ioannes frater, filio & fratri ſuauiſſimis moribus, & de ſuis ac de alienis optimè merito mœſtiſſimi poſ: M. D. LXIV. Id: Sept:

SMERALDA MATETA.

Quæ virum habuit Ioannem Sadoletum, Iacobi ampliſſimi Cardinalis ex fratre Nepotem, cum quo vixit annos XV. Men: VI. & cum matrimonij nobilitate formam, cum forma pudicitiam difficillima omninm ſocietate coniunctam, virilemq; rerum aduerſarum tùm in coniugio, tùm poſt coniugium tolerantiam conſtantiſſimè ſeruauit aduerſus primarios ciuitatis competitores viduitatem, hic ſita eſt poſt annos ætatis XXXVI. viduitatis III. VI. Cal: Sextil: ex teſtamento.

ATTI COMITIS PALAT:

Membra Palatini comitis mors reppulit Atti,
Attalina fleant ardua tecta virum.
Magnificæ proli titulos iam præbuit illi
Nicoleos Comitum Pontificale caput.

IN AEDE S. PETRI.

NICOLAI MACHELLAE.

Monumentum, Medicorum ſcientia, bonorum probitate omnium ſui temporis præſtantiſſimi, quorum vtris longiore ſpatio antecelleret, dubium ſemper extitit Vix: an: LX.

Alta cadunt vitijs, virtutibus infima ſurgunt.

Παύσατο πρωλείων Ασκληπίου κλύτον υἱὸν
Νικολέως τοὔδ' ἰητρων κ' ἀντάξιος ἄλλων.

IN AEDE S. LAVRENTII.

IOANNI BAPT: BELLIVICINO.

Aurelij IC. Filio, Seni nonagenario nec moroſo, nec difficili, nec auaro, integraq; mentis & corporis valetudine, miraq; morum elegantia, rara præterea filiorum XXXXII. procreatione, eaq; prudentia, vt fortuna nec ſecunda ſe extulerit, nec aduerſa animum demiſerit, Equeſtri ordine ac rei familiaris & publicæ adminiſtratione bello & pace priuatim publiceq; claro, qui & pauperes amplexatus eſt, ſanctiſſimumq; hoc Laurentianum virginum inſtituit collegium, inſtituto affuit, filiabus auxit, ædesq; conſtruxit, Cornelius Filius patri B. M. P. Obijt V. Id: Iunij M. D. LIV.

IN AEDE S. FRANCISCI.

NICOLAVS FESTATIVS.

I. V. Doctor hic quieſcit, qui dum vixit, parùm quieuit, hoc ſibi poni iuſſit, ne poſteris ſuis crederet, Ob: ann: M. D. LXVI. Die XXXI. M. Decembris. Vix: ann: LXVIII. M. I.

ASCANIO FILIO IVVENI
parens poſuit.

Dum fretus ſtudijs, patria & virtute laboras,
Mars ſua ſeu iubeat caſtra Minerua ſequi.
Sæua tibi heu nimium primo ſub flore iuuentæ
Immiti abrupit ſtamina Parca manu.

MVTINA.

Fit more hoc ſolito, duri inclementia fati
Dulcia ſæpè hominum ſingula prima rapit.
Tu deſiderium patriæ & ſpes magna parentum,
Tu cunctis nimium ſed mihi flende iaces.

FRANCISCO BILIARDO.

Patri Trapezitæ primi nominis Leone illo fratri, IC.to Equeſtriſq; ordinis inſigni, ac ſibi Iacobus paternæ artis imitator non minus liberalis, quàm pius poſ: M. D. xxix. H. M. H. N. S.

IBIDEM.

Sic vre, ſic ſeca, vt in æternum parcas.

IN THEATRO PVBLICO.

IN LIMINE SCRIBARVM.

Aut Aquilæ vltricis ſublimi concidat vngue,
Noxia auis pluma hinc aut ſpoliata volet.

IN PALATIO POTESTATIS CASTELLI FRANCI.

AD V. MILLIARIA VICINI.

Hoc opus, hoc caſtrum, res has cognoſcere geſtas,
Cum fuit Vbertus prudens & clara poteſtas,
Is vice namq́; Comes non à patre degenerauit,
Sed genus & patriam virtute ſua decorauit,
Anni currebant Domini tunc mille ducenti,
Octo viginti, prior eſt indictio menti.
Atq́; poteſtatis miles Petrucius, huius
Rector erat caſtri, viget vndiq́; gloria cuius
Nobile tàm caſtrum Francum de iure vocantes.

ANTE PORTAM.

Munitioni caſtri Franc: quam Pius V. Pont: Max: extruendam curabat, & ſucceſſor Gregorius XIII. ſtatim funditus ſuſtulit, Albertus Angolet: militum Ductor & Senen: Bon: ſub vtroq; Pontifice præfuit. M. D. LXXII.

ANTE PORTAM PALATII GVBERNATORIS.

THOMAE GOZADINO.

Felſina Petrus Legati Cæſius vrbe
Dum benè munus obit, iuſtaq́; ſceptra tenet,
Hic Gozadinæ Thomas de ſanguine gentis,
Præturam ſenis menſibus obtinuit.
Exeunte M. D. LXXXI.

IMOLA.

VETERIBVS FORVM CORNELII DICTA, condita à Romanis, & ab eo qui hùc ad ius reddendum habendumq́ forũ à Senatu miſſus erat ſic appellata, Subuerſa ab Antiocho Narſetis Præfecto, & à Clephe Longobardorũ Rege Alboini ſucceſſore inſtaurata, & ab arcis nomine quã eminentiori & vnico in tumulo habebat

Imola

Imola dicta. Adiacet Sacerno amni, loco per bono & fœcundo: colles enim habet amœnos, & latifundia campeſtria periucunda. Incolæ gnaui & ingenio peracri, quamobrem plurimos illuſtres & inclytos viros dedit, maximè Beneuenutum, qui in Dantem commendatus eſt, Ioannem ab Imola, Alexandrum Tartapum IC.tos Vrbanum Grammaticum, Hieron: Clarritium, & Ioannem Antonium Flaminium oratorem. Foſſa, aqua, muro ſatis munita, & Romanis Pontificibus parens, non abſimilis VVitteberga. Saxatellorum & Vainorum factionibus noſtro hoc ſæculo miſerè afflicta, & fœdiſsimè lacerata, quæ aliàs vniuerſæ Italiæ ſummo ornamento eſſe potuiſſet.

IN AEDE CATHEDRALI.

IVLIANI GINORII.

Ginorij hæc cineres Iuliani continet vrna,
Conſpicui patria, nobilitate, viri.
Effera perpetuo quem mors complexa ſopore
Dum vitam Syllæ degeret ille foro.
Spiritus aſtra, colit requieſcunt membra ſepulcro,
Fama, vel inuita morte, ſuperſtes erit.

Ob: anno Domini M.D.LIX. VI. Calend: Septemb: ætatis ſuæ verò CVIII.

IOANNES ANGELINVS.

Mort: memor rebus ſuis ritè compoſitis hoc ſibi S. V. F. in quod etiam Baptiſtæ Angelini Canonici patrui de ſe benè meriti, ac Barth: Canonici, & Petri Rauean: Mandiduarij patruelium ſuorum oſſa inferri voluit. Id verò in primis ſtatuit, vt partim clericis, qui in honorem Deiparæ virginis ſacris peragendis Sabbatis adfuiſſent, partim egenis Orchignolæ agelli ſui fructus quotannis viritim diuiderentur, quò poſteris pietatem ſuam in Eccleſia, cuius filius & Canonicus fuit, teſtatum relinqueret, vitæ annum agens III. X. Cal: Octobr: M.D.LV.

HIERONYMO RIARIO.

Vicecomiti Foricorn: Foril: Pontificis Vicario, Boſchi Cariatiq; comiti, Pont: exerc: Duci vtriuſq; Regni Neapol: Comeſtabili Equitum Cataphr: Reip: Venetæ alæq; Ducum Mediolanen: præfecto. V. ann: xLv M.v. D.x. Ob: ann: M.CD. Lxxxvii. & Galeatio eius filio multis & corporis & animi dotibus ornato V. ann: Lxxi. M.i. D.xv. Ob: ann. M.D.Lvii.

Iulius Riarius Vicecomes auo patriq; optat: b.b. non ſine magno mœrore erigi curauit an: M.D.Lviii.

ANDREAE FERRI.

Oſſa hîc recondi ſat tibi viator dixiſſe, ſi vt medicorum optimus, ita & Philoſophorum primus vndiq; nomen protulerit, hîc, inquam, puluis. Nam quod reliquum eſt hominis in homine diuinitatis cœlo reſidet: felix iam viue & vale. xii.Cal: Octobr. M D.xLv.

FRANCISCO.

Ex illuſtri Saxatellorum familia oriundo, Comiti ac Duci Michaëlis Equiti, omnibus & animi & corporis dotibus ornatiſſimo, ob præclaram rei militaris peritiam pluries Peditum equitumq; cohortibus Præfecto, qui cum militum copijs à Pio V. Pont: Max: pro catholica veritate in vlteriorem Galliam aduerſus hæreticam Hugonotorum impietatem tranſmiſſis aduentitius proprio ære profectus eſt, cum intra Piſtorien: vrbem obſideretur, talem ſe præſtitit propugnatorem, vt in fidei ac fortitudinis teſtimonium à Carolo ix. Gallorum Rege proprio cochleato torque donatus aliaq; regia munera ipſe vnus adeptus eſt, verum in eo conflictu, qui

V.Non: Octob: M.D LXVIII. committebatur, intrepido animo medios inter hoſtes dimicans terreſtrẽ ſuis, cœleſtem ſibi victoriam parans, ingenti ipſius Regis dolore ac militum mœrore plumbea glande traiectus fuerit. Vix: ann: XXXVII. M. VII. Io: Cognatio Sax: eiuſdem amantiſs: fratri, qui ipſum eò fuerat pari deſiderio proſecutus, nec cum animi ſui acerbitate præmorienti aſſiſteret, febri correptus in Turonenſi oppido decem diebus fratris immaturam mortem, morte immaturiori præuenit. Vix: ann: XXXIIII. Felix Vrſina piiſſima mater feliciſſimis filijs de Chriſtiana Repub: benè meritis, hunc memoriæ titulum, ſibi potius ab eis erigendum, mœſtiſſima poſuit.

AD S. MARIAM.

CONIVGVM.

Si genus & mores, famam, ſi nomina quæras,
A Ioue ſub ferro dogmata ſancta gero.
Phyſicus Andreas iam dat cum coniuge cuncta
Illa patri Annibali Purdegalo Comiti.
Vt comes Hyppoliten tenuit comitatur & ipſa
Hyppolites comitem, marmor vtrumq; tenet.
Marmor habet comites, comites diuellere nequit
Vnanimes lethum, ſic benè iunxit amor.

Ipſa obijt anno Dom: M. D. XLVIII. XVII. Cal. Septemb.

AD S. DOMINICVM.

IOANNES STRATA.

Ciuis primarius Imolen: à Gregorio S.mo Pontifice XII. Epiſcopus.

LVCRETIAE VESTRIAE.

Anconiæ filiæ primogenitæ dulciſs: quod viuens & moriens ita ſe geſſerit, vt mirifica ſemper erga Deum, parentes ac maritum pietate atq; obœdientia, erga omnes innocentia, modeſtia, deniq; in aduerſis conſtantia, æquanimitate incomparabili extiterit, propterea ſpectandæ bonis omnibus, atq; adeò diligenter imitandæ, Octauianus Veſtrius, Aconiorum Comes, pater cæteris liberis ac poſteris ad tantæ ſororis exemplum vehementer excitandis p. Vix: ann: XIX. Obijt in partu parùm felici anno ſalutis M. D: LVIII.

IN AEDE CAPITVLARI.

COLATIO.

Clauditur in iſta præſente Colacius arca,
Qui mira tanta fecit, quod ſibi multa ſubiecit,
Quem genuit Bononia, dans Bechadelli nomina.

Qui obijt anno M. CCC. XLI. in die Ioan: die XIII. Martis.

IN CHORO.

P. PAVLO CALDARINO.

Iureconſulto ciuit: Imolen: primario, multis magiſtratibus functo, viro clariſſimo, Caldarinus fil: B. M. P. A. S. M. D. die XXII. Decembr.

ANT: MAR: SAX.

Qui dum ad Fruſinum à Clemente VII. Pont: Max: Equitibus & à Lutree Gallorum Prorege, peditibus ad Parthenopen & Terinæ præfectus, & à Paulo Pont: III. Prætorianis ad Nicæam præpoſitus, ab eo, qui in Camertes ac Tamanos cum peditatu miſſus Nauariam regens patriæ ſalutis ſtudioſus VII. nec dum luſtro exacto perijt, Camillus frater mœſtiſs. p. ann: Domini M. D. LIIII.

FAVENTIA.

VVLGO FAENZA, ÆMILIÆ CIVITAS peruetuſta & ſplendidè lapide extructa, quæ Salinis Saxonicis non iniquè comparatur. Hanc amnis Anemo ſecat, eam à ſuburbijs diuidens, ponteq́ lapideo coniungens pulcerrimo, ac munito cum duabus turribus quo & ciuitas ſuburbijs, & Æmilia via ſibi cohæret. Celebris templo Cathedrali, & Prætorio, quod in foro cum porticu habet pulcerrimo, populus frequens & Reip: ſtudioſus. Poſſeſſa aliquandiu ab illuſtri Manfredorum familia, qua crudeliter à Cæſare Borgia ſub Alexandro VI. extincta, in Romanor: Pontificum poteſtatem peruenit, in quorum fide pacificè & tranquillè ſtetit, nec factionibus caput attollere paſſa eſt. Aſtor Manfredus alta ac lata foſſa cinxit, mœnia auxit, & Prætorium conſtruxit. Fridericus II. Imperator arcem præſidij cauſſa ædificauit, cùm eam aliquando obſederat, & muros ſolo æquari iuſſerat. Ager eius opimus eſt, frumenti, vini, & lini ferax. Maximus quoq́ hic figulorum excellentium numerus, qui tanta arte in formandis vaſis coloribusq́ ſuis depingendis pollent, vt Fauentina totius Italiæ primatum obtineant, & vberrimum quæſtum ex ijs faciant. Etiam Bononienſibus paruit, ſed exortis Lambertaciorum & Giremeiorum partibus in libertatem ſe recipit, & in Manfredorum poteſtatem poſtea recidit, donec à Pontificibus eijcerentur.

IN AEDE CATHEDRALI.

ANDREAE SCIVROLAE.

Andreas iacet hic Sciurolæ gloria gentis,
Virtute atq́ opibus nempè celebris eques.
Qui pius in miſeros fuit, & ſectator honeſti,
Ingenio validus, conſilioq́ grauis.
Prole ſua felix, & quo non ære nec agris
Vrbe Fauentina ditior alter erat.

M. CCCC. LVIIII.

APHRICANO SEVEROLO.

Proton: Apoſtol: V. I. Doctori, qui virtute tantum duce, quod rarò fit, in Romana curia eò euaſit, vt aulicis omnibus in honore eſſet atq; amore, tuncq; deceſſit, quum eum viuere opus erat, ſuo iuſſu huc translatus & conditus fratres amantiſs: b. m. p. Vixit vt moriturus, vt moriens viueret. Vix: ann: xLvii. D. x. Obiit Idibus Octobris M. D. xxii.

Vitæ probitas mortis deſpectio.

SAVINI EPISCOPI.

Et martyris beatiſſimi oſſa in hoc tumulo marmoreo requieſcunt.

LVDOVICO NONIO.

Medico ac Philoſopho eximio, qui dum cæteros ægrotantes mira quadam induſtria & arte curaret, omnibus ingenij laudibus indies magis excelleret, peſtifera & repentina febre in florente ſui ætate & gloria præripitur, incredibili amicis omnibus deſiderio derelicto, Franciſc: Nonius fratri cariſs: ac benè m. p. Vix: ann: xxxvi. M. vii. D. xiii. Obijt xii. Cal. Iul: M. D. Lxxvii.

ANNAE QVARANTINAE.

Puellæ primariæ, ab optimis parentibus ac nobili Quarantina familia ortum habenti, forma, pudore, fide cæterisq; bonis moribus adeo ornatæ, vt laudi, honori, gloriæ, non ſomno, non conuiuijs, non delectationi nata videretur, quæ cum XVIII. ætatis ſuæ annum ageret, atq; in ore omnium eſſet, ab inuida morte primo partu de medio ſublata eſt, Sigiſmundus Bonaccurſius vxori incomparabili ob merita concordiæ coniugalis mœſtiſs: poſ: Obijt die XV. Iunij Anno M. D. XLIV.

IOANNES BAPT: BOSIVS.

Eques, & V. I. Doctor, in annorum LXVIII. ætate conſtitutus, poſtquam multos peregiſſet magiſtratus Bononia reuerſus. & in patriam reductus dum benè viueret, & ſciens vitam cum morte commutaturum, & putans non alios executores quod ipſe executus non fuit more quaſi aliorum omnium ſuperſtitum, poſtquam hanc capellam dotatam cum tabula in memoriam beatiſsimæ virginis Mariæ, & pro ſuorum cancellatione delictorum erexiſſet, volensq; eius oſſa perpetuò quietare, hoc perfici ſepulcrum mandauit. M. D. XLII.

Noſce tempus.

AD S. MARIAM.

FRANCISCVS MORETTVS.

Vir ſanè in Deum O. M. non minus pius, domi foriſq; bonis omnibus gratus, quàm in re militari ſtrenuus ac vigil peditum Ductor, cui primo in expugnatione Golettæ inſignibus armis, quæ vides Lector, mœnia fortiter ſuperanti Maumetani hoſtes nec tormentis, nec alia vi reſiſtere potuerunt, in ſolo natali innocens inermis, nec ſine communi mœrore patriæ occiſus, hîc Andrea patre curante annum agens XXVIIII. conditus eſt, anno Dom: M. D. XXXVIII. Non: Decembr.

AD S. DOMINICVM.

LVDOVICI.

Addidit egregium patriæ Ludouicus honorem,
Quo patriæ viuet pectore voce ſuæ.
Cgnatam celebri ſuperauit nomine gentem,
Cuius ſurgenti lumine clarus erit.
Sedulus impleuit magni præcepta Tonantis,
Quem modo mens poſito corpore læta tenet.
Hunc igitur vita orbatum fas dicere non eſt
Haud quicquam in veris ſuſtinuiſſe bonis
Eſt tamen æthereaṁ credendus ducere vitam
Et Paradiſiaco tempora fauſta tholo.

M. D. X.

MENGALINO SALIO.

Phyſico Sena: q; opt: qui cum multis tam bono pu: legen: quàm in patria prudentiſs: doctiſſimeq; medendo profuiſſet, Obijt M. CCCC. LXXXXV. VIII. Id: Octobr: ætatis anno VI. & LX. non exacto Venerius frater M. D. IIV. P.

NICOLAO CONNO.

Patricio Fauent: IC.to Equitumq; clariſſimo, pro Republ: Fauent: apud Leonem X. Adrianum VI. Clementem VII. & Paulum III. oratorio munere quàm honorificè functo, Fani fortunæ Fulginei Forumliuijq; Gubernatori, forum Cornelij, Rauennæ, Ceruiæ Prætori digniſs: breui temporis curriculo magnos honores dignitatesq; magnas propria virtute conſecuto (heu mortalium inſtabilis condito)

magna

magna ſuorum & ciuium ſpe acerbo fato de medio ſublato, Meldina ex Barbauaris mœſtiſs: coniux poſ: Obijt anno ætat: ſuæ xLviii. ann: Dom: ſal: M. D. xxxvii. die iiii. Maij.

AD S. AVGVSTINVM.

PAVLO ANIO.

Philoſopho ac Medico excellent: qui ob ſingularem eius in omni genere doctrinam, & multas tàm priuatorum hominum quàm Reip: ſublatas ægritudines tota patria necdum Milcetta familia claruit, Petrus Paulus non ignarus quid paternæ virtuti debeatur p. M. D. Lviii. Iacobus Petrarius pictor Ferrar: inuito tandem momo faciebat S. C. M.

FLORIANO MORIATO.

Cauſſarum patrono ſapientiſſimo Iuriſprud: eloquentiaq; viris principibus, propter ſummam ſolertiam tum domi foriſq; cariſſimo fratres honorarium hunc tumulum p. ann: M. D. viii. Men: April:

AD S. ANTONIVM.

CAROLI TRAVERSARII.

Canonici Fauent: ac huius Eccleſiæ Rector, nec non Rotæ Su: Palat: Apoſtolici cauſſarum Notarij, & iſtius ſocietatis ſacratiſs: corporis Chriſti inſtitut: ac benefactoris corpus hic infra iacet, anima verò eius in pace requieſcat, Amen.

Vix: ann: Lx. diuerſis & quàm plurimis tribulationibus & perſecutionibus ſemper laborans, tandem & eius vitæ finem impoſuit dicens in vltimo clarè & altè verſus infra ſcriptos:

Inueni portum, ſpes & fortuna valete,
Nil mihi vobiſcum, ludite nunc alios.

M. D. XXXXVIII.

ANTE HOSPITALE ORPHANORVM.

Quos parentum paupertas, pudorue repulit, pietas huius loci recipit.

IN AEDE OBSERVANTIVM EXTRA CIVITATEM.

ANDREAE MANFRED:

Imperterriti, inuicti, ſingularisq; certaminis victoria præclari militis Andreæ Manfr. Fauent: qui ſub Veneto: Rege, Cæſ: Romanoq; Pont: ccc. peditum munus Præfecti ſæpius gerens ſumma cum laude meruit, cuban: oſſibus mœſtiſs: cum Paula Ferrar: monumentum hic poſ: Obijt ix. cit: annum natus Olymp: anno ſalutis M. D. XLVII. Cal. Quint:

ANDREAS RICCIVS.

Forliuien: Protonotarius Apoſtolicus, S. Palatij Apoſtolici & aulæ Lateranen: comes Palatinus.

Inueni portum, ſpes & fortuna valete,
Nil mihi vobiſcum, ludite nunc alios.

ALIVD.

Terra terræ.

IN PORTA PONTIS SVB INSIGNIIS.

GREGORII XIII.

Expectate venis nobis clariſſime Præſul,
Aduentu totum gaudet ouile tuo.

IN PALATIO GVBERNATORIS.

GVIDONI FERRERIO.

S. R. E. Cardinali ampliſſimo, totius AEmiliæ & Exarchatus Rauennæ iuſtiſſimo atq; prudentiſſimo de latere legato S. P. Q. F. grati & deuoti animi ergò.

Iuſtitia & pietate regit, non vincitur auro.

ALEXAND: SFORTIAE.

S. R. E. Cardinali totius ferè ſtatus Eccleſiaſtici de latere legato.

Cacos diſperdit & hydras.
Supereſt gradus vnus honoris.
Maturam fundis populis per ſæcula pacem.

ANTE HORTVM CVIVSDAM EQVITIS MALTENSIS.

Satis diues, qui non indiget pane: Satis potens qui non cogitur ſeruire. Ciuiles curæ procul hinc abite. Sabbas Caſt: Solitarius ſeipſo contentus hos ſecuros incolit hortulos, pauper an diues, ſi cordatus es, cogita. Vale.

FORVM LIVII.

VLGO FORLI, AMPLA CIVITAS ET MAgnitudine Bononiæ haud impar, ſita intra duos amnes Roncum & Montonum, cælo perbono, agro copioſo, & vbere zea, hordeo, oleo, rubea, glaſto, aniſo, fœno græco, cumino & coriandro adeò vt etiam exportet. Prætorium hic ſumptuoſiſſimum in foro ab Ægidio Cardinale ædificatum, & ſemirutum Catharinæ Sfortiæ iuſſu in cædis mariti vltionem. In eo inſtar hominum manibus iunctis fœdus ineuntium, aut illatam iniuriam remittentium Liuius Salinator cum Nerone conſpicitur, picturæ inſcriptione adiecta:

Sextus Tit: Liuius Salinator Coſ. S. R. iuſſu Claud: Neroni collegæ reconciliatus iureiurando pollicetur, ſe Rempubl: contra Annibalem ac Aſdrubalem fratres egregiè defenſurum.

Poſtmodum videtur pictura conceſsionis regalium factæ Foroliuienſibus, per Fridericum Imp: Roman: item alia in memoriam Berengarij ciuis appicta. Fuit aliquando in nobilium Ordelaphorum poteſtate, quibus extinctis in Pontificum imperium peruenit, eodemq; ad hunc vſq; diem ſtatu manet. Factionibus Numaliorum & Moracinorũ pernitioſiſsimis & exitioſiſsimis olim flagrans, ijs compreſsis, ciuiũ quorundã optimorũ ſtudijs & animaduerſionibus pax & otiũ ciuitatis aliquandiu viguit. De cuius primæ ædificatione annales referunt, quod poſt cæſum à Liuio Salinatore Claudioq; Nerone Aſdrubalẽ ad fluuiũ Metaurũ, miles quidã emeritus L. Hermius cũ

aliquot

aliquot ſuis commilitonibus ætate confectis oppidulum cœpit ædificare, quod Liuium à nomine conſulis dixit, erecta in foro ſtatua cum elogio:

Liuius ecce fui Romanus conditor vrbis
Huius, & hanc volui terram coluiſſe Quirites
Magnanimos, populisq; dedi cognomen & arma.

Pagus verò erat illis temporibus in via Æmilia, vbi ius dicere ſolebant Roman: Magiſtratus, & mercatus etiam habebantur, quamobrem forum dicebatur. Sic Liuiani coloni huius fori oportunitatem & commoditatem maiorem rati, quàm eius loci vbi ipſi conſederant, & qui nunc Caſtellutium vocatur & M. D. paſs: diſtat, cum fori incolis, vt habitare ſibi vnà liceret conditiones iungunt, quod approbante Auguſto ad Liuiæ vxoris ſuaſionem, coniunctis vtriusq; loci appellationibus, Forum Liuij dixerunt. Refert Leander hæc in annum natiuitatis D. N. I. Chriſti, cum iam anni C C. V I I I. à prima Liuij ædificatioe effluxiſſent. Vtut hæc ſint vrbs eſt mirè iucunda & tranquilla, ingeniorum cultrix & obſeruatrix. Templum Cathedrale, S. Crucis, Item S. Dominici. S. Franciſci, & Mariæ del Carmine ornatiſsima ſunt.

IN AEDE S. CRVCIS.

ALEXANDRO MONSIGNANO.

Conſultori, nec non iuris ac legum interpreti clariſſimo, qui tum magnis ſacerdotijs honeſtatus, tùm ſummo patriæ ſuæ vicariatus munere xxv. annis maxima ſemper cum laude perfunctus, non minori tandem gloria, quàm omnium bonorum mœrore ex morbo contractam mortem obiuit, Euangeliſta frater, nec non Petrus Franciſcus ac Paulus nepotes hæc digna veræ virtutis ſuæ monumenta erigenda curarunt. Vix: ann: Lviii. M. iiii. D. iiii. Ob: anno M. D. Lx. Die xiv. Septemb:

ROBERTI ROSSANI.

Art: & Medicinæ Doctoris celeberrimi, cuius exactiſſimam prudentiam optimamq; in facultate medica opem & noſtrates & exteri ſenſerunt, hîc oſſa deponentis, mœſtiſſimi filij Gaſpar & Ioan: Baptiſta b. m. honeſtarunt, nec non & virtutis ergò d. Vix: ann: Lv. M. iii. D. xxv. Ob: ann: ſalut: M. D. Liii. Die xxv. Octobr:

AD S. DANIELEM.

PETRI SINNII

Manes, qui non ſibi ſed amicis vixit, ac pro amici honore obijt. M. D. Lxvi.

PETRO STELLAE.

Præfecto militum, viro fortiſſimo, de patria benè merito, Vix: ann: Li. Ob: ann: M. D. Lxii.

CICHINORVM.

Oſſa Cichinorum Chriſti conduntur ad aram,
Sub Duce Chriſto animæ carpite ad aſtra viam.

AD ARAM LVCIAE.

Reddidit infanti illæſo pia Lucia lucem,
Reſtituit tabulam gratus vterq; parens.

AD PRAEDICATORES.

BEATI IACOBI DE VENETIA.

Hoc Iacobum tumulus conſeruat marmore fratrem,
Virtutum cumulus quem dat tibi Liuia patrem.

Gloria

Gloria qui Veneti ciuitatibus eſt oriundus,
Virgineis meritis meruit cœleſtia mundus,
Huius Dominicus Petrus Thomas ordinis almi,
Gaudent qui ſocto cantantur in æthera pſalmi,
Cancros, artheticas febres, capitiſq́ dolores
Protulit, atq́ alios morbos, mentiſq́ furores.
Forliuium gaude, pro te nunc Præſide tanto,
Qui patrem natumq́ rogat cum pneumate ſancto.

IN SEPVLCRO S. MARCOLINI.

Marcolinus curſu lampada tradens hic quieſcit, poſteris domum quieturis relinquens.

AD S. MERCVRIALEM.

IN BAPTISTERIO.

Id lauo, quod primi deſœdauêre parentes,
Et ſine me nullus cœlica regna petit.
Lege noua à ſuperis nî ſint hoc fonte lauati,
Sancitum eſt nullos incoluiſſe polum.

AD SERVOS.

AD EFFIG: MARIAE VIRG:

Faue virgo mater, abs qua non eſt reconciliatio.

AD IMAGINEM MORTIS.

Non terrori, verùm lætitiæ ſolam ſpem in Deo habenti futura ſum.

AD IMAG: VITAE.

Vita fallax, anxia, creſcendo decreſcens, morti ludibrio quot illaqueas.

SVB SENE.

Patere.

SVB COLVMBA ALBA.

Abſtine.

ANTE PALATIVM GVBERN:

Proſtratis parcit, ſternit pugnare volentes.

IN CAMINO, PALATII EPISCOPALIS.

A gallo plumis albo abſtinendum.

ITEM.

Neſcia fallere vita.

IN PORTA CESENAM VERSVS

ſub religione & virtutib: moralibus.

Intra vrbem venerande Pater cuius data clauis,
O vtinam cœlum donet vtrąq́ tibi.

IBIDEM.

Vrbs antiqua potens armis atq́ vbere glebæ,
Relligione Patrum multos ſeruata per annos.

ITEM.

Vrbs nunc tuta magis, nunc nullo tacta veneno,
Hic vigil, hic cuſtos, hic tibi certa ſalus.

IN PORTA, FAVENTIAM VERSVS
SVB LEONIBVS.

Petis per tela viroſq;.
Supplicibus clemens.
Benedictione iuſtorum exaltabitur ciuitas.

SVB SIMVLACRO FOEMINAE
papauer manu geſtantis.

Per te parta quies.

SVB SYBILLA.

Redeunt Saturnia regna.

SVB CONCORDIA.

Venit poſt multos.

SVB STATVA LIVII SALINATORIS.

Vrbem quam ſtatuo.

CESENA.

FLAMINIAE ANTIQVA CIVITAS, IN PEde Appennini & viæ Æmiliæ, ædificijs perhoneſtis, incolis nobilibus, ingenioq; & induſtria atq; etiam opibus pollentibus: populoq; adeò frequens, vt tempore Leonis x. à Romanulæ præſide Bernardino Rubrio ampliari cœpta, ſed deſertum opus, ipſo ad Bononien: præfecturam auocato. Arcem ex colle ad auſtrum verſus habet munitiſſimam, à Friderico II. Imp: conditam, ea cum ipſa vrbe iungitur mole intercedente, quæ maiori ex parte ruinis perijt, vbi etiam nunc ædicula illa, in qua fruſtrum lardi nonnihil præciſum catena ferrea dependet miraculi inſtar: abundans omnium rerum copia, & vinum quod profert generoſ: & laudatiſſimum eſt; ſic dicta quod exiguo amne cæſa, vel à Sapi & Rubicone diuiſa ſit. A Britonibus olim magna clade affecta, à Bononienſibus, Ordelaphis, Malateſtis poſſeſſa, tandem Romanis Pontificibus ſubdita, in quorum fide & tutela permanens, tranquillitatemq; conſecuta incrementa ſumpſit maxima. Hoſpitale eius ſumptuoſiſsimum. In æde D. Franciſci bibliotheca nouelli Malateſtæ eximij ædificij & precioſis ac rariſsimis libris manuſcriptis referta. In eius veſtibulo ſymbolum Malateſtarnm legitur hoc: Elephas Indus non curat culicem. *Ad portam lapidi item marmoreo genti ſepulcrum Malateſtarum cancellis ferreis circundatum inciſum.*

D. O. M.

Principum Malateſtarum ſenioris nouelliq; cineres, quos domi foriſq; clariſſima virtus cœlo dicauit.

IN CATHEDRALI.

ANTON: PRAESVLIS.

Non procul hinc ſtruxit celſas Antonius ædes,
Et templa Antiſtes plurima dona tulit.

Hic iacet

CESENA.

Hic iacet, ætherias conſcendit ſpiritus arces,
Semproniq́ forum patria terra fuit.

AD S. FRANCISCVM.

VINCENTIO TVSIO.

Medico & Philoſopho clariſſimo Ribertus Eques filius obſequentiſſ. p. M. D. LII.

D. O. M.

Portirius patris pedibus contermina ſummi
Gentileſcha iacet, noſtris memoranda per orbem,
Meliorata domus ianuam veneranda propago.
Cuius corpoream ſpernens euexit ad aſtra
Ignea vis molem meritis & ſponte votata,
Nam vitam exoſæ ſemper poſt funera ſacri
Fratris, erat mundi qui Cardinis vnica virtus,
Et ſublimis honos tumulo radiante Rauennas
Hæc libuit tegerent horum quo ergaſtula corpus.
Vtq́ domum & ſacras poſſent concernere ſedes,
Mille quadringentos Phœbus dum volueret annos
Bis quinosq́ ſemel, vigeſimus atq́ ſecundus
Martis ille dies, Luna dominante diebus.

AD S. MARIAM SERVOR:

ANONYMI.

Felix quem faciunt mundanæ miſeriæ iuſtum:
Et calamitates eius per Deum patienter tulit.
Hic fuit talis, quem hæc nunc tegit vrna.

IN PALATIO.

DIVO MAVRO.

Maure pater patriæ, ſerua nos tempore duro,
Nec cadat immerito te bona certa fides.

DE VIRGINE MARIA.

Si tibi grata fuit cordis pietasq́, fidesq́,
Nunquam pro nobis numina magna rogem.
Te ſine nulla fides, ſine te nil nouimus eſſe,
Te duce per certas credimus ire vias.

IBIDEM.

Felicem AEmiliam dum te regit atq́ tuetur,
Qui Chriſtum geſtat pectore, Chriſtophorus.

SVB INSIGNIBVS.

Vnanimes vixiſſe patres inſignia monſtrant,
Dum tractant patriæ publica facta ſuæ.

IN ALIO PALATIO.

DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

Quem non agnouit, quem vidit terra ſepultum,
Ad ſuperas tendit, venerat vnde, domos.

DE CRVCIFIGATIONE CHRISTI.

Pendentis ſupplex magnum cruce numen adora,
Conſpectu veri ſic potiere Dei.

AD IN-

AD INSIGNIA.

Scire cupis lector quare hæc inſignia nexus
Alliget: eſt quoniam nutrix concordia amorum.

IM ATRIO.

Vt manus, ita conſcientiam laua.

ANTE AEDES PRIVATAS.

Nulla puſilla domus quæ multos carpit amicos.

EXTRA OPPIDVM in monte, veteribus Mauro dicto monaſterium S. Mariæ ſumptuoſiſſimum, in cuius templo III. antiquæ inſcriptiones.

I.

Seia T. F. Marcellina ſibi & Vibenio Marcellino filio viua poſuit, quod voluit & potuit, quod potuit & voluit.

II.

Balneum Aurelianum ex liberalitate Imp: Cæſ: M. Aureli Pel: Aug: ſeruata indulgentia pecuniæ eius, quam Deus Aurelianus conceſſerat facta vſurarum exactione, curante Statio Iuliano V. curatore reſi ferat.

III.

D. M. P. Craſſinio Martinio militi chor: III. Prætoriæ S. T. M. Sextilia Semphitia coniux incomparabilis, coniugi ſuo cariſſimo, dolens poſuit & libertus H. V. Craſſinius F. & ipſe dolens curauit.

FINIS QVARTI LIBRI ET ITINERIS.

EXEMPLVM CVIVSDAM MEMBRANAE DE MORIBVS ITALORVM:

neſcio tamen an de hoc an de priſco ſæculo autor loquatur.

Florentini parci.	Neapolitani ſplendidi.
Lucenſes elegantes.	Genuenſes modici
Mantuani viles.	Patauini mediocres.
Anconitani ſordidi.	Aretini tenues.
Senenſes magnifici.	Veneti obſonantur paruo.
Mediolanenſes copioſi.	Papienſes agreſtes.
Nouocomenſes luxurioſi.	Bononienſes lauti.
Vincentini abundantes.	Aſtenſes opipari.
Cremonenſes exquiſiti.	Peruſini delicati.

DELECTANTVR.

Florentini caſeolis.	Neapolitani caulibus.
Lucenſes pyris.	Genuenſes lactucis.
Mantuani phaſeolo.	Patauini piſciculis.
Ariminenſes anſeribus.	Piceni porcis.
Taruiſani ranis.	Peruſini piſcibus.
Cremonenſes farcimine.	Papienſes cæpis & allio.

IN VESTITV.

Mediolanenſes ſplendidi.	Neapolitani ſumptuoſi.
Genuenſes elegantes.	Veneti magnifici.
Mantuani pueriles.	Florentini ridiculi.

IN ORATIONE.

Florentini inepti.	Mediolanenſes rudes.
Veneti putidi.	Genuenſes ridiculi.
Senenſes ſuaues.	Ferrarienſes inexhauſti.
Bergomates agreſtes	Brixienſes duri.
Peruſini faceti.	Bononienſes iucundi.
Spoletani celeres.	Fulginates verſuti.
Nouocomēſes balbi.	Capuani graues.
Romani elati.	Piſtorienſes feſtiui.
Conſentini dicaces.	Neapolitani iactabundi.
Narmenſes prompti.	Piceni varij.
Vmbri leues.	Appuli barbari.
Nouarienſes ruſtici.	Ligures mendaces.

IN CON-

IN CONSILIIS.

Mediolanenſes præſtantes.
Veneti prudentes.
Lucani temerarij.
Piſani inconſtantes.
Placentini prouidi.
Florentini lenti.
Veronenſes fideles.
Ferrarienſes cauti.

Genuenſes ignari.
Lucenſes vtiles.
Voſci maligni.
Brutij ſtupidi.
Mutinenſes acuti.
Peruſini celeres.
Senenſes tardi.
Patauini ambigui.

IN PERSEQVENDIS INIVRIIS.

Lucenſes mites.
Mediolanenſes faciles.
Peruſini diſſimulantes.
Fulginates accenſi.
Mutinenſes placabiles.
Senenſes magnanimi.

Neapolitani benigni.
Ferrarienſes pertinaces.
Veneti ſubdoli.
Cremonenſes aperti.
Piceni maligni.
Romani iniqui.

ERGA HOSPITES.

Calabri inofficioſi.
Lucenſes fideles.
Senenſes amabiles.
Veneti blandi.
Patauini duri.
Mediolanenſes incauti.
Ferrarienſes aſperi.
Mantuani deglabatores.
Placentini ſeueri.
Piceni infenſi.

Neapolitani benigni.
Florentini profuſi.
Aſtenſes beneuoli.
Spoletani agreſtes.
Veronenſes ſtudioſi.
Papienſes prudentiores.
Genuenſes inhoſpitales.
Parmenſes inconſtantes.
Mutinenſes prolixi.
Nouocomẽſes inhumani.

IN LITERIS AMANT.

Mediolanenſes Iuriſprudentiã.
Calabri linguam Græcã.
Mantuani Hebræam.
Veronenſes humanas.
Bononienſes Matheſin.
Patauini Medicinam.
Papienſes Sophiſticam.

Florentini Philoſophiã naturalẽ.
Neapolitani Hetruſcam.
Lucenſes literas ſacras.
Vincentini Philoſophiã moralẽ.
Veneti Muſicam.
Senenſes Dialecticam.
Peruſini ius Pontificium.

IN MERCATVRA SVNT.

Florentini callidi.
Genuenſes tolerantes.
Mediolanenſes aperti.

Lucenſes fideles.
Veneti ſplendidi.
. . . . . cauti.

Peruſini ſtrenũi.
Calabri præcipites.
Spoletani callidi.
Senenſes felices.
Bononienſes efferi.
Neapolitani animoſi.
Fauentini hoſti inſtantes.
Pratenſes ſacrilegi.
Collenſes libidinoſi.
Piceni rapaces.
AEmiliani inconſulti.
Placentini crudeles.
Romani truces.
Mediolanenſes intrepidi.
Romani fortes.
Vicentini vindictæ cupidi.
Piſtorienſes ſanguinei.
Papienſes firmi.

AD REM BELLICAM CONFERVNT.

Veneti pecunias.
Mediolanenſes galeas.
Placentini carros.
Cremonenſes tentoria.
Papienſes lanceas.
Piſtorienſes pugiones.
Bononienſes arundines.
Florentini . . . .
Romani perſeuerantiam.
Ferrarienſes tormenta.
Neapolitani equos.
Parmenſes clypeos.
Taruiſiani enſes.
Viterbienſes calcaria.
Laudenſes commeatum.
Neapolitani induſtriam.
Mediolanenſes tolerantiam.
Genuenſes perfidiam.

PRAESTANT.

Mantuani equitatu.
Piſtorienſes excipiẽdo ict9 clypeis.
Brixienſes extruendis vallibus.
Genuenſes claſſe.
Lucenſes obſidendis vrbibus.
Cremonẽſes ſtruẽdis ordinib9.
Veneti apparanda claſſe.
Patauini moderandis equis.
Bergomates locandis inſidijs.

DE MVLIERIBVS.

Senenſes pulcræ.
Florentinæ delicatæ.
Peruſinæ elegantes.
Caietanæ formoſæ.
Conſentinæ obſtinatæ.
Beneuentanæ ruſticæ.
Bononienſes arrogãtiunculæ.
Mutinenſes benignæ.
Ceſenates rapaces.
Henuenſes ſalaces.
Cremenſes fallaces.
Placentinæ difficiles.
Lucenſes caſtæ.
Piſtorienſes faciles.
Romanæ graues.
Capuanæ ſuperbæ.
Neapolitanæ ſollicitæ.
Brunduſinæ inertes.
Ferrarienſes auidæ.
Rauennates humanæ.
Vrbinates affabiles.
Vincentinæ conſtantes.
Parmenſes auaræ.
Papienſes lucri cupidæ.

Medio-

Mediolanenſes vrbanæ.	Laudenſes ſuperſtitioſæ.
Pedemontanæ procaces.	Cremonenſes ſumptuoſæ.
Venetæ petulantes.	Taruiſianæ zelotypæ.
Veronenſes gratioſæ.	Bergomates aſtutæ.
Brixianæ diligentes.	Aretinæ tenaces.
Formianæ ſpecioſæ.	Puteolanæ bellæ.

DE AMORIBVS VIRORVM.

Proceram	Mediolanenſes	non zelotypi.
Saltatricem	Mantuani	ſolliciti.
Arrogantem	Neapolitani	perditiſſimi.
Pertinacem	Lucenſes	conſtantes.
Carnoſam	Veneti	libidinoſiſſimi.
Grandem	Senenſes	indefeſſi.
Audacem	Peruſini	ardentes.
Facundam	Vrbinates	cauti.
Timidulam	Brixienſes	firmi.
Candidam	Calabri	pertinaces.
Exiguis mamillis	Patauini	depereuntes.
Elegantem	Vincentini	diligentes.
Lacertoſam	Genuenſes	odioſi.
Purpuriſſatam	Mutinenſes	gnaui.
Grauem	Bononienſes	fideles.
Iucundam	Placentini	acres.
Cantatricem	Cremonenſes	auidi.
Blandam	Veronenſes	molles.
Animoſam	Romani	inſani.
Obſequentem	Rauennates	cupidi.
Ingenuam	Piſani	vehementes.
Pinguem	Tarentini	profuſi.
Benè habitam	Monopolitani.	ſtrenui.
Pathicam	Cortonenſes	furioſi.
Rubicundam	Piſtorienſes	ſedati.
Nitidam	Sauonenſes	placidi.

ALLICIVNT AMICAS.

Mediolanenſes magnificentia.	Mantuani minis.
Florentini rythmis.	Neapolitani equis.
Lucenſes moleſtia.	Veneti autoritate.
Senenſes lacrymulis.	Peruſini blaſphemijs.
Vrbinates oratione.	Veronenſes obſequijs.

Bononienſes donis.	Cremonenſes cantilenis.
Romani iocis.	Vincentini perpetua conſectatione.

DE ITALIAE CIVITATIBVS VERSVS PVLCERRIMI.

Fama tra noi Roma pompoſa & ſanta,
Venetia riccha ſaggia & ſignorile,
Neapoli odorifera & gentile,
Fiorenza bella tutto il volgo canta,
Grande Milano in Italia ſi vanta,
Bologna graſſa è Ferrar ciuile,
Padoua forte & Bergamo ſottile,
Genoa di ſuperbia altiera pianta,
Verona degna è Perugia ſanguigna.
Breſcia L armata è Mantoa glorioſa,
Rimini Buona & Piſtoia ferrigna,
Siena de bel podere Lucca induſtrioſa,
Furli bizarro, & Rauenna benigna,
E Singallia del aria noioſa,
E Capua amaroſa
Piſa Frendente è Peſaro giardino,
Ancona del bel porto pellegrino,
Fredeliſsimo Vrbino
Aſcali tondo è longo Recanate.
Foligno delle ſtrade in Zuccarate.
Et per da cielo man date
Le belle donne da fano ſe dice
Ma Siena poi tra L' altre piu felice.

CAMPANIAE POPVLORVM PROPRIA.

Caſtellani Caietani.	Pignatari ſon da ſeſſa.
Belle fœmine ſon de mola.	Papari de caſtello.
Ceſali de patria.	Aſinari de buzolo.
Cornati de Iſchia.	Fogatori de prochyta.
Gentilezze à Napoli.	Buen græca fa la torre.
Meglio fa la ſomma.	Caſtel amare ne amico ne compare.
Auico porta pane contico.	Surrente ſtinge li denti.
Maſſa ſaluta & paſſa.	Sarraini ſon de capre.
Fico de donna grana.	Marinari de paſitano.
Vogatori de preano.	Samigothi de Cythara.
Taglia borſi di ſalerno.	Zeppolan ſon de Agropoli.

HELMSTADII

Typis Iacobi Lucij Tranſyluani.

ANNO

M. D. XCII.

F 18/86

SPECIAL 88-B
31014
GETTY CENTER LIBRARY